Universidad de Deusto
Biblioteca

Osorio

IUM

V

Universidad de Deusto
Biblioteca

Jerónimo Osorio

OPERUM

3

III , IV

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI

OSORII

LVSITANI

EPISCOPI ALGARBIENSIS

Operum

Tomus Tertius.

Es del coll.º de Loyola y su Librería.

AD

PHILIPPVM I. PORTVGALIAE

REGEM INVICTISSIMVM.

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ.d de Deusto BILBAO

THEOL. COLLEGII SOCIETATIS JESU

ROMÆ,
Ex Bibliotheca Georgij Ferrarij, M.D.XCII.
SVPERIORVM PERMISSV.

SVPERIORVM PERMISSV

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA GEORGII FERRARI M.D.XCII

Biblioteca
Universidad de Deusto

PHILIPPVM I. PORTVGALIAE

REGEM INVICTISSIMVM

TOMUS TERTIUS.

Operum

EPISCOPI ALCARBIENSIS

LASSANI

OSORII

HIERONYMI

Universidad de Deusto
Biblioteca

SOCIETATIS IESV ✠ BIBLIOTHECA COLLEGII LOYOLAEI

IN HIERONYMI OSORII LVSITANI PARAPHRASIM IN IOB HIERONYMI OSORII NEPOTIS

MVM MVM

AD ILL. AC REV. PATREM D. GEORGIVM ATAIDIVM EPISCOPVM OLIM VISIENSEM

PERPETVVM COMMENDATARIVM ALCOBACIENSEM, CAPPELLANVM, ET ELEEMOSYNARIVM MAIOREM

PHILIPPI HVIVS NOMINIS PRIMI REGIS PORTVGALLIAE

EIVSQ. CONSILII SVPREMI CONSILIARIVM

ET IN REGIO CONSCIENTIAE SENATV PRAESIDEM

PRAEFATIO.

CVM uarij sint rerum humanarum casus, & plurimi animorũ morbi, atq. ægritudines, quibus humana uita miseris modis afflictatur, Præsul Illustrissime, prisci illi homines, qui inter ceteros sapientiæ opinione maxime floruerunt, in graues sunt errores dilapsi, cum de hominis condicione disputarunt. quis enim in tanta naturæ imbecillitate, in turbulentissimis animi motibus, summã miseriam non collocaret? quis, dum uirtutis constantiam, & firmitatem, animo cogitaret, non existimaret, hominem, qui perpetuæ cuidam commutationi est obnoxius, ita a uirtutis ratione esse alienum, ut numquam illam ne dicam consequi, sed nec possit fixis oculis contemplari? Duo enim uiri illi ingenio prestantes in homine considerabant: quorum alterum ex molis corporeæ concretione proficiscitur, animi statum sollicitans, atque perturbans: alterum, in humana mente a natura insitum, quo ad sapientiam, & honestatem rapi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur: quamobrem necesse esse iudicabant, ut homo, uel sensuum iudicio uitam moderaretur, uel, illis oppressis, semper sibi constans in eodem statu permaneret. Verum, quis, dum est in uiuis, doloris acerbitatem non percipiet, iram, amorem, cupiditatem, timorẽ, & ceteros animi motus, omnino comprimet, ne animũ grauissime sollicitent; opus quidem illi erit naturam prius humanam exfuere, quam illum firmum, & ab omni mutatione liberum statum consequi: qua una ratione, si rem attentius uelimus considerare, uirtutem e medio tollebant. nam in sensuum iudicio nullus honestatis splendor, nulla stabilitas, nullum sapientiæ uestigium, nulla uitæ integritas inest: si uero sensus opprimas, nec affectibus a natura insitis mouearis, quæ erit uirtutis laus, & dignitas? nulla profecto; sed omnis uirtutis ratio necessario concidet. uirtus enim ea una in re maxime uersatur, ut ab iis, quæ rectę rationi non sunt consentanea, discedat, mediumq. inter sibi opposita uitia obtineat. Multo quidem prudentius, Plato, uir totius Græciæ sapientissimus, cum non casũ, sed Diuino consilio, hominem ita fuisse informatum perspiceret, eum, etsi grauissimis sit doloribus affectus, contumeliis uexatus, omnibus deniq. malis circumsæptus, uirtutum tamen ornamentis circumfluere, & beatum esse posse disseruit, in ærumnis enim, & summis cruciatibus uirtutis splẽdor magis elucet. nam dolores, & cruciamenta, ob imbecillitatemq. naturę lacrymæ immissæ, & tristes querimoniæ, officium non frangunt, sed constans, & excellens in officio seruando animi studium manifeste declarant: cuius doctrinæ, multo antequam Græcorum philosophia uigeret, mirificus auctor extitit Iobus, homo Arabs, sanctimoniæ laude ornatissimus. is enim, cum acerbissimo animi, & corporis dolore esset distentus, cum horribiles, & repentini casus contento cursu in eum impetum facerent, & orationem, summi doloris, quo excruciabatur, indicem effunderet, numquam animi singularem moderationem, quam in anteactæ uitæ cursu seruauerat, deseruit, sed in summis cruciatibus Diuinum numem laudibus efferebat, & orationi acerbissima querimonia plenissimę, ea de

Diuina prouidentia commiscebat, quę humanam rationem longe superabant. Diuino enim illius cõsilio, & ordine, effectum fuisse asserebat, ut tantis malis opprimeretur; nempe, ut ipse multo antea illius imaginem referret: qui, cum rerum omnium esset princeps, ut genus humanum in libertatem uindicaret, imbecillam humanæ naturæ formam induit, inops, & egenus, tellurem lustrauit, &, increpplicij genus subiit, quod sceleratissimis hominibus imponebatur. Mirus profecto fuit iste Iobus, qui & naturæ humanæ conditionem innumerabilibus malis obnoxiam esse luculenter ostendit, & in ea omnium maximarum uirtutum ornamenta retineri posse demonstrauit. quod ut ab omnibus perspici posset, Diuino munere effectum fuit, ut tanti uiri historia a Mose, ut aliqui putant, uel, postea quam Moses e uita discessit, ab aliquo uiro sanctitatis laude florente esset monumentis commendata: quæ, ob alienum sermonis genus, sæpe enim auctor Chaldæorum uerbis utitur, & ob rerum altissimarum tractationem, est multis obscuritatibus inuoluta; quam Hieronymus Osorius, tui nominis studiosissimus, Paraphrasi (ut inquiunt) explicauit: opus quidem philosopho Christiano dignum, in quo admirabili eloquentia, Diuino ingenij acumine, & eruditione est usus. quod cũ inter alia illius opera in lucem emittere curarem, tibi dedicandum esse duxi; tum quia is es, ut maxima corporis infirmitas animi tui uirtutem numquam retardarit, &, quod a pueritia iam imbiberas, ut in omni rerum fortuna officij, & honestatis decus nũquã desereres, in omni uitæ tuæ cursu mirifice seruaueris, tum etiã, quod, cum ab illustrissimis parentibus sis ortus, ea modestia excellas, ut nobilitatis ornamentum, quod apud nostros maxime suspicitur, pro nihilo ducas, uirtutis solum decus admiratione dignum esse iudices: quod ceteris rebus omnibus longe præponis. quod animi tui studium eo in itinere, quod Tridentum, ubi totius Reipublicæ Christianæ conuentus agebatur, adhuc iuuenis suscepisti, & Visiensis deinde Episcopus creatus, insigniter declarasti. quã præclare enim in ea prouincia te gesseris, mores subditorũ in melius commuta-

ti prę-

ti prædicant, erant illi multis in locis peruersi, atque adeo in hominum animis inhærebant, ut, duodecim annorum spatio, totis uiribus in eo pugnaueris, ut eos ad seuerioris disciplinæ Christianæ moderationem reuocares. quo in officio quanta cum prudentia, quam singulari uirtutum omnium laude, quam eximio religionis studio, uersatus fueris, ipse uberrimus uirtutum fructus testatur. mores enim sunt restituti, uiuendi seuerior disciplina constituta, peccandi licentia omnino compressa; & uirtutis studium in hominum animis cœpit pullulare, easq. uires est adeptum, ut miros ex se fructus gigneret. Merito quidem hac laude gloriari debes. non enim prouinciæ tibi commissæ mores indulgentia passus es in peius dilabi, sed eos fere perditos in eum statum reduxisti, ac si nouos, eosq. uere Christianos in omnium animis insereres. quod maximo cum ualetudinis tuæ detrimento es consecutus. nec enim uigiliis, nec itineribus, nec maximis frigoribus, quæ sub illo cęlo uigent, nec ulli, licet acerbissimo, labori parcebas, ut, quod officij tui munus postulabat, summa cum laude persolueres: debilitatis autem corporis uiribus, & infirma ualetudine, non fuit animi tui uirtus imminuta, sed præclaram suæ magnitudinis significationem dedit. nam, ut liberius in cęlis mente uersarere, Episcopi curis, & officio ob corporis afflictam ualetudinem solutus, te eo recipere statuisti, ubi te ipso frui posses, & illius sanctissimi numinis contemplationi uacare, cui totum te ab ineunte ętate tradideras. A quo sancto proposito quamuis Henricus, & Philippus Reges, te discedere coegissent, adeo sancte, & religiose uitam geris, ac si illud, quod maxime optabas, fuisses consecutus. eo enim tempore, quo, Episcopatus onere solutus, tranquillam illam uiuendi rationem, Diuinæ contemplationi dicatam, quam omnibus uotis desideraueras, summa cum lætitia inire uolebas, acerbissima Africana clades illam tibi e manibus eripuit nam Henricus Sebastiano. successit, te apud se retinuit, Cappellanum maiorem creauit, supremoq. Senatui adscripsit. nouerat enim te Henricus Rex, sanctimonię laude excellens; in turbulẽtissimisq. Lusitanę Reip. temporibus, sibi tuo consi

lio, & opera opus esse existimauit. Regis igitur, cuius in te singularis sẽper fuit beneuolentia, imperium, patriæ luctum, Reip. prope labefactatæ studium, tuis rebus longe prætulisti. Quid igitur Philippus sapiẽtissimus Rex faceret? Num te, ut cupiebas, sanctissimo otio uacare permitteret, & in amplissimi Imperij sui moderatione, tuo consilio, & probitate carere pateretur? Nõ profecto. Te igitur summis honoribus affectum in rebus grauissimis utitur. Omitto plurima huius sapientissimi Regis inte eximij amoris argumenta, beneuolentiæ studia, liberalitatis munera, in quibus fidem erga illius Maiestatem, maximam, amoris uim singularem, & animi moderationẽ incredibilem ostendisti. Quibus de rebus si orationem habere uoluissem, tempus quidem me deficeret; & ea est animi tui moderatio, ut, si de his luculentius agerem, ne in offensionem tuam incurrerem, ualde pertimescerem. Me ipsum igitur contineo. quę de uitæ tuæ seueriori disciplina, de ueritate, de iustitia in muneribus amplissimis, quæ sustines, administrandis dici poterant, apud me inuitus coerceo. sunt enim omni memoria dignissima. Quamobrem non imprudẽter a me factum fuisse uidebitur, cum tibi, qui uera Christiani hominis Philosophia tantum præstas, libellũ hunc consecraui, qui inter alios Christianæ Theologiæ libros sententiarum ponderę, sermonis amplitudine, rerum tractandarum modo, longe multumq. præstat. Accedit etiam Hieronymi Osorij, patrui mei, in te amor, & tua erga me eximia beneuolentia. ille enim, cum uirtutum omnium ornamenta, quę in te elucent, perspiceret, te ardenter amauit, sæpeq. de tuę uitę sanctimonia luculenter testimonium dedit. uir enim ille, ut scis, uirtutis studio uehementer flagrauit: unde eximius inter uos mutuus amor oriebatur. obiit ille. in te tamen idem amor, eademq. beneuolentia uiget. cum enim præclara illius monumenta apud me compressa iacerent, operam dedisti, ut in uulgus mitterentur. qua una re, & hominis tibi deditissimi memoriam summo es officio prosecutus, & Reip. Christianæ non mediocre emolumentum attulisti: de tua uero erga me uoluntate tacere potius lubet, quam pauca dicere:

cum tot ſint a te in me officia ardentiſſimo ſtudio collata, ut nec minima ex parte gratias referre poſsim; eas tamen quas poſſumus haberi certo ſcias. quod ut aliqua ratione ſignificarem, & quia Oſorio tuo iucundiſſimum fore ſpe-

rem, & tibi uni hoc opus maxime debeatur, ut tuo nomine in lucem prodiret, uoluimus. quod ut fiat, patere; noſtrumq. ſtudium benigne amplectere. Vale. Romæ. M D XCII. Kal. Ianuarij.

HIERO-

HIERONYMI OSORII LVSITANI IN PARAPHRASIM IN IOB PROOEMIVM.

MVLTA quidem remedia curandis corporibus quęſita, & inuenta ſunt; animis autem ægritudine liberandis unũ tantum medicinæ genus, ut ait Euripides, repertum eſt; id nempe, quid hominis & amici, & ſapientis oratione continetur. Quod ſi ita eſt, quid orationis elegantia, & ubertate, fieri poteſt admirabilius? Multa namque mala ſunt in uita, quæ corpus doloribus excruciant, & animum acerbiſsimis curis exagitant. Alium enim premit egeſtas, alium afflictat inualetudo, alium dolor acerrimo morſu dilacerat, alium dedecus abijcit, maximasq. malorum omnium tempeſtates ſubire cõpellit. Quid de orbitate, cæcitate, corporis mutili debilitate, ſermonem faciam? Quid de reliquis malis, quę non Pandorę fraus, & malignitas, ut Heſiodus aſſerit, ſed humanum flagitium, & ſcelus in res humanas inuexit, quę ſunt propemodum infinita, dicam? Quid, cum non unum tantum mali genus, ſed multa ſimul in unũ hominem incurſant, eumq. de mentis ſtatu deijciunt, omninoq. proſternunt? Quod ſi tanta uis eſt in oratione, ut omnia hęc mala, quę ſunt adeo grauia, & intolerabilia, depellat, animumq. tot uulneribus conciſum, atque iacentem excitet, ad ſalutaremq. medicinã reducat; quid excogitari in uita poterit orationis cultu, & ornatũ diuinius? Sed haud ſcio, an, qui tãtum orationi tribuunt, longe maiorem uim eloquentię tribuant, quam recta ratio patiatur. Vix enim credibile eſt, fieri poſſe, ut, quod re angit, & cruciat, uerbo releuetur. Quid ais, orator? quam prouinciam ſuſcipis, o phiſoſophe? Hanc uidelicet, ut mihi grauiſſimo uulnere fauciato oratione ſalutarem medicinam adhibeas. Iſtam igitur uerborum uim propius intueri cupio. Non, inquit, hoc tibi primum accidit. Multi alia uulnera multo grauiora protulerunt. Quid ergo? Num aliorum clades efficiet, ne mea mihi clades moleſta, & aſpera, difficilisq. perpeſſu ſit? Si me uehementer uexaret inuidia, tum fortaſſe ea uoluptas, quam ex alienis malis caperem, dolorem mihi priuatim inuſtum aliqua ex parte leniret. At, ſi homo ſum, & ſenſibus humanitatis afficior, quo plures ſumus, ad quos calamitas aliqua peruaſit, eo grauius eandem calamitatem ferendam arbitror. Ea, inquiunt, lege nati ſumus, ut omnia, quæ homini accidere poſſunt, nobis perferenda exiſtimemus. Quid igitur poterit eſſe ipſa diriſſima neceſſitate omnia mala ferendi, atque patiendi calamitoſius? Opinionis, inquit, non rationis eſt, uehementius calamitate aliqua conturbari. Ludis tu quidem me, & non conſolaris. Inſtat, & urget dolor, uitam conficit, animum lacerat, reſpirare

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpirare non ſinit; & tu, quod dolore intolerabili torquet, non re, ſed opinione, moleſtum eſſe contendes? Muliebris imbecillitatis eſt, ingemiſcere; mæror autem, & fletus aſſiduus, animi mollis, & effeminati, languorem coarguit. Etiam ne tu mihi hoc reliquum, & pertenue ſolatium, in grauibus ærumnis eripies? Si enim, ut famæ populari ſeruiam, animi dolorem taciturnitate compreſſero, non illum imminuam, immo illius acerbitatem amplificabo. Vt enim ſpiritus, terræ uiſceribus incluſus, quo anguſtius coercetur, eo maiore cum terræ motu, atque uiolentius erumpit, ita dolor inteſtinus, qui non ſuſpirio, & gemitu, quaſi quodam ſpiraculo releuatur, multo periculoſius ſtatum ipſius animi conturbabit. Cogita, inquit, ſi honeſtatis ſtudio deditus es, ipſius dignitatis amplitudinem, ut laudis dulcedine doloris acerbitatem compenſes. Auges tu quidem mihi, non minuis dolorem. Id enim uehementer doleo, nõ eſſe digna meritis meis præmia perſoluta. At mors, inquit, quæ procul abeſſe non poteſt, finem cunctis malis imponet. Verum. ſed eadem mors felicioris in hac uita condicionis ſpem prorſus incidet. Præterea, quid eſſe poteſt ipſius mortis immanitate truculentius? Bruta animantia ſtatum ſuum tueri percupiunt: arbores, & plantæ interitum reformidant: rupes, & ſaxa, ne diſſipentur, tacito quodam naturæ ſenſu pertimeſcunt; omnes denique mundi partes, ad mortis appropinquantis adſpectum, contremiſcunt: & tu mihi, in cuius animo natura miram cupiditatem immortalitatis inſeuit, auctor eris, ne mortem timeam? ut interitum minime perhorreſcam? ut omnia, quæ ſunt in uita cara, atque iucunda, ſine dolore relinquam? An parum liquet, omnium, quæ ſunt horribilia, atque pertimeſcenda, mortem eſſe maxime diram, atque truculentam? Vt enim mala omnia a mortali condicione profecta ſunt, ita mortis ipſius immanitate cumulantur. Minime, inquit. Nam aut nullus poſt mortem ſenſus eſt, aut mors interitus non eſt, ſed emigratio tantum: quorum alterum eſt contemnendum, alterum uehementer expetendum. Si enim ſenſus exſtinguendi, atque delendi ſunt, non eſt, cur ullum dolorem poſt mortem metuas, ſi domicilio hoc eſt cum alio multo præſtantiore commutandum, ipſa ratio admonet, ut ſedes commodiores, in quas es poſt mortem deferendus, exoptes. immo, ſi mors omnes ſenſus oppreſſura eſt, ipſam ſempiternam obliuionem uehementer exhorreo. Si uero me eſt in aliam regionem expulſura, ne regio ipſa, in quam deducendus ſum, ſit hac, quam relinquere compellor, longe horribilior, anxie reformido. Nihil igiturin malis iuuat oratio tua. Ingenium quidem uenditabis; locum, quem apprehenderis, exornabis; oratoris minime contemnendi nomen obtinebis; dolorem tamen animo infixum, etiam ſi Demoſthenem, aut Ciceronem eloquentia uincas, minime depelles. Vnde colligitur, quam inanes ſint eorum conatus, qui, huiuſmodi argumentis innixi, in conſolandis hominibus, quorũ uulnera ſanare nequeũt, multum operæ, & ſtudij conſumunt. Vera enim conſolatio non eſt ex humano ingenio depromenda, ſed e cælo, atque adeõ ab ipſius ſummi Dei numine, repetenda. Vbi enim benignitatis ſempiternæ ſtudium uiget, omnes labores, atque dolores, & angores facillime cõtemnuntur. Nec enim egeſtatẽ metuet is, quem rerũ omnium dñs alendum ſuſcipit; neq. nuditatẽ is, quẽ cæleſtis, atque Diuinus cultus exornat; neq. cæcitatẽ, qui puriſſimæ mentis oculis opes immortales intuetur; nec exilium, qui eſt ius illius cæleſtis ciuitatis aſſecutus; nec humilitatem, qui, numine Diuini ſpiritus incitatus, Deum parentem appellat; neque dolorem, qui ad ſummas, atque ſempiternas uoluptates adſpirat; neque mortem denique, qui immortalitatis pignore confirmatur. Vt igitur cælum ruat, terra ingenti motu tremefacta deſideat, & omnia, quæ intuemur oculis, horribili incendio deflagrent, animus hominis, qui ſe Deo ardente fide cõſecrauit, nullo modo concidet; immo, quo magis omnia perturbari, & confundi perſpexerit, eo confidentius in cælum reſpiciet, & elatius exſpectatione præſentiſsimæ ſalutis efferetur. Tunc enim clarius, & magnificentius præſidia cæleſtis numinis afferuntur, cum humanæ ſpes omnes infringuntur. Omnes igitur reliquæ conſolandi rationes reſpuantur; & hæc ſola teneatur, quæ in conſideratione Diuinę probitatis, & in ardentiſsimo ſtudio religionis conſtit.

ſtit. Intelliget enim is, qui non ſenſibus, ſed hac fidem inſtituit, eum, qui in Dei tutela, atque præſidio, deliteſcit, oppugnari quidem poſſe, opprimi tamen, & expugnari non poſſe; & ærumnam, qua interdum oremitur, non eſſe in malis numerandam, ſed in ſignem gloriæ ſegetem reputãdam; & labores, quibus exercetur, eſſe breuis ævi ſpatio circumſcriptos, mercedem uero, & prẽmium fore ſempiternum: atque poſtremo Deũ numquam procul ab illis, quos in fidem recepit, abeſſe, ſed eis ſemper adeſſe, ut eorum animos prẽſidio inuicto corroboret, & dulcedine ſummæ cuiuſdam uoluptatis ad ſtudium Diuini ſtatus alliciat. Hoc autem vt clarius cerni poſſet, uoluit olim Deminus clariſsimum inuictę uirtutis exemplum hominibus ad imitandum proponere, ut exploratum haberent nullum eſſe tam dirum malũ, quod hominem fide & pietate ſtabilitum de ſtatu conuelleret. Is autem Iobus fuit in Arabia natus, ab inſtitutis antiquę legis alienus, in quo tamen imago clariſsima Chriſti, & ſpecimen Diuinæ uirtutis eluxit. Illum enim neque res ad uoluntatem fluentes extulerunt; nec aduerſæ deiecerunt; nec aliqua uis umquam fuit, quę illum a propoſito deterrere potuerit. egeſtatem animo inuicto ſuſtinuit; orbitatem patientiſsime tolerauit; plagas innumerabiles, & intolerandos dolores pertulit; deriſiones, conuicia, & maledicta auribus uſurpauit; omnes fraudes, & inſidias hoſtis antiquiſsimi, & omnes denique infernorum manium copias a ſe longiſsime propulſauit; ita, ut in ſummis ærumnarum procellis, atque tempeſtatibus, in eadem ſemper mente, & ſententia, permaneret. Reliquum igitur eſt, ut, reliquis argumentis ad conſolandum pro nihilo habitis, huius uiri Diuini fidẽ imitemur, ſi uolumus in omni rerum aſperitate Diuino ſolatio uti, & in ſummis etiam cladibus ſumma iucunditate potiri. Quod ut facilius fieri poſſet, operę pretium me facturum exiſtimaui, ſi uitã, & mores, & ſententias illius, eo genere orationis explicarem, quod Paraphraſim uerbo Greco nominare ſolemus; ut ad plures poſſit fructus operis clariſsimi, quod ille litteris ad ſempiternam memoriã cõſignauit, peruenire. Sed ratio iam monet, ut, qui in hoc opus inciderint, a me animum remoueant; ipſumq. Iobum audire arbitrẽtur; ſententiasq. illius intimis animis, memoriq. mente, dercipiant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI PARAPHRASIS IN IOB.

Cap. 1. Vir erat in terra Hus, nomine Iob

IN ea Arabiæ parte, quæ ad orientem solem pertinet, fuit uir nomine Iobus, summa integritate, & æquitate, & religione, & abstinẽtia præditus. Huic autem erant septem filij, & tres filiæ. Erat ei præterea res pecuaria satis ampla. Septem namq. millia ouium possidebat, & tria millia camelorum, & quingenta paria boum, & asinas quingentas, & magnam præterea seruorum multitudinem. itaque non uirtute tantum, & pietate, sed opibus, & auctoritate, erat omnium hominum, qui terras illas ad orientem sitas incolebant, facile princeps. 2.3.4. Accedebat aũt ad felicitatis cumulũ, quod filij erant inter se amore fraterno consentientes. Alij uero alios ad epulas frequenter inuitabant, ut ea epulandi consuetudine fortiore quodam amoris uinculo constringerentur.

2.3.4. Natiq. sunt ei septem filij, & tres filiæ.

Primum quidem frater natu maximus, instructo conuiuio fratres & sorores inuitabat. 5. Reliqui deinde ordine idem faciebãt. Sic autem alij alios amanter accipiebant, ut orbem hilaritatis, & lætitiæ sane iucundum efficerent. At Pater, postquam illam conuiuiorum conuersionem absolutam cernebat, antequam de integro filij epulas instaurarent, illos, sacris rite procuratis, expiabat. Itaque, mane surgens, pro liberorum numero uictimas cædebat, easq. in Dei honorem, in ara flammis absumebat, ut illius numen filiis propitium efficeret. Sollicitus enim erat, ne filij, in illa epularum iucunditate, & uini licentia, aliquid impium mente designarent, uel maledictum aliquod in Deum conferrent, quo in se numen illius incenderent. Ad hunc igitur modum uir sanctus in magnis opibus, & in omnium rerum affluentia, uitam degebat, ut nulla nota insolentiæ, uel impietatis appareret; in nullã suspicionem flagitij, uel iniquitatis uocari merito posset. 6.7. Accidit autem, ut Satanas, in Dei conspectu, quem nihil latere potest, constitutus, (ut enim ab angelis sanctis, quibus ministris utitur, oculos numquam deijcit, ita scelerum etiam ministros agitat, & illos sibi seruire compellit) hæc secum, ipso Domino quodam modo mentem illius commouente, & instigante loqueretur: Equidem orbem terrarum peragrando confeci; &, quacumque me contuli, libere ingressus sum. Nihil est enim, quod meis uiribus, & potentiæ possit obsistere. Omnes namque mortales sub meum imperium, ditionemq. subiunxi; perfecique, ut, pudore relicto, libidini seruirent; Diuino iure neglecto, fraudes susciperent; religionis sanctitate uiolata, diram superstitionem colerent; & ubique omnia odio, & inuidia turbarentur, cædesque passim fierent. 8.9.10. Hæc cũ elate dissereret, occurrit illa cogitatio: Quid de Iobo, homine meis rationibus inimicissimo, fiet? Nec enim illius integritatem corrumpere, neque æquitatem inflectere, neque religionem contaminare, neque abstinentiam euertere quiui. Ita ne uero? Vnus homo erit in terris, qui meum imperium detrectet? Qui meas opes contemnat? Qui meas machinas disturbet? Tantam ne ignominiam, atque dedecus, sine ulla spe uindictæ, sustinebo? Tantamq. hominis elationem inultam, & impunitam, patiar? Nullo modo. Si enim hoc illius facinus a me neglectum fuerit, periculum est, ne multi exemplo illius incitati a me desciscant, pietatisq. studium sequantur, imperiumq. meum paullatim labe fiat, & tandem cum maximo meæ dignitatis interitu deleatur. Omnibus igitur aliis curis omissis, hãc unam suscipiam, ut illum summis uiribus oppugnem; ut omnes machinas meas ad illum conquassandum, & disiiciendum admoueam; ut illius mentem, maxima belli contentione, a statu detorqueam; ne is solus mihi uideatur illudere. Sed, quid efficere pugnando possum, cum Dei præsidio circumsæptus sit? Nec enim Iobus, quod sit studio, atque uoluntate sanctus, in proposito, & cõsilio permanet, sed, quod sit ab ipso Deo præmiis allectus, & inuitatus, pietatem colit. Illum enim opibus auxit, illius statum, & familiam, & possessiones tam firmo præsidio cinxit, ut non possim ullo modo quidquam ad hominis perniciem machinari. Hæccine uiri uirtus est, quæ

5 Cumq. in orbem transissent dies conuiuij.

6.7. Quæda autem die, cũ uenissent filij Dei.

8.9.10. Dixitque Dominus ad eũ: Numquid considerasti seruum meum Iob.

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non sponte sua ad studium sanctitatis, sed præmiis, & emolumentis, allicitur? An mercatura quædam, & officium muneribus expressum, & rei augendæ gratia simulatum? 11. Quare, nihil uideo, cur hic homo ita Deo cordi sit, ut illum tã præsenti ope tuendum suscipiat; nisi fortasse hũc amicum pretio comparare uoluit, ne religio illius in terris omnino deserta uideretur. Vtinam mihi daretur facultas in hunc uirum inani laude sanctitatis elatũ inuadendi. Ego profecto illum iactarem, & incommodis afflictarem, tantisq. malis opprimerem, ut memoriam repẽte totius sanctitatis abiiceret, & in Deum contumelias intorqueret; & ostenderet denique, se non uirtutis, sed bonorum, quæ uirtutis simulatione comparantur, amantissimum. Hæc quidem Satanas. Ex quibus intelligitur, potestatem illius, Dei prouidentia impediri; tantumq. facultatis ad nocendũ habere, quantum illi, Dei consilio, & moderatione, permittitur. Cum uero Diuina consilia ad electorum gloriam referuntur, fit, ut, cum Deus uider, hostis impugnationem ad bonorum gloriam illustrandam conducere, illi sæpenumero potestatem faciat in statum bonorum irruendi, ut, ab illis uictus, atque superatus, fiat decoris, & laudis eorum, quos euertere conatur, instrumentum.

11. Sed extende paulum manum tuam.

Quod tunc euentu facile comprobatum fuit. 12. Dominus enim, ut Satanæ calumniam refutaret, roburq. uirtutis inuictum ostenderet, & mirabile patientiæ, atque pietatis exemplum in uita ad imitandum proponeret, Satanæ uim uinculis laxauit, ut omnes opes Iobi perderet; ita tamẽ laxauit, ut illius corpus, atque ualetudinem, minime ab hoste immanissimo lædi permitteret.

12. Dixit ergo ad Dominus Satã: Ecce.

Quod ubi hostis ille sempiternus generis humani sensit, exsultauit; idq. consilium iniuit, ut omnibus simul ruinis uirum sanctum opprimeret. Nam, si aliqua molestiæ intercapedo fuisset, metuebat, ne unumquodque uulnus leuius animum sancti hominis feriret, quam si omnia simul uulnera inflicta fuissent. Deinde, cum primum aliquis rei unius iacturam facit, euenit, ut, eorum commodorum fiducia, quæ sibi reliqua sunt, non ita dolenter id malum patiatur: at, cum repente omnibus bonis euertitur, nihil habet reliqui, quo uim calamitatis intolerandæ sustineat. Præterea, consuetudo primi cuiusque mali perferendi callum dolori solet obducere, ita, ut reliqua mala, quæ deinde accidunt, leuius ferantur. At, cum omnia simul mala, in statum hominis florentis incurrunt, nihilq. laxamenti dant, euenit, ut animus undique oppugnatus, & omnibus recentibus, & repentinis incommodis oppressus, a mente, & consilio deducatur. Hæc igitur omnia Satanas astute secum recogitans, sic instituit aggredi Iobum, ut cunctis simul malis, & incommodis, afflictum cogeret, antequam se recipere, & rationem in consilium adhibere posset, aliquod in

13, 14. 15. 16. 17. Cũ autem quadam die.

Deum maledictum iactare. 13. 14. 15. 16. 17. Ergo sic euenit. Cum essent illi res ualde secundæ, & illius liberi in domo fratris natu maximi conuiuium celebrarent, ecce nuntius, ad Iobum, mirum in modum perturbatus, accurrens, ait: Boues tui arabant, & asinæ in solitis pascuis uersabantur, cum repente Sabæi nos adoriũtur; & armenta, & cunctas asinas abigunt; & pastores ferro cõcidunt; egoq. solus euasi, qui tibi tam malum nuntium afferrem. Vix hic orationem finierat, cum similiter alius interuenit, dicens, Ignis e cælo demissus omnes pecudum tuorum greges confecit; pastoresq. tuos eodem incendio uorauit; egoq. solus tantæ cladi superfui, qui tibi malum hoc tantum annuntiarem. Nondum hic satis illam cladem exposuerat, cum alius item uenit, & ait: Chaldæi, triplici acie instructa, in camelos impetum fecerunt; & illos captos abduxerunt; illorumq. pastores ferro contrucidarunt; egoq. solus euasi, qui tibi malum hoc annunti arem.

18. 19. Vix hic orationem absoluerat, cum alius, magnitudine cladis exanimatus, ingreditur. Ecce, filij, inquit, tui, & filiæ comedebant, & bibebãt in domo fratris natu maximi, cum repente uehemens tempestas, excitata, in domum irruit, & angulos turbine conuellit, & ædes disturbauit, omnesq. filios, & filias tuas oppressit; egoq. solus euasi, qui tantum domestici mali tibi nuntiarem.

18. 19. Adhuc loquebatur ille.

20. 21. 22. His nuntiis auditis, Iobus surrexit, uestemq. discidit, & caput sibi attonderi iussit, &, in terram abiectus, Deum oratione castissima ueneratus est. Hanc deinde sententiam protulit:

20, 21. 22. Tunc surrexit Iob.

Nudus quidẽ de utero matris meę egressus sum; nudus similiter utero, atque gremio, telluris, quæ mater etiam mea est, condendus sum. Dominus donauit: Dominus pro iure suo, & imperio repetiuit: sit nomen illius, in omni rerum euentu, sempiterna prędicatione celebratum. Ne his quidem tantis cladibus affectus uir ad immortalem laudem pietatis insignis, ullum in se crimen admisit, aut Dei numen, uerbo temere emisso, uiolauit. Quod erat humanitatis, sine ullo peccato præstitit, cum omnibus mœstitiæ signis se perculsum, & stratum, ostendit: officio uero pietatis egregie functus est, cum neque tantis malorum tempestatibus commoueri potuit, ut de mentis statu demigraret; aut Deo culpam iniquitatis affingeret. Vt homo igitur, uim doloris, qui illum cruciabat, expressit; ut uir Diuinus, constantiam in maxima calamitate retinuit. Itaque in hac prima congressione Satanas uictus, atque superatus est.

Cap. 2. 1.2. Factum est autem.

1.2. Accidit igitur, ut in Dei oculis, quem nihil latere potest, & qui ad gloriã suam Satanæ etiam operis uti solet, hæc secum idem hostis importunus, non sine Dei numine, mentem illius ad grauiorem cruciatum commouente, loqueretur.

Quid ago? quo profectus sum? unde redij? quo in statu res meæ sunt? Regnum quidem meum, quacumque iter institui, multis accessionibus auctum, & amplificatum uideo; uniuersasq. terras imperio meo coerceri perspicio. 3. Vnus tamen homo contra omnes opes meas pugnat; tantumq. uirtute, atque robore ualet, ut, cum sit a me nimis acriter oppugnatus, integritatem tamen, & æquitatem, & religionem, & abstinẽtiam, summa constantia retineat. Iam non possum illi simulationem pietatis obijcere. Iam non licet

3. Et dixit Dominus ad Satan: Numquid cõsiderasti seruũ meũ Iob.

ullo modo laudem uirtutis in illo, criminatione cupiditatis, obtererę; &, quasi non studio sanctitatis, sed mercede, & præmio iustitiam colat, hominis dignitatem ignominia deformare. Quid non tentaui? Quid in illius statu impugnando prætermisi? Facta namque mihi potestate a Domino, qui me constrictũ, ne illi nocerem, tenebat, uires omnes meas excitaui, copias omnes meas instruxi, meamq. potẽtiam, qua orbem terrarum mihi facillime subdidi, ad unius hominis animũ labefactandum, atque de statu conuellendum, summo studio comparaui; tantoq. impetu in res illius inuasi, ut temporis momento miras strages ediderim. Exstinxi familiam; armenta diripui; greges absumpsi; filios ruina domus oppressi; ex diuite, & opulento, nudum, & inanem, cõstituij; omnes denique uires, & machinationes meas in illo euertendo consumpsi: ille tamen nihilominus eodem statu manet, neque, tantis incommodis uexatus, a studio sanctitatis abducitur. Omnes igitur conatus mei ad nihilum ceciderunt. 4. 5. Quid ergo? Hoc tantum imperij mei dedecus, & ignominiam sustinebo? Fieri non potest. Illum rursus aggrediar; &, quod primo impetu facere nequiui, fortasse, certamine rursus inito, conficiam. Sed, quid illi reliquum feci, quod nunc euertere, atque delere possim? Rem illius pecuariam, & rusticam uastabo, quæ funditus interijt? filios illius trucidabo, qui iam sepulti sunt? illum opibus exspoliabo, qui mea opera cunctis simul opibus euersus est? Itaque extrema illius inopia mihi spem omnem illius labefactandi præcidit, & illi certam uictoriam pollicetur. Vnum tamẽ restat: quod si mihi attingere liceret, forsitan negotium totum conficerem. Quid illud est? Corporis bene sani, atque ualentis integritas. Quid autem proficiam? Is ne, qui, amissis opibus, quibus sublatis, nihil est, cur homines in uita manere uelint, animũ tamen ab omni labis cõtagione purum conseruauit, credibile est, ut, corporis morbo debilitatus, a constantia discedat? Is, qui ne repentina quidem omnium filiorũ strage, quorum singulos æque atque se ipsum diligebat, commoueri potuit, ut aliquod uerbum impium emitteret, sperandum est, ut, corporis incommodo uexatus, aliquod facinus in Deum immane suscipiat? Verum enimuero, ut id uerisimile sit, uictoriæ tamen spes minime deponenda est. Vt enim illa omnia, quæ Iobus amisit, fuerint illi cara, atque periucunda, nihil tamen umquam se ipso carius habuit. Sic enim sunt homines a natura instituti, ut uitam, & corporis integrum statum, omnibus uitæ commodis anteponant. Tantum igitur abest, ut quidquam sit, quod pluris, quam se ipsos, æstiment, ut etiam omnium rerum carissimarum facile iacturã faciant, ea compensatione, ut uitam suam, earum interitu, ab interitu redimant. Neque solum quilibet & bonorum amissionem, & filiorum mortem, ea condicione sustinebit, ut se ipsum seruet, uerum etiam, cum id uitæ periculum flagitauerit, partem corporis secandam præbebit, ut cum reliquis partibus uita frui quomodocumque liceat. Ex quo liquet, nihil ho

4. 5. Respondẽs Satan ait: Pellem pro pelle.

minibus esse corporis sanitate, atque uita, iucundius. Quare minime mirum est, uirum istum in maximis incommodis minime frangi, atque debilitari potuisse, cum corpus illius integrum, atque sanum in aliarum rerum omnium calamitate permanserit. O si mihi liceret in illius corpus inuadere, quam facile illum a constituta sententia depellerem? Considerem certe futurum, ut is, dolore cruciatus, aliquo maledicto, Dei numẽ offenderet. 6. Hæc cum Dominus animaduerteret, ut clare cerni possit, nullas uires habere Satanæ potentiam contra uirtutem Diuino præsidio septam, hosti perditissimo potestatem concesit, ut in sancti uiri corpus irrueret, illudq. morbis molestissimis affligeret, ea tamen lege, ne illi uitam auferret. 7. 8. Accinxit igitur se Satanas, & Iobi corpus morbo oppressit, illudq. a capite ad pedes usque, putrida nimis scabie, ulceribusq. grauissimis, deformauit. Itaque uir sanctus, doloribus maximis, & pruritu molestissimo, cruciatus, saniẽ, quę iex pustulis, & ulceribus emanabat, testa frequẽter abstergebat, & hoc erat illi in tantis cruciatibus alleuamentũ, ut pruritũ exstingueret, & saniẽ extergeret, exulcerare grauius testa cutẽ, & inusta uulnera, ut maiorẽ dolorẽ deinde efficerent, manu refricare. In sterquilinio autem desidebat, & omni corporis habitu singularẽ excellentis animi moderationem, & inuictam patientiam declarabat. 9. Vxor uero illius interim in tantis calamitatibus insultabat. Hic ne, inquit ille, pietatis tuæ fructus exstitit? Hancine utilitatem tot anni in religione consumpti laboribus tuis attulerunt? Hæc erat illa spes, qua nitebare, dum, aliis curis omissis, de Deo tantum pietate, atque iustitia, placando, omni studio, & contentione, laborabas? Cernis ne iam, quanta te oppresserit amentia, & in quanta rerum ignoratione uersatus sis? & tamen, cum rerum euentu exploratum tibi sit, neque sanctitatem, neque iustitiam, neque innocentiam utilem esse ad beatæ uitæ rationem, & ad florentem statum ope firma muniendum, adeo stultus es, ut innocentiam sine ullo fructu retineas? Quousque tandem in eadem amentia persistes? In quem finem in uanissimo religionis studio perseuerabis? Quod præmium a Deo, propter illius sanctissimum cultum, percepisti? Illud scilicet, Boues, & camelos hostibus tuis tradidit; oues fulminibus absumpsit; seruos, partim gladio, partim incendio, confecit; filios tuos funestissimo genere mortis exstinxit; te non solum omnibus rebus orbatum, & nudum, & inanem destituit, sed etiã totum corpus tuum tabe pestifera infecit, & purulentis ulceribus inquinauit; omnibusq. rebus ostendit, quanto odio tui duceretur. Et tamen adeo mentis expers es, ut illum summo studio colendum putes, qui tantum tibi calamitatis inuexit. Cur non uociferaris? Cur non inclamas? Cur non maxima uoce de iniuria tibi illata conquereris? Cur, ut gemitu saltem, & iusta querimonia aliquid de dolore, qui te premit, imminuas, & indignationi satisfacias, non assidue lamentaris? Sed dices, te

6. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est.

7. 8. Egressus igitur Satan a facie Domini

9 Dixit autẽ illi uxor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ideo uocem comprimere, ne in Dei offensionem incidas. Quid tibi, quæso, reliquum est in uita, quod ille tibi possit, si tibi maxime fuerit infestus, eripere? Vitam, dices. Recte. Ea namque uita tua est, in cuius diuturna cõseruatione summa felicitas collocanda sit. An nõ præstaret, mortem millies oppetere, quam uitam in tanto dolore, & acerbitate, traducere? Quare censeo, ut Deo maledicas, ut, eo conuicio irritatus, necem tibi confestim afferat. Si enim te uita ista miserrima priuauerit, nullo te malo afficiet, sed malorum omnium, quibus opprimeris, supplicio liberabit.

10. Qui ait ad illã, Quasi una de stultis mulieribus locuta es.

10. Hæc cum mulier, Satanæ fraudibus incitata, peroraſſet, Iobus illius amentiam hac oratione compressit: Ista uerborum portenta, quæ protulisti, te certe mulierem omnium dementissimam esse declarant. Quid ais? Non intelligis, nos esse seruos illius summi Domini, qui omnia summo consilio, & æquitate, moderatur? Tu illi leges impones? Tu illi, quemadmodum rebus suis utendum sit, quasi pro iure tuo, præscribes? Arbitratu scilicet tuo, uel benigne faciet, uel plagas imponet. An non licebit illi, per te, quos ei uisum fuerit, ornare beneficiis, &, quos uoluerit, pœnis affligere? Si igitur, cum is nos bonis omnibus cumulabat, benignitatem illius cum gaudio experti fuimus; cur nunc, cum nos seueritate sua plectit, non illius iudicium æquo animo subeamus? Eius modi uerbis uir sanctus uxoris amentiam refutauit, & in omnibus illis malorum fluctibus ita linguam suam refrenauit, ut nullum uerbum impium ex ore illius excideret.

11, 12, Igitur audientes tres amici Iob.

11.12. Fuerũt autem illi tres amici amore summo coniuncti: quorum singuli in ciuitatibus suis principatum obtinebant. Vni ex illis nomẽ erat Heliphazius Themanita, alteri Bildadus Suhita, tertio Sopharus Nahamathita. Hi, quamuis in locis disiunctis habitarent, cum tamen accepissent, quantis in malis ille uersaretur, nuntiis ultro citroq. missis, statuere, ut in unum locum, illius uisitandi gratia, conuenirent. Ad illum igitur se contulere: quem cũ eloginquo adspexissent, minime cognouere. At, propius accedentes, cum uidissent, hominem amicum, quem opibus florentem, & in summo gradu dignitatis locatum, agnouerant, tantis ictum uulneribus, & tam lugubri habitu deformatum, in puluere iacentem, sublatis clamoribus, acerbissime lamentati sunt; & eorum quilibet, ad mœroris indicium, caput suum puluere in

13. Et sederunt cũ eo in terra.

altum iactato conspersit. 13. Septem deinde dies, & totidem noctes, humi cum illo sedẽtes, nullum uerbum fecerũt. Nec enim maturum uidebatur, cum tanta uis recentis doloris exsisteret, ut uerbis leniri non posset, uerborum solatium adhibere, ne, si alieno tempore remedium orationis applicarent, dolorẽ augerent. At interim dolor nihil remittebat, sed in dies ingraueſcebat; & ardor ulcerũ uehemẽtius hominẽ excruciabat; nec is sola tiũ ullũ habebat, quo molestissimę cogitationis angore aliquã ex parte leuaretur. Siquidem illa etiam iucunditas animi, quã ex Diuini spiritus familiaritate cupiebat, ad maius suppliciũ, ut ex illius oratione cõijci potuit, omnino detracta fuit.

1.2.3.4.5.6.7.8. ITAQVE, doloris intolerandi ui stimulatus, exclamauit, diemq. natalẽ suum diris imprecationibus detestatus est. Ait igitur, Ne fastus ille dies sit, quo natus sum; & item nox illa sit diris obnoxia, qua dictum est de me, marem editum fuisse. Dies ille tenebricosus sit; ex altissimi Domini fastis eximatur; nec illius splendore collustretur. Contaminent illum tenebrę; sit umbris mortiferis uoluptus; nubes illi offusę sint; eumq. terroribus nocturnis, & diurna acerbitate, conficiant. Pro nocte, & non pro die numeretur; densissimis tenebris oppleatur; in diebus anni nõ censeatur; & in numero mensium minime cõputetur. Quin etiã nox ipsa bonis omnibus orbata sit; nec ulla uox in illa, læti clamoris, & exsultationis, audiatur. Exsecretur illã, qui mœrore perditi diem suum natalem ratis imprecationibus exsecrari solent; qui iniuriis afflicti sunt, & quorum precibus excitatus Leuiathan, summi iudicis permissu, tam quã tortor, & carnifex, & ultor scelerũ, in eos innadit, qui tenues homines, & innocẽtes, affligunt. Id igitur opto, ut, similiter, atq. rata, atq. fixa sunt ea, quę homines iniuria oppressi illis imprecantur, a quibus læsi sunt, ita mala omnia, quę fuerint imprecati, in illã noctẽ incurrant?

CAP. III. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Post hęc aperuit Iob os suũ.

9. Caligo illius tenebras stellis obducat; exspectet lucẽ, & omnis ab illa splendor lucis abscedat; lumenq. orientis auroræ intueri non possit. 10. Non enim occlusit ostia uentris, qui me continebat, ne ex eo uiuus exirem; neque morte me ab ærumnis, quæ uitam meam circumuallant, abstraxit.

9. Obtenebrentur stellæ.

10. Quia nõ conclusit.

11.12.13.14 Cur non, simul atque me mater enixa est, morte deletus sum? Cur non, ubi primũ in lucem editus sum, confestim interij? O illius inanem sedulitatem, quæ me primũ genibus excepit, & mammas admouit, ut suggerem? Certe enim, si tunc a uita discessissem, nunc quietus iacerem, & somno salutari consopitus, tranquilla pace fruerer. Eadem condicione fuissem, qua reges, & rerump. moderatores, qui urbes in solitudinibus, ad sui nominis memoriã, condiderũt; qui tamen omnes morte consumpti sunt. 15.16. Eundem casum subiissem, quem subiere Principes, auri, & argenti thesauris, domi reconditis, elati, & inflati; quorum tamẽ uitam uis importuna mortis exhausit. Sic obscurus, & ignotus, a uitæ molestiis abductus fuissem, ut illi, qui, abortu matrũ in terram eiecti, prius quã lucem adspicere potuissent, spiritum ediderũt. Mors enim omnium fortunas exæquat; omnium rerum discrimen tollit; una, eademq. ui omnes res humanas absumit. 17. Ea finem affert turbis, quas homines impij, atque nocentes, efficiunt: ea uires exstinguit eorũ, qui robore tument, ne possint imbecillis hominibus labores minime ferẽdos imponere. 18.19. Similiter uincti, oblata morte, conquiescunt; neque uocem acerbi creditoris audiunt. Tam humiles, & obscuri, quã nobiles, & in alto gradu locati, eadem ui mortis oppressi, cõciderunt; & serui mortis beneficio in libertatẽ uindicati sunt. 20.21.22.23. Quid igitur Deus lucis usurã concedit illi, qui premitur ærũnis, & uitã eis prorogat qui molestiis, & angoribus exeduntur? Mortẽ enim quasi malorũ perfugium

11. 12. 13. 14. Quare non in uulua.

15. 16. Aut cum Principibus.

17. Ibi impij.

18. 19. Et quoniam uincti.

20. 21. 22. 23. Quare misero data est lux.

fugium exspectant; at illa non comparet: eam quasi thesaurum exquirunt; ea tamen potiri non possunt. Certe lætitia exsultarent, & non mediocri gaudio afficerentur, si sepulcrum oculis adspexissent. At alij, qui communibus uitæ malis afflictantur, non est, cur tantopere mortem obire desiderent. Mihi uero, homini uehementer afflicto, cui ad alias ægritudines hoc etiam malum accedit, quod uiam meæ calamitatis ignoro, & rationem, qua me Deus plagis affligere constituit, explorare nequeo, & cui Dominus ipse ita uiam salutis interæpsit, ut illã inire non possim, mortẽ ardentius optandam iudico. Non enim hoc dici potest, quod in meis rebus secundis immoderate iactabor, &, cum omnia mihi ex animi sententia procederent, insolentius efferebar, & ideo fuisse me propter hanc temeritatẽ, & insolentiã, de uitæ dignitate deiectũ. Sæpe enim humanæ imbecillitatis memor, uarios, & incertos uitæ casus animo

24. Antequam comedam.

reputabã. 24. Iccirco, antequam cibũ sumerem, gemitus edebam, & suspiria cum ingenti copia lacrymarũ emissa uim sollicitudinis, in qua uersabar, indicabant. Non enim rebus meis, quasi mihi esset exploratũ, eas eodem semper statu mãsuras, confidebã, ut ea confidentia nixus insolescerem.

25.26. Quia timor quem timebam.

25.26. Nunc uero, quãuis me summa ope submiterem, ne Deũ elatione mentis offenderẽ, omnia tamen mala, quæ metuebam, in me inuecta sunt. Numquam me felicem iudicaui: numquam opes meæ mihi spiritus attulerunt: numquã in huius uitæ commodis animo cõquieui; & tamen ira Domini in me, quasi in hominẽ temerarium, & insolentẽ, inuasit. Hac quidem oratione Iobus calamitatem suã apud amicos deplorauit. In qua tamẽ non fidem labefactatã, sed impugnatam, non rationẽ euersam, sed in angustias adductã, non uirtutem perditam, & afflictam, sed acerbissima cõtentione uexatã exposuit. neque tam, quid mens ipsa decerneret, quã quid animi pars illa sentiret, quæ est sensibus doloris, atque uoluptatis obnoxia, declarauit. Solent enim plerumq. sancti homines, non solũ uirtutis constantiam, qua sunt communiti, sedetiã cogitationes acerbissimas, quibus uirtus ipsa tentatur, uerbis explicare. Quod quidem longe secus amici, qui illi assidebant, existimarunt. Putabant enim, illũ desperatione tractũ de statu cõcidisse. Præterea, indigne admodũ passi sunt, cũ reliqua maledicta, quæ in diẽ natalẽ contulerat, tũ illius orationis, ut arbitrabantur, insolentiã, qua testificabatur, se non tenere rationem, qua Deus ita illũ afflixisset, quasi sine ullo merito suo fuisset a Deo in pœnã illã detrusus. Vtrumq. igitur illis maxima uituperatione dignissimũ uisũ est; & iracũdię furor, qua in Dei contumeliã, ut opinabãtur, maledicta illa cõtulerat; & orationis magnificẽtia, qua sibi iustitię sanctitatẽ cum Dei, ut iudicabãt, accusatione insolenter arrogauerat.

CAP. IV. 1. 2. 3. 4. 5. Respondẽs autem Heliphaz Themanites dixit:

1.2.3.4.5. VNVS igitur ex illis, Heliphasius nempe, in hanc sententiam respondit. Vereor, ne, si, quid sentio, elocutus fuero, tibi molestus sim. Sed rectum animi sensum quis diu poterit silentio, & taciturnitate, comprimere? Erumpat igitur aliquando libera uox, & oratio, ut medicinã salutarem afferat, quamuis aliquem dolorem efficiat. Multos tu quidẽ disciplinis tuis instruxisti; multis afflictis robur, atque uires attulisti; multos iacentes, ui, & copia orationis erexisti; multorum animos languentes cohortatione tua cõfirmasti; & nunc, cum primũ in te calamitas inuecta fuit, dolori succubuisti; &, simul atque malũ te perculit, dolore perturbatus, animũ abiecisti. Qui igitur alios sustentabas, cur te ipsum deseris? qui aliis in

10 rebus aduersis remedium adhibebas, cur tibi ipsi opẽ in calamitate non cõparas? qui alios excitabas, cur te stratũ, & abiectum diutius esse pateris? An non est ualde pudendũ ei, qui alijs opẽ ostentat, ipsũ sibi opitulari non posse? 6. Sed illud dicis, malũ, quo uexaris, non esse cum aliquo alio malo, quod reliquis hominibus accidere possit, ulla ratione comparandum. Illi enim, qui flagitiis cooperti sunt, qui fraude, & mẽdacio nituntur, qui spem rerum suarũ in inanitate collocant, & uitã

6. Vbi est timor tuus?

20 omni turpitudine, & impuritate, contaminãt, mirum non esse, si Dei iudicio, quẽ in se fœdis factis offenderant, euerruntur. De te uero id dici non posse. An illud non aperte dicitis, te Deum timuisse, & in illius tantum numine præsidium uitæ constitutum habuisse, & in illo firmam spem salutis reposuisse, idq. summo studio contendisse, ne uitæ tuæ integritatem aliquo flagitio, aut dedecore, maculares? Hoc igitur te cruciat, quod sis a Deo contra spem tuam repentina clade perculsus, &

30 ab illius ope, sine ullo crimine, aut culpa tua, derelictus. Quo quid dici potest immanius? Eo ne te deducet amentia, ut cautlam calamitatis tuæ, non tibi ipsi, sed iniuriæ illius sempiterni iudicis, cuius in iudicando constantia corrumpi, aut inflecti non potest, asignes? 7. Repete, quæso, memoria, num uideris, aut audieris umquam innocentem aliquem perijsse, aut iustos magnitudine

7. Recordare, obsecro te.

seueritatis Diuinæ exciſos. Ne unum quidẽ profe-

40 res. Qui sunt igitur illi, quos Deus funditus euertit? Illi certe, qui omni uitæ studio sanctissimis illius placitis aduersantur. 8.9.10.11. Itaque uidi permultos, qui exarabant iniquitatem, qui sementẽ faciebãt iniuriæ, messis tempore fructum debiti supplicij pertulisse. flatu enim Domini discussi, funditus interierunt; & spiritu iræ illius iactati, extabuerunt. Rugitus leonis, & fremitus leopardi comprimitur: & leunculorum dentes euelluntur: maximi leones inopia prædæ confecti pereunt; & eorũ catuli discerpuntur. Itaque omnis

8.9.10.11. Quin potius uidi eos.

50 tyrannorũ immanitas, omnis perditorũ hominũ truculentia, omnis improborum uis, & iniuria, iudicio Diuino reprimitur, & debitæ tandem pœnæ ab hominibus impiis, atque sceleratis, Dei sententia reposcuntur. Nõ igitur innocentes, sed in summa iniquitate opibus suis nimiũ prefidẽtes, sunt, qui Diuinis pœnis exagitantur. 12.13. Equidẽ, ut uerum fatear, in eadẽ cogitatione uersabar interdum, ut suspicarer, homines etiam innocentes pœ-

12.13. Porro ad me dictum est uerbum absconditum.

60 nis indebitis cruciari, & ea de causſa de iudiciorũ Diuinorum æquitate dubitabã, & anticipiti cura distinebar, cũ neque Deũ in suspicionẽ iniquitatis uocare, mihi fas esse uideretur; nec hoſes, quos ipse nulli uitio affines esse cognoueram, damnare

Universidad de Deusto
Biblioteca

improbitatis auderem,quos tamẽ multis incommodis afflictari cernebam. Hanc tamen dubitationem uisum mihi diuinitus oblatum omnino sustulit. Arcani namq. Diuini particulam animo complexus sum, spiritusq. cælestis ad aurem meam latenter insusurrauit. Eo namque tempore,quo ex uisis nocturnis homines in uariis cogitationibus mente defixi sunt, & sopor mortales arcte complectitur, ingenti horrore perfusus fui, qui omnia ossa mea pauore,nimioq. tremore,con
14. 15, 16. 17. Panor tenuit me. cussit,14.15.16.17. Spiritus enim ante me discurrebat,cuius appulsu uehementer inhorrui. Cõtigit ille quidẽ,sed speciẽ illius agnoscebam:obuersabatur ante oculos meos imago, quæ silentium fecit mihi,ut uocem illius audirem. Cuius hęc sententia fuit: Numquid homo iustitia cum Deo certabit? Num maiorem sibi puritatem,quam illi summo conditori, qui eum finxit, attribuet?
18. 19. 20. 21. Ecce, qui seruiũt sibi, 18.19.20.21. Quin ipsæ mentes cælestes,quæ illi ministrant, natura stabilitatem non habent,ut illi fidem debitam præstent. ille namque angelos suos conuicit amentiæ. Quid erit igitur de illis, qui terrenas domos incolunt, existimandum? quorum fundamentum est e puluere concretum, qui ante quam senio,atque uetustate,consumi possint,multis casibus exstinguuntur? Qui mane robore uigent, ad uesperum contusi plagis intereunt? Qui uero nunime resipiscunt,& ad officium redire nolunt, perpetuo peribunt. Neque solum ipsi pœnas dabunt,sed eorum posteritas simiter emigrabit,& mors illos,propter sapientiæ penuriam, obliuione delebit. Hæc quidem mihi Diuinitus effata,memoria cõseruo;quibus instructus, plane uideo nullum hominem iustum Dei iudicio circũueniri. Aliter enim Deus recti iudicis officium minime tueretur, atque sustineret.

CAP. V.
1. Voca ergo. 1. DENVNTIA, quæso, alicui præstanti uiro testimoniũ;& animaduerte,an sit aliquis,qui tecũ sentiat. Ad quem enim ex sanctis hominibus adibis,qui tuæ sententiæ suffragari audeat? Nullo igitur modo est nostrorũ malorũ caussa in Dei consilium,sed in nostrã temeritatem,& insaniã, confe
2.3. Virum stultum. renda. 2.3. Furiosum enim hominẽ occidit animi impotentis iracundia:& intemperantẽ exstinguit inuidia. Omnia namq. mala uel ex insita superbia,uel ex immani ui libidinis,oriũtur. Vidi equidem hominẽ temerariũ,& insanũ, opibus affluentem,statumq. illius altis,ut uidebatur, radicibus innixum & ad posteritatis memoriã firmo præsidio constitutum,cuius tamen domũ,& familiam, ubi primũ illam adspexi, malis ominibus prosecutus sum, prædixi namq. futurum, ut funditus
4.5. Longe fient filij eius. euerteretur.4.5. Nam illius filij erunt longe a salutis præsidio remoti,& in hominũ conuentu, & celebritate,uexati;nec erit, qui a summi periculi peste illos eripiat. In illius opes,summo labore,& studio,congestas, homines inexplebili cupiditate flagrantes inuadunt;nullisq. periculis,aut difficultatibus,impediri poterunt,quo minus eas diripiãt. Itaq. fortunas hominis auari,& iniusti,ho-
6.7. In terra sine caussa fit. mines intẽperantes,omniaq. rabide, & sitienter, appetentes exhaurient. 6.7. Hic quidẽ est iniquitatis fructus:quæ tamen iniquitas non est ad naturam reuocanda, ut ea gratia naturæ conditorẽ accusare debeamus,quod auctor illius exstiterit. Nec enim iniustitia ortũ habet e telluris glebis; neque cupiditatem,& plura possidendi sollicitudinem,terra protulit;sed homo,sponte sua, iã inde ab ipso natali die se cupiditatibus,& molestiis, implicuit;quæ deinde,libidinum flammis ardentius excitatæ,in altum sublatæ sunt.8. Huic igitur
8. Quamobrem ego deprecabor Dominum. tanto malo qua tandem ratione resistendum est? num humanis uiribus poterimus ipsi nos ab hac tam immani clade subducere? Non certe. In nobis enim est ipsius iniquitatis seminarium, & effrenatæ cupiditatis incendium;ita,ut,si, per nos nixi, remedium exquirimus, sit nobis extrema calamitas atque pernicies, subeunda. Quid igitur faciendum? Hoc certe, ut ad Dei clementiam,& opem,confugiamus. Deum igitur inquiram; ad illum preces adhibebo; ad illius mentem, atque disciplinam,officia uitæ perpendam,qui solus po
9. Qui facit magna. test presidio uitam meam conseruare. 9. Ille namque solus est,qui magnifica opera facit, quorum rationes humana ratione peruestigari nõ queunt; qui res admirabiles edit, quæ certo numero contineri non possunt. 10. Qui demittit imbres in tel
10. Qui dat pluuiam. luris superficiem, &,aquis effusis, fecunditatem campis dat. 11. Qui humiles humo excitatos in
11. Qui ponit humiles. alto gradu collocat. & mærentes in sublime tollit, eisq. salutem restituit: 12. Qui hominum
12. Qui dissipat cogitationes. astutorum calliditates irritas,& inanes ostendit, ita,ut nihil,quod designauerant,exitum firmum, & stabilem consequatur: 13. Qui ita sapientibus
13. Qui apprehendit sapientes. illudit,ut eos illa ipsa sapientia,qua tument,irretiat, atque ita constrictos teneat, ut ea consilia, quibus ad salutem,& dignitatem summa ope nitebantur, ad eorum perniciem, & dedecus reuocentur. 14. In rebus clarissimis alucinabuntur:
14. Per dié incurrent. die in densa caligine uersabuntur; &,quasi tætra quædam nox sit eorum oculis offusa, ita meridie manibus, qua sit illis ingrediendum, explorare
15. Porro saluum faciet. conabuntur. 15. Verum enim uero Dominus,eos, qui spem in illo reponunt,ex acie gladij,& ex linguæ calumniis eripit: & hominẽ egenum, & inopem,ne manu,atque potentia hostis potentis oppri
16. Et erit egeno spes matur,salutari præsidio conseruat. 16. Inopis igitur innocentia firma spe salutis ostensa respirat; & iniquitatis impudentia iudicio Diuino reprimitur. 17. Interim uero, cũ difficillimũ sit,peccatum uitare,ille beatus habendus est,cuius deli
17. Beatus homo. cto debitũ supplicium minime differtur;sed,dum pœnitendi tẽpus est,pœna ei,qua cruditus ad officium redire possit,imponitur. Ne igitur hoc disciplinæ beneficium,quo te Deus clementer afficit, aspernere. Nam, si te minime ingratũ præbueris, & in istis plagis illius benignitatẽ sapienter agnoueris, ingentem ex ista clade fructum percipies.
18. Quia ipse uulneribus medetur. 18. Ille namque est,qui uulnera infligit, idẽ, qui inflicta uulnera sanat;ille est,qui telo transuerberat, & qui manu sua salutarem medicinam facit.
19. In sex tribulationibus. 19. Te quidem ille non semel,sed sæpe,angoribus implicitum,liberabit;atque tãdem, ne te malum aliquod attingat,consilio, & ope sua prouidebit:
20 In fame eruet te. 20. famis tempore opibus illius sustentaberis: in belli uero discrimine præsidio illius munieris.

21. Cum

21. A flagello linguę. 21. Cum maledicentiæ uenenum multis necem attulerit,tu latibulo,atque perfugio Diuini subsidij infamiæ periculum propulsabis. Et, cum dira
22. In uastitate, et fame. calamitas res cõmunes affixerit,minime formidabis. 22. Siue enim uastitate illata,siue fame dominante reliqui premantur, tu tamen omni cura solutus in trãquillitate uersabere, neque belluas
23. Sed cum lapidibus. extimesces. 23. Quin etiã erit tibi fœdꝰ cũ agrorũ lapidibus ictum,ne te lædere queant: & fere etiã agrestes,& immanes pacem tecum firmam omni tempore cõseruabunt. Nulla siquidem feritas illis
24. Et scias, quod pacẽ habeat. nocere potest,qui Dei præsidio fulciũtur. 24. Itaque senties,domicilium tuũ,otio constituto, opibus magnis affluere;domumq. tuã in officio continebis, ne quisquã sit in illa, qui in se flagitium admittat. Nec enim id tantum prestare debet,qui multis imperat, ut ipse a se omnem peccati suspicionem remoueat,uerum etiam,ut omnes,qui in illius tutela sunt, innocentiam in omni uita retineant. 25. Hæc si feceris, sobolem multiplicem nu
25. Scies quoque. mero propagabis; posteritasq. tua instar herbæ
26. Ingredieris in abundantia sepulcrum. irriguæ pullulabit. 26. Ad summam denique senectutem cum felicitate peruenies; &, a tuis in sepulcrum illatus,quasi aceruus frumenti,conditus
27. Ecce hoc, ut inuestigauimus. eris,ut inde, cum fuerit opportunum, depromaris. 27. Et hæc quidem, nõ temere a nobis cogitata, sed diu multumq. meditata sunt: quæ in medium afferre uoluimus, ut te malo isto,qui te premit,leuaremus. Neque dici potest, hanc nostram sententiam esse parum iure,atque ratione confirmatam: cui si fueris obsecutus, neque nimis flebiliter lamentabere, neque uerba stomachi plena fundes: neque cum Deo de pœnis,quas tibi constituit, expostulabis, quasi fueris indebite punitus; sed ærumnam patientissime tolerabis, & a Deo ueniam petes, ut ita pristinam felicitatem, cum amplificata dignitate recuperes. Hæc igitur omnia uelim mente recogites,ut facilius e malis istis emergere possis.

CAP. VI.
1.2. Respondens autem Iob. 1.2. HACTENVS Heliphazius. Ad quæ Iobus respõdens,inquit: Vtinam fieri posset,ut hæc indignatio mea,quæ uobis tam grauem offensionem attulit,simul cum calamitate,quæ illam exprefsit,appenderetur;
3. Quasi arena maris. 3. ut cerneretis, tanto grauiorem esse mali,quod me excruciat, magnitudinem,ut querimoniam meam longe multumq. superet,atque cum arena maris multitudine,& gra uitate conferenda sit. Non est igitur mirandum, nec in uefario crimine ponendum; si, cum essem intolerando dolore cruciatus, eiulatus ediderim. Non enim humanis opibus uexatus sum, sed Dei præpotentis telis,atque manu, confixus.
4. Quia sagittę Domini. 4. Illius enim sagitræ in corpus meum adhæresçunt; quarum uenenum spiritum meũ exsorbet; ipseq. Dominus animum meum,terroribus iniectis,impugnat. 5. Possum ne me hominẽ infitiari,
5. Nũquid rugiet. & acerbissimo dolore minime commoueri? Adeo ne humanitatis expertes eritis, ut ne deplorandæ quidem tantæ miseriæ mihi potestatem fatiatis? An id etiam mihi denegabitis, quod est brutis animãtibus attributũ,ut dolorem, & inopiã,qua premuntur, clamoribus sublatis, aperiant? Nec enim animantium querellæ, uoluptatis, sed doloris,indices sunt. Numquid onager, quamdiu illi pabulum suppetit, ingemiscit? Num bos,cum
6. Aut poterit comedi. gramine abundat, mugitus edit? 6. Neque tantum cibi pœnuria, sed etiam insulsitas, interdum gemitus edere compellit. Quotus enim quisque est,qui, cum aliquid insipidi cibi, qui sale conditus minime sit, sibi apponi cernit, non indignatur? Quidam uero ne albumen quidem uitelli sibi apponi patiuntur, eo quod insulsum sit. Sit hoc nimis delicati fastidij. Id tamen omnium concessu tribuitur, ut quilibet homo lautus cibum in sulsum,quamuis amarus minime sit,cum indignatione aspernetur,atque reiiciat;mihi uero,tantis acerbitatibus oppresso,& afflicto,ne illo quidẽ calamitatis solatio, quod in lamentis, & lugubri uociferatione consistit,per uos uti licebit? Scilicet mediocribus incommodis affectus sum, & leui uulnere percussus, ut facillime possim dolorem sine ullo gemitu tolerare. 7. Ea, quæ quondam,cũ
7. Quę prius nolebat tangere. sanus eram,ut acerba,& noxia,repellebã,& sensibus aspernabar,nunc,cum morbo grauissimo laborem, mihi pro cibo sunt, & cogor in omnium rerum mearum exitio, & uastitate, & in summa ægritudine,uitam hanc miserrimam rebus amarissimis sustentare. Iam non bonorum, quæ amisi,restitutionem,sed malorum,quæ patior, finem precibus imploro. 8. Vtinã postulationi meæ con
8. Quis det, ut ueniat petitio mea. cedat Dominus;&,quod spero,cõficiatur;9. nẽpe, ut,quemadmodum me conterere instituit,ita manum suam intendat,corpusq. meum omnino dilaceret. 10. Hæc saltem sit mihi cõsolatio reliqua,
9. Et qui cœpit. 10. Et hæc mihi sit consolatio. qua sustenter. Non postulo,ut mihi ueniam tribuat,& corpus meum in sanitatem reducat, sed, ut,illata morte,finem malis,quibus afflictor, imponat. Hoc saltem præmium in hac uita mihi propietate,& religione,in qua perseueraui,cõstituat. Nec enim suppresi uerba sanctissimi Domini, aut illius consilium, ut me insimulas, accusaui, aut numen illius maledictis temere, & impie lacessiui;sed,quantis in doloribus uersarer, lamẽtis expostui. Hoc mihi uos crimini datis, quasi scelestum,& immane facinus commiserim. 11. uerum,
11. Quæ est enim fortitudo mea. quod est robur meum, ut tantam uim mali sustineam? Aut,quod ęui spatium,ut me animo,atque spe,ad meliorem condicionem in hac uita referuem? 12. Num sum exculptus e filice,ut in me du
12. Nec fortitudo lapidum. ritiem lapidis requiratis? Nũ factus sum ex ære, ut a me roburæneum flagitetis? 13. Quid,si etiam
13. Ecce nõ est auxilium mihi. illud unicum meum Diuini spiritus in omni aduersitate subsidium a me migrauit? Quid, si illud uitę firmamẽtum, quo nixus cogitationẽ a sensu doloris abducere potuissem,se ipsum a me subduxit? Et tamẽ,in tam graui calamitate, & orbitate, mihi sensum doloris adimitis? Et tamen,ne ærumnas meas defleã,importune prohibetis? Sed esto: malis omnibus,quæ in hominem cadere possunt, miserrime circumuentus sum: habeo tamen amicos fide præstantes, qui me consolando, & prope æque dolendo,miseriam meam leniant. Ita sane. Cum me uiderint plagis contusum, & debilitatum, omnem operam in eo posuerunt, ut me fulcirent,omniq. ratione confirmarent. Tantum certe abfuit,id id prestarent,ut potius uerbis suis

Universidad de Deusto
Biblioteca

dolorem meum augerēt, & uulnus inuſtum exul cerarēt. Illud enim mihi ſcelus obijciunt, quo nullum eſſe poterit ad ſempiternum dedecus, & infamiam, efficacius. Hoc ſane mali reſtabat, ut nō ſolum exturbatus bonis omnibus, & conciſus grauiſſimis uulneribus in puluere iacerem, ſed etiam dedecore ſummo ab amicis afficerer. Sic enim in quiunt. 14. Proximis in ærumna miſericordiam nullam adhibuit; timorem Domini prorſus abiecit; religionemq. ſanctiſſimam impuriſſime uio lauit; eaq. de cauſſa fuit a Deo, ut eius merita poſtulabant, acerrime flagellatus. 15. Itaq. fratres mei fidem fefellerunt, &, inſtar torrentis, qui, cum maxime utilis eſſe potuiſſet, exaruit, quaſi per alueum tempore minime opportuno labuntur; deinde, cum illorum auxilium deſideratur, euaneſcunt. 16. Torrentes quidem hieme, glacie, atque niuibus liquefactis, redundant aquis turbidis, &, ſuper ripas effuſi, magno impetu concitantur: 17. at, poſtquā ęſtate defluxerint, ardoribus exuſti deficiunt; 18. & locū, quē curſu tenebant, omnino deſerunt, ita ut præter terrā, illorum impetu conuulſam, & uias diſſipatas, nihil in locis, in quibus fluebant, ex illis inſpicere liceat. Se enim tumidos intulerunt, & æſtu repēte defecerunt. 19. Qui iter in Arabiā deſertam ſuſceperant, illos ſpectabant, & mercatores Sabæi ad illos, aquationis gratia, confluebant, ut illorū aquis refici, & recreari poſſent. 20. At, cum arefactos animaduertiſſent, ſe ipſos amentia cōdemnarunt, quod ſpem in tam uano, atque fallaci præſidio poſuiſſent, neque ſolum cum ad illorum alueos perueniſſent, ſpe fraudati ſunt, & inde cū dedecore, & ignominia ſuſceptæ temeritatis abierunt. 21. Similes inquam illis torrentibus eſtis uos. Cum enim minime opibus ueſtris indigerem, tūc & rem, & operam, & ſtudium ueſtrum minime mihi defuturum oſtendebatis! At, cum primum me laboribus confectum, & omnium rerum pænuria uexatum animaduertiſtis, officium prodidiſtis, nec ullam opē mihi in rebus afflictis attuliſtis. Vix enim cladem, quā accepi, oculis adſpexiſtis, cum meum congreſſum exhorruiſtis. Id, credo, ueriti eſtis, ne uobis oneri eſſem, & plura a uobis exigerem, quam facultas ueſtra ferre poſſet. 22. Num dixi uobis, ut me donis, atque muneribus ueſtris iuuaretis? Num dixi, Eripite me ex hoſtis immanitate? 23. Libertatemq. meā ex inimicorum dominatu redimite? Minime. Quid ergo uenit uobis in mentē, me, quaſi hominem nefariū, & in iuſtū, deteſtari? 24. Demōſtrate, quod nā ſcelus iſtud meum ſit, & ego tacebo: peccati me conuincite, ut, quod ſit a me commiſſum facinus, intelligam. urgeo, & inſto; &, ut crimen meum indicetis, efflagito. 25. An ignoratis, tātas eſſe iuſtitiæ uires, ut illius ſententia conuelli, aut labefactari nō poſsit? Si ergo, iure nixi, ad me accuſandū acceditis, intendite crimen, meq. reum peragite. Quis eſt igitur ex uobis, qui mihi crimē obiicere ualeat, quod teſte confirmet? 26. Nūquid hoc eſt a uobis decretum, ut me uerbis tantum, & non rebus, arguatis, falſoq. maledicto configatis, neque, ut ea, quæ a uobis aſſeruntur, firma probatione confirmentur, ſed ut ipſe, uerbis ueſtris increpitus, magis excrucier, ſummo ſtudio laboretis? Neque reputatis animo, quantum immanitatis crimen ſuſcipiatis. 27. In pupillum enim rebus omnibus orbatum irruitis; & amico ueſtro ruinæ periculum intenditis. 28. Nunc igitur rem ipſam diligentius examinate; animumq. ad ea, quæ ſum dicturus, attendite; & uobiſcum reputate, an aliquid fingam. 29. Redite in uiam, & omnem a uobis iniquitatis labem repellite; & conſiderate, an adhuc iuſtitia mea ſuo loco maneat. 30. Perpendite inquam, num lingua mea uerbum iniquum proferat, & num palati mei ſenſus ita deprauatus ſit, ut iam minime, quod eſt natura acerbum, & aſperum, a ſuauitate, & incunditate ueræ dulcedinis internoſcat. Atque primum quidem illa opinio euellenda eſt, qua cenſetis, homines tantum nocentes in hac uita incommodis uexari. Bonis enim etiam ſunt multi labores in communi uita propoſiti.

14 Qui tollit amico ſuo.
15. Fratres mei præterierūt me.
16. Qui timent pruinam.
17 Tempore, quo fuerint.
18. Inuolutę ſunt ſemitæ.
19. Conſiderate ſemitas
20. Confuſi ſunt.
21. Nunc uos eſtis.
22. Nūquid dixi.
23. Vel liberate me.
24. Docete me.
25. Quare detraxiſtis.
26. Adincrepandum.
27. Super pupillum irruitis.
28. Verumtamē quod cœpiſtis.
29 Reſpōdete, obſecro.
30. Et non inuenietis.

CAP. VII.

1. EST enim uita hominum inſtar militiæ, in qua multa certamina ineunda ſunt, multi labores excipiendi, multis in locis capitis periculo dimicandum. Hoc igitur in bello, cum non timidi, aut ignaui militis officio funćtus ſim, par erat, ut omnes ante actos labores ſpe congiarij leues eſtimarem. 2. Ergo, ut ſeruus anxie deſiderat umbras diei augeri, ut noctis interuētu labore releuetur, & ut mercenarius propoſita mercede laborem tolerat; ſic ego, & otij ſpe, & ſtipendij propoſiti conſideratione, omnem laborem perpeſſu facilem iudicabam. 3. Quid ergo eſt, quod me conturbet? Hoc nempe, quod tanta ſit ægritudinis huius magnitudo, ut moleſtiſsimis cogitationibus oppugner, ita, ut hæream interdum, & dubitem, an menſes, e quibus fructum non mediocrem ſperabam; temere, & ſine ullo fructu conſumpſerim; & noctes, quæ erant alleuamentum aſsiduis laboribus allaturæ, intolerandam mihi uim ſollicitudinis, & acerbitatis inuexerint. 4. Nocte quidem in lecto meo tantis moleſtiis afficior, ut dicam, Quando aduentabit dies, ut ſurgam? Die uero magnitudinem illius expendo, & tenebras, atque noctem deſidero. Per totū enim diē uſque ad noctis crepuſculum perturbationibus infinitis exagitor. Nec nocte igitur, neq. die ullum mihi mæroris alleuamentū conceditur. 5. Corpus meū eſt obductum uermibus, & in modum glebæ multis in locis hiatibus deformatū, & cutis mea diſciſſa, ita, ut non dolore ſolū, ſed odio mei ipſius, & offenſione diſcrucier. 6. Dies interim mei uelocius radio textoris excurrunt, & telā tractę penuria, celerius multo, quā ſuſpicari quiſquā potuiſſet, abſoluunt. Sic autē in contrarias partes diſtrahor, ut interdū mori cupiā, ut e tantis malis eripiar, turſus autem uitā meam celeriter abſumi lamēter, eo quod morte ſpē melioris condicionis præciſam uideā. Optabam namq. uitā mihi prorogari, ut Deū multo diligentius debito officio, atque pietate, uenerarer. In tantis anguſtiis ad Deū clamo, ne me ope ſua deſtituere uelit. 7. 8. Memento, Dñe, quod uita mea ut uentus effluit; me aūt perēpto, nō reuocabitur in priſtinū ſenſū oculus meus, ut bona, quibus hoīes in hac uita fruuntur,

1. Militia eſt uita hōminis.
2. Sicut ſeruus.
3. Sic & ego habui.
4. Sidormiē ro.
5. Indutaeſt caro mea.
6. Dies mei uelocius trāſierunt.
7. 8. Memēto, quia uēntus eſt.

tur, inſpiciat. Qui in me incubantur, non me ultra uidebunt, ut opem meam requirant; ut autem oculos ad me adijcere uelis, erit opportunitas tuæ erga me benignitatis amiſſa. Ego enim iam tunc minime conſiſtam. 9. Nam, ut nubes conſumitur, & abſcedit, nec iterum cohæret; ita, qui ſepulcro conditi ſunt, numquam in eundem uitæ ſtatum excitabuntur. 10. Nec enim is, qui morte deletus eſt, in domum ſuam remigrabit; nec illius locum homines, qui illius conſuetudine utebantur, agnoſcent. 11. Cū igitur ſim tantis ęrūnis oppreſſus, hoc ſaltē mihi liceat, mala, in quibus uerſor, lamentari. Similiter igitur, atque faciunt alij, qui in malis ſunt, ita me geram; neque os meum continebo, ſed omnes ſpiritus mei anguſtias explicabo; & animi acerbitates recenſere meditabor. 12. Numquid ego ſum mare, ut me terminis circumſcribas? Numquid ſum immanis draco, ut me tantis cuſtodijs intercluſum teneas? Sic enim ſum tuis uinculis alligatus, quaſi periculum eſſet, ſi laxarer, ne fluctibus terras obrueren, aut, hominum ſtrages efficerem. Quocumque enim me confero, eo ſtatim accurris, ut me rebus ualde metuendis exanimes. 13. Cogitaui enim, futurum, ut lectus meus ſolatium aliquod mihi afferret, & in eo ſaltem aliquando a moleſtia conquieſcerem. At ipſe lectus me pungit, & ſtimulat, & reſpirare non ſinit; animumq. meum acerbiſsimis curis excruciat. 14. Cum enim ſomnum capio, me in ſomniis exagitas, & horrendis uiſis exterres. Non igitur neque nocte, neque die mihi tantis anguſtiis implicato quidquam laxamenti conceditur. 15. Itaque cogitur interdum animus meus optare; ut ab oſsibus meis uiolenta morte ſeparetur, & e corporis ſenſibus abſtrahatur. 16. Tædet igitur me uitæ. Non eſt mihi conceſſum in perpetuum uitam producere: eſt enim illa, naturæ lege, breuis æui ſpatio definita. Quid igitur fiet, ſi ita fuero numine tuo conſtrictus, ut ne breuiſsimam quidem hanc lucis uſuram poſsim in iuſtitia, & pietate, conſumere? Amoue manum, remitte pœnam, miſſum me fac, tantiſper, dum aliquid efficiam, quod approbatione tua dignum ſit, ne tempus, & occaſio bene gerendi muneris elabatur. Breuiſsimum namque eſt uitę meæ curriculum. An mihi ſoli fons benignitatis tuæ, qui patet omnibus, erit occluſus? Stupeo enim, cum mente recolo, quantū ſalus, atque dignitas generis humani tibi curæ ſit. 17. Quid enim eſt, homo, ut eum tam ampiæ dignitatis ornamentis affícias? Quæ illius condicio eſt, ut eum tanta uigilantia, & ſedulitate, cuſtodias? 18. Vt enim diligens pater familias, antequam diluceſcat, excitatur, ut rem ſuam familiarem curet; ſic tu mane uigilas, ut hominē preſenti numine tuearis; uitamq. illius ſingulis horis, atque adeo momentis, exploras. 19. Cur igitur me tantis impeditum uinculis minime relaxas? Cur nullam mihi ſpiritus mei reficiendi poteſtatem facis? 20. Sed inquies, me peccatis meis commeruiſſe, ut tu mihi tam graues pœnas imponeres. Eſto. Sed, quanā, queſo, ratione coram te, qui mores hominū, & intimos illorum ſenſus perſcrutaris, & excutis, ad legemq. tuam ſanctiſsimam officiorum omnium momenta perpendis, poſſum ego uitæ curſum, in tanta naturæ imbecillitate, ſine aliqua prolapſione, conficere? Non enim ope mea nixus, ſed præſidio tuo ſuſtultus, peccatum declinare poteram. Quare igitur id, quod erat immenſæ clementię, minime perfeciſti, ut me fulcires, ne ruerem, ne ue aliquid contra uoluntatē tuam temere deſignarē? Cur id permiſiſti, ut meis peccatis, quaſi intoleranda ſarcina, depreſſus, occumberem? 21. Sed fuerit id a te conſilio, & ratione, prætermiſſum: cur nunc non ipſis peccatis ignoſcis? Vt enim maximis uitiis contaminatus ſim, tuum eſt, ueniam tribuere, iacentes excitare, opem tuam implorantes etigere. Cur igitur, ſi in tam graue peccatum incidi, non id expiandum ſuſcipis, ut me a pœnis eximas, quas illius cauſſa perſoluo? Quod ſi diutius opē diſtuleris, certe non potero tantam malorum omnium molem ſuſtinere. Si mane igitur me quæſieris, uita iam ſpoliatum reperies. Hac quidem oratione Iobus, partim argumenta, quibus Heliphaſius illum accuſauerat, diſſoluit, partim uim doloris quo torquebatur, lamentis, & queſtibus, indicauit.

9 Sicut conſumitur nubes.
10. Nec reuertetur uita.
11. Quapropter & ego.
12. Nūquid mare.
13. Si dixero.
14. Terrebis me.
15. Quamobrē elegit ſuſpēdium.
16. Deſperaui.
17. Quid eſt homo.
18. Viſitas eū diluculo
19. Vſquequo nō parcis mihi.
20. Peccaui, quid faciā tibi.
21. Cur non tollis peccatum meum.

CAP. IIX.

1. 2. HIS autem querimonijs amici grauiter offenſi ſunt. Equibus Bildadus Suhita eiuſmodi uerbis inuectus in illum eſt: Quouſque tandē uerba iſta proferes, & in animi obſtinati duritia perſeuerabis? 3. An Deus iudicium peruertet: An ſanctiſsimus ille Dominus iuris ſanctitatem uiolabit? Nullo modo ergo, cum ille iuſtiſsimus ſit, neceſſario colligitur, illum, quem is plectit, in culpa fuiſſe. Aliter enim Deus minime iuſti iudicis officium tueretur. 4. Si ergo conſtat, filios tuos peccata in Deum commiſiſſe, ob quæ fuerunt meritis pœnis affecti, & a Deo eiecti, uitaq. ſpoliati, nulla cauſſa eſt, cur de illorum ruina, atque pernicie, conqueraris. In eo uero, quod tu tantis ſis oppreſſus malis, liquido conſtat, te etiam meritas ſceleris admiſsi pœnas pendere. Numinis autem infenſi placatio non in pietatis ſimulatione, ſed in ſceleris cōfeſsione, conſiſtit. 5. Si igitur ad Deum celeri, celeri citata mentis conuerſione redieris, ſi ad illum ſummum Dominum ſupplices preces adhibueris, 6. ſi, plaga illius excitatus, te repente ad puritatis, & iuſtitiæ ſtudium tota mente contuleris, is continuo domicilio tuo felicitatem ob iuſtitiam tuam reſtituet. 7. Itaq. ſi toto animo iuſtitiam amplexatus fueris, multis partibus maiora, & ampliora bona recipies illis, quibus te euerſum fuiſſe luges. 8. Quod ſi tanti apud te non ſumus, ut auctoritate noſtra moueare, repete, quæſo, totius antiquitatis memoriam, maiorumq. noſtrorū ſententiā perueſtiga. 9. 10. Nos enim nuper exorti ſumus, nec, in tanta uitæ breuitate potuimus, rerum Diuinarū ſcientiam comparare. Diesq. noſtri, inſtar umbræ, in terris euolant. Reſtat igitur, ut ei, qui rerum ſcientiam cōprehendere uelit, ſit omnis antiquitas mente, atque ratione, pertractanda, ut ea cognoſcat, quæ multorum hominum prudentum ingenijs, & ardenti ſtudio, quæſita, inuenta, & explorata ſunt. An non illorum diſciplinis inſtitui, cohortatio-

1. 2. Reſpondens autem Bildad.
3. Numquid Deus.
4. Etiam ſi filij tui.
5. Tu autē.
6. Si mūdus
7. In tantū.
8. Interroga enim generationem priſtinam.
9. 10 Heſterni quippe ſumus.

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

Universidad de Deusto
Biblioteca

nibus excitari, sententijs erudiri. facillime potes-
11. Nũquid uirere. 12. Cum ad hæc sit. ris? 11. Quid est igitur ab illis traditum? Hoc cer-
te. Non humanam industriam, sed opem Diuinã,
statum hominis stabilire. 12. Numquid iuncus in
loco minime palustri uirescet? Numquid gramina aquis omnino destituta grandescent? Certe
non. Immo, postquã illorum culmi ad summam
magnitudinem, quam assequi poterunt, aliquando peruenerint, ita erunt humiles, ut falce succidi
23. Sic viæ omnium. non possint; & multo ante reliquas herbas, quæ
in humido loco sitæ fuerint, exarescent. 13. Simili
ter hominum studia, qui Dei immemores sunt,
fructu suo priuabuntur, & confidentia illorum,
qui pietatem ementiuntur, funditus interibit.
14. Non ei placebit. 14. Illorum spes erit incisa, & eorum opes erunt
15. Innitetur super domũ suã. domicilijs aranearum simillimę. 15. Qui domibus
illorum nixus fuerit, minime consistet; &, qui illas apprehenderit, non erigetur. Vt igitur illorum
opes ad speciem illustres, & amplæ sint, eorumq.
fortunæ fixæ, & optime constitutæ uideantur, ua-
nissimæ tamen sunt, & fallacissimæ, unoq. temporis momento peruertuntur. Hic est eorum status, qui non uera uirtute firmatus, neque Dei
16. Humecta uidetur gratia communitus est. 16. At uero, ut in eodem
simili uerser, ubi humor suppetit, holus in maximis etiam ardoribus solis uirescit, illiusq. propa-
17. Super a ceruum petrarum. gines in horto late funduntur. 17. Quin etiam in
lapidum aceruo consitum altas radices aget,
seq. in illo densis fibris implicabit, domiciliumq.
18. Si absorbuerit. saxis exstructum possidebit. 18. Quod si fuerit
euulsum, ita, ut nullum sui uestigium relinquat,
19. Hæc est lætitia uiæ. ut alium in locum transferatur, 19. neque sic qui
20. Deus nõ proiicit. dem speciem & nitorem suum amittet, sed lætius
in aliena tellure germinabit. 20. Ad hunc autem
modum uera pietas, quæ non est fucata mendaciis, nec auram popularem captat, neque se ocu
lis hominum uenditat, cum sit Diuini spiritus af
fluentia, quasi perennibus aquis, enutrita, in ma
ximis ardoribus uiriditatem, in dolo sterili fecun
ditatem, in exsilio uberrimum fructum, multis
acessionibus amplificatum, retinet, stat umq.
suum, in omni rerum asperitate, malorumq. omnium tempestate, conseruat. Nec enim Deus res
hominum, qui illum pura, & casta, & integra
mente uenerantur, ope sua destituit; nec illos hostium immanitati, atque libidini, permisit, sed sin
21. Donec impleatur. gulari præsidio, atque uigilãtia, protexit. 21. Quare, si quid est a te ementita religione uiolatum, id
uerissimo cultu sanctitatis expia; teq. ad Deum
tota mente conuerte; ut sic tandem ex his malis,
22. Qui oderunt te. quę te undique premunt, emergas, & ingenti gau
dio cumuleris. 22. Certe enim, si id feceris, Domi
nus animum tuum mærore deiectum excitabit;
tantisq. donis, atq. muneribus explebit, ut lætitia exsultes, maximaq. uoce laudes illius cele-
bres. hostes tui ignominia deformabuntur; & sta-
tus impiorum, qui tibi infesti sunt, euertetur.

CAP. IX

1. 2. Et respondens Iob, ait. 1.2. HAEC Bildadus cum dixisset, Iobus
ita respondit: Verum quidem id est, neminem in
3. Si voluerit contendere. Dei cõspectu posse crimine omni liberari. 3. Quis
enim inter homines erit tanta uitæ integritate
præditus, ut possit apud Deum asserere, se num-
quam in officio deliquisse? Quod si quisquam,
tam confidens exstiterit, ut cum Domino iudicio
decertare uelit, ne millesimã quidem partem ea-
rum rerum, quas defendere noluerit, omni culpa
uacare peruincet. 4. Sapientia præcellit, & robore:
4. Sapiens corde est. quis igitur illius numen uel impudentia, uel au-
dacia, concitauit, quin tantæ temeritatis, & amen
tiæ, pœnas exsoluerit? 5. Is enim est, qui montes
5. Qui transtulit mõtes 6. Qui commouet terram. improuiso transfert, & indignationis suæ procel-
la, atque tempestate, peruertit: 6. qui terrã ingen
ti motu concutit, atque sede conuellit, illiusq. co
lumnas, & soliditatẽ, labefactat. 7. Cuius imperio
7. Qui præcipit soli. Sol se continet, ne lucẽ in terras spargat; & stellæ,
ne splendore suo mortales illuminent, obsignan-
tur: 8. Qui solus manibus cælum expoliuit; qui
8. Qui extẽdit cælos solus. per mare summũ ingreditur: per omnia si quidem
pertinet, ut omnia numine suo moderetur: 9. qui
9. Qui facit Arcturum. cõdidit arcturum, cynosuram, & pleiadas, & side
ra, quæ, austri penetralibus abstrusa, ab oculorũ
nostrorũ adspectu remota sunt. 10. Opera ingen-
10 Qui facit magna. tia perficit, quarum rationem nemo intelligẽtia,
& mente consequitur: res multis modis admiran
das edit, quarum multitudinem nemo est, qui
11. Si ueniat ad me. enumerando recẽseat. 11. Præteribit quidem me,
illum tamen haud intuebor: ultro citroq. com-
meabit, ita tamen, ut ipse illius uestigia, & ingres-
sum, non uideam. 12. Si quempiam bonis omni-
12. Si repente interroget. bus spoliare uoluerit, quis illius uim, & impetũ
coercebit? Quis de illo rationem, quare id faciat,
percunctabitur? 13. Deus est, qui omni potesta-
13. Deus, cuius iræ. te immensa complectitur, cuius iræ nullis uiribus
obsisti atq. repugnari potest, cuius numine, & im
perio magni principes fœdere cũ potentissimo ty
rãno deuincti facillime prosternũtur. 14. Quis igi
14. Quãtus ergo sum. tur ego sum, ut illi respondeam, & rationẽ medi-
ter, qua possim apud illum caussam meam tueri?
15. Quod si nulli flagitio affinis sim, neque ani-
15. Qui etiã si habuero. mum meum alicuius maleficij conscientia per-
terreat, illius tamen iudicium subire non audebo; neque caussæ meæ firmamentum in iuris
æquitate, sed in iudicis benignitate, constituam,
a quo ueniam supplicibus uerbis implorabo.
16. Si illum inuoco, quamuis ille orationem
16. Et cum inuocarem. meã clementer exaudiat, nõ tamen certus esse
possum, illum preces meas minime repudiasse.
17. Me namque turbine peruertit, multisq. uul-
17. In turbine enim cõteret me. neribus, sine ulla graui, quæ constare possit, ma-
18. Nõ conceditur quiescere. leficiorum caussa, deformauit. 18. Nullam mihi
respirandi potestatem facit; multisq. me suppli-
ciorũ acerbitatibus exsaturat. 19. Si uiribus agen
19. Si fortitudo quæritur dum est, robore immenso præstat: si iure litigan-
20. Si iustificare me uoluero. dum, quem mihi aduocatum adhibebo? 20. Si
me iustum esse defendero, me impietate condem
21. Etiam si simplex fuero. nabit: Si mihi uitæ puritatem, & integros mores,
assumpsero, illius iudicio conuincar. 21. Vt au-
tem in illius conspectu castus, & integer sim, id
tamen exploratum non habeo. si illi uisum fue-
rit, quamuis integritate summa sim, me tamen
ut maleficum, & iniustum iudicio persequetur.
iccirco fit, ut me tędium uitæ capiat, nec. n. certus
esse possum, an is me ut sontẽ puniat, aut ut iustũ
laboribus, & ęrumnis exerceat. 22. Nõ igitur mihi
22. Vnum est, quod loquar. iustitiam attribuo, neque Dñm in iniurię suspicio
nẽ uoco, quod uos mihi obiicitis; sed hoc tm dico,

Domi-

Domini ipsius mente, atque numine, non solum
impios euerti, uerum etiam interdum homines
sanctos supplicijs uehementer affligi. Quare nõ
est, cur ex meo supplicio argumentum uitæ a me
turpiter actæ depromatis; neque mihi crimini
detis, quod, in tanto dolore, quod inflictum uul-
nus me facere cogit, uoces adeo flebiles emittã,
23. Si flagellat. & Deum lugubri querimonia obtester, ut finem
tantis cruciatibus imponat. 23. Attamen non
eadem ratione, qua Deus nocentes perdit, inno-
centes uexari permittit. Nocentes enim plagis
insequetur, ut eos inopinato supplicio mactet:
innocentes uero, ut illorum fidem probet, erum-
nis, quasi sit iratus illis, & illorum calamitate lu-
dat, afficiet. Si enim supplicia semper, in pecca-
ti, & sceleris pœnam, fuissent a Deo constituta,
sequeretur, ut florens, atque felix status, pietatis,
atque iustitiæ certissimum testimonium contineret. Atqui secus euenire sæpe conspicimus.
24. Terra data est. 24. Terræ namque summa potestas, impio per-
missa, est; &, qui ius dicit, sceleribus impunitatẽ
tribuunt, & in potentium flagitijs conniuent. Si
hæc non Dei iudicio tolerantur, cuius iudicio to-
lerantur? Quæ enim alia potestas est, quę possit
coercere tyrannidem, uindicare facinora, debi-
tumq. sceleratis, & impijs, sancire supplicium?
Restat igitur, ut profligati, atque perditi, multis
in uita commodis abundent, cum interim boni
multis ærumnis exerciti sint. Itaque non est, cur
me, ut hominem impium, & iniustum, detestemini, eo quod tam graues plagas acceperim, sed
25. Dies mei velociores. quod uicem meã doleatis. 25. Dies namq. mei
multo celerius cursore properant, & insignem ce
leritatem in fugiendo suscipiunt, nullumq. bo-
num in uita intueri concedunt. 26. Cursu nimis
26. Pertranseũt quasi naues. incitato feruntur, ut naues uento secundo dela-
tæ, quę in optatum portum pãsis uelis inuehun-
tur, & cum aquilæ pernicitate, qua in escam in-
uolat, admirabili uelocitate contendunt. 27. Cũ
27. Cum dixero. autem statuerem mentẽ a curis tristissimis ab-
ducere, doloremq. uultus serenitate tegere, &
animum, quoad fieri possit, ad ærumnas perfe-
rendas confirmare, illa me repente sollicitudo
de statu deijciebat, quod anxie formidabam,
28. Verebar omnia opera mea. ne fortasse dolores hi essent mihi, propter ali-
quod scelus, inusti. 28. Scio enim, Domine, quod
nullum crimen inultum, & impunitum, relin-
quis. Non igitur tantum me dolor ipse, quãtum
29. Si autẽ & sic impiꝰ sum. doloris caussa, quam uerebar, animum meũ ex-
cruciabat. 29. Quod si, quamuis ipse nullius mi-
hi sceleris conscius sim, tamen, posit tantam ope-
ram, tantumq. studium, in pietatis exercitatio-
ne consumptum, adhuc impietatis labe conta-
minatus sum, quem fructum mihi tam multi la-
bores attulere? 30. 31. Si enim me aquis, quæ ex
30. 31. Si lotus fuero. liquefactis niuibus emanant, abluero, si manus
meas, ut puritate niteant, diligenter extersero, in
oculis tamen tuis ita me sordidum, & inquina-
tum, reputabo, atque si in fouea demersus om-
nes uestes meas sordibus lutulentis infecissem.
32. Neque enim uiro. Quis enim in conspectu illius positus se omni
scelere uacuum profiteri audebit? 32. Nec enim
ille est homo, mihiq. natura, & condicione simi-
lis, ut aduersus illum caussam dicere, & cum illo
iure decertare uelim. 33. Neque est interim,
qui se medium interponat, ut arbitratu suo con-
trouersiam nostram dirimat. 34. Remoueat a
me suam in crimine uindicãdo seueritatem; au-
ferat terrorem, quo me frequenter exagitat; le-
nitatis, & mansuetudinis, personam induat; &
tum demum loqui potero, & caussæ meæ consi-
dere. Vt enim, si officia mea iustitiæ suæ ponde-
ribus examinauerit, multis me delictis aditri-
ctum reperiet; ita, si imbecillitatis meæ rationẽ
duxerit, omni me fortasse nefario crimine libe-
rabit. Non igitur tunc timerem, neque me illa
cura uexaret, qua incertus animi sum, & uereor,
ne illum aliqua iniquitatis labe uiolarim.

ITAQVE tædet animum meum uitæ CAP. X.
meæ, & curam, quæ me lacerat, minime re- 1. Tædet animã meã.
primendam suscipio; &, hac tanta doloris acer-
bitate confectus, uoces miseriæ præsenti consen-
taneas emitto. 2. Dicam igitur Deo: Domine, 2. Dicam Deo.
hoc a te contendere non desistam, ne me, ut sce-
lestum, & impium, damnes. Hæc igitur calami-
tas, in qua uersor, fidei probatio, non sceleris pœ-
na sit. Quod si, propter admissum scelus, his pœ-
nis excrucior, id saltem mihi tribue, ut scelus ip-
sum, ob quod in me inueheris, ostendas. Nunc
enim hæreo, & dubito, ualdeq. sollicitor, eo quod
caussam, quare tantis malis circumuentus sim,
explicare non possum. 3. Num uidetur tibi cõ-
modum, hominem sine caussa uiolenter op- 3. Nũquid bonum tibi uidetur.
primere, opusq. manuum tuarum aspernari, & consilium impiorum, qui de bonorum intei-
ritu cogitãt, ad exitum perducere? 4. Num ocu- 4. Nũquid oculi carnes.
li tibi humani sunt? Num hominum more con-
tueris? 5. Num in iudicio tuo uersari fraudem, & 5. Nũquid sicut dies.
arcana mentis occultari, permittis? Numquid
ætas tua est humani æui spatio definita; anniq.
tui, eodem termino circumscripti, quo uiri cuius-
libet uita concluditur? 6. Quid ergo tam diligẽ- 6. Vt quæras iniquitatẽ meam.
ter in uitam meam inquiris; &, an sit aliqua in
me prauitas, inuestigas: quasi id tibi minime
compertum sit, aut inquirendi, & animaduer-
tendi, facultas elabatur? 7. Et hoc quamuis tibi 7. Et scies, quia.
perspectum, & cognitum sit, me nullum impium
facinus commisisse, neminemq. esse, qui me tan-
tis a te calamitatibus afflictum e manibus tuis
possit eripere. 8. Cur igitur tantum in me for- 8. Manus tuæ fecerunt me.
mando laborem suscepisti, meq. totum mani-
bus tuis ita effinxisti, ut nihil insit uel intus in
animo, uel extra in corpore meo, quod non sit
artificio, & benignitate mentis tuæ perfectum?
Numquid, ut me perderes, opusq. tuũ iam ab-
solutum repente dissipares? 9. Recordare, quæ- 9. Memento, quæso.
so, quam breuis sit huius uitæ meæ cursus. Vt
enim corpus meũ e luto finxisti, ita illud in pul-
uerem redigis. Et tamen mirum est, quantam in
me creando operam, & laborem, insumpseris.
10. An non semen, quo genitus sum, ordine na- 10. Nonne sicut lac.
turæ a te mirifice constituto, fuit instar lactis in-
casei similitudinem coagmentatum est, & con-
cretum. 11. Ex illo deinde carnibus, & cute me
uestire instituisti; ossibus, atque neruis, corpus 11. Pelle, & carnibus.

meum

Universidad de Deusto
Biblioteca

meum munitisti,ut artubus distinctis,atque stabilitis, posset uaria munera sustinere. 12. Vitã deinde mihi dedisti,& misericordia tua me complexus es; mentemq. meam singulari moderatione, & prouidentia,conseruasti. 13. Ratio uero,qua præsens ades,& hæc omnia designas,moliris,efficis, penes te ipsum latet, nec intelligentia humana percipitur. Ego tamen scio, & confiteor, hæc omnia numine tuo fieri. Quid ergo opus tuum tanta cura perfectum, tanta uigilatione conseruatum euertis? 14. Si quidquam in communi uita contra hominum societatem deliqui,num propterea me in custodiam sempiternam trades, nec ullis sacris peccatũ meum expiari concedes? 15. Si uero nõ homines, sed numen tuum, offendi, religionemq. sanctissimam scelere meo uiolaui,uæh misero mihi. Sin autem iustitia semper a me sancte culta fuit, atque sic quidem caput erigam,& multis præterea contumelijs onerabor. Respice iam, quæso, Domine, cladem hanc meam; &, quantis calamitatibus abiectus sim,benigne considera. Quod cum facere recusas, clementiamq. tuam differs, & me supplicijs exterres, mirum non est,si quodã animi motu conturbor. 16. Nam dolor grauior indies fit,ut tu uires tuas excites,ut in me tamquã leo insilias,meq. ueneris,atque morsu dilaceres, paullisper omissum iterum uiolenter arripias,mirisq. modis exagites. 17. Neque hoc supplicio contentus, nouos identidem testes instruis, qui mihi scelus obijciant. Iracundiæ tuæ gladium in corpore meo defigis, & recentia mala uetustis accumulas, & mecum, acie instructa, congrederis. 18. Cur me de uentre meæ matris eduxisti? Si enim tunc me uita defecisset, neque me quisquam uiuum in terris adspexisset, has omnes clades, quæ me undique premunt, uitauissem. 19. Si, cum primum editus sum, in sepulcrum illatus continuo fuissem, quasi numquam utero susceptus exstitissem, ita fuissem ex omni memoria penitus euulsus. 20. An reliqua uita mea, non est breuissimo spatio terminanda? Quid ergo uenit in mentem Domino, tantis me doloribus in tam angusto uitæ termino torquere? Instat enim,& urget,& nihil remittit,nec ullum alleuamentum mihi concedit, ut animum confirmare possim. 21. Priusquã abeam sine ulla spe reditus,in regionem tenebricosam, & mortiferis umbris inuolutam, in regionem, inquam, tam densa caligine obductam, ut caligo ipsa tætrior esse non possit. 22. Ibi mortiferæ, atque sempiternæ tenebræ sunt; ibi nullus ordo,nullus modus, nulla conuenientia uiget; sed omnia sunt inquinata,perturbata,atque confusa, & tam diris, & exsecrandis tenebris oppleta, ut, si quidquam illic malignæ lucis ineat, ea sit magis horrenda caligo,quam lux,existimanda. Hactenus quidem Iobus: qui quidem,ut uidetur,antequã peroraret,tuit amplificatione doloris multo uehementius,quam in principio,stimulatus; & iccirco tam miserabili epilogo uti coactus est. Cũ uero hæc illius sententia,non integræ mentis iudicium, sed corporis acerbissime cruciati sensum contineret, magis erat misericordia, quam uituperatione, digna. Nec enim est sanctis hominibus interdictum, ne in rebus asperis calamitatem suam deplorent, & aliquãdo, non quid eorum fides in decernendo sequatur, sed qualibus cogitationibus attentetur, uerbis exprimãt. Amici uero illius hanc orationem in peiorẽ partẽ acceperunt,illaq. multo grauius offensi sunt. Ita igitur in illum inuehuntur, quasi in hominẽ, qui scelera commissa indignis in Deum maledictis amplificare non dubitaret.

CAP. XI.

EQVIBVS unus, Sopharus nomine, Nahamathita natione, in hanc sententiam locutus est. 2. Numquid par est,ut eum,qui multis uerbis abundat,nemo refellat? An ius, & fas est,ut homo loquax uerborum multitudine scelus cõtegat,atque in iudicio causam obtineat? 3. Scilicet tu solus es,coram quo mortales omnes cõticescant,ita,ut,etiam si quid a te fuerit petulanter,atque temere dictum,nemini licitum sit,cum aliqua ignominia tua, sceleris plenam sententiã refutare. 4. Cum uero multa dicta sint a te satis impudenter, & impie, tum illud maxime admiratus sum,in quo testificatus es,te nullo umquã, quod scias, crimine uitæ tuæ disciplinam corrupisse, sed pure semper, & sancte in Dei oculis uixisse. Hæccine uerba,temeritatis,& audaciæ plenissima,ex ore tuo excidere potuerunt? Hoc ne quisquã homo sapiens sibi assumere auderet, ut nullum a se in uita commissum flagitium, corã Deo,quem nihil latere potest, maxima uoce testaretur? 5. Vtinam Deus ipse loqueretur, & oratione tecum modo certare uellet. 6. Aperiret enim tibi arcana sapientiæ, ut intelligeres, in illius iudicio errorem uersari non posse, cum lex illius & mentis luce, & constantiæ robore stabilita firmissime sit; & tunc plane cerneres, illum multo minus pœnarum a te, quam propter iniquitatem tuã meritus fueras, expetiuisse. Num Dei consilia peruestigare, atque penitus explorare poteris? 7. Num in illius summi Domini perfectionem mente, & consilio penetrabis? 8. Altitudinis immensitate cæli fastigia superat; quo modo tandem ad illum adspirabis? Profundior est infima Tartari regione; quo pacto mentem illius perscrutabere? 9. Mensura longitudinis illius longitudinem terræ uincit; latitudo illius maris latitudini multis partibus antecellit. 10. Si res omnes immutauerit,& prompta tenebris abdiderit, & abdita in apertum protulerit; quis illum ab instituto consilio deterrebit? 11. Cur,inquies, non omnia consilia sua patefacit, & causas, quare sit hominibus iratus, non semper exponit? Quia nouit mortalium uanitatem,& uidet hominum iniquitatem, & naturam humanam,ad disciplinam illius indocilem, minime,quid saluti expediat,intelligẽtem. 12. Vir enim mente uacuus, cum disciplinam repudiet, facile in fraudem impellitur; & homines ita natura constituti sunt, ut, tamquam onagrorum pulli,uagos motus,omniq. lege solutos, summo studio requirant. Quo igitur artiore uinculo cõstringuntur, eo pertinacius laborant, ut, perruptis uinculis, erumpant aliquando, licentiusq. omnia libidinum genera uagentur. Non est igitur eorum iusta querella, qui, sibi Dei iudicium esse penitus ignotum, miseris modis lamentantur. Ille enim,cum est commodum, id homines celat; cum rursus illi uidetur, ea, quæ ante latebant,enuntiat. 13.14. Quin igitur ista omittis, e quibus nullam utilitatem capies, & illud potius agis,quod te in salutem,& dignitatem restituet? Si enim toto corde ad Deum conuersus fueris, & suppliciter ad illum manus intenderis, si omnem iniquitatis labem a te longe repuleris, nec ulla impuritatis contagione tabernaculum tuum infici, & contaminari permiseris, 15. omni dedecoris, & ignominiæ macula liberaberis, firmaq. munitione uallaberis, nec ullũ supplicij exhorrebis. 16. Immemor eris ærumnæ, neque magis illius recordaberis, quã aquarum, postquam effluxerint. 17. Per omne uitæ tuæ tempus, quasi meridiana luce, collustraberis, &, si ad aliquod tempus quidquam tibi caliginis offusum fuerit,e tenebris repente emersus, lucem conspicies. 18. Confidens eris, eo quod fructum, quem exspectabas, secure percipies. Quod si agrum colueris,sine ullo timore foris in lecto tuo cubabis; sine ulla cura dormies. 19. Nec erit, qui tibi timorem injiciat; multiq. ad te supplices cũ postulatis adibunt. 20. Oculi impiorum inuidia contabescent,nec impendentem uim cladis effugient, fallacissimaq. spe delusi capientur.

CAP. XII.

1.2. ADhæc respondens Iobus,inquit: Profecto,quantum ex oratione uestra colligo, in uobis solis humani generis uniuersi consilium, & ratio summa consistit: & uobiscũ omnis sapientia morietur. Sic enim exsurgitis, & sic uobis placetis, quasi soli rerum istarum scientiam animis comprehensam teneatis. 3. Sed, mihi credite,non minus ingenio ualeo,quam quilibet uestrum;neminiq. ex uobis istarum rerum discipli nam concedo. Quamquam ista,quæ dicitis,non ita recondita, & abstrusa sunt, ut existimatis,sed potius omniũ ferme sermone peruulgata. Quotus enim quisque est, cui hæc in promptu non sint? 4. Attamen, cumita uos in sapientiæ opinione iactatis, nec humanitatis, neque religionis ullam curam suscipitis. quæ tanta enim uestra immunitas est,ut hominẽ uobiscum fœdere sociatũ ludibrio habeatis, & in grauissimo casu illius insultetis? neque respicitis, futurum, ut ille preces ad Deum fundat, & opem, & auxiliũ ab eo, qui numquam iniuria læsos in calamitate neglexit,tandem aliquando consequatur. Sicne iuuat, hominem iustum, & integrum in summa calamitate deludere? 5. Lampadem tanta luce splendentem, ut lumen ab eo etiam illi,qui florentes, atque beati putabantur, acciperent, cõtemnere, & offensam ex illius calamitate sumere,ita, ut, qui illum afflictum adspexerint,labantur,& corruant: id enim uos efficere contenditis,ut,qui in me inciderint,offensi inopia,& calamitate mea,nutẽt, & corruant. 6. At id, quod ante dixi,minime inficiari potestis,euenire sæpe numero,ut perditissimi latrones opibus floreãt; &,qui Deum in se fœdissimis factis irritant, alacres,& erecti passim uolitent; &, qui, uero Deo neglecto,Deum ad suam libidinem fingunt, quẽ manibus gestent, atque nefaria superstitione uenerentur,uitæ commodis abundent. Quare non semper uerum est, quod asseritis, nempe bonorũ istorum affluentiam, esse pietatis, atque iustitiæ comitem. Vos autem,cum hanc sententiam infirmare nequeatis, idem tamen altero quoque uerbo repetitis, & illa interim dicitis, quæ nemo est, qui nesciat. 7. Sciscitare, quæso, quadrupedes,& illi te de his rebus admonebunt: Volucres interroga, & eadem ista tibi nuntiabunt. 8. Institue sermonem cum terra, & erudiet te: pisces maris consule, qui tibi etiam mira de potentia, atque benignitate Diuina loquentur. 9. Quis igitur ignorat, omnes uniuersæ naturæ partes hanc unam uocem mittere, & hoc unum clare, & aperte testificari, omnia, quæ super subterque sunt, tuisse Dei manu perfecta. 10. Illiusq. numine, & potestate, cunctorum animantium uitas, & hominum mentes contineri? Hoc igitur, quod est omnium animis insculptum, est ne satis ad sapientiam comparandam? Minime gentium. 11. Sunt enim multa auribus accipienda; quibus instructi, facilius de bonis,atque malis,de rebus expetendis, atque fugiendis, iudicium faciamus, ut enim gustus hominis sani, amara, & acerba a dulcibus internoscit; sic auris,assuefacta bonis disciplinis,a salutaribus noxia secernit. Sed quæro: Quibus tandem magistris utendum est, ut nobis sapietiam paremus? Num adolescentibus, qui nondum usu rerum instrui potuere, suntq. magis libidini, & cupiditati, quam sapientum iussis, obsequentes? Nequaquam. Quibus ergo? Senibus certe,qui,& sapientiæ disciplinis, & innumerabilibus exemplis, eruditi, in instituenda uita, non libidinem, sed rationem, sequuntur. 12. Itaque in senibus sapientiæ studium uiget, neque adolescentiæ temeritas, sed ætatis longæ grauitas te poterit ad rerum intelligentiam erudire? Quamquam,qui ad ueram sapientiam peruenire uelit, non est, cur tam senes, quam Deum ipsum sibi magistrũ adhibeat. 13. Is enim solus est, qui sapientiæ thesaurum possidet; qui scientiam cum uirtutis robore coniungit; qui consilio omnes ad illum adeuntes instruit; qui rerum altissimarum cognitionem tradit. 14. Quod ille demolitur, nemo rursus ædificat; quem carcere includit,nemo ex uinculis emittit. 15. Cum aquas arcere uult, confestim exsiccantur; si eas rursus emiserit,impetu terras inuertent. 16. Illius est robur inuictum,illius constantia sempiterna. In illius manu est, tam is, qui in fraudem inducitur,quam ille, qui fraudem machinatur. 17. Is homines, consilio ad mala multo ante præcauenda nixos, hostium prædæ relinquit, & rerum publicarum moderatores afficit,& uexat amentia. 18. Regũ leges,& instituta dissoluit, eorumq. robur uinculis adstringit: imperia namque iniusta peruertit, & tyrannos fortunis omnibus exturbat.

19. Tra-

12. Vitam, & misericordiam.
13. Licet hæc celes.
14. Si peccati.
15. Et si impius fuero.
16. Propter superbiam.
17. In staturas testes.
18. Quare de uulua.
19. Fuissem quasi nõ essem.
20. Nũquid non pauca sunt.
21. Antequam uadã.
22. Terram miseriæ.
2. Nũquid qui multa loquitur.
3. Tibi soli tacebũt homines.
4 Dixisti enim.
5. Atque ũtinã Deus.
6. Vt ostenderet tibi secreta.
7. Forsitan vestigia Dei.
8 Excelsior cælo est.
9. Longior terra.
10. Si subuerterit omnia.
11. Ipse enim nouit.
12. Vir uanus in superbiam.
13. 14. Tu autẽ forma sti cor tuũ.
15. Tunc leuare poteris.
16. Miseriæ quoq. obliuiscaris.
17. Et quasi meridianus
18. Et habebis fiduciã.
19 Requiescens,& non erit.
20. Oculi autẽ impio rũ deficiẽt
1.2. Ergo uos estis soli homines.
3. Et mihi est cor.
4. Quid uiderur ab amico tuo.
5. Lampas contempta.
6. Abundãt labernacula.
7. Nimirũ interroga.
8. Loquere terræ.
9. Quis ignorat.
10. In cuius manu.
11. Nonne auris.
12. In antiquis est sapientia.
13. Apud ip sum est sapientia.
14. Si destruxerit.
15. Si continuerit aquas.
16. Apud ip sum est fortitudo.
17. Adducit consiliarios
18. Baltheũ regum dissoluit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

19. Ducit sacerdotes.
20. Cõmutans labiũ.
21. Effundit despectionem.

19. Tradit sacerdotes hostibus in predam,& potentium uires , atque robur infringit. 20. Spoliat opibus eloquentiæ eos , qui reip. consilio fideli prospiciunt; & senes mentis sensu, atque iudicio, priuat. 21. Maculam dedecoris, & ignominiæ principibus inurit; robustorumq. hominum uirtutem effeminat, animumq. debilitat.

22. Qui reuelat profunda.
23. Qui multiplicat gẽtes.
24. Qui immutat cor principum.

22. Quæ erant in profundo demersa , in lucem profert, & tenebris densissimis abstrusa in homi num conspectu proponit. 23. Gentes multiplicat, multiplicatas euertit; nationum imperium dilatat ; easq. rursus in locum angustum compellit. 24. Rectoribus mentem,& rationem eripit; multisq. erroribus inflatos in uastam solitudinem exitum nullum habentem expellit.

25. Palpabunt quasi in tenebris.

25. Immersi tenebris, qua sit illis eundum,manibus explorabunt; &, quasi ebrij multo uino,languidi titubabunt ; nec errores , quibus imbuti sunt,ulla ratione depellent. Itaque ingenij insolens ostentatio,humanicq, principatus elatio,superbiæ intolerandum fastidium , assimulatæ religionis impuritas,omnisq. uis,& fraus,& iniuria numine illius exstinguitur. Cernitis iam animo,quantis in tenebris hominum uita uersetur? Quam pauci sint ueræ sapientiæ compotes? Qua ratione fiat, ut , quo magis quisque ingenio suo confidit, eo maiorem stuporis, & amentiæ,significationem det? Quo modo illi soli sapiant , qui se Deo in disciplinam tradiderunt?

CAP. XIII.
1. Ecce omnia hæc.
2. Secundũ scientiã vestram.
3. Sed tamẽ ad omnipotentem loquar.

1. HAEC quidẽ omnia,ne me adeo imperitum arbitremini , & oculis adspexi, & auribus usurpaui, & mente complexus sum. 2. Eadem ista,quæ nostis, probe noui ; neque me ingenio, & prudentia , uestrum quolibet inferiorem esse reperietis. 3. Dolore tamen intercluſus,Dominum,in quem unum respicio,dolenter alloquar, & apud Deum , a quo salus omnis exspectanda est,disceptare cupio. Id uos in magno scelere ponitis : quasi non liceat,homini afflicto lacrymis, atque lamentis , Dei fidem implorare. 4. Et tamen , cum eadem opera crimen impietatis in Deum,& inhumanitatis in me suscipiatis,sceleri uestro nomen religionis, & humanitatis, obtenditis. Ita enim disputatis, ut appareat , uos nihil aliud,quam Dei gloriam,spectare, & saluti meæ consulere. Sed certe uos in Dei causa mendacia continuatis ; uulneribusq. meis inutilem prorsus medicinam adhibetis . 5. Vtinam , quando nihil dicitis,quod in ueræ sapientiæ laude ponẽdum sit, omnino taceretis : quod quidem fuisset sapientiæ tribuendum . Nec enim insipiens ille habendus est,qui,cum nondum sapienter eloqui possit, tacendo , modestiæ laudem non aspernatur . Nec enim is,qui temere effutit quidquid illi in mentem uenit , sed qui aures illi præbet , qui multum ætate,& disciplina,& sapientia antecedit, sapientiæ nomine laudandus est. 6. Vos igitur hortor, & admoneo, ut, quæ dicturus sum,in bonam partem accipiatis,&,dum uobiscum expostulo, ad orationem meam attenti sitis . Non mediocrem enim opinor fructum ex ea animorũ moderatione capietis. 7. Numquid Deum ex hominum natura fingetis, ut arbitremini , illum

4 Prius uos ostendens.
5. Atque utinam taceretis.
6. Audite ergo correptiones meas.
7. Nũquid Deus indiget.

iniquitate in gratiam illius conflata deleniri, & dolis,atque fraudibus eius amore,& studio compositis oblectari? An illi blandiri, & adulari, in animumq. illius assentationibus insinuari conenditis? An uos, tamquam iuris Diuini cognitores , & aduocatos , in Dei causa interponetis, &,ne ille uictus in iudicio sit , omni contentione pugnabitis ? Scilicet,ea uos cura sollicitat,quod existimetis, illum,nisi uos patronos adhibuerit, litem omnino perditurum; & iccirco,quasi illius causa iure defendi non possit , mendacij perfugia comparatis . An hoc mediocre scelus existimatis, eam opinionem de Deo recipere, quæ de perditis, atque profligatis hominibus haberi solet? 8. 9. Numquid erit uobis utilis ista fraus, qua in gratiam illius irrepere conamini , cum is in uos ob eam ipsam causam acrius animaduerterit,quod illum finxeritis,non minus, quam homines insanos, adulationibus, & fallacijs obnoxium? Quid? Si uos in iudicio causam occulte, atque fraudulenter, non iure, sed gratia, ponderandam , & homini , uel potenti , uel necessario, adiudicandam statueritis,num Dominus id tantum scelus inultum relinquet? Non profecto. Nec enim summus ille iustitiæ parens uult, ut in iudicio gratiæ magnitudo quidquam ualeat, sed ut iuris ratio dominetur ; nec ut hominis dignitas, & persona respiciatur , sed ut æquitatis ueritas elimetur; nec ut sit uanitati,& mendacio locus , sed ut omnia ad sempiternæ legis constantiam dirigantur. 10. Quod si secus a uobis factum fuerit,id ille acerrime uindicabit. Quid igitur? Sceleris illius , cuius ille acerrimus uindex est,se fieri participem sustinebit? Nomenq. suum tanti facinoris infamia notari , & indignissime maculari,patietur ? Hoc tantũ dedecus illi summo Domino ausi fuistis affingere? 11. Nec interim præcellentissimum illius numen expauebitis ? Non,illius metu perterriti, trepidabitis ?

8. 9. Numquid faciem eius accipitis.
10. Ipse uos arguet.
11. Statim ut se commouent.

12. Non uenit uobis in mentem , uos esse cineri simillimos , & corpora uestra cum imaginibus, ex luto,& argilla fictis,comparanda? Profecto,si & naturæ uestræ imbecillitatem , & domini potentiam , & amplitudinem respexeritis , acutius intelligetis, quantum facinus a uobis cõmissum sit, cum eam orationem habueritis , quæ in maximam illius cõtumeliam redundet. 13. Velim, tantisper fileatis, dum eloquar, quæ restant,neque mihi impedimento sitis. Si mea causa laboratis , ne uidelicet ex ore meo uerbum excidat, quo uehemẽtius iram Domini in me concitem, libero uos ista cura.mihi ipsi nocebit,si quid nocebit ; neque oratio mea uobis ullum malũ, sed mihi ipsi tantum , si res ita tulerit , importabit. Id uos offendit,quod dolore crucier, quod nimis dolenter ingemiscam,quod ualde lugubri querimonia casum meum lamenter; & interim neque uim malorum,quæ me premit, respicitis, neque magnitudinem calamitatis , quæ me peruertit, consideratis; sed,quasi ipse mei doloris auctor,& architectus sim , ita in me orationibus uestris inuehimini . Adeo ne me uæsana mente præditũ arbitramini,ut in me ipsum sponte mea pestem

12. Memoria uestra.
13. Tacete paullisper.

machiner?

14. Quare lacero carnes meas.

14. Cur ego carnes meas dentibus meis lacerarem? Cur uitam meam horis singulis in summum discrimen inijcerem? Non sum, non sum ita furiosus,& amens,ut mihi ipsi perniciem moliar . Quid ergo , inquiet aliquis ex uobis,ita mœrore conficeris , & de Domini iudicio lamentaris?

15. Etiamsi occideris me.

15. Etiam ne hoc unicum solatium in angoribus,subsidium in periculis , remedium in calamitatibus ,eripere , & extorquere contenditis, ut ad Deum non inclamem? Ecce mihi necem comminatur. cur nõ eum deprecabor? Cur non apud illum de uitæ meæ rationibus, præter opinionem in summas angustias adductis,conquerar? Quod si spes meas omnino præcisas arbitramini , aut me salutem omnino desperasse suspicamini, longe uos fallit opinio . Confido namque futurum, ut Dñs mihi salutem afferat. Non enim illum simulata ad tempus religione colui;non animo ficto , atque fallaci , ad illum adij ; non sum uirtutem,atque religionem,ementitus; 16. ut ea causa uerear,ne is preces meas repudiet,quemadmodum facere solet, cum aliquis in ficta pietatis specie ad illum fraudulenter accedit; sed uere , & ex animo totam uitam meam ad studium purissimæ religionis applicui . 17. Audite igitur orationis meæ sententiam,&,quę dico,attentissima consideratione percipite. 18. Hoc autẽ confidenter in oratione mea ponã, fore nempe , si fuerit iudiciũ constitutum , ut omni crimine Dei ipsius iudicio,atque sententia,liberer. Quis enim est,qui mihi litem intendat? Qui sceleris arguat ? Qui mihi uere crimen obiiciat? Prodeat in medium,ut sceIus menm redarguat ; & ego , si fuero conuictus, obmutescam,animoq. deficiam, Quid ergo? dicet aliquis. Tu Dei iudicium subire audebis? Tantum ne tibi arrogabis, ut etiam in illo summo solendore, in quo omnia diluceſcunt , coram illa summa puritate,cuius comparatione,illa etiam, quæ cælesti specie,atque claritate,nitent , sordibus illita uidentur, te omni prorsus crimine absolutum iri confidas? 19. Ego uero: dum modo ne summo iure mecum agat,& ea æquitatis moderatione,qua de humanæ uitæ ratione iudicat, de me iudicium instituat. 20. Duo igitur a te, Domine , petam,ut possim in iudicio tuo consistere. 21. Vnum,ut manum tuam longe remoueas,ne me plagis contundas,atque debilites: alterum,ne me magnitudine tuæ immensæ Maiestatis exterreas . Si enim uitam meam ad exactissimi iuris examen reuocaueris,meq. ob eam causam plagis afflixeris , uel si oculis meis amplitudinem tuæ Maiestatis obtuleris, certe uel dolore oppressus , uel formidine conturbatus hiscere non audebo. 22. Si uero mitius mecum egeris, & hæc duo impedimenta submoueris, iudicium minime detrectabo . Itaque, duobus his terroribus sublatis , ut libuerit , mecum agito. Vel tu mihi litem intende , & ego respondebo: uel ego primus causam agam,& tu,si placuerit,orationem meam refelles. 23. Vt igitur hinc exordiar,libenter a te quæsierim, cur me tantis plagis afficias? Num tam multa scelera, atque tam immania suscepit , ut tam diræ pœnæ mihi luendæ sint? Quid feci ? Quid commerui ? Quod

16. Et ipse erit saluator meus.
17. Audite sermonem meum.
18. Si fuero iudicatus.
19. Quis est, qui iudicetur mecũ?
20. Duo tãtum ne facias mihi.
21. Manũ tuam lõge fac a me.
22. Voca me.
23. Quãtas habeo iniquitates.

nam tantum flagitium , atque dedecus , admisi, ob quod me tanta crudelitate lacerari, atque distrahi patiaris? Si merito afflictus sum , id saltem oro , imploro , & obtestor , ut mihi impietatem meam, atque flagitia demonstres. 24. Cur a me faciem tuam auertis ? Cur in tantis malis animũ meum spiritus tui iucunditate priuas? Cur me miserum solatio gratię tnæ destituis? Cur me a familiaritate pristina , atque suauissima consuetudine,ut hostem,repellis? 25. An est Maiestatis tuę, solium uentis impulsum summis uiribus insectari? An est istius dignitatis amplissimæ,aridam stipulam bello persequi ? Numquid est officium benignitatis,& clementiæ tuæ, tam diu peccatorum,quæ fuerunt olim a me commissa,recordari? 26. Ea namque litteris ad diuturnam memoriam consignasti, ut illorum tandem pœnas a me repeteres;&,propter adolescentiæ delicta,quę iam obliuione contrita suspicabar, me bonis omnibus euerteres. 27. Neruo pedes meos deuinxisti,ne me commouere possem Cunctas uias meas obseruasti,& omnem locum, ubicumque impressi uestigia, diligenter annotasti ; ita , ut nihil sit a me gestum,uel cogitatum,uel omissum,uel negligentia,& obliuione præteritũ,quod animduersionem tuam effugiat . Siccine agere mecum placet? Decet ne istam præcellentissimæ mentis altitudinem in tam imbecillam , fragilemq. naturã tam diligenter inquirere? Quis enim ego sum,aut quis meus status est,ut tanta cura,& studio,mentem in omnes meas res , atque tam uigilanter, intendas? 28. Is enim,quem persequeris,quasi putredine corruptus, intabescit;&,instar uestis a tinea exesæ,consumitur .

24. Cur faciem tuam abscondis.
25. Contra filium .
26. Scribis enim contra me.
27. Posuisti in neruo pedem meum.
28. Qui quasi putredo.

CAP. XIV
1. Homo, natus de muliere .

1. QVAMQVAM, quid attinet de mea præcipue condicione disputare, cum nihil sit uniuersa natura generis humani fragilius? Homo namque, cum primum e muliere nascitur, in uitam continuo exiguam,& ærumnosam , ingreditur. Cum enim illius ætas sit breuissimo spatio circumscripta,nullam tamen horam habet , in tanta uitæ breuitate,metu , atque sollicitudine liberam,sed infinitis prope curis,atque perturbationibus,agitatur. 2. Vt flos quidem exoritur;sed repente succiditur ; uelut umbra festinanter abscedit;& numquam eodem loco manet. 3. Et tamen hominem , tam imbecilla natura præditum , dignum reputas , in quem oculos tuos coniicias? Cuius uitam,& mores examines? Quem denique in iudicium uoces? 4. Quid est autem , de quo tecum in iudicio disceptare debeamus? Nempe, de uitæ puritate,de morum integritate, de corporis, & animi castimonia. Hoc enim nobis munus alsignas,hoc requiris,hoc efflagitas,ut purissime,atque sanctissime uitam instituamus, nullasq. flagitiorum sordes animis nostris allini patiamur . Num fieri igitur ulla humana industria potest, ut nos ab omnium sordium macula puros conseruemus? Non certe. Nam peccatis infecti nascimur;libidinum ardoribus inflammamur ; erroribus infinitis imbuimur;insita quadam prauitate ad omnia uitia propensi natura sumus . Quis ergo est , qui e tanto flagitiorum seminario per se

2. Qui quasi flos egreditur .
3. Et dignũ ducis.
4. Quis poterit facere.

posit

Universidad de Deusto
Biblioteca

posſit opus ſanctum,& caſtum, nullaq. omnino labe impuritatis adſperſum,efficere? Nemo prorſus.Itaque efficitur, ſi uelis hominum officia ad normam tuæ legis exacte dirigere, ut nemo poſſit pœnam ſempiternam declinare. Cum uero id non facis, ſed beneignitati tuæ conſulis, haud uideo,cur nó in iudicio tuo recte conſiſtam. 5. Sed, ut ad inſtitutam querellam reuertar; ſi dies hominis tam exiguo numero circúſcribuntur;ſi menſes illius,ordine,quem ſtatuiſti,anguſto admodũ ſpatio concluduntur; ſi humanæ uitæ terminus, quem nullus tranſiliet, eſt a te certo modo,& ratione præfinitus; cur hominibus hoc ſaltem mihi me præſtitiſti, ut hanc breuiſsimam uitam ſine cruciatu,& angore, traducerent? 6. Leua igitur illos curis;libera morbis;permitte, ut minore cũ moleſtia uitam exigant. Iam appropinquabit tempus,quo uitam cum morte libentiſsime commutent,&, tamquam mercenarij, dici finem exſpectent, qui eſt finem omnibus uitæ moleſtiis allaturus. 7. Cum exciduntur arbores, illarum tamen ſpes non exciditur. Ab exciſo enim trunco furculi pullulabunt,ex illoq. frondes rurſus exſiſtẽt.8.9.Radix uetuſtate conſumpta,quæ uidebatur ſtirpi ſuæ in ſicco puluere interitum attuliſſe, humorem rurſus eliciet, & ex ſe ſtolones, atque frondes effundet, quemadmodum uirides plantæ faciunt.10.At homo,cum, languore confectus,interierit, & extremum ſpiritum ediderit, & omnino defecerit,quo in loco deinde conſiſtit? Aut,qua ratione rurſus in uitam, ut fructum aliquem edat,remigrabit? 11. Aquæ ex mari occultis meatibus oriuntur; cum uero ab illo ſeclusæ ſunt,ita defluunt,ut nuſquam appareant:flumina quædam aquis aliqua uoragine abſorptis ita exſicantur, & areſcunt, ut numquam rurſus emineant:ſimiliter humana uita labitur,& fluit;& homo,ubi primum uita functus occumbit,ita iacet, ut numquam rurſus in eundem ſtatum exſurgat. 12. Nec enim umquam de ſomno ſuſcitabitur, quamdiu cælum,uniuerſaq. natura, minime ſtatum hunc,quem nunc tenet,immutauerit. 13. An guſtis igitur ſpatijs, ne officio fungi poſsint, excluduntur. Vtinam illis annumerer,qui cum optima ſpe a uita exceſſerunt, atque ſepulti ſunt. In illos enim ſeuitiam tantiſper adhibuiſti,dum peccatis eorum expiandis pœnas modo, & tempore definitas imponeres,ut illos,ſupplicis communibus expiatos,nouis uitæ immortalis ornamentis afficeres. O ſi me ſimiliter in inferorum regione præſidio tuo contegeres, & occultares, dum ira tua deferueſceret, certumq. mihi tempus ſtatueres, in quo me rurſus clementer erigeres. 14. Quid eſt interim de corporis ſepulti condicione ſtatuendum? Num mortuus homo in uitam reuocabitur? Non quidem in huius uitæ condicionem, innumerabilibus malis exercitam, & afflictam, ſed in aliam multo uehementius expetendam. Hæc igitur ſpes me in omni rerum aſperitate ſuſtentat;& omnibus diebus, quibus huius militiæ laborem tolero, hac cogitatione confirmor, quod confido futurum, ut ueniat tãdem tempus illud, quo uitæ meæ ſtatus feliciter immutandus eſt. 15. Vocabis tunc me,& ego,confeſtim,ui tuæ uocis excitatus,accurram; & operi manuum tuarum dexteram porriges; & fidem cumulate præſtabis. 16. Si quidem nunc etiam greſſus meos dinumeras,erratiſq. meis ueniam impertis. 17. Flagitia nãque mea, quaſi;ſaculo incluſa,& obſigna ta,contines,ne in meam perniciem etumpant; & inuolucra iniquitati meæ clementer obtendis, ne me ignominia ſempiterna commaculet. Quod quidem minime illis eueniet, qui te minime intuentur,& omni cura in res terrenas incũbunt. Nihil eſt in terris tãta ſoliditate firmatum,quod nó tandem concidat, atque diſsipetur. 18. Nam & montes de loco conuelluntur;19.& lapides aquarum ictu percuſſæ paullatim exeduntur; & tellurem,o Domine,crebris alluuionibus abſumis: ſimiliter,ſpem hominis, qui res ſuas optime fundatas,& conſtitutas, habere uidebatur, adimis; & oſtendis,quam amentes omnes ſint,qui præſidia uitæ in opibus humanis conſtituunt.20.Hominẽ namque, terrenis opibus innixum, in miſeriam ſempiternam detrudis; & ſic tandem euerſus excedit,ſtatumq. illius immutas,ita,ut pro opibus, quibus affluebat, cum ſumma inopia, & acerbitate,conflictetur.Illum expellis,& eiicis, nec ullo in loco conſiſtere ſinis. 21. Siue illius filij in hac uita diuitiis abundauerint, id minime ſciet; ſiue inopia rerum omnium uexati fuerint,id haudquaquam intelliget;22.nec ad illius ſupplicium, uel imminuendum,uel magnis acceſsionibus amplificandum,quidquam eorum, quæ in terris geruntur, ualde pertinebit; ille tamen interim, & perempto corpore, & animo doloribus ſempiternis afflicto,furoris, atque dementiæ pœnas dabit.

5. Breues dies hominis ſunt.

6. Recede paullulum ab eo.

7. Lignum habet ſpẽ.

8.9. Si ſenuerit in terra radix eius.

10. Homo uero, cum mortuus fuerit.

11. Quo modo, ſi recedant aquæ.

12. Sic homo, cũ dormierit.

13. Quis mihi hoc tribuat.

14. Putne mortuus homo.

15. Vocabis me.

16. Tu quidem greſſus meos dinumeraſti.

17. Signaſti quaſi in ſaculo.

18. Mons cadens defluit.

19. Lapides excauant aquæ.

20. Roboraſti eum paullulum.

21. Siue nobiles fuerint filij eius.

22. Attamen carẽ eius.

HIERONYMI OSORII LVSITANI PARAPHRASIS IN IOB.

LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.

VIRTVTIS quidẽ ſplendor, & magnificentia tanta eſt, ut illius etiam imago (uera nãque,& ſolida illius ſpecies in tenebris illis clare uideri nó poterat) ſcriptis Græcorum,& Latinorum hoĩum luculenter olim illuſtrata, & celebrata fuerit. Naturæ nãque diſciplinis admoniti multi uiri,ſummo ingenio prædíti,intellexerunt, nihil in terris illa poſſe cogitari Diuinius. Nec.n.ſolũ eſt pulchritudinis ſpecie præcellens,& amabilis,atque iucũda,uerũ & opibus Diuinis inſtructa, & cõtra oẽs hoſtium copias egregie fortis,in oĩq.bellorũ tẽpeſtate ſemper inuicta.Eam.n.neque tẽporis labefactat iniuria,neque perdit, & affligit ſtatus florẽtis euerſio, nec orbitas, neque nuditas,neque exſiliũ, neque ulla deniq. calamitas immanis,& dira peruertit. Ipſa furiarũ cohors, hydris ſuccincta, & armata,nõ poteſt ullo modo uirtutis ipſius uim de ſtatu aliqua ex parte conuellere.Nullũ deniq. malũ eſt,ſiue in terris, ſiue ſub terrã,ſiue hoĩum induſtria cõparatum,ſiue Satanę fraudibus,& uiolentia cõſtitutum,qđ uirtutem molliat,illiusq. neruos elidat.Nec.n.poteſt ullis terreſtribus, aut Stygiis opibus infringi, qđ eſt cæleſtibus,atque Diuinis ſtabilitum. Hæc quidẽ hoĩes olim doctiſſimi,& eloquẽtiſſimi,diſputabãt;ſed exẽplũ clarũ, & illuſtre, qđ oẽs ueriſſimę uirtutis numeros,& abſolutã ſpeciẽ,cõtineret, minime ꝓponebant. Quo circa unũ hunc Iobi librũ,qui ueriſſimã,& abſolutiſſimã uirtutis rõnem ualde luculẽter exprimit,oĩbus Græcorũ monumẽtis,quibus uirtutis decus exaggeratum cernimus, lõge præferẽdũ arbitror.Nõ.n. tã argumẽtis pugnat,quã clariſſimũ ſpecimẽ decoris,& honeſtatis, uirtutisq. robur immẽſum,in oculis, & adſpectu cõſtituit. Ipſe nãq. uir ad sẽpiternã gloriã natus nõ modo Diuinis inſtitutis,& moribꝰ, ſed etiã admirabili,& inuicta cõſtantia,in ſe,q̃tas uires uirtus habetet, oſtendit. Magnis.n. opibus ſpoliatus, liberis oĩbus orbatus, a florẽtiſſima fortuna ad extremã inopiam redactus, ulceribus grauiſsimis deformatus, doloribus ſummis intercluſus, & his omnibus ærũnis,opera dæmonis infeſtiſſimi,uno momento tẽporis oppreſſus,ſicſtatũ ſuum cõſeruauit, ut de omnibus hoſtis perditiſſimi conatibus ſumma cum gloria triũpharet. Immo, inquiet fortaſſe aliqs, calamitati ſuccubuit. Lacrymæ namque, & lugubris quædã lamentatio, & crebra ſuſpiria,continent effeminatę uirtutis argumentũ. At, quam aſſiduus mæror Iobi fuerit, adſpicimus;&,in quantis, & quam diuturnis ſordibus uerſatus ſit,clare cernimus.O peruerſam hominũ imperitorũ ſententiã.Nũ uirtutis officiũ eſt,humanæ naręmollitiẽ, in ſaxi naturam conuertere? Nũ ſenſus extorquere,& efficere, ne uulnus inflictum dolorẽ efficiat?Nũ hoc præſtare, ne dolor inuſtus, quod conſequens neceſſario eſt,lacrymas,& gemitꝰ eliciat? Nõ certe.Nec enim quiſquã, qui ſana mẽte præditus eſſet,hoc uirtuti munus impoſuit,ut doloré minime sẽtiret, ſed ut dolori repugnaret, nõ nihil dolẽdo, ſed nullũ in ſe flagitiũ, ꝓpter uim doloris,admittẽdo.Nõ ſumus. n. e ſilice exculpti; & ideo fieri nõ poteſt, ne nos grauiſſimi uulneris dolor excruciet.Qđ ſi fieri poſſet, uirtutis ipſius decus interiret.Quod.n.uirtutis ipſius robur eſſet,ſi doloris ſenſus non aĩum uehemẽter excruciaret? Tũc igitur demũ uirtus uim ſuã indicat,cũ grauiſſimus dolor antegreditur,quẽ roboris cõſtãtia uincat,& ſuperet.Gemitus interim,atq.ſuſpiria nõ ſtratã uirtutẽ oſtendunt, ſed,quantis uiribus ſit oppugnata,teſtificãtur.Quo circa fieri poteſt, ut, quo mæror grauior eſt, magis uirtutis ipſius uis, & dignitas, eluceſcat.Maioribus.n. malis oppugnatã eſſe declarabit. Si.n. dolor iuſti fidẽ infirmaret, ſi ſpem debilitaret,ſi aĩum a ſtudio pietatis auocaret, ſi mentẽ erroribus perniciosis ĩbueret,tũ merito dici poſſet,uirtutẽ,doloris magnitudine ſuperatã,cõcidiſſe.At,cũ in ſummis doloribus pietas,& religio,& ſanctitas,& uniuerſæ deniq.uir

Universidad de Deusto
Biblioteca

tutis amplitudo ſuo ſtatu maneat, poterit ne dici, (q̃uis fletus aſſiduus, q̃tus dolor in uſtus aĩo ſit, aperte demõſtret,) ſtatũ hoĩs iuſti fuiſſe doloris magnitudine cõuulsũ? Nõ prorſus. Immo tm̃ fuiſſe in illo roboris, atque firmamenti, ut nec intolerabili calamitate frangi potuerit. Sed illud ualde admirandũ multis uideri poteſt, quod, cũ Iobus multa, & maxima incõmoda pertuliſſet, & calamitates diriſſimas hauſiſſet, nihil indignius paſſus ſit, quã maledicta, quibus illius amici eũ configebant. In eo .n. perſeuerabant, ut ex plagis, quibus afflictũ adſpiciebant, cõuincerẽt, illũ fuiſſe maleficũ, & iniuſtũ, & in ficta ſpecie pietatis infinita flagitia, & ſcelera ſuſcepiſſe. Opibus partim incẽſis, partim ferro trucidatis, partim direptis, cõticuit: liberis horribili caſu perẽptis, nullã uocem lugubrẽ emiſit: plagas intolerandas accepit; & ulceribus miſerandũ in modũ diſciſſus toto corpore fuit; & tm̃ oĩa mirabili patiẽtia tolerauit. ſolam dedecoris maculam, & indignã inſita uirtute contumeliam, dolenter admodũ tulit. Suſtinuit ille quidẽ eadem uirtute, qua reliqua oĩa, amicorum conuicia; ita tm̃ ſuſtinuit, ut & dolorẽ, quem ex probris accipiebat, indicaret; & acri contẽtione a noie ſuo dedecoris ignominiã, & acerbiſſimæ orõnis impetũ, reprimeret. Vnde colligitur, aĩs excelſis nihil eſſe in rebus humanis uel dedecoris infamia turbulentius, uel dignitatis ſpecie, & fama iucundius. Et iure quidẽ. Primum. n. decus ipſum ex fõte ueriſimę uirtutis exoritur: deinde, multos mortales ad ſtudiũ honeſtatis impellit: deinde, hoĩum ſibi amorẽ, & beneuolentiam cõciliat: poſtremo, facit, ut Dei nomen, & gloria clarius illuſtretur. Quid igitur poterit eſſe gloria uera magnificentius, cũ honeſtatis partus excellens ſit, & honeſtatẽ pariat, & hoĩum caritatem alliciat, & ad numinis Diuini gloriã referatur? Quare mirandũ nõ eſt, ſi uir ſanctiſſimus pro decore, atque dignitate, pro iuſtitiæ ſuæ defenſione, pro inſitæ uirtutis ornamentis, tã claram contentionem ſuſcipiat. Illud tũ eſt aĩaduertendũ, quo tandem ſolatio hunc dolorẽ acerbiſſimũ, qui ex indigniſſimo ꝓbro, ſibi ab amicis obiecto, emerſerat, cõſoletur, Quod ſolatiũ, inquis, illud eſt? Teſtimonium certe Diuinũ, in quo ueriſſima gloria conſiſtit. Hoĩes .n. aut amore, aut odio, aut cupiditate, aut ambitione, cæcati, aut aliis peſtibus agitati, & a uero penitus auerſi, in iudicãdo falluntur. Sunt multi ita uulgi opinionibus addicti, ut nihil approbent, niſi qđ ab imperita multitudine laudari uiderint; nihil uituperẽt, niſi qđ multitudinis furor, & amentia uituperandũ iudicauerit. Prẽterea, cum nemo poſſit intimos aĩorum receſſus inſpicere; & infinitis inuolucris uniuſcuiuſq, natura tegatur; euenit, ut multi, qđ erat uirtute parandũ uirtutis ſimulatione cõſequantur; & nõ pauci, uera uirtute nixi, indigna cõtumelia lacerẽtur. Poſtremo, ut nullus error in uita uerſaretur, tm̃ nihil eſt in rebus humanis, qđ aĩos, ad immortalitatẽ natos, firma, & ſtabili, uoluptate poſſit afficere. Mors. n. & tpis uetuſtas, & frequentes, & uariæ, rerũ publicarum cõuerſiones, ſummis etiã imperiis, & clariſſimis monumentis, interitũ afferunt, oĩaq. tandem obliuione conterunt, atque cõſumunt. Ergo, cum oĩs huius uitæ laus, & dignitas, uel inanis, & falſa ſit, uel certe ſenio, atque uetuſtate delenda; reliquum eſt, ut oẽs, qui decus, & gloriã appetunt, ad illam gloriam adſpirent, quæ nullis eſt ſęculis interitura; nempe, quę in Dei iudicio, & prædicatione cõſiſtat. Nec .n. ſapientia illi⁹ fraudibus eludi, neque æquitas gratia ullius inflecti, neque teſtimonium corrumpi, neque iudicium immutari, atque uariari poteſt, ita, ut illa ſolum gloria uera, & immortali circumfluat, qui teſtimonium mentis Diuinę cõſequitur. Qđ cum omnes iuſti, q̃diu ſtatum ſuum tuentur, obtineant, q̃uis interdum falſa improbitatis infamia laborent; & ea de cauſſa nõ mediocri dolore torqueantur; ubi ſe colligunt, & intelligunt, eã demum gloriam eſſe acriter expetendam, quæ a Deo cõfertur, humanæ gloriæ fructum facile cõtemnunt. Vtrumque autem in Iobo perſpici põt, & iuſtus dolor, quem ex noĩs ſui indigniſſima cõtumelia capit, & ſolatiũ, quo dolorem acerbiſſimũ depellit: quorũ alterum eſt humanitatis ſenſibus, alterũ Diuinæ mentis uiribus adſcribendum. Vt uero cerni poſſet, piorum hoĩum dignitatem numq̃ a Deo neglectũ iri, huic ſanctiſſimo uiro, cõtumeliarũ aculeis undique petito, & ſtimulato, Diuinũ numen affulſit, qã amicorũ ab illo impetũ repreſſit, eãq. corã amicis, ut poſtea uidebimus, ſummis laudibus exornauit. Quod ut melius intueri poſſimus, cõmodum eſt, ut ad inſtitutũ eorũ ſermonẽ redeamus.

HIERO-

CAP. XV. 1. AD Iobi orationem Heliphazius Themanita, non mediocriter commotus, in hanc ſententiam reſpondit: 2. An decet, eũ, qui ſapiens haberi uult, quam fallax, & inanis illius ſapientia ſit, uerbis oſtendere, ita, ut facile oratio temeritatẽ illius coarguat? Num ſapiens uentoſam ſcientiã oſtentabit? 3. Num animum ſuum erroribus turbidis infici, & compleri ſuſtinebit? Num argumentis minime cohærentibus, & inutili oratione, contendet? Num ſententias ineptas ſine ullo fructu proferet? 4. Conſidera, quæſo, tu, qui ſapientiæ nomine gloriaris, & alios, ut ſtultos, ſpernis, quanto furore, & amentia, flagres, & quæ uerborum portenta ex ore iſto prodierint. Nã & Dei timorem funditus ſuſtuliſti, & ſtudium ſanctiſſimæ religionis, quod in caſtis precibus, & in erratorum confeſſione, & in Diuinæ benignitatis conſideratione ſitum eſt, nefarie contempſiſti. Quo quid uel ſceleſtius, uel amentius, fingi poteſt? Eadem enim opera & religionem euertis, & dementiam tuam apud omnes teſtatam relinquis. 5. Iniquitatis enim furijs inſtinctus, non ueræ ſcientiæ præceptis imbutus, iſta dicis; nec orationem hominis recti, atque ſimplicis, ſed callidi, & ueteratoris, uſurpas. 6. Non ego, ne tu mihi ſuccenſeas, ſed oratio tua ſcelus tuum redarguit; & tu ipſe contra te teſtimonium dicis. 7. Sed quæro, num tu multo ante generis humani primordium natus es? Num, antequam omnes colles fundarentur, exſtitiſti? 8. Sic enim par eſſet, ut, quantum reliquos homines antiquitate ſuperares, tantum ſapientia omnibus ante ires. Quamquam tu non multum ſenectutis auctoritate pugnas, ſed prætefers Diuinæ cuiuſdam ſapientiæ magnitudinem; quaſi Deum ipſum magiſtrum admiranda iſtius eruditionis habueris. Et hoc in quanto intolerandæ ſuperbiæ crimine ponendum eſt? Fuiſti ne tu in intimum conſilium Diuinæ mentis admiſſus? Num Deus tecum arcana ſapientiæ ſuæ communicauit? Tene ille eximium habuit, quem facillime præter ceteros ſapientiæ opibus Diuinis, & admirandis, inſtrueret? Prome igitur exte aliquid, quo iſtius tantæ ſapientiæ documentum ſtatuas. Quid eſt illud, quæſo, in quo tantum inter omnes excellas? 9. Quid intelligis, quod nos ignoremus? Quid mente comprehendis, quod non percipiamus? 10. Sunt & apud nos ſenes ſapientes, unde diſcamus: eſt & apud nos homo grandis natu, auctoritate grauis, qui patrem tuum ætate uincit, & ſuperat. Nec ea, quæ dicimus, a Diuina mente aliena ſunt, a qua nempe omnis ſapientia hauſta, atque delibata ſit. 11. Quid ergo Dei conſolationes pro nihilo putas? Cur noſtra conſilia, & monita, contemnis? Cur ſententias, Diuina lege, atque ratione nixas, aſpernaris? Sed inquies, te arcano Dei colloquio frui, & alio doctrinæ genere ab ipſo laetenter inſtitui, ad quod reliqui homines adſpirare nequeunt. Hoc igitur a nobis exiſtimari cupis, mentem tuam illis ſapientiæ luminibus illuſtrari, & illis diſciplinis opera Diuini ſpiritus inſtitui, quæ nulla humana induſtria parari, atque cõprehendi poſſint. Et hoc, quid aliud eſt, quam extremi furoris indicium, & mentis uæſanæ, atque uecordis, argumentum? Quid enim aliud faciunt, qui uaticinantur, & inſaniunt? Nã, poſtquam omnes humanos ſenſus amiſerunt, ſe Diuinis ſenſibus incitari confirmant; &, in ſumma dementia conſtituti, ſummæ ſapientiæ nomine nimis inſolenter efferuntur. 12. Quid igitur eſſe cauſſæ dicam, ut in tam ineptas, & ſtultas, ſententias incideris? Nimirum illud eſt. Animus tuus, flagitijs excæcatus, te in fraudem impellit: quin & oculi tui nutu aperte ſignificant, te mentis elatione præcipitem furenter incitari. 13. Tantaq. fuit temeritas, & inſolentia tua, ut ſpiritus contra Deum ſumpſeris; illumq. ad certamẽ prouocaueris; multaq. in illius æquitatem, & iudicium, maledicta congeſſeris. Hoc autem aſſeris, hoc maxima uoce confirmas, te in Dei conſpectu omni ſcelere uacare. 14. Quæſo, quæ natura hominis eſt, ut audeat quiſquam aſſerere, ſe nulla eſſe impuritatis labe maculatum? Homo, quem mulier aluo geſtauit, quem mulier enixa eſt, qui morbum, & imbecillitatẽ, ex ortu contraxit, poterit ne iuſtitiam perpetuo retinere, &, Dei ſententia, crimine omni liberari? 15. Quid, quod ne illius quidẽ Angeli ſancti, qui ei perpetuo miniſtrabant, hoc aſſecuti ſunt, ut illi debitam fidẽ, perinde atque iure obligati erant, præſtarent, & debito officio perfecte fungerentur? Quid, quod ne cæleſtis quidem natura in illius conſpectu pura eſt? 16. Quid eſt igitur de homine exiſtimandum, qui natura contaminatus, & flagitio corruptus eſt, & iniquitatem adeo contemptim ſuſcipit, quaſi aquam bibat? 17. Quod tibi exponere inſtituo, uelim attente audias. Non enim uagam, & incertam opinionem, ſed firmam, ſtabilemque, ſententiam, de rebus a me perſpectis, & exploratis, explicabo. Nec earum rerum, quas dixero, me auctorem profiteor. 18. Ea enim dicam, quæ a ſapientibus tradita ſunt, quæ ipſi a maioribus ſuis acceperunt, & deinde poſteris ſuis optima fide prodiderunt. Quid eſt autem ab illis hominibus Diuino ingenio præditis dictum? Num, terram, ut dicebas, eſſe hominum impiorum libidini, atque poteſtati, permiſſam? Minime. 19. Immo, ad eos ſolos fuiſſe firmum, & ſtabile, terrarum imperium delatum, qui ſapientię diſciplinis fuerunt inſtructiſſimi. Qui quidem ſic munere ſuo perfuncti ſunt, ut, quamdiu illi clauum tenuerunt, numquam in terras eorum moderationi commiſſas hoſtis inuaſerit. Et tamen eorum condicionem, qui cum iuſtitia, & pietate uiuunt, deprimis; & impiorum res ſecundas uerbis extollis; 20. nec intelligis, nihil in uita cogitari poſſe homine impio miſerius, & calamitoſius. Perpetuo namque animi angore, & cruciatu, pœnas pendit impius; &, qui tyrannidem occupauit, cũ diem, quo de medio tollendus eſt, ignoret, metu peſtiferæ cladis exanimatur; & dies atque noctes exitialẽ exitum anxie reformidat. 21. Aures illius, horrendis, atque ualde metuendis uocibus frequenter obtundi ſolent: &, cũ maxime pace tranquilla frui uidetur, illum improuiſo hoſtis, ut uaſtationem inferat, adoritur. 22. Cũ fuerit tenebris incluſus, nulla ſpe lucis rur-

1. AD Iobi orationem Heliphazius Themanita, non mediocriter commotus, in hanc ſententiam reſpondit:
2. Nũquid ſapiens reſpondebit.
2. An decet, eũ, qui ſapiens haberi uult, quam fallax, & inanis illius ſapientia ſit, uerbis oſtendere, ita, ut facile oratio temeritatẽ illius coarguat?
3. Arguis uerbis cum
3. Num ſapiens uentoſam ſcientiã oſtentabit? 3. Num animum ſuum erroribus turbidis infici, & compleri ſuſtinebit? Num argumentis minime cohærentibus, & inutili oratione, contendet?
4. Quãtum in te eſt.
Num ſententias ineptas ſine ullo fructu proferet? 4. Conſidera, quæſo, tu, qui ſapientiæ nomine gloriaris, & alios, ut ſtultos, ſpernis, quanto furore, & amentia, flagres, & quæ uerborum portenta ex ore iſto prodierint. Nã & Dei timorem funditus ſuſtuliſti, & ſtudium ſanctiſſimæ religionis, quod in caſtis precibus, & in erratorum confeſſione, & in Diuinæ benignitatis conſideratione ſitum eſt, nefarie contempſiſti. Quo quid uel ſceleſtius, uel amentius, fingi poteſt?
5. Docuit enim iniquitas tua
Eadem enim opera & religionem euertis, & dementiam tuam apud omnes teſtatam relinquis.
6. Condemnabit te os tuum.
5. Iniquitatis enim furijs inſtinctus, non ueræ ſcientiæ præceptis imbutus, iſta dicis; nec orationem hominis recti, atque ſimplicis, ſed callidi, & ueteratoris, uſurpas. 6. Non ego, ne tu mihi ſuccenſeas, ſed oratio tua ſcelus tuum redarguit;
7. Nũquid primus homo.
& tu ipſe contra te teſtimonium dicis. 7. Sed quæro, num tu multo ante generis humani primordium natus es?
8. Nũquid conſilium Dei.
Num, antequam omnes colles fundarentur, exſtitiſti? 8. Sic enim par eſſet, ut, quantum reliquos homines antiquitate ſuperares, tantum ſapientia omnibus ante ires. Quamquam tu non multum ſenectutis auctoritate pugnas, ſed prætefers Diuinæ cuiuſdam ſapientiæ magnitudinem; quaſi Deum ipſum magiſtrum admiranda iſtius eruditionis habueris. Et hoc in quanto intolerandæ ſuperbiæ crimine ponendum eſt? Fuiſti ne tu in intimum conſilium Diuinæ mentis admiſſus? Num Deus tecum arcana ſapientiæ ſuæ communicauit? Tene ille eximium habuit, quem facillime præter ceteros ſapientiæ opibus Diuinis, & admirandis, inſtrueret? Prome igitur exte aliquid, quo iſtius tantæ ſapientiæ documentum ſtatuas. Quid eſt illud, quæſo, in quo tantum inter omnes excellas?
9. Quid nõ ſti.
9. Quid intelligis, quod nos ignoremus? Quid mente comprehendis, quod non percipiamus?
10. Et ſenes, & antiqui.
10. Sunt & apud nos ſenes ſapientes, unde diſcamus: eſt & apud nos homo grandis natu, auctoritate grauis, qui patrem tuum ætate uincit, & ſuperat. Nec ea, quæ dicimus, a Diuina mente aliena ſunt, a qua nempe omnis ſapientia hauſta, atque delibata
11. Nũquid grande eſt.
ſit. 11. Quid ergo Dei conſolationes pro nihilo putas? Cur noſtra conſilia, & monita, contemnis? Cur ſententias, Diuina lege, atque ratione nixas, aſpernaris? Sed inquies, te arcano Dei colloquio frui, & alio doctrinæ genere ab ipſo laetenter inſtitui, ad quod reliqui homines adſpirare nequeunt. Hoc igitur a nobis exiſtimari cupis, mentem tuam illis ſapientiæ luminibus illuſtrari, & illis diſciplinis opera Diuini ſpiritus inſtitui, quæ nulla humana induſtria parari, atque cõprehendi poſſint. Et hoc, quid aliud eſt, quam extremi furoris indicium, & mentis uæſanæ, atque uecordis, argumentum? Quid enim aliud faciunt, qui uaticinantur, & inſaniunt? Nã, poſtquam omnes humanos ſenſus amiſerunt, ſe Diuinis ſenſibus incitari confirmant; &, in ſumma dementia conſtituti, ſummæ ſapientiæ nomine nimis inſolenter efferuntur. 12. Quid igitur eſſe cauſſæ dicam, ut in tam ineptas, & ſtultas, ſententias incideris? Nimirum illud eſt. Animus tuus, flagitijs excæcatus, te in fraudem impellit: quin & oculi tui nutu aperte ſignificant, te mentis elatione præcipitem furenter incitari. 13. Tantaq. fuit temeritas, & inſolentia tua, ut ſpiritus contra Deum ſumpſeris; illumq. ad certamẽ prouocaueris; multaq. in illius æquitatem, & iudicium, maledicta congeſſeris. Hoc autem aſſeris, hoc maxima uoce confirmas, te in Dei conſpectu omni ſcelere uacare. 14. Quæſo, quæ natura hominis eſt, ut audeat quiſquam aſſerere, ſe nulla eſſe impuritatis labe maculatum? Homo, quem mulier aluo geſtauit, quem mulier enixa eſt, qui morbum, & imbecillitatẽ, ex ortu contraxit, poterit ne iuſtitiam perpetuo retinere, &, Dei ſententia, crimine omni liberari? 15. Quid, quod ne illius quidẽ Angeli ſancti, qui ei perpetuo miniſtrabant, hoc aſſecuti ſunt, ut illi debitam fidẽ, perinde atque iure obligati erant, præſtarent, & debito officio perfecte fungerentur? Quid, quod ne cæleſtis quidem natura in illius conſpectu pura eſt? 16. Quid eſt igitur de homine exiſtimandum, qui natura contaminatus, & flagitio corruptus eſt, & iniquitatem adeo contemptim ſuſcipit, quaſi aquam bibat? 17. Quod tibi exponere inſtituo, uelim attente audias. Non enim uagam, & incertam opinionem, ſed firmam, ſtabilemque, ſententiam, de rebus a me perſpectis, & exploratis, explicabo. Nec earum rerum, quas dixero, me auctorem profiteor. 18. Ea enim dicam, quæ a ſapientibus tradita ſunt, quæ ipſi a maioribus ſuis acceperunt, & deinde poſteris ſuis optima fide prodiderunt. Quid eſt autem ab illis hominibus Diuino ingenio præditis dictum? Num, terram, ut dicebas, eſſe hominum impiorum libidini, atque poteſtati, permiſſam? Minime. 19. Immo, ad eos ſolos fuiſſe firmum, & ſtabile, terrarum imperium delatum, qui ſapientię diſciplinis fuerunt inſtructiſſimi. Qui quidem ſic munere ſuo perfuncti ſunt, ut, quamdiu illi clauum tenuerunt, numquam in terras eorum moderationi commiſſas hoſtis inuaſerit. Et tamen eorum condicionem, qui cum iuſtitia, & pietate uiuunt, deprimis; & impiorum res ſecundas uerbis extollis; 20. nec intelligis, nihil in uita cogitari poſſe homine impio miſerius, & calamitoſius. Perpetuo namque animi angore, & cruciatu, pœnas pendit impius; &, qui tyrannidem occupauit, cũ diem, quo de medio tollendus eſt, ignoret, metu peſtiferæ cladis exanimatur; & dies atque noctes exitialẽ exitum anxie reformidat. 21. Aures illius, horrendis, atque ualde metuendis uocibus frequenter obtundi ſolent: &, cũ maxime pace tranquilla frui uidetur, illum improuiſo hoſtis, ut uaſtationem inferat, adoritur. 22. Cũ fuerit tenebris incluſus, nulla ſpe lucis rur-

12. Quid te eleuat cor tuum.
13. Quid tu met contra Deum.
14. Quid eſt homo.
15. Ecce in ter ſanctos eius.
16. Quãto magis abominabiles.
17. Oſtendam tibi.
18. Sapientes confitẽtur
19. Quibus ſolis data eſt terra.
20. Cũctis diebus ſuis
21. Sonitus terroris.
22. Nõ credit, quod.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sus adspiciendæ tenebitur;&, gladios in se intentos animo prospiciens,extimescet;horrens,& tremens, uagabitur; 23. & panem animo sollicito mendicabit;& intelliget plane, ipsum sibi manibus suis pestem ad constitutam Diuino iudicio diem comparauisse; 24. terrificis angustiis afflictabit; hostili munitione uallabitur; &, tamquam Regius copiis ad perniciem illius circumdatis, malorum omnium obsidione premetur. Ita tenebitur undique, ut nullam sibi auram aspirari, nullam opem afferri, nullam lucem exoriri, sentiat. 25. Bellum enim infando scelere imbutum contra Dominum comparauit; omnesq. neruos animi ad euertendam legem illius intendit. 26. Dominus igitur in illius opes,quæ illum ferocem, & infestum, faciebant, inuadet; eiq. corporis integumenta, & scuta, quibus se egregie munitum cõfidebat,detrahet; omniaq. illi dignitatis ornamenta diripiet. 27. Opibus enim inflatus,pudorem amisit; immanibusq. diuitiis expletus, intolerandum fastum, & contumaciam, in omnibus rebus adhibuit. 28. Vrbes igitur,quas incolit, exscindentur; domus, in quibus habitat,euertentur; & in aceruos lapidum redigentur. 29. Non erunt illius opes stabiles;num quam dignitatem amissam recipiet;neque florem in terra sobolem propagabit. 30. Numquam e tenebris emerget; posteritas illius iniectis flammis exardescet;& orationis insolẽtia,& uanitate, qua impius ipse numen in se Diuinum concitauit, de omni statu suo conuelletur. 31. Deo enim fidem non adhibuit;mentis errore deceptus,mendacio nixus est;& iccirco status illius opera ipsius uanitatis inuersus,& immutatus est; omnesq. illius cogitationes ad nihilum reciderunt. 32. Excidetur ante fatalem diem; nec ex illius trunco rami, qui locũ ullũ umbris opacare possint,orientur. 33. Vt uitis acerbi botri ante maturitatẽ temporis excisi,& ut oleæ flores, ante quã baccæ appareant, decussæ; sic illæ, antequam eo, quo intendit,peruenire queat,Dei iudicio peruertentur; itaque spes illius erunt inanes,& cogitationes uanissimæ. 34. Multiplex namque eorum familia, qui uirtutem nefarie simulant, & inclusa mente,flagitia, fronte, & supercilio, contegunt, erit in uastam solitudinem conuersa; & ignis eorum tabernacula,qui muneribus corrumpuntur, & caussas contra ius,& fas,improbis, atque scelératis, adiudicant, incendio consumet. Est igitur impij uita maxima ex parte mirabiliter afflicta, & cruciatibus assiduis obnoxia. 35. Concepit enim sollicitudinem; partu edidit iniquitatem; dolos,& fraudes,utero continuit;ut machinationes ad hominum perniciem adhiberet. Hac quidem oratione Heliphazius, nõ modo Iobi sententiam refutare nixus est, uerum etiam illum,ut simulatorem uirtutis,insectari, & ei iniquitatis, & iniuriæ,scelus obiicere uoluit, ut illum non solũ inani sapientiæ numine tumentem,uerum etiam assimulatæ religionis artificio eruditũ, in iudiciis auaritia,& improbitate,corruptum ostenderet.

CAP. XVI

1. AT Iobus ita respondit.2. Hæc quidem,& multa prætereà illorum similia,frequenter audiui. Quid igitur conuenit, ea, quæ sunt adeo trita, commemorare? Certe uos consolatores estis acerbissimi. Non enim, ut dolorem meum leniatis,sed ut uehementius augeatis,oratione contenditis. 3. Non tandem aliquando finem uerbis uanissimis statuetis? Tantum ne tibi exærumna mea roboris, atque firmitatis,accedit,ut ea gratia me pressum, & contumelia omni deformatum, esse ueli? 4. Quæ enim dixisti de tyrannorum supplicio,& uera sunt,& mihi non inaudita; & de locis, atque sententijs huiusmodi, non minus ornate,& copiosè,quam quilibet uestrum, disputare possum. Sed ea neque temporis sunt,neque ad ea,quæ differui,infirmanda pertinent; neque sunt ad mitigandum dolorem accommodata. O si uestros animos similis ærumna uexaret, quam dispari ratione ad uos consolandos accederem? 5. Profectò societatẽ uobiscum eiusdem doloris inirem; omnibusq. mæroris signis me eodẽ prope sensu ægritudinis affectum demonstrarem; 6. deinde uos oratione mea confirmarem;& a mẽ stitiæ magnitudine uerbis ad consolandum appositis auocarem;&, quantum possem,luctum uestrum oratione minuerem. At uos in meo grauissimo casu nullum signum doloris ostenditis;cum ipse non sim mediocri uulnere, sed propemodũ insanabili,percussus. 7. Nec ullum tantis malis solatium inuenio. Nec enim dolor meus, uel, cum loquor, imminui,uel, cum finem loquendi facio, sedari potest; sed eadẽ semper acerbitate me lacerat. 8. Dominus enim nunc etiam me non minus uehementer affligit;neque animum meum mẽsti tia aliqua ex parte releuari cõcedit. Grauissimis me,Domine,calamitatibus oppressisti;euersionẽ, & populationem, omnibus meis operis, atque possessionibus, intulisti: 9. Rugis faciem meam arauisti,ut,quanto in cruciatu sim, testari possit: macies similiter, quæ faciem meam deformat, quanta uis me morbi uexet, indicat. 10. Incensus ira Dominus,me corripit, & nimis acriter impugnat; dentibusq. frendens, irruit; hostisq. meus oculis suis micat, & uibrat; meq. solo adspectu minaciter exterret. 11. Nec hoc satis est; sed etiam amici mei uulnus meum exagitant, doloremq. uehementer amplificant. Me enim conscindunt maledictis, faciemq. meam contumeliis lacerant; impetuq. facto in me, simul inuehuntur, ut calamitatibus meis animos explere,atque satiare, possint. 12. Constrinxit me Dominus, & impiorum immanitati tradidit. 13. Et, cum multis opibus affluerem, e statu deturbauit;&, obtorto collo, uiolenter arripuit, & dilacerauit;& quasi signum constituit,in quod tela iacerentur. 14. Sagittis illius undique emissis consixus sum;renes etiam meos cõcidit:iræq. suę modũ nullum statuit,usque eo, dum fel meum in terram effunderet. 15. Vulneribus impositis minime contentus, alia atque alia uulnera meis artubus inflixit: contento studio, & cursu, in me, quasi uir acer in ferro,& bellandi cupidus, inuasit. 16. Saccum consui, ut eo cutem meam abstergerem;& principatus ille meus, qui tantum opibus eminebat, in puluerem abiectus est.

17. Fa-

17. Facies mea intremuit.

17. Facies mea assiduo fletu, & squalore,tumescit; & palpebræ oculorum meorum atra caligine circumfusæ sunt. 18. Et hæc quidem omnia patiar nullo merito meo. Nec enim homines iniurijs affeci, neque religionem scelere uiolaui; sed Deum semper castis precibus, & pura mente, ueneratus sum. 19. O terra, si cædem alicui machinatus sum, aut perniciem intuli, id neceles; sed in omnium adspectu propone. Si aliquod in me capitale facinus admisi,ne sit clamori meo locus,neque Dominus meas uoces ad aures suas admittat. 20. Testem in cælo innocentię, & pietatis, habeo; illum nempe, qui in excelsis sedibus habitat, & omnia clare cernit; qui quidem scit, quam pure iustitiam coluerim.

18 Hæc passus tum absq. iniquitate.

19 Terra, ne operias sanguinem meum.

20. Ecce.n. in cælo testis meus.

21. Verbosi amici mei.

21. Amici uero mei, qui me subleuare debuerant, augent dolorem meum; & in me accuratis, & meditatis orationibus incitantur. 22. At ego cum multis lacrymis, quæ perpetuo e meis oculis emanant, opem Diuinam imploro;illiusq. summi Domini integro,& constanti iudicio, qui omnes res humanas intuetur, meæ dignitatis caussam committo. Atque utinam is,qui uirum sceleris insimulat,apud Deum iudicio contenderet; &, cum homo homini litem intendit, ueritas coram illo iudice, quem nihil latere potest, appareret. hoc igitur discrucior, quod ueritas in occulto lateat, & uos maculam mihi sceleris inuratis. quam importunitatem non possum in tanta uitæ breuitate reprimere. 23. Anni siquidem reliqui uitæ meæ numero exiguo continentur; & finis appropinquat, ut iter illud ultimum ingrediar, & numquam rursus ad hanc uitæ rationem, & ad eosdem hominum mores, & instituta, redeam.

22. Atq uri nam sic iudicaretur eir.

23. Ecce.n. breues anni.

CA. XVII.

1. SPIRITVS enim meus paullatim absumitur, & dies mei, instar lucernæ, oleo consumpto, deficiunt; neque quidquam aliud superest, quam ut sepulcro condar. Quod si ad reliquas ærumnas meas hæc ignominia, quã me homines, errore ducti, afficiunt, non accederet, & non adeo pertinaciter in eo contenderent, ut me sceleris reum peragerent; satis magnum malorum põdus oculi mei mihi ab illis inuehi,& importari, perspicerent. Nec enim solum ab illis desertus,sed ignominia notatus, ærumnas meas acerbissime lamentarer. Sed,cũ in ea accusatione perseuerent, nec ullã satisfactionem;accipiãt,incredibilis acerbitatis cumulus ad meas pristinas ærumnas accedit. 2. Hac igitur tã insigni ignominia stimulatus,Deum appello; &,recti conscientia fretus,ad illius iudicium omnia uitæ meæ officia perpendi cupio. 3. Hoc igitur a te peto, Domine, ut liceat mihi per te sponsionem tecum facere, ni te caste, atque sancte coluerim, & innocentiam summo studio conseruarim. Sed, quis erit, qui pro me sponsor esse uelit; maxime, cum illi etiam, a quibus omnia amoris officia mihi pollicebar, me hominem facinorosum, & multis criminibus alligatum, arbitrentur? 4. Eorum namque mentes expertes intelligentiæ reddidisti; & iccirco illos in alto dignitatis gradu minime collocabis. Non enim uanitate,& amentia, sed ueritate,atque sapienta, gloria immortalis acquiritur. 5. Tantum igitur abest, ut,qui huiusmodi sunt,opes sibi stabiles parare queant, ut potius eorum posteri extrema inopia uexãdi sint. Inde fit,ut,qui comitibus suis prædæ partem ample, atque magnifice pollicentur, & ad ductum, & imperium suum multos mortales alliciunt, in tantam inopiam incidant, ut eorum filij, bonis patriis excluſi, alienas opes cum dolore intueri cogantur; illosq. inuidia contabescat. 6. At ego,quem despicitis,atque contemnitis,& cui crimen,& scelus exprobratis, sum a domino,ut sum mæ uirtutis,atque probitatis exemplum, & singulare iustitiæ, & pietatis specimen, multis populis ad imitandum propositus. Hoc autem incredibile uobis uidebitur, cum hanc spirãtis hominis imaginem tanto squalore deformatam uideatis. 7. Oculorum enim meorum acies hebescit; &,propter magnitudinem fletus,& lugubris querimoniæ,tenebris obscuratur;totaque forma corporis mei uelut umbra dilabitur. 8. Attamen homines iusti, nominis mei fama commoti, obstupescent;& innocens innocentiæ simulatorem opibus,& uirtute, superabit; 9. & iustus iter iustitiæ constantia summa cõficiet;&,qui puritatem conseruare uelit,maiore in dies robore, atque uirtute,firmabitur. Hoc autem intelligentiam uestram fugit; neque percipitis consilium, quo Deus innocentem perculsum, & abiectum rursus excitat,ut uirtutis,& patientiæ,monumentum, multis gloriæ ornamentis amplificatum in sublime proponat. 10. Quocirca uos admoneo,ut in uiam redeatis,& ad ea,quæ dico, animis attenti sitis. Neque enim uideo,in uobis,qui sapiens appellari merito possit. Hoc autem uos conturbat,quod omnis hęc species hominis euersi,& afflicti,quam cernitis oculis, cum hac mea prædictione pugnat;& non percipitis animo, quam facile sit illi Domino, qui innocentium tutor,& pareus est, collapsa reficere, & euersa instaurare, in pristinamq. formam multo maioribus opibus auctã reducere. Si enim spes mea fuisset terminis huius uitæ definita,& idem sepulcrum, quod me conteget, posset simul cum corpore omnes meas cogitationes obruere,certe faterer, me nimis amentem exstitisse. 11. Dies namque mei præterierunt; & cogitationes meæ irritæ factæ sunt; animusq. meus,magnitudine calamitatis impulsus,de statu suo demigrauit. 12. Opinabar autem,ut dies nostem sequeretur;& lux exoriens tenebras omnes discuteret;& ærumnæ,quæ me uexat,felicitas succederet: quæ quidẽ opinio me fefellit. 13. Iisdem enim adhuc tenebris immersus sum. Reliquum igitur est,ut nihil exspectẽ, nisi sepulcrum;in eoq. mihi sedem,& domicilium constituam,& in locis tætris,atque tenebricosis,lectum meum insternã. 14. Itaque Foueam Patrem appellabo; & uermi, qui meis carnibus saturandus est,Matris, atque Sororis,nomen imponam. 15. Postquam igitur,uita perfunctus,humo conditus,in puluerẽ conuersus,exstitero,ad quod tẽpus, inquiet aliquis,structus spei meę reseruãdus est? Aut qs poterit rõnẽ exspectationis,& fiducię,qua nitor,oculis intueri?

5. Prædam pollicetur sociis.

6. Posuit me.

7. Caligauit ab indignatione.

8 Stupebũt iusti super hoc.

9. Et tenebit iustus uiã suam.

10. Igitur omnes uos conuertimini.

11 Dies mei transierunt

12. Noctẽ uerterunt in diem.

13. Si sustinuero.

14 Putredini dixi.

15. Vbi est ergo nunc prestolatio mea?

Universidad de Deusto
Biblioteca

16. In profundissimũ infernum.

16. Hoc tamen uelim sciatis, ut omnia membra mea tumulo sepulta sint, spes tamen mea nõ interibit; & in ipso puluere immortalitatis exspectatione conquiescam.

CA. XIIX.

2. Vsq. ad quem sinẽ.

1. CVM plura in hanc sententiam Iobus dicere uellet, Bildadus Suhita, orationem illius interrumpens, ait: 2. Cur ita tandem oratio uestra temere uagatur, ita, ut nullo in loco consistat? Hoc autem ideo accidit, quia, perturbatione animorũ commoti, prius quam, quid ab alio dictum sit, exacte percipiatis, præcipiti, & effrenata mente disseritis. Oportet autem prius diligenter ea, quæ dicta sunt, intelligere; deinde, si commodum fuerit, obiecta refellere. Sed, antequam uobis exponam, quis sit animi mei sensus, de iniuria a Iobo nobis illata conqueri non alienum uidetur. Quæro enim, quid est in nobis; uel tu in uitam, & mores, inquiras; uel studia, atque disciplinas, examines; uel opes, atque dignitatem, expendas; quod despici merito possit?

3. Quare reputati sumus.

3. Cur pro iumentis ab illo habiti fuimus? Cur in oculis uestris minime ueritus est, nos, ut mentis expertes, ab omnium bonorum cognitione remouere? 4. De te igitur quæro, qui, furore percitus, animum tuum discerpis, atque dilaceras, an tu solus Deo curæ sis? An tui solius gratia terrarum orbem condidit, ita, ut, si de medio fueris amotus, in uastitatem redigendus sit? An rupes etiam tui gratia sedibus suis conuellentur? Num leges naturæ, stabiles, atque sempiternæ, tui gratia mutabuntur? Quod clarius esse poterit, insitæ superbiæ, atque temeritatis, argumentum? Respice igitur, quantum tibi ipsi periculum ea significatione furoris, & impietatis, intẽdas. 5 Lux enim hominis impij prorsus exstinguetur; nec ex illius igne scintilla rursus excitabitur. 6. Lumen, quo tabernaculum illius collucet, tenebris obruetur; & lucernæ etiam illius splendor interibit. 7. Cum, propria uirtute nixus, ingredi statuerit, in angustias compelletur; &, proprio consilio impulsus, se ex alto præcipitabit. 8. ipse se in rete induet, & illius maculis implicabitur; 9. laqueo pedes suos impediet, & a latrone exspoliabitur. 10. funis, quo est adstringendus, in terra, qua ille incedit, occultur; & in ipsa uia, in qua ambulat, est exstructa decipula; ut ea illaqueatus capiatur. 11. Iniecti undique terrores illum exanimabunt, & pedibus titubare, atque uacillare, compellent. 12. Illius uires egestas, & fames, conficiet; illiusq. latera contundet, & debilitabit afflictio ad impietatis exitium constituta. 13. Membra illius speciosa princeps immanis erebi, qui uitæ pestis est, subito uorabit; omnemq. propaginem illius absumet. 14. E tabernaculo illius fallax, spes, qua domus illius erat innixa, præcidetur; quæ illum furore præcipitem in pestiferi regis manus tradet; cuius officium est, horrendis suppliciis, & cruciatibus, maleficia uindicare. 15. In illius tabernaculo non illius posteri, sed alieni, domicilium collocabunt; ædesq. illius sulphuris incendio conflagrabũt. 16. Radices illius subter emissæ exarescẽt: Rami illius in altum elati præcidentur. 17. Euelletur ex omni memoria illius nomen; nec in ore

5. Non ne lux impij.
6. Lux obtenebrescet.
7. Arctabũtur gressus
8. Immisit enim in rete.
9. Tenebitur planta illius.
10. Abscõdita est in terra.
11. Vndiq. tenebunt eum.
12. Attenuetur fame.
13. Deuoret pulchritudinem.
14. Auellatur de tabernaculo suo
15. Habitẽt in tabernaculo illius.
16. Deorsũ radices eius siccentur.
17. Memoria illius pereat de terra.

multitudinis, & populi celebritate, uersabitur. 18. E luce eiicietur in tenebras; & ex orbis terrarum finibus exturbabitur. 19. Non filium, non nepotem, ad nominis posteritatem in populo suo propagabit; neque legitimum heredem opibus suis instituet, qui familiæ totius exitio superstes esse possit. 20. Posteri, mentione horribilis illius cladis, quæ uastabit impios, obstupescent; & præsentes etiam, cum dirum illorum exitium oculis acerrime contemplati fuerint, exterrebuntur. 21. Hunc casum subeunt omnes opes, & facultates, & domicilia eorum, qui societatem generis humani iniquitatis studio uiolant; & his suppliciis excruciantur omnes, qui in Deum scelerati sunt. Ex quo intelligi oportet, quam amentes sint omnes, qui statum hominis malefici, & iniusti, florentem existimant. Hæc quidem Bildadus, non eo solum consilio dixit, ut Iobi orationem refutaret, qua dicebat impiorum hominum statum opibus circumfluere, sed etiam, ut illum, quasi scelestum, & impium, Diuini iudicij denuntiatione perterreret.

18. Expellet eum de luce.
19. Nõ erit semẽ eius.
20. In die eius.
21. Hęc sũt ergo tabernacula iniqui.

CAP. XIX

AD quæ Iobus ita respondit: 2. Ad quem tandem finem animum meum cruciabitis; & uerbis istis molestissimis me uehementer affligetis?

2. Vsquequo affligitis animã meam.

3. Easdem iam contumelias mihi decies intulistis; nec interim pudet uos istius inhumanitatis, qua animis alienissimis mecum agitis, &, quasi cum homine uobis ignoto, & a cultu religionis abhorrente, satis acerbe, & importune contenditis. Quid est, quæso, quod tantos conatus ad me sceleris arguendum comparetis? 4. Numquid in eo uestra salus agitur? Non profecto. Si enim in officio deliqui, crimen a me commissum in me, & non in animis uestris inhęrebit. 5. Quid igitur? Num gloriosum uobis fore iudicatis, si opera uestra fuero redargutus, & indigna contumelia uexatus? Ne id quidem adeo clarum facinus est, ut in eo gloriari debeatis. Non enim amplissimæ laudi tribuendum est, in hominem perditum, & afflictum, irruere, & insigni calamitate percussum labefactare, & præcipitantem impellere. 6. Nec enim mediocribus malis oppressus sum, sed maximis, & intolerandis. Nam me non opes humanæ perculerunt, & abiecerunt; sed Deus ipse dirissima calamitate peruertit; &, quasi apparata uenatione, telis undique coniectis, afflixit. 7. Si uim mihi inferri conqueror, & fidem illius imploro, responsum minime reddit; si iudicium postulo, & iura Diuinæ pietatis, & æquitatis, inclamo, non accurrit. 8. Viam meam sæpsit, ne ingredi possim; omnesq. uitæ meæ rationes tenebris obscurauit; adeo, ut, quid mihi faciendum in tanta clade sit, mente, & cõsilio explicare nequeam. 9. Nec enim luce illa fruor, qua antea illustrabar; nec opes illas habeo, quibus antea circũfluebã. Deus enim me nudauit omnibus ornamentis, numinisq. sui præsenti ope destituit. Gloria me spoliauit; coronam e capite meo detraxit; omnia mei status firmamenta circumquaque reuellit; 10. ut labarem, & tamquam arbori euulsæ mihi spem rursus germinandi, atque sobolis propagandæ, omnino precidit. 11. Ira illius in me acriter exarsit; &, tamquam

3. En, decies cõtumelias me.
4. Nẽpe & si ignorauí
5. At uos contra me erigimini.
6. Saltẽ nũc intelligite.
7. Ecce clamabo uim patiens.
8. Semitam meam circũsẽpsit,
9. Spoliauit me gloria mea.
10. Destruxit me undique.
11. Irat⁹ est contra me furor eius.

quam in hostem, in meam uitam, & statum, impetum fecit. 12. Milites illius, acie instructa, uenerunt; & uiam, qua ad me contenderent, egregie munierunt, castrisq. suis meum tabernaculum obsessum tenuerunt. 13. Fratres autem meos, a quibus erat auxilium in tantis periculis optimo iure flagitandum, a me longe segregauit; & amicos meos a mea coniunctione, & familiaritate, disiunxit: & a studio meæ salutis auertit. 14. Itaq. fui desertus, & ꝓditus a cognatis, destitutus ab amicis; nemoq. fuit, qui uliam, uel propinquitatis, uel amicitiæ, uel gratiæ, memoriam conseruaret. 15. Quin etiam uernæ mei, & ancillæ meæ, loco peregrini me numerant; neque magis imperium meum uerentur, quam si alienus, & ignotus illis essem. 16. Vocaui seruum meum; neque, pro iure meo, quid illi faciendum esset, præscripsi; sed precibus ab eo contendi, ut operam mihi daret; qui tamen preces meas audire contempsit. 17. Vxor spiritum meum, ut tetrum, & contaminatum, adspernatur, & respuit; illis, quibus, ut filiis, amore patrio, consulebam, supplex esse cogor. 18. Homines etiam flagitiis infames, & uilissimi, me despiciunt; &, quoties assurgo, me contumeliis, & ludibrijs, insectantur. 19. Amici, a quibus nihil secreti habebam, & cum quibus omnia mea consilia communicabam, & quos non mediocriter amabam, animis immutati, me odio persequuntur. 20. Ossa mea cuti simul, & carnibus, macie pæne consumptis, adhęserunt; dentesq. mei, labijs uehementer extenuatis, uix obteguntur. Igitur, a Deo percussus, ab hominib. derelictus, bonis omnibus spoliatus, malis innumerabilibus implicatus, dolore miserabiliter afflictus, ita iactor, ut nõ uituperatione, & conuicio, de primendus, sed misericordia, & benignitate, subleuandus sim. 21. Miseremini mei, uos, amici mei, quem florentem opibus adspexistis; quem nunc euersum, & abiectũ, uidetis: non enim leui plaga, sed grauissima, sauciatus sum. Non enim humana uis, sed Dei ipsius manus, mihi uulnus inflixit. Num humanum est, cũ homines sitis, eisdemq. morbis, quibus nũc uxor, obnoxij, nullam humanitatẽ homini amico, tã diris cladibus affecto, impertire? 22. Cur in me omni crudelitate lacerando Dei irã imitari cõtenditis? Cur non sunt iam oculi uestri hoc indigno corporis mei supplicio satiati? 23. Sed illud dicitis, non licere homini misero, & saucio, conuiciis Dei numen lædere, idq. uirus acerbitatis euomere, quod non solum pietatem in Deum uiolet, sed etiam hominibus offensionem grauem afferat. Vtinam hæc uerba, quæ uobis sceleris plena uidentur, litteris mandentur, atque monumentis consignentur, ad memoriam hominum sempiternam. 24. Vtinam stylo ferreo incidantur in plumbi lamina, uel insculpantur in silice; ut exstare per petuo possit, meæ pietatis, & innocentiæ testimonium. 25. Sin autem id mihi crimini datis, quod omnem spem salutis abiiciam, & ita lamenter, quasi minime confidam, me ex his malorum fluctibus, quibus nunc obruor, emersurum; illius me criminis insimulatis, quod in fidem meam nõ conuenit. Hoc enim certum, cognitum, & constitutum habeo; & ab hac sententia non possum ulla animi perturbatione depelli: uindicem nempe salutis meæ, ut uita sempiterna fruitur, ita fide sempiterna præditum esse; neque fieri posse, ut eos, qui se ad illius nomen, & studium, contulere, despiciat, aut morte sempiterna deleri patiatur. Licet igitur in terris, & in hocrerum humanarum statu, is me numquam in opes amissas restituat, non ob id tamen spes mea extenuabitur, & euanescet; sed in omni rerum asperitate constantiam suam retinebit. Magis enim est mihi de illa sempiterna uita, ad quam piorum hominum uota referuntur, quam de hac mortali, & exigua cogitandũ. Confido igitur, futurum, ut Deus ipse non animo tantũ meo, sed corpori etiã, consulat, atque prospiciat. Vltimis enim temporibus uim suam in puluerem, in quem corpora nostra diabentur intendet; eorumque uitam instaurabit, atque renouauit: 26. Itaq. numine illius fiet, ut, licet pellis mea a uermibus absumatur, & hoc corpus totum ab illis concisum deuoretur, spes tamen mea extenuari, & euanescere nullo modo possit. ipse namque, hac mea carne in uitam reuocata, Deum clare cernam. 27. Ego, inquam, ipse illum his meis oculis, non alienis, adspiciam; nec illius asimulatam speciem, sed naturam, & claritatem, uidebo. Huc autem summa uotorum meorum pertinet; in hunc finem omnia meæ uitæ studia diriguntur; hæc mentis intimæ cogitatio me in omni tempestate confirmat. 28. Si igitur neque flagitium commisi, neque sacra contaminaui, neque fidem datã prodidi, cur hominem innocentem, oppressum ruinis, affligitis? Cur de mea pernicie, & interitu, coniuratis? Cur non eam aliquando cogitationem suscipitis, ut dicatis, quid nobis uenit in mentem illum persequi, cuius mens, & sententia radicibus ipsius ueritatis innititur? 29. Gladium igitur extimescit. ipsæ namque iniquitates, & iniurię, quæ in innocentes suscipiũtur, acutissimi gladii sunt, qui nocentes contrucidant. Deus enim nullum eius modi scelus, & maleficium inultum, & impunitum dimittet. Pauete igitur, atque resipiscite. seuerum enim iudicium est a Domino in eos, qui pietatis, & humanitatis, iura uiolant, constitutum. Hæc cum Iobus peroraſſet, Sopharius Nahamathita, offensus ea ratione, qua Iobus illum, & socios sapientiæ expertes esse dixerat, in eo pugnauit, ut dignitatem suam tueretur, idq. sapientiæ documentum daret, ex quo intelligi posset, illum iniuria notatum fuisse. Ad illam autem sententiã potissimum orationis tela dirigit, qua Iobus asseuerat, impiorum fortunas sæpe numero ualde florentes esse. Non autem omnino absque ratione tam ille, quam socij, hunc eundem locũ sæpius urgent. in eo eo enim putabant omnino firmamentum, quo Iobi sententia nitebatur, esse positum: quo labefactato, & conuulso, suspicabantur, omnem illius causſam funditus euertendam. Nam, si constaret malos non affluere bonis, neque, quod est consequeus, bonos opprimi malis, efficeretur, neminem posse in malis uersari, qui non esset nequam, & improbus.

12. Simul uenerũt latrones eius
13. Fratres meos lõge fecit a me.
14. Derelinquerũt me propinqui mei.
15. Inquilini uomus meæ.
16. Seruum meum uocaui.
17. Halitũ meum exhorruit uxor mea.
18. Stulti quoque despiciebant me.
19. Abominati sũt me quondã cõfiliarij mei.
20. Pelli meæ.
21. Miserẽmini mei.
22. Quare persequimini me.
23. Quis mihi tribuat.
24. Stylo ferreo.
25. Scio. n. quod.
26. Et rursum circũdabor pelle mea.
27. Quem uisurus sũ ego ipse.
28. Quare ergo nunc dicitis.
29. Fugite ergo a facie gladij.

1. HOC

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. XX.

1. HOC igitur firme constituto, opinabantur, fieri posse, ut. Ic bum esse nefarium, & iniustũ, conuincerent. Inquit igitur, Verum quidem est, impiorum res ualde secundas aliquando uideri, & ab hominibus impuris interdum dominatum in terris occupari. 2. Iccirco me cogitationes olim molestissimæ a recta mente deducebant. Sed mihi, quid de hac quæstione iudicandum esset, diligentius, & acutius, consideranti, occurrit subito ratio, qua obiectum argumentum diluerem.

2. Iccirco cogitationes me uarię.

3. Doctrinã, qua me arguis.

3. Quod autem dicturus sum, uelim boni & æqui consulas. si quidem ego etiam disciplinam tuam cum ignominia mea coniunctam patienter audiui. Quamquam in eo, quod detrahis mihi sapientiam, non sane multum conturbor. Non enim extrinsecus ex aliorum opinione pendeo, sed intima mentis intelligentia, atque iudicio, confirmor. Quod si in me est aliquid sapientiæ, id non tam uerbis, quam rebus ipsis, apparebit. 4. Vt autem aliarum rerum scientiam mihi detrahas, illum certe sensum mihi extorquere poteris, qui est post homines natos in omnium animis impressus; 5. nempe, res lætas impiorum hominum breui terminari, omnemq. illius iucunditatem, qui, simulatione pietatis, ad honores obrepit, uno momento temporis, exitu diro, atque luctuoso, concludi. 6. Si illius dignitas tam ampla, & excelsa, fuerit, ut homiuum fama, atque celebritate, in cælum efferatur; si illius imperium tantis opibus exaggeratum exstiterit, ut altissimas nubes attingere uideatur; repente tamen concidet, atque perpetuo peribit. 7. Omnes autẽ, qui illius casum, & ruinam animis secum reputauerint, inquient: Vbi nam est ille, qui tantis opibus in omni genere redundabat? Quam subito illi uita erepta fuit, imperium deletum, decus exstinctum, memoria nominis oblitterrata, usque adeo, ut ne uestigium quidem illius in terris notari, & animaduerti, possit? 8. Vt somnium, auolabit; nec ullo in loco, ubi possit inueniri, consistet; ut nocturnum uisum, euanescet; 9. oculus, qui eum uiderat, non modo eum amplius non uidebit, sed ne sedem quidem in qua is erat locutus, agnoscet. 10. Liberi illius, qui erant egentibus formidini, ipsis egentibus supplicabunt; & opes per iniuriam auersas reddere compellentur. 11. Quod si nõ aliud malũ eum uexaret, id certe tantum est, ut in uita grauius esse non possit; quod adolescentiæ turpiter actæ flagitia illius animo penitus insident, & inhærent; ossibus illius implicata sunt; eum funere elatum, atque humo tumulatum, insequuntur, ut terroribus sempiternis exagitent. Quamuis autem maleficiis oblectari uideatur, & scelerum pœnæ, quibus animus afficitur, non exstent, & emineant, nihilominus tamen uirus, quod lingua illius occultur, eum lacerat, & conficit, & respirare non sinit. 12. Et tamen malo, quod eius uitam tam acerbam reddit, indulget, nec illud depellere uult, sed, quasi cibum iucundissimum, medio palato complectitur. 13. Ea etiam, quæ natura iucunda sunt, erunt illi exitiosa, & pestifera. 14. Panis in uisceribus illius immutabitur; &, perinde, atque si foret uenenum aspidum, illius intestina, tætra, & detestabili lue conficiet. Omnibus enim bonis ad suam ipsius pestem, atque perniciem, abuetur. 15. Alienas opes inexplebili cupiditate uorabit; easq. rursus euomet. Deus enim eas ex uentre illius extrahet, & omnia, quæ in thesaurum ab illo congesta fuerant, eripiet, atque dissipabit. 16. Venenum aspidum hauriet; uiperæq. lingua percussus interibit. 17. Non mella riuis ducta ad illius iucunditatem emanabunt; neque butyri affluentia, & copia, redundabit; nullum gustum ueræ suauitatis habebit; nec erit illa dulcedine, atq. uoluptate, perfusus, qua piorum animi fruũtur. Itaque, cum iusti, bonorum omnium ubertate completi, & incredibili gaudio cumulati fuerint, impius in summa egestate, & acerbitate, uersabitur. 18. Reddet inuitus omnia, quę sum mo labore quęsierat; & nec ex illis fructum ullum percipiet; sed, quasi merces ad certum tempus fide ab aliquo sumptas, ea restituere cogetur, ita, ut illorum copia numquam exsultare, & solido gaudio efferri queat. 19. Inopes enim, & egentes, afflixit; opem illius implorantes deseruit; domos uexauit, atque diripuit; nec uersas reficere curauit. Vt autem multis lautus, & copiosus, & opulentus, uideretur; numquam sibi ipsi uisus fuit; nec in partis opibus ullo modo conquieuit; nec animus ipse se diutem iudicauit. 20. Numquam enim illius infinita cupiditas expleri potuit. Semper igitur inopia, & indulgentia, laborauit; in summa mendicitate uersatus est; &, quo affluentius illi omnia prouenerunt, eo siti ardentiore flagrauit; frustraq. omne studium suum in coacernanda pecunia consumpsit. nec enim poterit, illius ope, hac peste redimi, impendentiaq. uitæ pericula propulsare. 21. Nullæ ciborum reliquiæ, quibus alantur posteri, remanebunt: bona siquidem hominis impuri amplificari non poterunt. 22. Etiam cum affluit opibus, & omnibus rebus, quas uehementer appetebat, expletus est, angitur tamen, & multiplici cura, & sollicitudine, conturbatur, &, illata omni ex parte mæstitia, contabescit. Tantis igitus malis undique premitur, ut, si nullum aliud supplicium accederet, satis tamen acerbas scelerum pœnas exsolueret. Sed non solum animi angore, & fraudis cruciatu, torquebitur, uerum alia ualde dira supplicia subibit. 23. Nam, cum omnibus uitæ commodis ita cumulatus exstiterit, ut uideatur ad illam summam potentiam, quam animo, atque spe, sibi finxerat, peruenisse, Deus repente in illum iræ suæ flammam, & incendium, concitabit; illiusq. statum, & opes uniuersas, demissa tempestate, atque procella, peruertet. 24. Quod si impius armatam ferro manum effugerit; sagittas arcu æneo uiolenter emissas excipiet; &, si primam Dei comminationem euaserit, in multo grauiores plagas incidet, quas nulla uigilantia, & sedulitate, depellet. 25. Strictus enim Domini gladius in illius exitium micabit; & in uisceribus adhærebit; hominemq. perditum, & afflictum, appropinquantis mortis horrore

4. Hoc scio a principio

5. Quod laus impiorum breuis sit.

6. Si adscẽderit usque ad cælũ superbia eius

7. Quasi sterquilinũ in fine perdetur.

8. Velut somnium auolans nõ inuenietur.

9. Oculus, qui eum uiderat.

10. Filij eius atterentur egestate.

11. Ossa eius implebuntur uitiis adolescẽtię eius

12. Cum enim dulce fuerit in ore eius malum.

13. Parcet illi.

14. Panis eius in utero illius.

15. Diuitias quas deuorauit euomet.

16. Caput aspidum surget.

17. Non uideat riuulos fluminis.

18. Luet quæ fecit omnia.

19. Quoniã confringet.

20. Nec est satiatus uentre eius.

21. Non remansit de cibo eius.

22. Cũ satiatus fuerit.

23. Vtinã impleatur uẽter eius.

24. Fugiet arma ferrea.

25. Educt⁹, & egredies de vagina sua.

26. Omnes tenebræ absconditæ sunt.

26. Omnes simul tenebræ, terræ penetralibus abstrusæ, quas ipse sibi scelere suo cond derat, in eum irruent; & ignis, non follibus incita us, (est enim sempiternus) illum populabitur; & omnes, qui relicti in sedibus illius exstiterint, assiduis malis agitabuntur. Hominũ enim perditorum heredes, simul cum nomine, & scelerum imitatione, funestæ cladis hereditatem adeunt; & exemplum tandem nationis impuræ, atque sceleste, perimitur. 27. Non igitur diu poterit homo nefarius, simulatione probitatis, imperitis errorem obijcere, ut, cum sit multis sceleribus inquinatus, sanctus tamen existimetur. Cælum enim illius iniquitatem in omnium oculis, & adspectu, constituet; & terra contra eum bellum omni odio imbutum comparabit.

27. Reuelabunt cæli iniquitatẽ eius.

28. Apertũ erit germẽ.

28. Quoties enim uniuersa natura Diuino iudicio ad alicuius exitium conspirat, toties hominis flagitiosi, & impuri, scelus, quod antea latebat, aperitur; & in illius uastitate crimina, quibus se adstrinxerat, omnium iudicio conuicta tenẽtur. Neque solum ipse cum posteritate sua peribit, uerum & illius opes ad similitudinem aquarum emigrabunt, atque diffluent, eo tempore, quo Dominus odium suum in religionis hostes exprompserit. 29. Hæc est hereditas impijs hominibus adeunda; & hoc est patrimonium, a Deo, ijs, qui numen illius indigno conuicio prouocant, rectissimo iudicio constitutum. Hactenus quidem Spharius: cuius quidem oratio, ut de Bildado superius dictũ est, non solum in eo perstitit, ut contra Iobum probaret, omnes impios esse miseros, & calamitosos, quasi ille contrarium asseruisset; sed etiam, ut illũ ostenderet esse hominibus impijs, atque perditis, annumerandum. Similiter enim, ut ipsi rebantur, fuerat status illius euersus, opes comminutæ, salus afflicta, genus exstinctum, & in omni genere calamitatis impiorum pœnam sustinuerat. ex quo effici contendebant, illum, quamuis fuisset iustitiæ, atque pietatis nomine celebratus, numquam tamen se uere iustũ, sed iustitiæ simulatorem, præbuisse.

29. Hæc est pars hominis impij a Deo.

CAP. XXI.

1. 2. Audite, quæso, sermones meos.

3. Sustinete me.

1. 2. AD hæc autem Iobus ita respondit: Vos oro, & obtestor, ut me attente audiatis. Nec aliud a uobis mihi in præsentia solatium dari postulabo. 3. Neque uos conturbet, si uocem aliquam misero, quam minime dignam auribus uestris arbitremini. Sed id æquis animis ferte: postquã uero meam sententiam exposuero, tum pro arbitratu uestro, quidquid uobis rectum uidebitur, facietis; & poteritis tunc commodius orationem meam, si uob s ita libuerit, insectari. 4. Vt igitur hinc exordiar, uelim scire, quid est in caussa, cur tam grauem uobis offensionem mæror in eius assiduus attulerit? num, qđ homines mihi graue aliquod uulnus inflixerint, nimium lamẽtor? an potius, quod ab ipso Deo percussus, & afflictus sim? Si igitur non opes humanæ, sed Diuinæ me pertulerunt, constat certe, dolorem quo torqueor, esse grauissimum. Quid igitur mirum est, si, cũ sim Dei manu sauciatus, animus meus acerbissime conflictatur? Si igitur gemitus edo, si cladem meam lamentor, si meum casum, & ruinam deploro, omnes meæ cogitationes ad Deum, qui me grauiter afflixit, a quo medicinã postulo, non ad homines, referuntur. illius enim clementiam, non hominum opem, imploro; & interim non possum, non in magna doloris acerbitate uersari. Nam, cum Dei maiestatem animo considerem; cum illius æquitatem, & iustitiam, mecum ipse reputem; cum clementiæ magnitudinem, qua mirabiliter excellit, mente recogitẽ; cum mihi sceleris nullius impij, atque nefarij, conscius sim; cum rationem, & consilium, quod secutus est ut me tantis plagis afficeret, explicare non possim; quid est, quod facere debeam? quod est uestrum consiliũ? quid, si hoc loco essetis, uobis faciendum putaretis? Possum ne sensus omnes opprimere? Possum ne cogitationem a tantis malis, quæ me undique circumstant, abducere? Non profecto. Restat igitur, ut ad Deum, a quo solo remedium exspectandum est, preces cum lacrymis, & querellis etiam, quas non impietas ulla, sed magnitudo doloris exprimit, adhibeam. Nõ igitur est, cur eiulatus meos, uocesq. lugubres ad Deum fusas, in magno crimine ponatis; sed potius, ut in humanitatem uestram damnetis, cum mihi calamitatis meæ deplorandæ, & remedij modis omnibus a Deo flagitandi, potestatem adimitis. 5. Sed illud idem in oratione uestra ponitis, me non immerito fuisse a Deo sauciatũ, sed, propter flagitia in cõspectu illius admissa, bonis omnibus exclusũ, & uulneribus concisum exstitisse. Non ne tandẽ aliquando reputabitis, quantum crimen sit, homini innocenti scelus, & crimen obijcere. Respicite igitur in me, &, cogitatione istius audaciæ, & temeritatis, obstupescite; istamq. maledicendi licentiam refrenate. 6. Nam & ipse, tanti sceleris recordatione, perturbor, &, horrore perfusus, totis artubus contremisco. Qui enim probis hominibus maledicit, non hominibus, sed Deo, in cuius tutela sunt, impudentissime maledico. 7. At, quam crebro illud unum argumentum repetitis, non esse æquitatis Diuinæ, pœnas improbis debitas probis hominibus irrogare. Deũ namque dicitis semper bonis benigne consulere, & malos profligare, atque perdere. Ideo autẽ fieri, ut mali malis uexati sint, & boni multis bonis abundent. 8. Vnde concluditis, eũ, qui malis premitur, esse omni flagitio corruptum, & non paucis criminibus alligatũ. Quæro igitur: Num homines impij ex omnibus huius uitæ cõmodis expulsi sunt? Cur igitur impij uiuũt? Cur ad senectutẽ peruenĩũt? Cur opibus, & potentia, roborantur? Cur, ipsis sæpe uiuentibus, eorum liberi florentes sunt, & in oculis eorum, opibus, & dignitate, circumfluunt? 9. Illorum sæpe domus, omni metu uacua, pace, & otio, perfruitur; nec interim ulla pœna Diuina, quæ uideri possit, illos insequitur. 10. Nec illorum tauri sine fructu ad susciendam sobolem admittuntur; neque uaccæ sunt infecundæ, nec, abortione perculsæ, fetum informem eijciunt. 11. Infantes, illorum satu procreati, ut ouium greges, incedunt; eorumq. liberi ludis exsultant. 11. Ad tympanũ, atque

4. Nũquid contra hominem.

5. Attendite in me.

6. Et ego quando recordar? fuero.

7. Quare ergo impij uiuunt.

8. Semen eorum permanet coram eis.

9. Domus eorum secure sunt.

10. Bos eorum concepit.

11. Egrediũtur quasi greges.

12. Tenent tympanum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

atque cytharam; choros ducunt; festosq. dies agitant; & saltationem ad fidium sonitum modulantur. 13. Eiusmodi bonis expleti, dies transigunt; neque diuturnis morbis intabescunt, sed tō pestiue, atque sine longa molestia, e uita discedunt; & sepulcro conduntur. Itaque non semper, ut dicitis, malis omnibus opprimūtur impij: multi enim sunt, qui abundant his commodis, quæ commemorauit, quamuis sint omni diritate terribilissimi, sanctissimumq. Dei numen, cum proiecta audacia, & immanitate minime toleranda, despiciant. 14. Ita enim uitam instituunt, ut hoc plane dicere uideantur; & huiusmodi uerbis Deum a se longissime segregare: Abscede a nobis. Omnem enim legis tuæ disciplinam, auribus, & animis, aspernamur; neque, quid a te præscriptum, & imperatum sit, sed quod nos insita cupiditas facere admonet, curandum ducimus. 15. Quis enim Dominus est, ut illius dominatum patiamur? Aut, quam utilitatem, si manus ad illum tetenderimus, ex ea religione capiemus? Parum ne rebus exploratum est, non religione, & æquitate, sed numinis contemptu, & iniustitia, opes augeri, & amplificari? An id non plerumque accidere uidemus, ut, qui nimis sancte iustitiam colunt, sint iniuriis obnoxij, resq. illorum quotidie magis imminuatur, illiq. tantum opulentissimi sint, qui officia uitæ non iure, sed utilitate, metiuntur? An id minime perspicuum est, stultitiæ, & timiditati, fuisse religionis nomen impositum, ut, quod homines, uel stultitia cæcati, non uidēt, uel imbecillitate impediti, non audent, id officij religione prætermisisse uideantur? Libenter igitur illis hoc inane nomen iustitiæ concedimus, quod eorum domos exhaurit, & nostras explet. Illos religione distineri non ægerrime patimur, ut ea constricti nobis minime repugnent, & ita facilius ex illorum bonis per uim, aut fraudem, prædas asportemus. Ius igitur Diuinum, quod tantum nobis detrimentum attulisset, odio iusto persequimur; religionis studium, quod tantum nostris rationibus obstare potuisset, merito detestamur; & uiam, quam Dominus monstrat, ut totius utilitatis, atque uoluptatis, expertem, summa uoluntate deserimus, ut uiis nostris, quæ magnam sane nobis spem emolumenti, & iucunditatis, ostendunt, libere ingrediamur. Hæc est impiorum hominum cogitatio; hæc eorum, quos sæpe multis opibus affluere cernimus, mens, & sententia. 16. Eorum tamen felicitas non est in eorum manu posita, sed multis sæpe casibus horribilibus, atque repentinis, inuertitur. Eorum igitur consilia, cum sint sceleris, & amentiæ, plena, detestor. 17. Quam subito enim lucernæ lumen, quo impij splendent, exstinguitur? Irruet enim in eos de improuiso pestis, atque pernicies, infensumq. Dei numen illis hereditatem, & patrimonium, doloris immensi, atque sempiterni, constituet. 18. Vt paleæ, uento uehementer agitatæ, dispellentur; &, tamquam aristæ, turbine maximo correptæ, dissipabuntur: Deus ab impij filiis, qui patris, ut plerumque fit, sceleis imitantur, patris opes, atque potentiam remouebit; 19. in illiusq. scelus seuere uindicabit; & tum demum, cum perditus homo pœnas sceleris & immanitatis, exsoluerit, intelliget, quanta amentia oppressus exstiterit. 20. Cernet oculis suis pestem, quam sibi ipse scelere suo comparauit; & Diuini furoris poculum haurire compelletur. 21. Quid ex tantis opibus, ex tantis uitæ deliciis, ex tantis uoluptatis illecebris, ex tanto dignitatis splēdore, reliquum post illius mortem in illius domo conspici potuit? Quo modo tandem im medio felicitatis cursu, eo tempore, quo maxime uidebatur omnibus florentissimæ uitæ præsidijs, & ornamentis, redundare, ictu repentino concidit, & in ipso status flore, atque robore, ab omnibus uitæ commodis, intempestiuæ mortis impetu, diuulsus est? Nec enim umquam illorum mors matura esse potest, quorum animi rebus terrenis addicti sunt, a quibus quocumque tempore eos auelli contingat, quasi in medio uitæ cursu uiolenter excisi sint, amissam uitam lugent, & deuij importuna mortis conqueruntur. Quid ergo? An erit quisquam tam sine mente, qui Deum rerum scientia instruere uelit, cum uideat, ab illo tam singulari ratione iudicium, contra homines in alto gradu locatos, exerceri? 22. Attamen ratio, quam Deus in iudicio constituendo sequitur, non eadem est, in omni peccatorum animaduersione. Nunc enim celeritatem in uindicando suscipit; nunc differt, atque procrastinat, prout uariæ rationes, & opportunitates, minime compertæ nobis, efflagitant. 23. Inde adeo fit, ut alius, integra ualetudine, in summa rerum affluentia, & tranquillitate, uitā degens, e uita discedat; 24. cuius etiam defuncti facultatibus, atque diuitijs, nutriri queant liberi, & tamquam lactis ubertate compleri, & opimis spoliis, quasi medullis ossium, fagināri. 25. Alius rursus ita per omnem uitam cum omnium rerum inopia, & acerbitate, confligtatus est, ut num quam ulla iucunditatis parte frueretur. 26. Vterque tamen, simili ratione, e uita excedens, in puluere decumbit, & simili uermium integumento contegitur. Itaque ea, quæ de impiorum exitio dicitis, uere dicta sunt, & ab iis, quæ disputo, non ualde discrepantia, minime tamen ad me arguendum cohærentia. 27. Noui enim, quo uestra tendat oratio, & quid animo designetis, & quo modo omnes conatus uestros ad me deijciendum comparetis. 28. Sic enim dicitis, cum de miseri hominis interitu, & calamitate disseritis, Vbi nunc est domus hominis illius, qui erat opibus, & honore, & imperio, facile princeps? Vbi nunc est illius amplissimi loci designatio, qua fuerunt tabernacula impiorum collocata? Hæc autem a uobis dicta in me ita iaciuntur, quasi ipse de statu meo, propter impietatem, conciderim; & non intelligitis, fore, post huius uitæ finem, iudicium, quo sunt tandem facta cuiuslibet examinanda, & meritæ pœnæ impiis persoluendæ. Vt igitur in hac uita florens status nullum certum afferre potest ingenuę probitatis indicium; ita nec euersus, & afflictus continet ullum firmum impietatis, atque fraudis, argumentum. Num hæc doctrina est abstrusa nimis, atque recondita? An potius ualde per-

13. Ducunt in bonis dies suos.

14. Qui dixerūt Deo

15. Quis est Opotens.

16. Verumtamē, quia non iunt.

17. Quoties lucerna impiorum exstinguetur.

18. Erunt sicut paleæ.

19. Deus seruabit filiis.

20. Videbunt oculi eius.

21. Quid ea ad eū pertinet.

22. Numquid Deum docebit.

23. Iste moritur robustus.

24. Viscera eius plena sunt adipe

25. Alius sine ro moritur

26. Et tamē simul i puluere dormiunt.

27. Certe noui cogitationes uestras.

28. Dicitis enim.

permulgata, omniumq. ferme hominum communibus sensibus infixa? 29. An, si de uiatoribus quærere uoletis, quibus signis iustos a iustis internoscant, num res secundas, aut aduersas, proferent, ob iustitiæ, aut iniustitiæ discrimen? Non certe. sed uitæ sancte, aut impie actæ rationem. 30. Si quæsieritis, quo modo permittit Deus, ut improbi bonis affluant, summa consensione decernent, impiorum supplicium in illum diem calamitatis sempiternæ reseruari, quo sanctissimus ille iudex omnes iræ suæ uires in sceleratos homines profundet? Si igitur in hac uita minime puniuntur, iccirco fit, ut tunc multo acerbius æuo sempiterno cruciētur. 31. Quis enim alius poterit occultum scelus arguere, & uitā in tenebris turpiter actam in omnium oculis, atque mente defigere, & merita unicuique, pro rerum a quolibet gestarum ratione, persoluere, nisi ille tantum, cuius nec mens falli, neque iudicium eludi, neque seueritas inflecti potest? 32. Quam inimicus, & infensus sit Deus improbis in hoc rerum statu, non ita clare cernitur, eo quod sæpenumero non solum abundant rebus omnibus ad uictum, & cultum, & elegātiam accommodatis, uerum etiā in morte funere amplissimo cohonestantur. Is igitur, cui, propter scelus immane, sempiterna supplicia subeunda sunt, non in uulgari tumulo, nec in macro solo, sepelitur, sed in sepulcrum magnifice ædificatum, quod ipse summo studio, & uigilantia, in fertili, & opima tellure, uiuens exstruxerat, a suis infertur, ubi in exstructis frugū acernis possit illius memoria quotannis hominū frequentia celebrari. 33. Itaque multi glebas illas, e torrente aunlsas, & in aggerem congestas, in quibus ille humatus est, cum iucunditate frequentabunt; hominisq. impuri nomen, quasi uiri magni, & excellentis memoriam, laudibus ornabunt. Exemplo deinde sceleris, & iniquitatis, omnes homines, qui potuerint tyrannidē illius imitari, in eandem pœnam detrudet. Et multo ante, quam ille esset in uitam ingressus, innumerabiles homines, spe amplissimæ utilitatis illecti, & eandem sectam consecuti, eundem finem subierunt. Nā, cum animaduertissent, multos eorum, qui per uim, & fraudem, opes auxissent, minime pœnas in hac uita facinoris scelesti pependisse; maiore quadam audacia, & impudentia, ut tyrannidem occuparēt, facinora capitalia moliti sunt. Non igitur semper uerum est, quod asseritis, Dei numen in sceleribus ulciscendis apparere. Multa namque facinora seuerissime uindicanda adillū extremum iudicium reseruata sunt. 34. Quid igitur me uerbis uanissimis consolari multis? Cur, dum mihi mærorem, in quo sum, minuere studetis, multo magis dolorem amplificatis? Semper enim in responsionibus uestris refidet aliquid, quod grauius animum meum exulceret. Vos igitur oro, ut opinionem, quam de me, quasi de homine facinoroso, recepistis, tandem aliquando deponatis; & caussam Diuini iudicij, quæ uestro patrocinio minime indiget, omittatis; neque iam de quotidianis exemplis, quæ maximos errores interdum afferre solent, sed de sempiterna uita, in

29. Interrogate quem libet

30. Quia in diem perditionis.

31. Quis arguet corā eo viam eius?

32. Ipse ad sepulcra ducetur.

33. Dulcis fiunt glareis Cocyti.

34. Quo modo igitur consolamini me frustra?

qua nulla uarietas, & inconstantia uersatur, assidue cogitetis. Hac Iobi ratione, amici illius minime de sententia destiterunt.

CA. XXII.

1. 2. HELIPHASIVS igitur in illum huiusmodi uerbis inuectus est: Num Deus a uiris aliquā utilitatem capiet? Vt enim rebus tuis sapienter admodum consulas, quod tandem ex prudentia tua emolumentum ad illum peruenier? Nullum sane. 3. Quæ igitur tanta illum cupiditas iustitiæ tuæ tenere potest, quasi sit ex illa uoluptatem eximiam percepturus? Aut quem fructum sibi ex integritate studiorum tuorum comparabit? Sed esto. Nihil est omnino boni, quod a te exspectare possit. 4. Sed, ne illi malum inferas, fortasse cauet; & ideo sedulo curat, ut te a scelere instituto deterreat, non quidem, ut illi profis, sed ne aliqua ex parte noceas. Quid ais? Iccirco, ne, quod uires tuas metuat, tibi crimen intendit, & te in iudiciū uocat, ut legibus adstringat, ne illi molestus esse possis? Minime. Quid ergo? Si neque suum commodum exspectauit, neque sibi malum metuit, qua nam alia de caussa suspicari merito potes, illum tibi tantum calamitatis inuexisse, nisi ut tibi benigne consuleret, impositisq. plagis animum tuum a scelere reuocaret? Quid igitur tergiuersaris? Cur caussas cladis istius tibi minime notas esse lamentaris? Cur te purgare frustra contēdis? 5. An non satis constat, ex ui calamitatis, quæ te peruertit, te, propter flagitia quam plurima, & iniurias innumerabiles, fuisse tantis ruinis oppressum. 6. Fratres namque tuos absque ulla caussa pignoribus ablatis euertisti; egentibus uestimenta, quibus frigus depellebant, immanissime detraxisti; 7. aquæ poculum sitienti minime porrexisti; neque panem ei, qui fame uexabatur, apposuisti. Non uirtute, & merito tuo, sed uiribus, & potentia, ad honores summos euectus es. Hoc enim fieri plerumque solet, ut terrarum imperium, non ad bonos, & spectatos homines, sed ad illos, qui multum possunt, multitudinis amētia deferatur; & ij potissimum regnum possideant, qui reliquis non uera dignitate, sed opibus, antecellūt. Quod igitur omnium ciuium tuorum consensu in alto gradu dignitatis, & imperij, locatus es, id nō fuit uirtuti tuæ, sed potentiæ, tributum. 8. Nam, quod ad uirtutem attinet, quod specimen illius dedisti, ex quo uerissimæ honestatis splendore possemus cognoscere? 9. Viduas enim uacuas, & inanes, dimisisti; tenues pupillorum uires afflixisti. 10. Iccirco laqueis circumquaque propositis irretitus es, & in statum tuum repentinus terror inuasit. An non circumspicis, quo in loco sis? Quæ te miseriæ circumuallēt? In quam horribiles ærumnas incideris. 11. Tætræ namque tenebrę rebus tuis offusæ sunt; e luuio aquarū te depressit, & obruit; & tamen, quasi mediocre te malum perculerit, ita magnifice loqueris. Cum ipso Deo certamen inire non dubitas. 12. Non ne uides Deum altitudinis immensitate cæli fastigia superare? Respice, quæso, sidera, quam altum locum in cælesti natura teneant: quæ tamen omnia ipsius Domini ui, & potentia, coercētur. Quid igitur illius numen, improbis grauiter infensum, nō extimescis? 13. Sed ea for-

1. 2. Numquid Deo poterit cōparari homo.

3. Quid prodest Deo.

4. Nūquid timens arguet te.

5. Et non propter malitiam tuā, plurimam.

6. Abduxisti enim pignus fratrū tuorū.

7. Aquā lasso non dedisti.

8. In fortitudine brachij tui.

9. Viduas dimisisti vacuas.

10. Propterea circumdatus es laqueis.

11. Et putabas te tenebras nō visurum.

12. An cogitas, quod Deus

13. Et dicis, Quid enim nouit Deus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ea fortasse confidentia tibi animos affert, quod opineris ea crimina, quæ in tenebris commisisti, a Deo animaduerti non posse. Sic enim ipse tecum loqueris: An Deus potest oculis omnia perlustrare? An ea etiam, quæ tenebris, & caligine demersa latent, inspicere? 14. Nubes oculis illius obtenduntur, ne, quæ geruntur in terris, adspiciat; & ijs negotijs implicatus est, ut res humanas intueri non possit. Globum enim cæleſtem circum axem uersat, nec huius tanti muneris ullã uacationem habet, ut animo libero, quæ ab hominibus fiunt, curare possit. Hæccine scelera? hæccine flagitia? 15. An non, eadem ista opinione decepti, corruerunt omnes, qui, præcipites amentia, iura omnia, Diuina, & humana, uiolarunt, multaq. facinora capitalia, cum magna generis humani pernicie, fuscepерunt? Omnes enim ferme, qui tetra, & impura, facinora moliuntur, ideo ea moliuntur, quod se a Deo minime uideri, & animaduerti, arbitrentur. Placet ne igitur tibi, eandem uiam ingredi, quam nequissimi homines, rebus terrenis addicti, & cæleſtium prorsus immemores, inierunt? Nec interim recolis animo, quam irriti, & inanes fuerint illorum conatus, quam fallaces spes, quam plena uanitatis studia? 16. Nam multo ante tempus deformi senio confecti sunt; & illorum fundamentum, instar torrentis celeriter effusi, subito defluxit. Quorum tanta audacia fuit, ut in præpotentem Dominum contumelias minime ferendas in torserint. 17. Dicebant enim Deo, Secede a nobis. Quem enim fructum poterunt homines, opibus parandis, atque fruendis, intenti, a Deo percipere? Et tamen ipse Deus, quem animi ingrati scelere in se prouocabant, eorum domos opibus expleuerat. 18. Omnia siquidem bona illius immẽsa benignitate continentur. Illorum igitur scelus exhorreo, amentiam exsecror, consiliumq. detestor. Vt enim ad aliquod tempus opibus floreãt, breui tamen de statu conuellentur, & debitis pœnis agitabuntur. 19. Videbunt iusti, & lætitia efferentur, & in impiorum hominum calamitatibus insultabunt. 20. Quod longe secus nobis euenit, qui scelus odio habemus, & iustitiæ odio nitimur, & spem nostram non in opibus fluxis, sed in Dei bonitate, reponimus. Nec enim salutis nostrę præsidium, atque firmamentum, exscindi poterit; at illorum etiam reliquias ignis absumet. 21. Quare te, per amicitiam, oro, & obsecro, ut te respicias, saluti tuæ consulas, improborum consilia repudies; bonorum studia non aspernere; comprime tumorem animi; te ipsum, quantum potes, abijce; nec in uirtute tua, sed in Dei clementia, & bonitate, omnia præsidia uitæ constitue. Supplicibus igitur uerbis ab illo pacem, & ueniam, pete; omnia studia uitæ ad legem illius accommoda; & sic non modo ueniam impetrabis, sed bonorum omnium copia cumulabere. 22. Accipe ab illo legis sanctissimæ disciplinam, illiusq. uerba mente complecte, animoq. tuo semper impressa, & insculpta sint. Si enim ad Deum toto animo conuersus fueris, illius numine, & beneficio, pristinas opes, & dignitatem, recuperabis, & sobolem ex te florentẽ propagabis, omnemq. iniustitiæ labẽ e tabernaculo tuo repelles. 24. Illius enim ductu, opes eximias sub terram abditas effodies; & ab excisa silice auri purissimi uenę tibi, quasi aquę perẽnes, emanabunt. 25. Tunc igitur eris Dei omnipotentis præsidio circumsæptus, & opibus ab illo ad salutis tuæ custodiã exaggeratis omni ex parte munitus. Ita que non solum bonorũ Diuinorũ copia redundabis, sed etiã Diuino præsidio, atque robore, sæpieris. Tunc etiam delicijs sempiternis affluES; & tecum ipso Domino peramãter oblectabis; neque, timore perterritus, terram intuebere, sed ad Dei conspectum faciem tuã fidenter attolles. 27. Quoties opẽ illius imploraberis, exaudiet te, & uota, quę nuncupaueris, solues. Is enim tibi semper in precibus, atque uotis, occurret. 28. Quidquid animo decreueris, exitus felices habebit; omnesq. uię tuæ splendore Diuino collucebunt. 29. Omnes enim illi, qui se coram Deo abijciunt, atq. demittunt, quamuis eorum opes excisæ sint, salutẽ ab illo, & animorum tranquillitatem, repente consequuntur. 30. Vt autem abiectos excitat, & donis, atque muneribus, afflictis ita eorũ statum, qui reti nent innocẽtiam, nec animos suos scelere pollui, & contaminari, patiuntur, tutos, & incolumes, ab omni calamitate conseruat. Quamuis enim innocentis status undique fluctibus oppugnari uideatur, numquam obrui poterit; sed securus, & immobilis, in omni tempestate permanebit. Est enim uitæ castimonia firmum, & inuictum, in omni rerũ discrimine dignitatis, & uitæ, propugnaculũ. Ne autem deinceps labi queas, summã in omni uitæ officio puritatẽ perpetuo cõseruabis. Sic igitur & opibus summis, & eximijs uoluptatibus, affluES; & Dei præsidio munieris; & illius familiaritate perfrueris; & in trãquillissima pace uersaberis. Ita que censeo, neque spem salutis esse tibi deponendam, nec integritatis laudem inaniter assumendam. Si enim pristinas uitæ labes studio pietatis elueris, Deum ualde propitiũ habebis; si uero tibi iustitiam arrogaueris, teq. nullo merito tuo plagis affectum perpetuo dixeris, non mediocriter iratum senties.

14. Nubes latibulum eius.

15. Numquid semitã seculorum.

16. Qui sublati sunt ante tẽpus suum.

17. Qui dicẽbãt Deo.

18. Cum ille impleſſet.

19. Videbunt iusti. 20. Nõ ne succisa est erectio eorum.

21. Acquiesce igitur ei.

22. Suscipe ex ore illius legem.

23. Si reuersus fueris ad Omnipotentem.

24. Dabit pro terra lucem. 25. Erit tu Oipotens contra hostes tuos.

Tũc super Omnipotẽtem.

27. Rogabis eum.

28. Decernes rem.

29. Qui enim humiliatus fuerit.

30. Saluabitur innocens.

1. 2. AD hæc Iobus respondens ait: Idem etiam nunc doloris stimulus animum meum lacerat; eadem calamitatis acerbitas me curis agitat, atque mærore cõficit. Vis enim ærumnæ, quę me premit, multo grauior est, quam ut illis suspirijs, atque gemitibus, demonstrari possit. Parum deinde uisum fuit illi, qui me tantis oppressit erũnis, his tantis malis affligere, nisi etiam nomen meum tã indignis contumelijs maculari ab amicis fineret. Non probo illis innocentiam meã, sed in eo perseuerant, ut me sceleris, & arrogantię, cõuincant. 3. Quo me uertam? quibus argumentis obiecta crimina diluam? Quibus hominibus interdicam, ut, in quæ loca se abdiderit, inuestigem, nec ibi illum cerno. 10. Verum enimuero hoc solatio uti possum, quod is meæ uitæ rationem exploratam habet, & nouit, quam pure, & caste, numen illius ueneratus sim. Sed probare me uoluit, ut, tamquam aurum fornacis incendio conflatum, multo purior ex his ærumnarum flammis, quibus crucior, exirem. 11. Pedes namque mei semper illius uestigijs institere: uiam illius diligenter obseruaui; nec ab ea umquam in alterutram partem declinaui. 12. numquam detrectaui imperium illius: sanctiones, quas ore protulit, intima mente complexus sum. 13. Attamen, cum idem, & sibi similis, in omni æternitate permaneat, quis eum a rata, atque fixa sententia depellet? Quæcumque enim mente designauit, & animi uoluntate, & studio, comprobauit, certe perficiet. 14. Mihi igitur id, quod illi uisum fuit, onus imposuit, &, quasi certi operis pensum, assignauit. Nec in me primum hoc consilium secutus est, ut uirtutem laboribus exercendam, & doloribus probandam esse demonstraret; sed in multis etiã hominibus pietate excellentibus, quos ob eãdem caussam multis incommodis affligi permisit. 15. Non est igitur hoc opus Domini, nouum, & inusitatum, & priscis temporibus inauditum, ut ea ratione conturbari, meamq. uitam criminari, debeatis; sed sæpe, atque multis in locis, ab eo perfectum. 16. Iccirco eo tempore, quo res meæ erant ualde secundæ, metu tamen interdum cladis, quæ mihi consilio illius accidere potuisset, animo conturbabar; &, præ meditatione calamitatis, angebar, & numen illius metuebam. Verum Deus, (quamuis mihi nihil præter opinionem acciderit, & ad omnia mala perferenda animo meditatus, atque paratus ante fuerim) adeo me uiolenter oppressit, ut omnes animi mei uires elideret, & statum meum perturbaret. 17. Itaque non inopinato mihi calamitas hęc inuecta, & importata fuit. Nec enim ullæ me tenebrę perdiderunt, nec ulla caligine impeditus fui, quo minus ea, quæ euenere, multo ante prospicerem.

3. Suscipiam pro terra licem. 4. Ponã coram eo iudicium.

3. Cũ ijs quibus.

5. Vt sciam uerba.

6. Nolo multa fortitudine cõtendat mecum.

7. Proponat æquitatem contra me.

8. Si ad Orientem ibo.

9 Si ad finistram.

10. Ipse uero scit uiã meam.

11. Vestigia eius secutus est pes meus.

12. A mandatis labiorum eius.

13. Ipse enim solus est.

14. Cumq. expleuerit.

15. Et iccirco a facie eius.

6. Deus mollíuit cor meum.

1. HAEC cum ita sint, quid uobis in mentem uenit, tam sæpe eodem argumẽto pugnare, quod nullas omnino uires habet? Si enim ex eo, quod me ærumnis oppressum cernitis, me esse maleficum hominem, & iniustum, colligi posset: Deum minime nosse temporum opportunitates, quibus homines iniusti illius iudicio peruertendi sunt, & iusti rursus excitãdi, ut dies salutares aduentare consp iciant, omnino sequeretur. Si enim calamitas huius uitæ scelus arguit, ergo felicitas probitatis indicium facit. Cum igitur Deum uideamus, in perditorum sceleribus conniuere, & iustos incommodis acerbissime interdum uexari, concludi necessario posset, Deum multa fugere, neque sciẽtiam illius omnia complecti. Num scelera, & flagitia, quæ homines perditi, atque profligati, passim suscipiunt, minime explorata, & cognita sunt? An infanda facinora, quę moliuntur, parum omnium oculis notari solent? An non quotidianas egentium querellas, qui ab improbis innumerabiles iniurias patiuntur, nonauribus usurpamus? 2. Improbi terminos cuellunt, ut eos, qui minus possunt, agris expellant; greges aliorum rapiunt, quos in pascuis suis contineant; 3. pupillorum asinos abigunt; uiduarum boues loco pignoris abripiunt; 4. pauperes uia cedere coguntq; tantumque timorem hominibus egentibus incutiunt, ut se in latebras abdere festinent, ne ullum eorum, a quibus spoliantur, adspiciant. 5. Quidam, uelut onagri, in solitudine discurrunt, &, quasi nihil aliud operis habeant, unde prædas agere possint, uigilanter explorant; atque mane surgunt, ut rapinis liberos suos alant. 6. In alienis fundis segetes demetunt impij, uineas alienas impune uindemiant; 7. homines egentes, ab illis nudati, pernoctant in frigore; 8. nec ullum habent integumentum, quo imbrem effusum in montibus arceant; &, immodica pluuia madefacti, omniq. uestium præsidio destituti, saxorum sibi perfugia comparant. 9. Tanta uero crudelitate flagrant homines impurissimi, ut pupillo, iam bonis euerso, & spoliato, tenues etiam patrimonij reliquias detrahant; &, quidquid reliquum esse uident in bonis hominis egentis, & afflicti, pro pignore putent, & auferãt: 10. inopem, detractis omnibus uestimentis, nudum expellunt, & ejciunt; & e manibus famelici manipulum frugis extorquent. 11. Intra muros illis olei uis ingens emanat, & in torcularibus, qui eis uinum exprimunt, siti cruciantur. In summo igitur otio, aliorum operis, atque labo

CAP. XXIV. 1. Ab Omnipotente nõ sunt abscondita tẽpora.

2. Alii terminos trãstulerunt.

3. Asinum pupillorũ abegerunt.

4. Subuertunt pauperum uiam.

5. Alii quasi onagri.

6. Agrum non suũ demetunt.

7. Nudos dimittunt homines.

8. Quos imbres montium rigãt.

9. Vim fecerunt deprædantes pupillos.

10 Nudis, & incedentibus absq. uestitu.

11. Inter arcuos eorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ribus perfruuntur, cum ipsi, qui eis seruiunt, & labore defatigantur, nullum fructum ex impenso labore percipiant. 12. E media ciuitate miseri mortales inclamant, & de iniurijs illatis queruntur; &, qui uulneribus confossi sunt, animo nimis anxio clamores edunt; & tamen Deus iram suam continet; ita, ut homines sceleratos ne minimis quidem pœnis afficiat. 13. A luce per summum perfidiæ scelus desciuerunt: uias, quas Diuinæ legis splendor illis monstrabat, deseruerunt; &, cum multum progressi in errore pestifero fuissent, non tamen ullo modo in uiam redire uoluerunt.

12. De ciuitatibus fecerunt uiros gemere

13. Ipsi fuerunt rebelles lumini.

14. Ante lucem uigilant sicarij; ut ferro uitam hominibus tenui uictu contentis eripiant; opportunitate uero noctis, tanquam fures, ad aliorum opes diripiendas abutuntur. 15. Porro autem adulter primas noctis tenebras obseruat, ut oculos hominum uitet; & caput etiam inuoluit, ne, dum tantum scelus machinatur, agnosci possit. 16. Die notat oculis domos, quas nocte perfodiat; lucem, ut nequitiæ contrariam, & inimicam, detestatur. 17. Matutinæ lucis exortum instar mortis esse putat; &, si fuerit manifesto deprehensus, exhorret, & mortis formidine pertertetur. 18. Leuis est, & inconstans, & aqua summa fluminis incitati mobilior; & iccirco nec ille, neque res illius stabilitatem habere poterunt, sed labentur, & effluent, neque ullo in loco consistent; attamen eorum scelus non erit impunitum, ut imperiti suspicantur. Nec enim Deus iuris obliuiscitur; neque, quæ ab impuris hominibus designentur, ignorat. Itaque hominis scelerati patrimonium in terra erit detestabile, & exsecrandum. Dum enim futiles, & inanes uoluptates exquisiuit, uiam uerissimæ uoluptatis, atque iucunditatis, ignorauit. Nec in uineas, quibus suauissimus fructus excipitur, deduci potuit, sed in locum præcipitem se dedit, unde in omnem acerbitatis, & miseriæ colluuionem decideret; neque dulcissimum Diuinæ disciplinæ uinum bibere uoluit; & ideo poculum amarissimum Diuinæ ultionis exhausit. 19. Vt autem tellus arida, solibusq. perusta, omnes aquas, quæ ex liquatis niuibus emanant, absumit, ita Erebus eos, qui se peccatis inquinauerunt, exsorbebit. Erit igitur illis ad clementiam Domini aditus præclusus. Nec enim animi curam ullam habuerunt, sed omnia uitæ studia ad corpus contulerunt, quo quidem uermes, quasi pabulo iucundissimo, saginandi sunt. 20. Eorum nomen ex hominum memoria penitus euelletur, & iniquitatis opus tandem, instar aridi ligni, perfringetur. 21. Homo enim maleficus nullam misericordiam tribuit illis, qui erant omni suorum ope, & auxilio, orbati. mulierem enim infecundam afflixit, & uiduam malis oppressam minime subleuauit. 22. Tantum uero interdum uiribus pollet, ut homines etiam potentes sibi subijciat; & tamen, cum tantas opes habeat, numquam animi tranquillitate frui potest.

14. Mane primo consurgit homicida.

15. Oculus adulteri observat caliginem.

16. Perfodit in tenebris domos

17. Si subito apparuerit aurora.

18. Leuis est super faciem aquæ.

19. Ad nimium calore transeat

20. Obliuiscatur eius misericordia.

21. Pauit enim sterilẽ

22. Detraxit fortes in fortitudine sua.

Nemini enim credit, insidias ab omnibus uitæ suæ fieri suspicatur, & necem, & cruciatum, uehementer exhorret, & eo metu cogitur sæpenumero illis, a quibus sibi timet, perniciem moliri. 13. Quamuis enim aliquis se illi muneribus insinuare studeat, &, ea calliditate nixus, confidat, sibi nullum ex eo, quem donis obstrinxit, incommodum euenturum, is tamen insidias illi, qui eum sibi obsequio deuincire statuit, nefarie comparabit. itaque uias illius obseruabit, ut in illum pestem, & exitium, machinetur. 24. Improborum igitur status, quamuis extolli, & ad summum honoris fastigium euehi a multis existimetur, detestabilis, & exsecrandus est. Eos elatos in sublime conspicies, atque repente deiectos animaduertes: ita, ut nihil omnino pristini splendoris appareat. Qui fuerant opulentissimi, ad summam inopiam rediguntur; illorum opes, ut reliqua humana omnia, morte consumuntur; &, quasi spicæ necis improuisę, falce demetuntur. Non Deum iniquitatis insimulo; non impiorum statum felicem prædico; sed eorum scelus exsecror, amentiam conuinco; quam miseri, quam infelices, & ærumnosi sint, quibus possum uerbis explano. Id tamen dico, & testificor, &, quam maxime possum, contendo, nec illam fortunam ad speciem ualde florentem, in qua multi sunt, quamuis eos in funere etiam consequi uideatur, dare testimonium probitatis; neque rursus ærumnas, & calamitates, improbitatem hominis afflicti conuincere. Nam & improbi, quamuis uulgo beati reputentur, in hac tamen uita sunt diris casibus obnoxij, & assiduis maleficiorum pœnis agitantur, & post hanc uitam debita sceleribus eorum supplicia persoluent; & probi, ærumnis exerciti, & multis in omni malorum tempestate argumentis examinati, uerissimæ tamen dignitatis ornamenta retinent, & præmia tandem immortalia, atque Diuina, consequentur. Nullam igitur habent uim argumenta, quibus ex calamitate, quæ me uexat, me sceleratum esse contenditis. 25. Quod si hæc uobis minime probantur, uelim intelligere, ubi nam ille est, qui orationem meam refellat, meque falsum dixisse peruincat.

23. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ.

24. Eleuati sunt ad modicum.

25. Quod sinô est ita

CA. XXV.

1. AD hæc autem Bildadus Hasuitha respondens, inquit: 2. Nemo sanus potest ullis rationibus adduci, ut summum illum Dominum, penes quem summa potestas est, iniquitati affinem suspicetur. Nec enim metuit quemquam, nec natura ad sæuitiam propensus est. Est enim summus rerum omnium Dominus, imperio infinito præditus, solus metuendus, omniumque ueneratione colendus. Quam sit autem natura beneficus, ex ea pace, quam in cælesti natura constituit, admodum clare perspicitur. Vnde concludi potest, cum ille in terris pacem turbat, & dolorem multis efficit, id ex eo prouenire, quod multi ab illius institutis, atque moderatione, deficiunt. 3. Num cælestia illius agmina numero definiri possunt? num splendor illius exoriens, gentibus ullis denegatur? Ergo, cũ unum

2. Potestas & terror apud eũ est.

3. Nũquid est numerus militum eius?

unum uim infinitam potentiæ declaret, alterum immensam illius benignitatem oculis subiiciat, & ita efficiatur, neque metum, nec inuidiam, nec ullam malignitatem in iudicio illius dominari posse, restat necessario, ut fateamur, quoties statum hominis turbari, & doloribus implicari, perspicimus, eas omnes clades ex humani sceleris fonte profluere. Et tamen audebit quisquam, cum calamitatibus obruitur, asserere, se pœnam illam, quam iudicio Diuino sustinet, minime commeruisse? Indignitate rei permoti, cogimur eandem sæpius iterare sententiam. 4. Quid enim est homo, ut possit, in Dei iudicio solui omni scelere? Quæ natura illius est, qui fuit ex aluo mulieris in lucem editus, ut queat puritatem in uita perpetuo retinere? 5. Quid illud? Quod idem Dominus Lunæ tenebras affert; & stellas in illius conspectu minime puras esse demonstrat? 6. Quid igitur erit de homine, non multum ab imbecillitate, atque putredine uermium, distante, statuendum? Aut, quid est de humana natura, quæ non multum quodlibet insecti genus constantia, & firmitate superat, ab homine sapiente, atque moderato, iudicandum? Vnde concluditur, cum adeo constet, hominem, & naturæ propensione, & uoluntate, & studio, in peccatis uersari, iure, atque merito, quoties plagis afficitur, a Deo puniri.

4. Nũquid iustificari potest homo.

5. Ecce luna etiã nõ splendet.

6. Quanto magis homo putredo.

CA. XXVI.

1. 2. RECTE operam tuam ponis, inquit Iobus. Illi uidelicet, qui caussam suam tueri nequit, subsidio uenire contendis. Quid hoc est? Tu te Deo, quasi nullæ opes illi sint, quibus suum ius obtineat, aduocatum exhibebis? Tu ne illi, tamquam homini imbecilli, salutem in capitis periculo, industria tua, comparabis? 3. Quem firmare consilio niteris? Eum ne, qui præsidio sapientiæ orbatus est? Illum tu disciplinis instrues, qui opibus sempiternis sapientiæ multiplicis antecellit? 4. Cui tandem ingenium uenditare, & eloquentiam ostentare, decreuisti? Quo spiritu uerba ista nimis inconsiderate missa protulisti? Recognosce potentiam illius, in cuius te caussa nimis insolenter interponis. 5. Gigantes, aquarum profundo gurgite demersi, internecioneq. deleti sunt; &, qui sese, eiusdem superbiæ immanitatis similitudine, ad eorum nomen adiunxere, eisdem tormentis excruciantur. 6. Inferorum regio, nuda, & aperta, in oculis illius est, nec habet ullum in illius adspectu tartarus integumentum. 7. Ipse Septemtrionem in regione uasta, & informi, spiritu suo dilatauit; terrarumq. pondus nullo iacto fundamento stabiliuit 8. Aquarum uim in nubes inclusit, nec illius iniussu ex nube discissa nimbus effunditur. 9. Solii sui maiestatem exstruxit in ætherę, illudq. expansis undique nubibus obtexit. 10. Aquas terminis circumscripsit, quos numquam transilient, dum hæc lucis, atque tenebrarum uicissitudo, qua dies, atque noctes sibi inuicem, rata, & æquabili numerorũ ratione, succedunt, in hoc eodẽ statu permanse-

2. Cuius adiutor es?

3. Cui dedisti consiliũ?

4. Quẽ docere uoluisti?

5. Et gigantes gemũt sub aquis.

6. Nudus est infernꝰ coram illo

7. Qui extẽdit aquilonem.

8. Quiligat aquas in nubibus suis.

9. Qui tenet uultum soliꝰ sui.

10. Terminum circũdedit aquis

rit. 11. Columnæ cæli nutu illius concutiuntur, eiusq. indignatione obstupefactæ contremiscũt. 12. Fortitudine sua mare discindit, sapientiaq. sua tyrannum importunum transuerberat. 13. Spiritu suo, cæli formam, & speciem, expoliuit: quin etiam serpentem illum immanem tortu multiplici omnia, quæ potest arripere circũplicantem manibus suis affinxit. 14. Et hęc quidem sunt exstrema quædam, & infima illius opera, & quasi quædam uirtutis, & potentiæ illius leuiter impressa uestigia, cuius tenuem famam auribus accipere potuimus. Nam ad summa, atque perfectissima illius opera mente adspirare non possumus. Quis enim illius potentiæ tonitrum, admirabilemq. uirtutis immensitatem, exactissimamq. imperij sempiterni tationem, intelligentia consequetur?

11. Columnæ cæli cõtremiscunt

12. In fortitudine illius.

13. Spiritus eius ornauit cęlos

14. Ecce, hæc ex parte dicta sũt uiarũ eius.

CA P. XXVII.

HAEC ubi Iobus dixit, aiiud deinde orationis cepit exordium, in hanc sententiam: 2. Præsentem Deum testor, qui meæ innocentię iudicium disturbari permittit, mihiq. denegat iustitiæ, quam unice colui, testimonium; illum præpotentem dominum testem inuoco, qui uitã meam tãtis acerbitatibus afflixit; atque per sanctissimum illius numen iuro, 3. me, dum spirauero, animamq. de cælo duxero, 4. numquam passurum, ut ex ore meo uerbum iniquum prodeat, & lingua mea fraudem, & malitiam, machinetur. 5 Cum igitur hoc animo sim, auertat Deus, ut contra meæ conscientiæ testimonium, auctoritate uestra commotus, mihi scelus affingam. Immo usque ad extremum spiritum integritatem meam puram ab omni infamiæ labe conseruabo. 6. Iustitiam, inquam, meam arcte complectar, nec ab illius dignitate, & constantia, deducar, cum sic a primis annis uitam instituerim, ut nullius sceleris conscientia carpat animum meum. 7. Qui igitur mihi aduersatur, impium in se scelus admittit; &, qui me totis uiribus oppugnat, crimen nefarium suscipit. Nam contra ius, & fas hominem iustum persequitur. 8. Adeo ne me furiosum, & insanum, existimatis, ut ad hunc usque diem, simulatione pietatis, & ficta specie religionis, boni, atque sancti uiri famam collegisse putetis? Ne tantum quidem uel ingenio, uel usu, uel disciplina ualeo, ut non plane uideam, nullum omnino solidum uitæ fructum mendacio, & uanitate, comparari? Quam enim, quæso, mihi spem in uita proponere potuissem, si uirtutis ementitæ fraudibus innixus fuissem? Num spes illius, qui pietatem nefarie simulat, firma, & constans esse poterit? Num is, qui, uirtutis simulatione, ad dignitatem obrepere contendit, aliquam utilitatem ex machinatione tam scelerata percipiet? Non profecto. Cum enim maximum sibi lucrum ex improbitate feciſſe putauerit, animam illi repente Diuinum numẽ eripiet. Quid ergo? 9. Num, cum is, qui libidines inclusas fallaci uirtutis specie cõtegit, in angustias adductus, ad Deum clamauerit, audietur? Num poterit aliquando ueram uoluptatem percipere, ani-

2. Viuit Deus.

3. Quia donec superest.

4. Non loquẽtur labia mea.

5. Absit a me.

6. Iustificationũ meã.

7 Sit ut impius inimicus meus.

8. Quæ est enim spes sapientiæ.

9. Nũquid Deus audiet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mumq. ſuum cum aliqua iucunditaae Diuini ſpiritus oblectare? 10. Num Diuini ſpiritus appulſu commoueri, & incitari poterit, ut in omni tempore ad Deum clamet, & illius opem fidenter imploret? Minime gentium. Quid igitur? Adeo ne uobis ſtultus, & amens, eſſe uideor, ut, una opera, ſpem mihi totius utilitatis, & ueriſsimæ dignitatis, & tranquillitatis, firmiſsimiq. præſidij, ſempiternæque uoluptatis, Diuineq. familiaritatis, & coniunctionis, ſponte mea præciderim? Nihil uidi? Nihil a maioribus accepi? Nihil ex tanto rerum Diuinarum ſtudio mihi ad uſum uitæ comparaui, ut intelligerem, nihil eſſe mendacio ſiagitioſius, aut quod beatæ uitæ rationi aduerſetur infenſius? Vt autem clarius uideatis, me nec amentia uexari, neque mei ipſius odio commoueri, ut in me ipſum peſtem machiner, exponam uobis ea, quæ non ab hominibus accepi, ſed a Diuino ſpiritu didici; & diſciplinam, quam Dominus ipſe mihi tradidit, haud occultabo. 12. Confidentius autem loquar, quod oratio hæc mea non eſt habenda cum hominibus rerum Diuinarum ignaris, ſed cum ijs, qui bonam uitæ partem in rerum cæleſtium perueſtigatione conſumpſerunt. Quo magis mirandum eſt, uos, cum tantum ſitis in ſapientia progreſsi, & alia tam acute uideatis, hoc in loco in tam leues, & inanes ſententias incidiſſe. 13. Exponam igitur uobis, quam mercedem impius a Deo tandem accipiat, & quæ hereditas maleficis hominibus, decreto numinis, adeunda ſit. 14. Primum quidem, licet impij ſoboles multiplex exſiſtat, ea tamen ferro præcidetur, & poſteri illius fame confecti deficient. 15. Reliquiæ uero, quæ uel ferrum, uel famen effugerint, lue tabeſcentes interibunt; peſsimoq. genere mortis abſumptæ, in ſepulcrum deijcientur: ne uxores quidem illorum in eorum funere lamentabuntur. Erunt namque omnibus uehementer odioſi, & inuiſi. 16. Si uir nefarius argenti tantos aceruos exſtruat, ut ſint cum magna telluris congeſtæ mole comparandi, ſi tam uaria, atque multiplex ſupellex illi ſit, ut, inſtar arenæ, dinumerari non poſsit, ea tamen omnia, quæ ſummo ſtudio, cura, ſollicitudine, quæſierat, domum congeſſerat, & cumulauerat, & omni cuſtodia ſæpta tenuerat, ad piorum hominum utilitatem reuocabuntur. 17. Comparabit iniquus ueſtes, quas iuſtus induet: Argentum coaceruabit homo impurus, quod uir caſtus, & integer, large diſtribuet. Sic enim eſt a Deo conſtitutum, ut impij homines piorum gloriæ ſeruiant, improborumq. opes, ſtudia, facultates, contentiones, atque adeo ſcelerum machinationes, ad bonorum fructum, & amplitudinem, ſempiternamq. gloriam, referantur. 18. Vt autem tinea ueſtem, in quam ſe abdit, paullatim arrodit, atque morſu dilacerat, ſimiliter improbus domui, quam ſibi ædificauit, exitium, & interitum, molietur; neque longius ædificium illius durabit, quam tugurium, uineæ cuſtodiendæ gratia, ad breue admodum tempus erectum. 19. Is, qui diuitijs ſuis aſſeruandis uigilanter incumbit, morietur tandem, nec eum pecuniarum multitudo ab interitu uindicabit. Et, dum occumbit, minime ad eorum cœtum, qui uera uita fruuntur, aggregari poterit; &, qui oculos in illum intenderit, opulentiæ priſtinæ ne ueſtigium quidem intuebitur. 20. Terrores illum, ut imbres immodici, atque repentini, exagitabunt, nocteq. nihil hoſtile ſuſpicantem, tempeſtas, atque procella, peruertet. 21. Eurus in illum ruet, hominemq. de ſtatu conuellet, & de loco, in quo optime conſiſtere uidebatur, turbines uehementiſsimi deturbabunt. 22. Magnam uim malorum immittet in illum Dominus, nec ei ueniam tribuet. Itaque miſer, calamitatibus ſempiternis oppreſſus, metuq. ſuppliciorum, quæ ſunt illi conſtituta, trepidus, & anxius, ut fuga ſe proripere contendat, &, in omnes partes exanimatus, formidine diſcurrat, non tamen iudicium Domini declinare, neque cruciatum effugere ullo modo poterit. 23. Qui impij ruinam, & occaſum, mente perſpexerit, manibus plaudet, in eumque maledicta conferet, & ex eo ipſo loco, in quo is, opibus inflatus, tanta ſcelera molitus fuerat, illum conuicijs, atque ſibilis, inſectabitur. Non igitur dico, hominis ſceleratiuitam eſſe beatam, ſed acerbam, & calamitoſam, & omnibus, qui ſana mente ſunt, ualde exſecrandam: hoc tamen aſſero, rationem, quare Deus illos interdum uitæ commodis affluere, & bonos incommodis afflictari patiatur, eſſe exploratu difficilem.

19. Dines cũ dormierit.

20. Apprehendet eũ.

21. Tollet eum vẽtus vrens.

22. Et mittet ſuper eum.

23. Strinnget ſuper eum.

C A P. XXIIX.

1. Habet argentum ve narum ſua rum principia.

2. Ferrum de terra tol litur.

3. Tempus poſuit tenebris.

4. Diuidit torrẽs a populo peregrinante.

5. Terra, de qua orie batur panis.

6. Locus ſaphyri lapides eius.

1. MVLTARVM enim rerum cauſſæ latent; tantis obſcuritatibus inuolutæ, ut illas e tenebris eruere, atque perueſtigare, difficillimum ſit, quæ tamen, temporis progreſſu, dant aliquas ad ſui cognitionem uias. Sunt enim notæ quædam, quibus ad aliquarum rerum intelligentiam, quæ ſunt a ſenſibus remotæ, aliquando tandem peruenitur. Signorum enim quorundam admonitu, argenti uenæ cognoſcuntur, & aurum ſub terra latens effoditur, atque conflatur. 2. Ferrum ſimiliter e terræ uiſceribus expromitur, & ex lapide concalefacto, & incenſo, uis æris effunditur. 3. Dominus enim ſinem tenebris ſtatuit, ne perpetuo occultarent, quod illis fuerat incluſum. Vt enim rerum formas abſoluat, atque perficiat, rupes profunda caligine demerſas ſcrutatur, & denſiſsimas tenebras mente penetrat, ut inde res admirandas eliciat. 4. Erumpit fluuius tanta aquarum copia redundans, ut a peregrinis uado tranſiri non poſsit. 5. Alueo enim profundo, & gurgite rapido, fertur, ita, ut nemo pedibus illum traijciat. Idem rurſus attenuatur, &, ſub terram in alium curſum deflexus, ab hominum oculis remouetur. Tellus fruges lætas effundit: alio uero tempore, terræmotu conquaſſata, dehiſcit; &, tamquam ignis incluſi incendio, deflagrat. 6. Eſt locus tantis diuitijs abundans, ut lapides

pides illius ſint Saphyri, & glebis aureis expleti ſit. 7. Et tamen ne uolucres quidem adhuc uiam tenent, quæ ad illum ferat, & eſt oculis etiã picarum, quæ auro gaudent, prorſus incognitus. 8. Non eſt adhuc ingreſſa in illam uiam ambitionis humanæ feritas, neque leonis truculẽtia in locis illis ueſtigiũ impreſsit. Itaque neque leuitas, nec inſolentia, neq. crudelitas opibus illis potiri ullo modo potuit. 9. Cum Dominus intendit manum ſuam, ſilices perſtracti deſiliunt, & mõtes ſedibus ſuis conuelluntur. 10. E ſaxis diſcisſis flumina labũtur, & fluũt, & res pretioſiſsimæ, quæ terrę clauſtris incluſæ latitãt, ſunt in illius oculis, & adſpectu conſtitutæ. 11. Hæc omnia Domini cõſilio, & moderatione, fiunt, qui etiam ex guttis undique ſtillantibus, & in certum locũ influẽtibus, fluuios in terræ faciem elicit, multaſq. res ſub terram abſconditas in lucem profert. Quis autẽ tantũ ualet ingenio, aut tantis ſapientiæ opibus excellit, ut hanc tantam rerum uarietatẽ, & pulchritudinem, & admirabilem in omnibus naturæ partibus rationem, & mente comprehendere, & uerbis explanare queat? Quis ea, quæ erant occultata terris, inſpexerat? Quis modum, & uiam, qua patefacto aditu in lucem prodirent, largiri potuit? Quis illam uim, & rationem, qua mundi uniuerſi moderator omnia, quæ cernimus, creat, uerſat, immutat, condit, & promit, & tenebis abdit, & in lucem educit, uerbis, & ratione conſequetur? Si ergo, quæ uidemus oculis, quæ contrectamus manibus, quæ ſunt uſibus noſtris expoſita, non intelligimus; neque rationes, quibus res quædam latẽt, quædam in oculis ſunt, &, quæ recondita erant, aperiuntur, &, quæ aperta, conduntur, aſsignare poſſumus; quo tandem modo conſilia, quibus Dominus in improbis aliquo tẽpore tolerandis, & in bonis probandis utitur, facile complecti mente, & ratione, poterimus? Reliquum igitur eſt, ut nemo debeat de re qualibet a Deo deſignata iudicare, niſi prius ab illo ueriſsimæ ſapientiæ diſciplinã hauſerit, atque delibauerit. 12. Num aliunde petenda ſapientia eſt? Num eſt locus alius, unde ad nos intelligentia permanet? Non certe. 13. Quantum uero ſapientiæ pretium ſit, ignorant homines, quia fontem, unde ortum habet, minime uident. Nec enim in terris humana induſtria cultis inuenitur, ut poſsit hominum labore, & ſtudio, cõparari. 14. Ergo, ſi, per te nixus, in omnes naturæ partes animum intenderis, ut ſapientiam inueſtiges, eam nuſquam reperies. Aquarũ enim immenſitas dicet, Expers illius ſum, & uaſtum, atque profundum mare negabit ſe formam illius adſpexiſſe. Quamuis enim aquæ terrarum naturam coerceant, & in ſublime etiam attenuatę ferantur, & tantis, tamq. uarijs in profundo monſtris, & animãtibus expletæ ſint, non tamen ullam ſapientię rationem attingere potuerunt. Illa non gazæ reconditæ, & obſignatæ pretio comparabitur: non argenti ponderibus maximis æſtimabitur. 15. Aurum ex Orientis regionibus allatum, multis partibus ab illa ſuperabitur. 16. Nec onychis, neque ſaphyri claritas, & pulchritudo, eſt ullo modo cũ ſapientiæ ſplendore, & dignitate, conferenda.

17. Nec auri fulgor, nec adamas tantũ ſplẽdet, ut ad ſapientiæ fulgorem, & decus adſpiret: nec ea cum uaſis ex auro periſsimo factis permutari ulla æquabili condicione poteſt. 18. Ad illam collati lapides ingentis pretij nullius æſtimationis erunt, & omnes gemmas clariſsimas longe multumq. dignitate ſuperabit. 19. Topazius Aethiopiæ illi multum de dignitate concedet; nec aurum purum putumq. cum illa pretij magnitudine certabit. Ergo, cum omnes opes, & poſſeſsiones, & facultates utilitate, & iucunditate, & elegantia uincat, & ſuperet, reſtat, ut omnes, qui ueram utilitatem, & ſtabilem uoluptatem, & ſempiternum decus, intuentur, illam uelint, & ament, & adipiſci cupiant, omniaq. uitæ ſtudia ad illam parandam, & fruendam conferant, atque præ illius amore reliqua omnia, quæ commoda, iucunda, & præclara hominibus apparent, contemnant, atque deſpiciant. 20. Sed unde, quæſo, rem tam præclaram, & excelſam, in qua una omnis beatæ uitæ ratio conſiſtit, accerſere nobis licebit? Quæ eſt illius origo, & fons? Vnde ad homines peruenit? Quis eſt locus, in quo ſcientia ſibi ſedem, & domicilium, delegit? 21. Non exſtat, non eminet; multis difficultatibus obſtruitur, ne poſsit animantium oculis uſurpari. Volucres, qui cælo libero fruuntur, & toto aere uolitant, & acutiſsime uident, illam minime contuentur. Inferorum regio, in qua uaſtitas, & exitium dominatur, in quam innumerabiles homines, opinione ſapientiæ præſtantes, deijciuntur, dicet, ſe quidem ſapientiæ nomen fama tantum, & auditione percepiſſe, uim tamen illius, & rationem, minime complecti potuiſſe. 22. Non igitur cælum, neque terra, neque ſupera, nec inſima, neque ſempiterna, neque mortalia, nec natura uniuerſa, nec ullæ partes illius præcipuæ, poſſunt ortum ſapientiæ ad ſe reuocare, nomineq. illius inſolenter offerri. 23. Solus Deus uiam illius nouit, & locum, & ſedem illius mente, & ratione complectitur. 24. Is enim, in omnem naturam intentus, atque per omnia pertinens, extremas orbis terrarum regiones explorat, & omnes rerum formas, quæ cæli ambitu coercentur, inſpicit, ut cuncta ſollertiſsima ratione conſtituat. 25. Ventos enim certis ponderibus examinauit, & aquas rata, & æquabili, menſura definiuit. 26. pluuiæ ſimiliter modum ſtatuit, & certam in aere regionem deſignauit; qua fulgura, & tonitrua, diſcurrerent. Is denique eſt, qui omnia ordine, modo, lege, pondere, ratione deuinxit, & tanto artificio concinnauit, ut omnes Mundi partes natura repugnantes uno inter ſe ſummæ conſenſionis fœdere colligaret. 27. Itaque is ſolus eſt, qui ex omni æternitate ſapientiam uidit, explicuit, informauit, intimaq. mente complexus eſt. Solus igitur eſt natura ſapiens, atque adeo ſapientiæ auctor, & parens, habendus, & in omni ſæculorum æternitate ſapientiæ nomine celebrandus. Sed uideamus. Nũ is hominis aditu ſapientiæ penitus excluſos eſse uoluit? Minime. Omnibus enim, qui ſeſe in illius diſciplinam cõferre uoluerunt, ſapientię cõpotes

19. Aut poterit in omnipotente delectari.

11. Docebo uos per manũ Dei.

12. Ecce, uos omnes noſtis.

13. Hæc eſt pars hominis impij.

14 Si multiplicati fuerint filii eius.

15. Qui reliqui fuerint ex eo.

16. Si comportauerit.

17. Præparabit quidem.

18. Aedificauit ſicut tinea.

7. Semitam ignorauit.

8. Non calcauerũt eã

9. Ad ſilicẽ extẽditmanum ſuam.

10. In petris riuos excidit.

11. Profunda quoque fluuiorum

12. Sapientia uero ubi inuenitur?

13 Neſcit homo pretium eius.

14. Abyſſus dicit.

15. Nõ dabitur auru obrizum.

16. Non cõferetur tinctis Indię coloribus.

17. Non adæquabitur ei aurum.

18. Excelſa & eminentia non memorabũtur

19 Nõ adequabitur ei Topatius.

20. Vnde ergo ſapientia venit?

21. Abſconditа eſt ab oculis omnium viuẽtium.

22. Perditio, & mors dixerunt.

23. Deus intelligit viã eius.

24. Ipſe enim fines mundi intuetur.

25. Qui fecit vẽti põdus.

26. Quando ponẽbat pluuijs legem.

Tunc vidit illam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

effecit. Sed alia est sapientia, quæ in mente summi conditoris, atque moderatoris, insidet; alia, quæ ab homine casto, & integro flagitatur. Nec enim hanc operam exigit Deus ab hominibus, ut terras animo lustrent, maria mente peragrent, cæli spatia definiant, & abstrusa, atque recondita, perquisitigent, ut, quę obscuritatis latebris occultantur, inspiciant. Quæ nam est igitur illius disciplinæ summa, quam Deus hominibus dedit? Hæc plane, quæ pio numinis metu, & uitæ puritate, & innocentia, continetur. Sic enim Deus homines est allocutus. Vestra sapientia in hoc tota consistit, ut Deum timeatis; intelligentiæq. uestræ uis in eo posita est, ut ab omni flagitio, & impuritate, declinetis. 28. Vt igitur ex hac Dñi traditione colligimus, omnis hominũ sapiẽtia, qui se Deo in disciplinam tradiderunt, in illius sanctissimo cultu, atque metu, & in odio improbitatis, quod quidem ex eo metu nascitur, est constituta. Non igitur, qui, argumentis infirma ratione conclusis inflati, sapientiæ laudem uenantur, sed qui Deum timent, & a maleficiis abstinẽt, mentemq. Diuinam incorrupta mente uenerantur, sapientes habendi sunt.

28. Et dixi homini.

CA. XXIX

1. HAEC autem ubi perorauit, aliud rursus exordium orationis instituit. Sic igitur inquit:

1. Quis mihi tribuat.

2. Vtinam uideam aliquando statum meum, ad illa pristina tẽpora reuocatum, quibus me Deus custodia sua, atque præsidio, muniebat. 3. Tunc enim ille lumen menti meæ præferebat; eoq. lumine fretus, etiam in tenebris iter faciebam, & in uiis obscuris, & incertis, locisq. difficillimus, qua mihi esset eundum, sapienter explicabã. 4. Vtinã eo loco essem, quo eram ea ætate, quæ est multis perturbationum tempestatibus, quasi hiemis maximi turbinib⁹, atque procellis, agitata, in qua tñ animus meus pace, & tranquillitate, fruebatur. 5. Nec enim libidini, sed religioni, seruiebam; & iam tunc Dominus mecum arcana sua communicabat, & tabernaculum meum gratia, & benignitate sua protegebat. Eram autem tunc & præpotentis Domini præsidio cinctus, & seruorum meorũ fideli custodia circũseptus. 6. Quocũq. me contuleram, omnia mihi butyro circumfluebant; & oleum similiter saxo expressum, quasi riuis a perenni fonte deductis, ad usus meos admodum late dimanabat. 7. Cum uero in portam ciuitatis prodibam, ut in celebri hominum conuentu ius dicerem, in foro sellam meam collocari iubebã. 8. Iuuenes, meæ grauitatis, & constantiæ præsentia deterriti, se occultabant; senes mihi assurgentes assistebant. 9. principes de rebus omnibus in conspectu meo silebant. Tanta enim illorum erat erga me obseruantia, ut non auderent inter se, me præsente, colloqui, atque fermocinari. 10. Proceres, admiratione defixi, tacebant. Eorumq. lingua palato immobilis adhærebat. 11. Qui orationem meam auribus accipiebant, mihi omnia felicia, & fausta, precabantur; &, qui oculis opera mea cernebant, æquitatis, & constantiæ, mihi testimonium dabant. 12. Nam pauperem afflictum, operam meam contra potentium iniurias implorantem, ab iniquitate, & iniuria, uindicabam; &

2. Quis mihi tribuat.
3. Quando lucebat lucerna eius.
4. Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ.
5. Quando erat Omnipotens mecum.
6. Quando lauabam pedes meos butyro.
7. Quando procedebã ad portam ciuitatis.
8. Videbãt me iuuenes
9. Principes cessabant loqui.
10. Vocem suam cohibebant Duces.
11. Auris audiẽs beatificabat me.
12. Eoquod liberassem pauperẽ uociferantem

pupillo, omnium præsidio destituto, subsidium afferebam. 13. Multi, quibus exitium parabatur, æquitate mea defensi, me summis laudibus extollebant; uiduæ similiter, quas meo patrocinio a mærore, atque sordibus, auocabam, lætis clamoribus se ope mea defensas fuisse declarabant. 14. Nõ ualde laborabã, ut uestitu &, cultu Regio, ornatus incederem; nec, ut insigne diadema capite gestarem, sed ut iustitiæ ornamentis excolerer. Cultus igitur, atque uestitus meus iustitia fuit; & æquitatis elegantia, quasi pallio, amiciebar; & prodiademate, & Regiæ dignitatis insignibus, æquabilitate iudiciorum exornabar. 15. Oculus fui cæco, & uice pedum claudo. imperitos instruxi: iacentes excitaui: 16. egentibus patria benignitate prospexi. Numquam in iudiciis aliquid uel offensioni, uel gratiæ, concessi; neque mente præcipiti sententiam tuli; sed iuris uim, & rationem, diligenter inuestigaui. Caussam igitur, quã ignorabam, diligenter examinabam, ut, ea perspecta, & cognita, rectissime iudicarem. 17. Cuiusllibet hominis improbi truculentiam, & immanitatem, compressi; prædamq. ex faucibus illius eripui. 18. Ea uero spe sustentabar, quod existimabam, fore, ut, senio consumptus, in lecto meo extremũ spiritum ederem, nec ulla ui, aut calamitate, oppressus interirem. Mihi enim, eo quod tanto studio æquitatis, & benignitatis, incensus essem, pacem, & otium, & uitæ diuturnitatem, pollicebar. 19. Radices namque meas, quasi essent ad aquas diffusæ, admodum firmas arbitrabar; segetesq. meas numquam a rore cælesti deserendas esse suspicatus sum. Nec enim uanitate & mendacio, confidebam, sed, fide, & officio debito nixus, omnem spem rerum mearum in illius ope reponebam, qui iustorum statum, quasi inductis aquis, florentem, atque fructuosum, efficit; illorumq. uitam gratia sua, quasi rore superne demisso, lætificat. 20. Gloria mea nouis ornamentis augebatur; & arcus, quem manu gestabam, maiores uires in dies colligebat; ita, ut non solum in pace Remp. singulari moderatione temperarem, uerum & in bello hostes inuicta uirtute conciderem. 21. Me ciues attente audiebant, &, quam sententiam dicerem, suspensis animis exspectabant; & consilio meo, taciti, sine ulla recusatione, parebant. 22. Orationem meam nemo refellebat. Sermoq. meus in eorum animos mirabiliter influebat. 23. Meam namque prudentiam, quasi autum ni pluuiam, sollicite exspectabant; & non minus auide, quam primi ueris imbrem, eloquium meũ requirebant. 24. Si leniter adrisissem, id præ gaudio uix credebant; meiq. uultus hilaritatem grata admodum uoluntate prosequebantur. Itaque sic naturam meam temperabam, ut eos partim seueritate, & constantia refrenarem, partim mansuetudine, & lenitate permulcerem, eorumq. uoluntates allicerem. 25. Me namque, quoad fas erat, eorum moribus accommodabam, & in solio principem; locum tenebam, &, tamquam Rex, hominum fortium multitudine constipatus, incedebam; omnesq. ad me summos honores summa uoluntate deferebant, quasi ad illum, qui non esset,

13. Benedictio perituri.
14. Iustitia indutus sũ.
15. Oculus fui cæco.
16. Pater eram pauperum.
17. Conterebã molas iniqui.
18. Dicebãque, i nidulo meo moriar.
19. Radix mea aperta est secus aquas.
20. Gloria mea sẽper innouabit.
21. Qui me audiebant.
22. Verbis addere nihil audebãt
27. Exspectabãt me sicut pluuiam.
24. Si quando ridebã ad eos.
25. Si uoluissem ire ad eos.

set, proprij commodi, & emolumenti, gratia, sed propter publicum omnium miserorum solatiũ, in summo imperio constitutus. Hic fuit status meus, omnibus rebus, siue quæ ad animi decus, & elegantiam, siue quæ ad uitæ cultum, & magnificentiam, siue quæ ad imperii dignitatem, & nominis celebritatem, pertinerent, egregie cumulatus.

CA. XXX.

1. AT nunc ludibrio sum hominibus multo me iunioribus, quorum patribus nec eam quidẽ curam dedissem, ut, canibus meis adiuncti, greges meos custodirent. 2. Vt autem multi ex illis opes magnas habuerint, nihil mea refert. Constat enim, illos ita senio consumptos fuisse, ut nullum in uita uirtutis monumentum reliquerint, nomen q. eorum, illis extinctis, euanuerit. Non sunt igitur digni, qui in magnis uiris habeantur illi, qui, cum opibus, & potentia, florerent, uitam sine ullo fructu consumi permisere. 3. Quamquã ne id quidem uerum est. Immo plerique eorum, cum omnium rerum pænuria, miserrime conflictati sunt. Nam, egestate, & fame compulsi, ab omnibusq. deserti, atque relicti, non ita pridem in uastam, & horridam, solitudinem profugientes, uitam in summa miseria, & calamitate, degebant. 4. Herbas in mediis arbustis auide colligebant, ut manderent, & iuniperorum radicibus ut pane uescebantur. 5. Nec ibi quidem tuto consistebant. E medio namque populi exibant homines furtis offensi, qui eos e locis, in quibus se occultabant, expellerent, & eiicerẽt, & clamoribus, tamquam fures multis flagitiis infames, insequerentur. 6. In locis, ubi ui, & impetu torrentium magnæ labes terræ factæ fuerant, in speluncis in magnam altitudinem depressis, in rupium summis uerticibus habitabant, ut oculos hominum uitarent, & salutem latebris, aut locorum asperitate, defenderent. 7. Inter arbusta uitam ritu ferino propagabant, & clamores, instar siluestris animantis, edebant, sesq. sub densis uæpribus, abiecti formidine, colligebant. 8. Itaque eorum filij, qui stulti, & ignobiles, multisq. uulneribus sauci, infamiæq. grauissimis notis inusti, uitam turpiter egere, & extorres, & uagi, extremam mendicitatem cum summo dedecore, & ignominia, pertulere, 9. nunc in meas clades insultant, in meum dedecus carmina componunt, de meo casu iucundissime fabulantur. 10. Omnes me, ut malum auspicium, detestantur, & a meo contagio se longissime remouent, &, qui in me inciderunt, faciem meam consputare minime uerentur. 11. Cum enim Dei consilio mea dignitas euersa sit, telaq. illius in me uehementer adhæserunt, homines q. profligatissimi uideant statum meum miserabiliter afflictũ, omni pudore sublato in me effrenata mente rapiuntur. 12. Iuuentutis flos in dextrum meũ latus inuadit, pedesq. meos labefactare contendit, ut me præcipitem exturbet; omnes q. uias meas obstruxit, ne eo, quo intendo, progredi queam, & in me pestem nefarie machinetur. 13. Omnia studia mea impedire conantur, & de mea pernicie coniurant illi, qui antea nullo fuerant inter se societatis, & consensionis, fœdere coniuncti, 14. Vt fluuius, molibus disiectis, & ostio late patefacto, se adeo uehementer incitat, ut omnia, in quæ tulerit impetum, facile prosternat; sic isti, in me influentes, & ui maxima cõcitati, omnes res meas obruere, statumq. meum funditus euertere, nituntur. 15. In hac tanta improborum hominum crudelitate, quid aliud erat mihi faciendum, quam ut opem tuam, Domine, qui es tutissimum innocentis uitæ perfugium, implorarem? At tu iram tuã in me conuertisti, terroresq. mihi maximos obiecisti, animũq. meum, studio benignitatis incensum, spiritus tui impetu perculisti: perfecisti deniq. ut salus mea, quasi nubes, celeriter emigraret. 16. Iccirco anima mea, molestissimis curis implicita, & luctuosissimis temporibus oppressa, distinetur. 17. Nocte uis ingens doloris in ossa mea penetrat, eaq. frangit, & debilitat; & interim, qui me odio persequuntur, nullo pacto me uexare, & insectari desistunt. 18. Cogit me doloris, & ardoris uehementia, uestem meam singulis horis inuertere, cum eam toti corpori iniectam tolerare diu non possim. Eoq. fit, ut, superiore parte nudus, uentrem summo ipsius tunicæ ambitu, & ore, præcingam. 19. Iam eo deductus sum, ut sim luto similimus, & cum puluere, atque cinere, comparandus. 20. Et tamen, cum in tantis angustiis, & acerbitatibus, te, Domine, unicum præsidium meæ salutis inclamem, non exaudis. 21. Instо, & opem assidue flagito, & tamen hæc mala mea, quæ te minime latent, non celeri presidio repellis, sed, quasi consultans, quid tibi sit agẽdum, auxilium tuum differs. in quo quidem uideris hostibus meis cumulate satisfacere. Odium igitur, quod in improbos ante susceperas, in me totum expromptisti, animumq. meum summis uiribus oppugnasti. 22. In altum me sustulisti, ut a uento dispellerer, statumq. meum liquefieri, atque dilabi, compulisti. 23. Mors, cui iam pridem a te destinatus sum, mihi ante oculos obuersatur, & hunc finem, qui est omnibus, qui uiuunt, communi lege, propositus, exspecto. Est enim mors perfugium, portusq. supplicij, totiusq. miseriæ, quæ uitam hanc circumuenit, alleuamentum. 24. Non enim Dominus fœuitiam adhibere solet in tumulos, nec attrita cadauera auxilium clamoribus implorabunt. Quid dicam? Aut quam huius meæ cladis caussam assignabo? Quo nam meo scelere Dominus prouocatus tantum mihi calamitatis inuexit? Num crudelitate, & inhumanitate in meos usus sum? 25. Male peream, si non commouebar animo, atque lacrymas profundebam, quoties aliquem calamitate distectum animaduertebam; & si non pauperis afflicti condicio meum animum eodem prope sensu doloris, quo ille angebatur, afficiebat. 26. Iccirco res mihi euenturas ex animi sententia confidebam, & ad spem summæ felicitatis excitabar: at mihi pro felicitate calamitas importata est: lucem sperabam: pro luce uero caligine circumfusus sum. 27. Intestina mea subiectis flammis ebulliunt, neque laxamentum ullum sentiunt, eo quod me calamitosa tempora nec opinantem oppresserint.

28. Attra-

1. Nunc autẽ derident me iuniores tẽpore.
2. Quorum uirtus manuum.
3. Egestate, & fame steriles.
4. Et mandebãt herbas
5. Qui de cõuallibus
6 In desertis habitabant torrẽtium.
7. Qui frer huiuscemodi lætaban tur.
8. Filii stul torum, & ignobiliũ.
9. Nunc in eorum can ticum.
10. Abominantur me.
11. Pharetram enim suã aperuit
12. Ad dextrã orientis calamitatis meæ.
13. Dissipauerũt iti nera mea.
14. Quasi rupto muro
15. Redactus sum in nihilum.
16. Nunc autem in me metipso marcescit anima mea.
17. Nocte os meũ perforatur doloribus.
18 In multitudine eorum consumitur uestimentum.
19. Comparatus sum luto.
20 Clamo ad te.
21. Mutatus es mihi in crudelem.
22. Eleuasti me.
23. Scio quia mortitrades me.
24. Verum tamen non ad consumptionem meam.
25. Flebam quondam super eo.
26 Exspectabam bona.
27 Interiora mea efferbuerunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

28. Merens incedebam 29. Frater fui draconum.
30. Cutis mea denigrata est super me.
31. Versa est in luctū Cythara mea.

28. Attractus incessi, solis lucem uitaui, stans in hominū conuentu me continere non potui, quin lugubres uoces emitterem. 29. Serpentum gemitus imitatus sum, atque, struthiocameli similis, mœstis clamoribus omnia compleui. 30. Cutis mea in nigrum colorem uersa est, ossaq. mea ardore nimio arefacta sunt. 31. Cythara qua me in rebus secundis oblectabam, lugubres modos concinit; & pro musicis instrumentis, quibus utebar, fletus acerbissimi uoces audiuntur.

CA. XXXI
1. Pepigi fœdus cum oculis meis

1. NEQVE tamen in his tantis anxietatibus ulla sceleris recordatio me conuicit, ob quod merito ad hunc modum plectendus esse uidear. Primum quidem libidinem refrenaui, & oculos meos fœdere, & exsecratione deuinxi, ne uirginem aliquam petulanter adspicerem, de qua postea cum aliqua flagitii nota cogitarē. 2. Si enim hoc in me tātum dedecus admissem, quod nam mihi in uita a Deo præmium pollicerer? Quem fructum e cælis exspectarem? Quam hereditatem mihi a Domino uenturam considerem? 3. An parum constat, illum esse eis, qui labem castis inferunt, nefariamq. libidinem minime coercent, infensum? An non perspicuum est omnibus, qui scelus hoc suscipiunt, esse perniciem lege illius, atque iudicio, comparatam? Sed dicet aliquis, multa eiusmodi flagitia nocte fieri, quæ non possint manifesto deprehendi. Quasi non omnia, quamuis sint tenebris inuoluta, illi Domino pateant, atque diluescant. 4. Numquid non omnes meas actiones, & studia, speculabitur, omnesq. gradus meos recensebit? 5. Neque solum libidinem compressi, sed a reliquis etiam flagitiis abstinui. Iratus enim mihi sit Dominus, si uanitate, & mendacio, usus sum, & si aliqua in re, fraudis concipiendæ gratia, festinaui. 6. Is trutina iustitiæ examinet mentem meam, & ad normam legis sempiternæ officia mea perpendat; & explorate cognoscet, quam simplici animo me in omni uita gesserim. 7. Si de uia ueritatis, atque iustitiæ, deflexi; si oculorum libidinibus obsecutus sum; si manus meas scelere, & flagitio, maculaui; 8. ego seminē, & alius comedat, omnisq. posteritas mea radicitus euellatur. 9. Si animus meus uxoris alienæ cupiditate flagrauit, si foribus proximi mei insidias collocaui, ut pudicitiam illi, quæ legitimum uiri matrimonium tenebat, eriperem; 10. alius uxori meæ stuprum inferat, sitq. illa multorum libidini prostituta. 11. Est enim adulterij crumen scelestum, & immane facinus, & iudicio seueriſsime uindicandum 12. Est præterea in illo ignis incendium, deuorans, & consumens omnes, in quibus fuerit implicatus, usque eo, dum illos in ignis sempiterni supplicium detrudat, omnemq. sobolem, quæ ex illius stirpe fusa fuerat, exstinguat. 13. Similiter male mihi sit, si serui mei, aut ancillæ meę, preces aspernatus sum, cum illi, ut ius suum obtinerent, a me supplici oratione contenderent.

2. Quam enim partē haberet in me Deus desuper.
3. Nūquid non perditio est iniquo.
4. Nonne ipse considerat uias meas.
5. Si ambulaui in uanitate.
6. Appēdat me in statera iusta.
7. Si declinauit gressus meos de uia.
8. Seram, & alius comedat.
9. Si deceptū est cor meū super muliere.
10. Scortū alterius sit uxor mea.
11. Hoc. n. nefas est.
12. Ignis est usq. ad perditionem deuorans
13. Si contempsi subire iudiciū
14. Quid enim facta

14. Si enim seruorum meorum postulata superbe reiiciam, quid potero, cum Deus excitauerit, ut constituto iudicio in hominum scelus animaduertat, illi respondere? 15. An non idem, qui me in utero matris meæ finxit, seruum meum similiter informauit? An nō est idem Dominus omnium, cuius beneficio tā serui, quam liberi, generati, & in uitam ingressi sumus? 16. Male præterea mihi omnia procedant, si pauperibus me minime benignum præbui, si uiduas uana spe liberalitatis meæ lactaui, 17. Si solus dapes meas absumpsi, si non bonam earum partem pupillis, ut alerentur, attribui. 18. Ab adolescentia nāque mea patriam pietatem in colenda benignitate constitui, eamque, iam ab eo tempore, quo sum in lucem editus, ut matrem, summa uolūtate prosecutus sum. 19. Si uidi pauperem nudum frigore rigentem, & non continuo illi uestis integumentum præbui, quo frigus depelleret; 20. Si non multi, quorum latera ouium mearum uellеribus cōcalefacta fuere, mihi non omnia bona precati sunt, 21. Si pupillum minis exterrui, & potentia mea in foro, atque iudiciis, ad eorum cuersionem, qui erant orbati parentibus, abusus sum; 22. humerus meus a summa illius parte præcisus excidat, & ossa brachij mei perfringantur. 23. Iustum enim est, ut omnibus opibus spolietur is, qui non ad leuandā miserorum calamitatem, sed ad affligendam eorum, qui minimum possunt, imbecillitatē sibi datas opes existimat. Quod quidem scelus si commissem, metuēdum certe erat, ne Deus eam mihi importaret calamitatem, quam ferre, atque sustinere non possem. 24. Itē male peream, si spem in auri grandi pondere collocaui, si in thesauri magnitudine præsidiū uitæ cōstitui; 25. si, cum undique mihi opes affluerent, lætitia intemperanter elatus sum, & ita mihi animos extulerunt, atque si mea industria partæ fuissent; 26. Si, cum lucem Solis adspicerem, & Lunæ claritatem animaduerterem, eorumq. ratas, & æquabiles, in omni tempore conuersionos animo considerarem, 27. admiratione perculsus, obstupui, & tacitus mecum cogitaui, num inesset illis numen ueneratione summa dignum, & precibus, atque religione, placandum. 28. Fuisset hoc quidem scelestum, & immane facinus, acri supplicio puniendum, honorem Deo tantum debitum ad sidera transferre, operibusq. Diuinis diuinitatem tribuere. 29. Si lætatus sum rebus aduersis inimici mei, & gaudio exsultaui, quod ei malum aliquod obuenisset, 30. linguamq. meam minime continui, ne quid peccaret, & illi malediceret; sim ipse uoluptati hostibus meis, & me maledictis etiam conscindant. 31. Si non fuit ita seuera domus meæ disciplina, ut meorum interdum odium in me concitarem, usque adeo, ut cuperent multi carnibus meis explerі, & sanguine meo satiari, pœnas hominis negligentis, atque dissoluti sustineam. 32. Numquam permisi, ut hospes foris pernoctaret. semper enim domus mea patuit peregrinis. 33. Si flagitium meum, ut homines reliqui faciunt, celaui, & in intimo animi recessu cogitatum, atque meditatum scelus abscondi, ut ficta specie uirtutis, atque pietatis, boni uiri famam colligerē; 34. Si, multitudinis imperitę opinione deterritus, & metu contemptus, & ignominiæ, qua me familiæ afficere potuissent, impeditus fui, quo minus ea loquerer, quæ ad pietatis officium pertinebant, & domo exirem,

16. Si negaui.
17. Si comedi buccellā meā solus.
18. Quia ab infantia mea.
19. Si despexi peruentem.
20. Si non benedixerunt mihi latera eius
21. Si leuaui super pupillum manum meam
22. Humerus meus a junctura sua cadat.
23. Semper enim quasi tu mentes super me fluctus.
24. Si putaui aurū robur meum.
25. Si lætatus sum su per multis dmitiis meis.
26. Si uidi solem cum fulgeret.
27. Et lætatum est in abscondito cor meum.
28. Quę est iniquitas maxima.
29. Si gauisus sum ad ruinā eius.
30. Non. n. dedi ad peccādum gut tur meum.
31. Si nō dixerunt uiri tabernaculi mei.
32. Foris non mansit peregrinus
33. Si abscōdi quasi homo peccatum meum
34. Si expaui ad multitudinem ni miam,

exirem, ut illi rei operam darem, quæ in Dei gloriam redundaret, quamuis homines id neque dignitatis esse, neque personam meam decere arbitrarentur, si denique auram popularem extimui, erroremq. uulgi secutus sum, pœnas luam tanto flagitio constitutas. Nec enim leue flagitium est, aspernari ueram dignitatem, & cōsectari summo studio uanitatem, &, popularis offensionis metu, gloriam sempiternam contemnere, & aliquid denique parum decorum arbitrari, quod sit lege Diuina sancitum, & ad Dei gloriam conferatur. 35. Vtinam aliquando preces meas audiat Dominus, & desiderio meo satisfaciat, & mei iuris cognitor ipse sit, &, qui me capitis arcessit, litteris accusationem, ad hominum memoriam, cōmendet, ut causla coram iudice sapientissimo tractata sempiternum exstare posset meæ pietatis, & innocentiæ, testimonium. Librum certe illum, quam accusator meus omnibus probris, & contumeliis plenum ederet; 36. ego meis humeris, tam quam insigne meæ dignitatis ornamentum, sponte mea gestarem; & capiti meo, ut auream coronam, parti decoris indicem, libenter imponerem. Quid enim ad claritatem nominis illustrius, quam contra omnes aduersariorum contumelias, atque conuicia, dignitatem, Deo iudice, nulla adspersam labe, aut uera maculatam infamia, conseruare? 37. Quod si nunc, ut illum precor, causlam meam cognoscere uellet, illi, per singulos uitæ meæ gradus, omnibus actionum, & cogitationum mearum momentis diligentissime ponderatis, rationem iuris mei redderem, ita tamen redderem, ut ille tamen non mediocres esse clementiæ suæ partes arbitraretur. Non enim ad illum erecto uultu, & audaci fronte, sed humilis, & supplex, atque uenerabundus, quasi ad totius naturæ rectorem, & principem, adirem. 38. Vt autem totam iā orationem concludam, si tellus mea de mea immanitate conqueritur, si cōtra me clamores edit, si sulci mei uastitatem per me frugibus illatā deplorant, si colonos meos afflixi, si mercenarios debita mercede fraudaui, 39. si fructus, quos fundi mei extulerunt, sine ulla impensa comedi, si telluris ipsius cultores iniuriis oppressi, 40. proueniat mihi pro frumento paliurus, pro hordeo lolium, & pro fructu gloriæ, & emolumenti sempiterni, dedecus, atque supplicium. Hactenus quidem Iob de causlæ suæ iure, & æquitate, disseruit. Qua quidem oratione amicorum accusationem acerrime confutauit. Nam accusatio duo, ut non semel dictum est, capita continebat. Vnum in luctus detestatione uersabatur, quasi is nimis animo molli calamitatē pateretur. Alterū illum inclementer urgebat, quasi pietatem nefarie simularet, & insita flagitia confiteri nollet, ut ea confessione ueniam impetraret, & interim, dum se tueretur, Deo crimen iniquitatis affingeret. Primum caput egregie refutauit, cum magnitudinem intolerandi doloris expressit; alterum uero, cum innocentiam suam luculentissime descripsit; & interim Dei gloriam nulla iniquitatis suspicione maculari posse demonstrauit; sed tantum illius consilia multis in rebus occultari uariis rationibus, & exemplis, ostendit.

35. Quis mihi tribuat auditorem.
36. Vt in humero meo portē illum.
37. Per singulos gradus meos pronuntiabo illum.
38. Si aduersum me terra mea clamat.
39. Si fructus eius comedi absq. pecunia.
40. Pro frumento oriatur mihi tribulus.

HIERO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI PARAPHRASIS IN IOB

LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.

CAVSSAM quidem suam uir iustus, & sapiens, ita perorauit, ut facillime suã innocentiam contra amicorum orationem tueretur, & ostenderet, non esse uerum, ex afflicta cuiusque fortuna suscepti sceleris argumentum sumere, & pro grauitate calamitatis flagitiorum magnitudinem ponderare. Est enim humana uita ludus, & palæstra, atque adeo militaris uirtutis officium, & disciplina, in qua periculis, & laboribus, & doloribus summorum hominum sæpe numero pietas explorate cognoscitur, & ita præmium amplissimum gloriæ sempiternæ consequitur. Quo circa, non qui laboribus, & ærumnis assiduis, conflictatur, sed qui libidini cedit, auaritiæ studet, iracundiæ succumbit, & impiis perditorum hominum consilijs obsequitur, est, ut homo impius, atque nefarius, totiusq. religionis, & sanctitatis, inimicus, scelere condemnandus. Cum igitur huius uiri sanctissimi uirtus, & Diuina constantia, ad immortalem gloriam, & decus, insignis, in doloribus, quibus exercebatur, clare cerneretur, & nemo posset illi merito labem aliquam impuritatis, aut immanitatis, aut parum sancte cultæ religionis adspergere, reliquum erat, ut omnes, qui illum sceleris insimulabant, obmutescerent, eumq. tandem omni crimine liberarent. Sed, ut ille diutius torqueretur, & ita ampliorem sibi gloriã pareret, Dei permissu excitatus fuit uir quidam, ætate iuuenis, eruditione politus, oratione disertus, natura uehemens, & acer, qui maiore quodam impetu in Iobum inuehereturr, illumque, ut hominem flagitiis infamem, & sceleribus multis adstrictum, asperrimis uerbis increparet. Accessit deinde numinis Diuini præsentia, quæ illum adeo terruit, ut animus, uultus, lingua concideret, & ita cogeretur de flagitiorum antiquorũ impresso uestigio, atque de nonnulla in uerbis intemperantia, confiteri. Hoc enim clariore lumine subito piis mentibus oblato, oratio tenebris obscuratur; innocentia conuicta deprimitur; animi excellentis altitudo prosternitur; mês, magnitudine insoliti splendoris attonita, penitus obstupescit; & omnia, quæ clara, & illustria uidebantur, magnitudine Diuinæ lucis obruuntur; & fordibus, quæ antea minime comparebant, obsoleſcunt. Vt enim in Solis radiis corpuscula, quæ minime cernebantur, uolitare conspicimus, ita, cum Diuinum lumen in animis piis exoritur, multa uitia, quæ antea latebant, oculis obiiciuntur, quæ pios animos primo impetu, consideratione humanæ imbecillitatis, & impuritatis, exanimant. Omne siquidem uirtutis robur imbecillum est, cum in adspectum Diuinæ uirtutis incurrit, & omnis puritas in Diuinæ, & immensæ puritatis radiis lutulentis uitiis infecta deprehenditur. Quid enim est tanta firmitate præditum, quod, ubi primum Diuina species, & amplitudo, mentis oculis obuersata fuerit, non continuo perculsum, & stratum, concidat, omnesq. uires amittat? Quid tam purum, tam castum, tam sanctum, augustum, & religiosum, excogitari potest, quod nõ in splendore illius sempiternæ puritatis, atque iustitiæ, flagitiosum appareat? Vtrumque igitur fieri necesse est, cum uir Diuinus improuiso clariore aliqua luce perfunditur, ut se ipsum abiiciat, se uituperet, & scelere condemnet, licet antea nullius sceleris sibi conscius exstitisset, &, admiratione Diuinæ lucis defixus, stupeat,

peat, & sensibus spolietur. Atque primum uir pius, amplitudine claritatis attonitus, mutus, & elinguis, efficitur. Parma namque, & exigua sunt, quæ ab hominibus eloquentissimis exprimuntur. Diuina enim artificio humanæ elocutionis explicari non possunt. Iccirco, cum uiri magni, & excelsi, Diuinum lumen adspiciunt, animis conturbantur, & uocem mittere nequeunt. Ea de caussa Moses legationem obstinate recusabat. Dicebat enim, se, post sermonem cum Deo institutum, dicendi facultatem penitus amisisse. Neque lingua tãtum impeditur, uerum & mens, magnitudine lucis, quam sustinere nequit, obcæcata, & quasi caligine circumfusa, iudicio spoliatur. Id impulit alium Diuinum uirum, ut diceret, Vt iumentum sum apud te. Hunc tamen statum qui asse quuntur, ut coram Deo se pollutos arbitrentur, ut linguæ hæsitantia laborent, ut stupore mentis opprimantur, ij demum summa puritate nitent, ij de rebus altissimis amplissime disserunt, ij summis sapientiæ opibus affluunt, & gloria immortali circumfluunt. Quis enim purus, & innocens, esse poterit, nisi quem spiritus Diuinus expurgauerit? Quis grauiter, eleganter, & expedite, loquetur, nisi cuius linguam cæleste numen incitauerit? Quis luce sapientię perfruetur, nisi is, cuius animo splendor Diuinus affulserit? Sed, inquiet fortasse aliquis, cur cæcitas, & stupor, atque adeo furor, & stultitia, a sanctis hominibus appelletur id, quod absolutissimam sapientiæ rationem continet? hic enim status amplissimus a uiris Diuinis interdum Cæcitas, & Furor appellari solet, atque densa Caligo, quæ adspectum prorsus eripere uidetur. Nimirum ob eam caussam, quod, cum se uir magnus, cupiditate uerissimæ sapientiæ uehementer incensus, mente penitus in profundum pelagus immensæ uirtutis immerserit, & naturam, uim, lumen, sapientiam, pulchritudinem, probitatem, beneficentiam, amplitudinem Diuinæ mentis eam esse perceperit, quam neque mentes ipsæ beatissimæ, Diuina luce perpetuo collucentes, perfecte complecti cogitatione possint, (infinitum namque lumen definita uidendi facultate comprehendi non potest,) cum uiderit, quam sint omnia parua, exsilia, & obscura, dum cum immensæ maiestatis amplitudine, & inexplicabilis lucis immensitate, cõferuntur, consideratione ipsius infinitatis obruetur. intelliget enim, partibus infinitis excellere, quod nec uidet, nec intelligit rebus, quas mente illustri complectitur: ut merito iudicet, adspectum suum pro cæcitate reputandum, & sapientiam in loco stultitiæ, & temeritatis, habendam. Vnde furor ille Diuinus exoritur, ut, animus, extra se longius euectus, eo, quo peruenire non potest, adspiret; quod non uidet, admiretur; quod non intelligit, amet; pulchritudinis, quam minime cernit, ardentissima cupiditate flagret; &, quo minus cernit animo, quam illustris, & amabilis, atque iucunda sit illa species, quæ rebus omnibus pulchris pulchritudinis caussã affert, eo amore illius ardentius inflammetur. In hoc statu, ut eo redeat, unde deflexit, oratio, Iobus erat; ut conijci facillime potest; cum ad Dei conspectum animo consternatus est, cum, se ipsum damnauit amentiæ, cum, in puluere, & cinere prouolutus, errati ueniam postulauit. Id interim animaduertendum est, post illius defensionem, qua amicorum accusationem compressit, & uituperationẽ asperis admodum uerbis institutam, cum innocentiæ ueriſſima testificatione refutauit, triplicem uitæ reprehensionem, triplexq. iudicium contra illum institutum fuisse.

Primum enim, hominis elati, & confidentis, oratio in illum nimis acriter inuasit: deinde, ipsius Dei præsentis numen illum clarissima luce perterruit, in iudiciumq. uocauit: postremo, ipse sibi crimen intulit, & contra se sententiam seuerissime protulit. Quid igitur faciendum? Hominem, humano, atque Diuino, & suo tamdem ipsius iudicio condemnatum, crimine liberabimus? Fieri uix potest. Verum enimuero, cum summus ipse iudex eum absoluerit, scelestum, & immane facinus erit, reum illũ peragere conari. Sic enim Deus, cum amicos Iobi furoris, & iniquitatis argueret, Heliphazium allocutus est: Ira mea exarsit in te, & duos amicos tuos. Non enim recte locuti estis apud me, ut seruus meus Iob, quo in loco Deũ, quem nihil latere potest, Iobo æquitatis, & innocentiæ testimoniũ dedisse conspicim⁹. Ille igitur, siue temeritatis impetus, siue maledicentiæ studium, quo Helius in

eum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum impetum dedit, facillime ipsius Iobi oratione reprimi, atque restingui, potuisset. Quod uero ad Diuinum iudicium attinet, intelligendum est, neminem litem obtenturum fuisse, si summus Dominus omnia uitæ studia, officiorumq. momenta, uoluisset ad exactissimam legis æternæ rationem perpendere; &, ubi quisque delinquit, debitum continuo supplicium peccatis humanis irrogare. Quis enim umquam fuit, qui numquam labe retur? qui non interdum a uia deflecteret? qui non sæpe religionem flagitio aliquo uiolaret? Sed ideo, ut Dauid ait, salutem, & incolumitatem, retinemus, quia non agit optimus ille parens summo iure nobiscum, sed delictis clementer ignoscit, & omnes, qui clementiam illius implorant, scelere soluit, quamuis sint multis criminibus alligati. Quod eo facilius erat a Deo cum homine illo faciendum, cuius omnis uitæ pars fuerat in maximarum uirtutum studio consumpta. Præterea, Dei oratio non Iobi perfidiam arguebat, sed cogitationes, quæ animum illius peruagabantur, & fidem illius attentabant, coercebat, ut, illis edomitis, atque compressis, animus altior fieret, & uirtus maiore quodam præsidio firmaretur. Non igitur Dei oratio cum Iobi amicis faciebat, qui nomen illius grauissimo dedecore maculabant, eumq. scelestissimum fuisse statuebant. Ipsius postremo sanctissimi uiri conscientia illum minime sceleratum esse demonstrat, sed tanto lumine circumfusum, & tam singulari moderatione præditum, ut leuissimis etiam erratis grauissimi criminis nomen imponeret. Quæ moderatio, quo maior fuit, eo magis ad se Diuinum numen allexit, ut hoiem iacentem citius excitaret, & clarioribus opbus, & ornamentis, afficeret. Itaque, ut cerni clarissime potest, uidemus, hominem sanctũ, ærumnis exercitum, conuiciis deformatum, omnibus simul ruinis oppressum, nõ solum Diuina clementia in statum pristinum, cum summa bonorum omnium amplificatione, restitutum, uerum etiam, Dei ipsius sententia, sanctissimum iudicatum. Si igitur Deus illius patrocinium suscipit, quis tam proiecta audacia, & impudentia, est, ut illi crimen intendat? Si crimine liberat, quis tandem est, qui illum cõdemnare audeat? Si Deus illum laudibus ornat, quis tam petulans est, vt maledicto configat? Hæc quidem fusius persecutus sum, quia non defuerunt nostris temporibus homines terrerrimi, qui Iobum grauiter accusarent, quasi grauissimas in Deum contumelias intorsisset. Qui quidẽ cum Dei testimonio pugnãt, & illius iudicio grauem contumeliam inurunt. Mirum tamen uideri non debet, sanctos homines ab illis accusari, qui summum totius sanctitatis architectum iniquitatis, temeritatis, immanitatis, insimulant; ut alibi multis in locis ostendimus. Sed, his omissis, consequens est, ut hanc postremam luculẽtissimi Dialogi partem attentissimis animis audiamus.

1. HAC quidẽ extrema Iobi oratione, quãde iustitia sua habuit, tres illius amici cõmoti siluerũt, & ita siluerũt, ut ea taciturnitate uiderẽtur illi testimonium iustitiæ, atque sanctitatis, impartire. Interfuerat autem illorum sermoni uir sapientiæ opinione præstans, Helius nomine, filius uiri primarij, cui nomen fuit Barachelus, in Mesopotamia natus, qui erat ex Rami stirpe oriundus. C. XXXII. 1. Omiserunt autem tres viri isti

2. Hi uero iratus est acriter ipsi Iobo, eo quod uideretur caussam suam contra Dei iudicium obstinate defendere, seseq. Deo iustiorem asseuerare. 3. Similiter autem contra illos tres Iobi socios ira illius exarsit, quod argumentum hominis cõprimendi, orationisq. illius refutandæ, se repérire diffiderent, eumq. iam impietatis, & amentiæ, minime condemnarent. 4. Vbi uero Iobus perorauit, tantisper silentium tenuit, dum animaduerteret, an esset, qui sententiam illius refutaret. Erat enim multo iunior; & ratio modestiæ postulabat, ut grãdioribus natu cederet. 5. Cum igitur uiderent illos obmutescere, excanduit. Sic deinde exorsus est: 6. Equidem, cum ætate sim multo uobis inferior, continebam me, neque, quid ipse sentirem, in medium afferebam, ne immodestiæ uituperationé ullam susciperem. 7. Sic enim mecum statuebam, annis eloquentiam comparari, & uitæ longitudine ad sapientiam peruenire. Non igitur licere adolescentibus, uel eloquentiæ laudem assumere, uel sapientiæ nomine gloriari, cũ utrumque esset senectutis, diuturno disciplinarum studio, & quam plurimis uitæ communis exemplis, eruditæ. 8. At nunc sententiam mutare compellor. Video enim, sapientiam non ætatis esse fructum, sed spiritus Diuini beneficium. 9. Nec eos sapientes esse, qui in longissima uita multa sensibus usurparunt, sed qui disciplinam a Deo hauserunt, muneribusq. illius exculti sunt. Itaque mens Diuina est, quæ sapientiam hominibus tradit; & spiritu Dei præpotentis inflati sunt, qui sapiũt, & intelligũt, & cælestia, atque Diuina, percipiunt. Non multitudinis est, sapere; neque senectutis, quid optimum factu sit, iudicio, & ratione, perpendere: sed omnis sapientia est, ad

2. Et iratus

3. Porro ad uersũ amicos eius indignat° est

4. Igitur Heliu expectauit Iob loquẽtem.

5. Cum autẽ uidisset.

6. Iunior sum tempore.

7. Sperabã enim.

8. Sed, ut ui deo.

9. Nõ sunt longæui sapientes.

Dei

Dei benignitatem referenda, quæ non est ullis hominum personis, aut ætatibus, obligata. Vnde sequitur, neque senes sibi sapientiã, quasi iure mancipij, uindicare posse; neque iuuenes omnino fructu illius excludi; sed eos tantũ sapientes habendos esse, siue senes, siue adolescentes illi sint, quos Deus tanto dono cumulare uoluit. Quare nõ est, cur orationem meam, eo quod non ita grãdis natu sim, auribus uestris indignam reputetis. fieri namque potest, ut ipse a sapientiæ fonte aliquid hauserim, quod ad multorũ utilitatem redundare possit. 10. Audite igitur me, ut sapientiæ, qua instructus sum, specimẽ uobis exhibeam. Nec enim quisquã uestrum me temeritatis, & impudẽtiæ, poterit insimulare, quasi anteuerterim, aut orationẽ uestram interruperim, & non exspectarim, dum quilibet uestrum sensum mentis suæ expromeret. 11. Tacui enim, attentasq. aures prębui, ut sententias uestras exciperem, &, quid mentis studio, & peruestigatione, consecuti essetis, explorarem. 12. Dum uos intueor, dum, quid dicatis, exspecto, dum, qui Iobi licentiã coerceat, attendo, opinione deceptus sum. Neminẽ enim, qui audacem, & impiam, hominis orationẽ refellat, inspicio. 13. Non est igitur, quod uobis sapientiam insolenter assumatis. cum illam rationẽ quasi maximum iustitię illius testimonium comprobetis. sic enim dicit: Deus illum perculit, & non homo. quasi uero ea sententia non maius argumentum impietatis, & amentiæ, quam religionis, & sapientiæ, contineat; aut obscurũ sit, Deum non esse bonis, sed improbis, & sceleratis, insensũ. 14. Vt igitur oratio, quã contra uos instruxit, uos elingues reddiderit, me certe nõ infregit, nec de sententia pristina deduxit: illũ igitur non oratione uestra, sed alia multo magis exquisita ratione, mihi refutãdũ existimo. Quæ nam hęc tanta imbecillitas est? Quę tã fœda aiorum perturbatio? Quis tantus timor hoibus, nec obscuris, nec imperitis, iniectus? Hoies, disciplinis maximis instructos, in dicẽdi studio multũ diuq. uersatos, in tam bona caussa, tã subito, defecisse? 15. Exterriti, siluerunt, nullũ respõsum dederunt, ne uerbũ quidẽ ullum fecerunt. 16. Cũ mirum silentiũ fuisset, nemoq. responderet, exspectabã nihilominus, an aliquis loqueretur. Sed nemo fuit, qui id facere uellet. 17. Par igitur est, ut, in tanta hoium taciturnitate, & silentio, ipse pro mea parte loquar, & caussam tã piam, ab iis, a quibus minime oportebat, desertam, spõte mea suscipiã, & uim sapientiæ, quæ me incendit, & incitat, tandẽ aliquando uerbis enuntiem. 18. Animum enim gero sententiarum multitudine distentum, mentemq. argumentorũ copia redundantem, ita, ut erũpendi desiderio in ãgustias compellatur. 19. Vt enim utres, quãuis noui sint, si musto pleni fuerint, & nullũ spiraculũ habuerint, dilacerabuntur; sic animus meus, sententiarũ, & argumentorũ copia refertus, si non foras, quod cõpressum continet, emiserit, quodãmodo disrumpetur. Silentium igitur ferre non queo: quin eloquar, cõtineri non possum: uox, ex intimis animi sensibus emissa, quod inclusũ latet, aperiat. 20. Itaq. loquar, ut ea cura, quæ distinguit animum, aliqua ex parte relaxer; & me ad dicendum comparabo, ut ad ea, quæ sunt imperite dicta, respondeam. 21. Non respiciam hominum personã, & dignitatem, nec in gratiam uiri alicuius me assentationibus, & honorificis titulis, insinuabo. 22. Haud enim scio, si uerbis adulari, & assentari, uoluero, an ob eam caussam me conditor meus funditus euersurus sit.

10. Ideo dicam.

11. Exspectaui enim sermones uestros.

12. Et donec putabã

13. Ne forte dicatis.

14. Nihil locutus est mihi.

15. Extimuerunt.

16. Quoniã igitur exspectaui.

17. Respondebo.

18. Plenus sum enim sermonib⁹.

19. En uenter meus.

20. Loquar

21. Nõ accipiã personam uiri.

22. Nescio enim quam diu subsistã

C. XXXIII

1. MEigitur, ut hominẽ a dolis, & fraudibus, alienũ, & ab adulandi studio ualde remotum, uelim, ut attẽte audias, & ea, quæ dicturus sum, mente percipias. 2. Iã enim, quis sit meus sensus, aperiam, & prompte, quod animo complector, uerbis enuntiabo. 3. Cor, ex quo hæc depromũtur, rectũ, & integrum est; & similiter uerba ipsa purissimę scientiæ disciplinã inculcabunt. Nec enim ex aio impuro, & contaminato, uerũ, & simplex uerbum emitti potest; nec ex casto, & integro fraudulẽtũ. Non tũ hãc uitæ integritatẽ, & animi castimoniã, meis studiis, sed dono, atque muneri illius, qui me finxit, & informauit, assigno. 4. Spiritu enim Dñi creatus sum; illiusq. afflatu excitatus, uita fruor; ita, ut, illius beneficio, recta sentiam, atque sapiã. 5. Si tantum uales ingenio, mecum acie instructa congredere; mucronem orationis, quo te sum petiturus, retunde; confer pedem, & cõstanti animo in gradu consiste. Nihil est in me, quod contemnere possis; nihil rursus, quod extimescas. Nam, si de dicendi facultate quæris, nec infans, nec in dicendo ieiunus sum. 6. Idem enim Dñs, qui te ista dicendi copia, & ubertate, muniuit, me etiam eloquentiæ muneribus, atque præsidiis, instruxit. Si ad naturæ condicionem respicis, e puluere similiter effectus sum. 7. Non est, cur mei timore conturberis, & pondere totius meæ uehementiæ, quamuis in te tota ruat, aliqua ratione deprimaris. 8. Dicebas autem, te apud Deum, cum quo de iniuriis tibi illatis expostulabas, caussam tuã probaturum, dum modo is terrorem numinis, atque maiestatis suæ, quo tuum aĩum conturbabat, e iudicio suo remoueret. Age, iã experiar, an caussam tuam mihi probare queas, qui Deus non sum, neque te possum insolita quadam maiestate perterrere. Quod si mihi respondere non poteris, quo modo Dei ipsius uultum in iudicio sustinebis? Vt autem iam ad ea, quæ dixisti, respondeam, illa certe fuit intolerabilis arrogantiæ significatio, cũ dixisti, te nulla impuritatis labe adspersum esse, nulloq. omnino scelere iniquitatis alligatum. Itaque aures nostras obtudisti. 9. & hoc a te non semel audiuimus, cum diceres, Purus, & integer sum; nullo me umquam flagitio inquinaui; nullo me scelere adstrinxi; nullã in omni uita iniquitatem suscepi. 10. Et tamen Deus occasionẽ nactus est, qua me, ut hoiem maleficum, & iniustum, opprimeret, & uelut hostẽ persequeretur. 11. Deuinxit neruo pedes meos, omnesq. uias meas, ne clabi possem, speculatus est. Ita ne uero? Hoc tam immani facinore, quo Deo iniquitatẽ affinxisti, uitæ tuæ sordes elui suspicabere? At uide, quanto in errore, & amentia, uerseris. Non enim oratione ista scelus tuum oblitterare potuisti; sed nõ mediocrẽ ad illud accessionẽ noui, & inauditi sceleris attulisti. 12. Vno autẽ uerbo possum omnẽ uim oratio-

1. Audi igitur Iob eloquia mea.

2. Ecce aperui os meũ

3. Simplici corde meo sermones mei.

4. Spiritus Dei fecit me.

5. Si potes, responde mihi.

6. Ecce & me sicut & te.

7. Verumtamen miraculum meũ non te terreat.

8. Dixisti ergo in auribus meis,

9. Mundus sum ego.

10. Quia querellas in me reperit.

11. Posuit in neruo pedes meos.

12. Hoc est ergo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis tuæ, quasi securi, præcidere. Quod inquies, illud est? Hoc nempe, quod Deus tantum æquitate, atque iudiciorum fide, & constantia, homines superat, quantum uerbis explicari non potest. Vbi igitur a Deo aliquid factum fuisse constiterit, etiã nulla ratione adhibita, statuendum est, id officiũ esse sanctum, & summo consilio, atque ratione, perfectum, omnibusq. suis numeris, & partibus, absolutum. Nec enim a summa illa sapientia temere quidquam designari, nec a summa iustitia quidquam nefarie constitui potest. 13. Quid igitur tibi uenit in mentem, cum illo sapientissimo rectore, & sanctissimo iudice, litigare? At inquis, te non tenere rationem, qua tibi adeo acriter infensus sit. An ille rationẽ operum suorum hominicioni reddere compelletur? Illi ne tu litẽ intendes, quod non omnia tibi cõsilia suæ mentis aperiat? An, nisi is tibi causſam, quare mortales pœnis afficiat, exposuerit, uerum continuo est, ut illum iniquitatis insimules? Quamquam ne id quidem iure conqueri potes. 14. Est enim hoc illius immensæ benignitatis, ut sæpe numero hominibus numen suum rerũ occultarum significatione declaret, & euentura etiã multo ante prænuntiet. Vna quidem ratione loquitur interdum Deus; & altera etiã, quam homines, propter insitam dementiam, haud quaquam animaduertunt. Primum orationis Diuinæ genus est, Diuini spiritus appulsus, quo animi cõmouentur, & de rebus ab humana intelligẽtia remotis erudiuntur, ut in somnijs fieri plerumq. solet. 15. Per nocturnum enim uisum, cũ homines in lectis suis graui somno consopiti iacent, 16. Deus illorum mentes ad audiendum excitat, illisq. disciplinam salutarem tradit, &, quasi impresso sigillo, consignat, 17. ut hominẽ a flagitiis auocet, & uirum a superbia, & elatione, deterreat. 18. Sic autem fit, ut impendentia mala uitet, & dolos, & insidias uitæ suæ comparatas effugiat, & tela ab hostibus emissa declinet. 19. Alterum genus orationis, quo Deus mentem suã aperit, est morbus, quo nocentem hominem affligit, & in lecto decumbere, grauemq. dolorem subire, cõpellit, omniaq. ossa illius contundit, atque debilitat. 20. Is igitur, qui ad hunc modum a Deo uexatur, omnes cibos cum summo fastidio repellit, & dapes, quas antea uehementer appetebat exsecratur. 21. Corpus paullatim absumitur, & speciẽ pristinã amittit. Et ossa, quæ carnibus obducta uideri nõ poterant, ob grandẽ maciem exstant, & eminent. 22. Vita illius ad summũ periculũ mortis accedit, & ipse funeris curatores propemodũ intueri cõpellitur. 23. In hoc aũt angore, & cruciatu, si ex magno angelorũ numero unus saltẽ adstiterit, qui uim Diuinæ legis interpretetur, hominemq. doceat, quã iusto Dei iudicio in morbum illũ inciderit, qui illũ odio susceptæ improbitatis accendat, & ad studiũ pietatis excitet, illiq. iuris, & innocentiæ, uiã monstret, 24. Dñs repente ea uitę cõuersione placatur, angeloq. præcipit, ut a summi periculi pelle hoiem, propeiã mortiferis morbis exstinctũ, eripiat, & in ualetudinẽ amissam reuocet. Inquit enim, Accelera, illũ confestim redime, ne morte deleatur. 25. Iã enim, dolore, quẽ ex flagitiis olim admissis percepit, scelera, quibus erã infensus, expiauit. Itaque Dñi beneficio sanitatẽ, & pristinã speciẽ, recuperat. Caro enim illius instauratur, atque renouatur, & nitore, atque mollitudine, pueritiæ florem imitatur, & in antiquũ adolescẽtiæ robur adducitur. 26. Is enim ad Dñm preces adhibet, qui illi se propitiũ exhibet, raciẽq. suã ualde lætã ostendit, & facit, ut homo iustitiæ pridẽ amissæ ornamenta recuperet. 27. Hoies respicit Dñs, eorumq. rebus benigne consulit, &, cũ in officio delinquunt, ab eis delicti confessionem requirit, ut, ad illum cõuersi, ueniam flagitent, & cũ illo rursus in gratia positi dicat quilibet eorũ, Peccaui, iustitiæ sanctitatẽ uiolaui, neque me ad studium illius applicui, propter quod plagis multo lenioribus, quã fueram meritus, afflictus sum. 28 Attamen Dñs me ex exitio redemit; illiusq. benignitate e tenebris emersus, lucẽ respicio. Sic hoies accipit Dñs, sic affligit, sic erigit afflictos, sic auertit a flagitiis, & in suã rursus fidẽ, & amicitiã recipit. 29. Et hoc non semel, sed iterũ, & tertio, facit, ut homines, pesti, & exitio, deuotos, e mortis faucibus eripiat, & splẽdore lucis, qua uiui fruuntur, illuminet. 30. Ergo, cũ Dñs incõmodis hoiem afficit, testimoniũ dicit; cum plectit, loquitur; cũ ei graue uulnus inurit, satis aperte, se iratum esse, pronuntiat. Quid igitur quereris, esse ignotã tibi calamitatis tuæ causſam? Primũ enim nulla iura sunt, quæ cogant rerum omnium Dominum, reddere eorum, quæ designat, & efficit, rationem. Deinde, satis tibi iudicij suã rationẽ exponit, cum te clade ista presit: quod non feciſſet, nisi te multis criminibus alligatũ animaduertiſſet. Quid igitur impudentius, quã, contra tã clarum Dñi testimoniu, uelle, innocentiæ simulatione, admissa flagitia tegere? Aut quid amẽtius, quam hoĩem Dei iudicio conuictum ipsum Deum ad iudiciũ prouocare? Quod quidem non susceptum scelus imminuit, sed cõmissa scelera accessione noui sceleris amplificat. Reliquum igitur est, ut nõ in falsa flagitiorum defensione, sed in uera peccatorum confessione, salutis tuæ remedium collocandum existimes. 31. Quo circa animum aduerte, Iobe, & ad ea, quæ dico, diligenter attende, atque tantisper file, dum eloquar, quod uolo. 32. Licebit deinde tibi, si uerba suppetunt, respondere. Cupio enim uidere penitus, quibus argumentis iustitiã tuam defendas. 33. Si uero non occurrit tibi, quid in præsentia dicas, ausculta, & tacitus animaduerte, ut aliquem fructum ex sapientia mea consequaris. Optionem tibi do, ut eligas utrum uelis; uel ipse loquare, uel me loquentem audias.

1. HIC cum silentium fuisſet consecutum, & Iobus nihil diceret: Helius rursus ad hunc modũ sermonem instituit: 2. Audite, uiri sapientes, orationem meam; &, qui estis maximis disciplinis eruditi, quid dicam, attentissima consideratione percipite, ut de sententia mea iudicium faciatis. 3. Vt enim palatum ciborum suauitatẽ gestu diiudicat, sic hois intelligentis auditus prudentẽ orationẽ probat. 4. Iudiciũ nobis cõstituamus, ut de hac disceptatione utri ex nobis duobus causſa sit adiudicanda, consideremus. Primum autem uerba sua

13. Aduersus cũ cõtendis.
14. Semel loquitur Deus.
15. Per somnium in uisione nocturna.
16. Tunc aperit aures uirorũ.
17. Vt auertat hoiem.
18. Ereuens animã eius a corruptione.
19. Increpat quoque per dolorẽ
20. Abominabilis ei fit in uita sua panis.
21. Tabescet caro eius.
22. Appropinquauit corruptioni.
23. Si fuerit pro eo angelus loquens
24. Misereb itur eius,
25. Cõsumpta est caro eius.
26. Deprecabitur Deum.
27. Respiciet hoies.
28. Liberauit animã suam.
29. Ecce hæc omnia operatur Deus.
30. Vt reuocet animas eorũ a corruptione.
C.XXXIV.
2. Audite sapientes uerba mea.
3 Auris. n. uerba probat.
4. Iudiciũ eligamus nobis.

ba sua recognoscat Iobus, ut teneatis, quo argumenta mea conferenda sint. 5. Sic enim dixit: Iustus quidem sum: per Deum tamen mihi ius meũ persequi non licet, itaque mendacium in iudicio illius uersatur. Vt sontem enim, & sceleratum, me indignis modis accipit, neque meam orationem opem illius implorantem ad aures admittit. 6. Cũ igitur in me nullum scelus, aut peccatum hereat, insanabili tamẽ dolore crucior, atque sagitta mortifera confixus sum. Hæc est illius sententia, & hoc sæpe conqueritur, fuisſe se a Deo, sine ulla iuris legitimi ratione, uulneratum. Quid ad hæc dicam? Tãtam ne esse hominis audaciam? Tantum animi arrogantis, & elati, fastidium? Iam nihil ad di posse uidetur ad tantam insolentię, & temeritatis, immanitatem. 7. Quis enim post homines natos hoc sibi assumpsit, ut, dum iustitiam suam tueretur, pro delectamento haberet. Diuinis iudiciis illudere, &, perinde, atque si aquam biberet, ita maledicendi cupiditatem, & sitim, qua flagrat, coniectis in Deum conuiciis, exstinguere? 8. Sic autem sese ad eorum nomen, atque cœtum, adiungit, qui & iniquitate ius societatis humanæ uiolant, & impietate religionem scelerate contaminant. Hæc enim sententia ex illius uerbis elicitur, nullum fructum esse propositum hominibus, qui iustitiam unice colunt, & Deum cultu sanctissimo, pietatisq. plenissimo, uenerantur. 9. Sic enim ait, Vt homo, in iustitiæ, & humanitatis, studio, multo excellẽtius, quã reliqui homines, se gerat, & Deũ in omni uitę animo inflãmato sequatur, & cõtento studio, cursũque, ut illi placeat, elaboret, nullã tamen utilitatem ex ea uirtute, & pietate, cõsequetur. Hoc autẽ quid aliud est, quã Deo, qui omnia sanctissimo iure, & moderatione, deuincit, æquitatẽ detrahere? Ita uero fit, ut, dũ Iobus se falsis iustitiæ laudibus ornare studet, Deũ uerissimis iustitiæ laudibus spoliare conetur. Quo quidem facinore quid animo cogitari potest indignius? 10. Iccirco, uiri prudentes, attendite, omen detestamini, pestem arcete, animos firmate præsidiis, ne tam pestiferũ scelus in eos inuadat. Contineat nos illius Domini sanctissimi numen, ne tam immani scelere animos nostros alligemus, ut illum auctorem impietatis, & iniquitatis, asseramus. Est enim ille iuris conditor, iustitiæ parens, iudicij regula, atque norma sempiterna, quæ neque inflecti, neque immutari, neque uariari potest. 11. Sem per igitur hominibus, pro operum, & studiorum ratione, mercedem constituit, ita, ut malis mala, bonis uero bona rependat: quod est iustitiæ officium, & munus. Nullo igitur modo ferendum est, quod Iobus asseruit. 12. Nec enim Deus innocentes condemnat. aut æquitatis iudicium peruertit. Quid enim illũ a iustitia deduceret? error aliquis, & inscitia? 13. Num aliquis sapiẽtiam in summo rectore rerum omnium, qui tam admirabili consilio, & ratione, naturam uniuersam moderatur, merito requirat? Est ne quisquam, qui se in tã præclara opera sempiterni numinis interponat? Qui illũ cõsilio instruere, aut opera illius emẽdare studeat? Quis enim cũ illo terram numine suo lustrauit? Quis uniuersũ terrarũ orbẽ præsidio suo stabiliuit? 14. Qui igitur tam admirabili lege, & ordine, modo, & æquabilitate, mundũ construxit, fieri ne potest, ut ius, & æquitatem, uiolet? Metu forsitan, inquies, a iure discedet. Quẽ metuit is, qui omnium animantiũ uitam potestate infinita cõplectitur? Si illi ita uisum fuerit, cunctis animantibus spiritum uitalem eripiet. Vt enim uitã cunctis impertiuit, ita, cum id statuerit, eã quasi mutuo datam repetet, & ad se omnem uim spirabilẽ reuocabit. 15. Tunc igitur animanti a cuncta deficient, & homo in puluerem redigetur. Illius siquidem numine, mente, uoluntate, ratione, uel uita, & salus, uel mors, & exitium, continetur. 16. Si mentis cõpos es, cogitationem intelligentis hominis suscipe, ut me attente audias, &, quę dixero, mente, & ratione, comprehendas. 17. Num, qui uerum iudicium odio persequitur, inflicta uulnera curabit? Non certe. nam, si eos, quos propter admissa flagitia uulnerat, cum primum illos uitæ turpiter actæ pœnitet, repente sanat; quo tandem modo eos, qui nullum omnino flagitium in uita susceperant, saucia ret? Ergo, cum uulnus obligat, satis ostendit, se minime iudicium odio habere, sed summam iustitiæ curã suscipere. Quę tam proiecta igitur audacia ista tua fuit, ut sanctissimũ, & iustissimum illũ iudicẽ, immensa potestate prędituũ, iniustitia cõdemnares? Si igitur opera naturę sapientiã illius ostendunt; si uita oĩum potestate illius immensa cõtinetur; si eorum uulneribus, qui ad officiũ redire stuuunt, salutare remediũ adhibet; si nec error, nec imbecillitas, nec immanitas in iudicio illius uersari potest; quo modo cõsequens est, ut is iudiciũ inuertat, & innocentibus plagas imponat? Quare nec umquã bonos cõtra ius & fas affligi pmittet, nec improbos opibus summis, oĩbusq. dignitatis ornamẽtis, afficiet. 18. Nõ est igitur uerũ, quod dixisti, impio terræ potestatẽ, & imperiũ, permitti. Id ne potest in hominis sani mentẽ intrare, ut is, qui mundũ summa æquitate, & æterno imperio, regit, infestissimũ totius æquitatis hostẽ in loco sum mi regis habeat? 19. Vt impiũ supplicio sẽpiterno dignissimũ principib' adnumeret? Nullo modo. Qua mẽte igitur hoc asseruisti, impios illius uolũtate terras imperio coercere? Scilicet eorũ gratia, qui multũ opibus antecellunt, moueri solet, & eã potẽtiam, quã dicis, nõ hoĩum meritis, sed hoĩum populari nobilitati, cõcedit. At is nullã rationẽ humanę dignitatis habet, neque, quã personã quisq. gerit, expẽdit, neque diuites egẽtibus anteponit, cũ ab illo similiter oẽs effecti sint. Quid. n. apud illũ, qui oĩa, quæ supra subterq. sunt, potestate immẽsa cõplectitur, ualere gratia, & auctoritate, posſunt, opes inanes, honores fallaces, oĩaq. temeritatis, & fortunę ludibria? At inquis, multos homines maleficos, & iniustos, summas interdum opes habere. Verũ. Sed tu nõ tam fortunę florentis speciem, quã subitum illius occasum, & ruinam, cõsidera. 20. Homines enim iniusti, opibus elati, & inflati, repẽtina clade oppressi, moriuntur. improuiso, inopinatoq. malo cõsumũtur; multitudinis furor incitatur, & quasi turbida quędã tẽpestas inuehitur, facillimoq. negotio tyrãni statũ labefactat, atq. præcipitãtẽ impetu furibũdo prosternit. opes

5. Quia dixit Iob.
6. In iudicã do. n. me.
7. Quis est uir ut est Iob.
8. Qui graditur cum operãtibus iniquitatẽ.
9. Dixit. n.
10. Ideo uiri cordati audite me.
11. Opus. n. hominis reddet ei.
12. Vere. n. Deus non condemnabit frustra.
13. Quẽ cõstituit aliũ super terram.
14. Si direxit ad eum cor suum.
15. Deficiet omnis caro simul.
16. Si habes ergo intellectum.
17. Numquid, qui non amat iudicium.
18. Qui dicit regi, apostata.
19. Qui nõ accipit personas principum.
20. Subito morientur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

namque maleficio partę ſtabilitatem habere non poſſunt: immo, cum firmiſſime fundatę uidentur, tum repentina calamitate funditus euertuntur. Dei namque iudicium in illas uiolenter incurrit. 21. Oculi enim illius omnia hominum ſtudia, & opera, contuentur; &, quam quiſque uiam ineat, & quo intendat animum, clare uident.

21. Oculi enim eius ſuper uias hominum.

22. Nullæ ſunt tam denſæ tenebræ, nulla adeo tætra, & horrenda caligo, nullæ mortiferæ obſcuritatis latebræ, quibus ſe occultare queant homines nefarij, & iniuſti. At inquies, cur non homines in iudicium uocat, eoſq. audit, ante quam ſententiam ferat? Quia hoc eſt imbecillitatis humanæ, quæ non poteſt, niſi recitata, & audita cauſſa, & diligenter examinata, iudicare. Illi uero, qui omnia ſpeculatur, animaduertit, inſpicit, &, quæ tenebris incluſa latent, explorat, minime opus eſt, ut diem dicat, crimen intendat, teſtes interroget, conſilium cogat, & multum diuq. deliberet, ut tũ demum ſceleris conuictos capite condemnet.

22. Non ſunt tenebræ.

23. Non igitur hoc hominibus permittit, ut cum illo in ius ambulent, iudicio certent, aduocatos adhibeant, teſtimonia refellant, ut tum demũ ſententiam ferat, cum cauſſa fuerit legitima probatione conuicta. 24. Itaque, cauſſa qualibet, minime hominum teſtimonio per ueſtigata, rem penitus explorat, & ſic rectiſſimo iudicio perdit; & affligit tyrannos, alios ſubſtituit, qui illorum uicerum potiantur. Vtrumque autem ſummo conſilio, & ratione, facit, ut homines in altiſſimo gradu locatos e gradu deiiciat; &, qui erant humiles, & obſcuri, ad ſummos honores extollat, ut, illorũ opera, ſumat de hominum ſuperborum immanitate ſupplicium. 25. In eo uero, quod homines impios, & inſolentes, euertit, eorum ſtudia nefaria in omnium oculis, & adſpectu, proponit, lucemq. eis eripit, tætrasq. noctis tenebras offendit, ne ſibi queant ullo modo opem aliunde, & auxilium, polliceri. 26. Homines igitur ſceleribus infames impiorum pœnam in eodem loco, in quo maxime florentes exſtiterant, ſuſtinebunt, ut reliqui, qui exemplum illud Diuinæ ſeueritatis adſpexerint, in eorum ruina, a quibus oppreſsi fuerant, gaudio efferantur, & in iuſtiſſima uindicta ſceleris, & impietatis, exſultẽt. 27. Ab imperio namque Domini ſceleſtiſſimi homines nefarie, & impie, defecerũt; amentiaq. præcipites, ab illius uiis aberrauerunt; ut, neglecta ſalutis ratione, in peſtẽ furenter irruerent, ut ſic tandem luerent pœnas ſcelerum, quibus pauperes iniuria uexatos uocifer rari cõpulerant. 28. Dominus enim uoces, & querellas, pauperũ, qui ab improbis uexantur, exaudiet, ut opportuno tempore maleficorum hominum ſcelus ulciſcatur. Cũ is tempeſtatem ſedat, quis fluctus excitabit? Cũ uero opem ſuam remouet, & ſiue gentẽ uniuerſam, ſiue homines ſingulos, præſidio nudat, quis eos, qui illius auxilio orbati ſunt, in gratiã illius reſtituet? 29. Non igitur is, quem ille tuetur, uiribus ullis euertetur, nec is, quem præſenti ope deſtituit, ſtatũ a calamitate incolumem retinebit. Quin etiã id, quod uidetur eſſe in hominũ conſilio, atque poteſtate poſitum, ita Dei iudicio, propter ſcelera cõmiſſa, frequẽter immutatur, ut appareat, illos, ſponte ſua, in id malum, quod uitare maxime cupiebant, incurrere. 30. Nec enim ullis conſiliis, & machinis, impedimento eſſe poterunt homines cooperti flagitiis, quo minus homo maleficus, & iniuſtus, ficta bonitatis ſpecie cõmendatus, ad honores obrepat, regnumq. poſsideat, ut populũ, fraudibus illectum, laqueis impediat, & acerbiſsimo dãnatu oppreſsũ in poteſtate cõtineat. Sic autem hominũ peccatis euenit, ut, cum nihil magis, quã ſeruitutẽ, exhorreant, & tyrannidem uehemẽter exſecrentur, ipſi tamen tyrannũ ſuis capitibus imponant; &, quo magis libertatem, & impunitã licẽtiam, obtinere ſtudent, eo citius illam amittant, duriſsimoq. dominatu uiolenter oppreſsi teneãtur. Nemo enim poterit uitare calamitatẽ, aut propulſare periculum, aut libertatem tueri, niſi fuerit a Dño delicti ueniã conſecutus. 31. Siquidem ille ſolus poteſt dicere, Pœnã remitto iis, qui ſe ſceleribus adſtrinxerãt; neque terrã uaſtabo. Summa orationis hęc eſt, ut neque bellũ, neque morbus, neque fames, neque uaſtitas, neque ſeruitus, nec ullum deniq. malũ in res humanas inuectum, aliunde naſci putandum ſit, quã a ſanctiſsimo, & iuſtiſsimo Dño, hominũ peccatis infenſo; ita, ut, quoties nos afflictos cernimus, toties ſcelerum noſtrorũ, propter quæ ea mala patimur, recordari debeamus, nec aliud ad ea oĩa depellenda remediũ inſtitutũ eſſe ſentiamus, quã ut tota mente erratorũ ueniam flagitemus. 32. Si nõ recte ſentio, cupio refelli. Velim igitur me doceas, &, quę uitia in oratione mea ſint poſita, demonſtres, ut, a te cõuictus, nihil amplius dicam. Aliter enim in ſententia mea permanebo. Nec enim æquũ eſt, ut is, qui uerũ inquirere uult, cũ de officio diſputat, non aliam ob cauſſam, niſi quod offenſionẽ uereatur, quaſi de ſententia deductus ſit; antequã ad exitum perueniat, diſputationi ſuę finẽ imponat. Quid igitur? Num ob id, quod has ſententias aſpernaris, atque repudias, (moleſtę namque tibi ſunt) par eſt, ut finẽ habeat diſputatio? Non certe. Iccirco, tuũ erit, eligere utrũ uelis, uel me refellere, uel, quæ mihi dicenda reſtant, audire. Si igitur aliquid noſti, quo poſsis ſententiam meã refutare, cõfeſtim eloquere, ut ipſe, a te conuictus, obmutescã. 33. Verum, cũ ad hæc, quæ dico, nihil reſpondeas, iſta tũ, quæ dico, mini me probas. Quid refert? 34. Hoĩes enim profecto rerũ periti, & intelligentes, mecũ ſentient, & uir ſapiens mihi auſcultabit; nemoq. erit, modo ſana mente ſit, cui non me ſententiã meam probaturũ cõfidã. 35. Iobus aũt ſolus, qui ſibi ſummã ſapientiã arrogat, nõ modo ſentẽtiã ueriſsimã improbabit, ſed etiã impudenter, & temere, loquetur, eaq. uerba fundet, ex quibus illius amentia cognoſcatur. Quo me igitur uertã? Quod remediũ iſti malo inueniã? Quibus te præſidiis ab iſta peſte, quæ te miſerũ tenet, eripiã? Cupio quidẽ, te in bonã mentẽ reſtitui, ut, ea recepta, ſalutẽ amiſsã recuperes. Itaque ſumma ope nitor, & neruos oẽs intendo, ut te ab iſto furore deterream: ſed nihil proficio. Nec mirum tũ eſt, te oratione mea minime ſanari, cũ neque plagis quidẽ iſtis, quas tibi iratũ numẽ inflixit, in mẽtis ſanitatẽ reuocatus ſis. 36. O Pater ſanctiſ-

23. Neq. n. ultra in hominis poteſtate eſt.

24. Conteret multos

25. Nouit enim opera eorum.

26. Quaſi impios percuſſit eos.

27. Qui quaſi de induſtria receſſerunt ab eo.

28. Vt peruenire facerent ad eũ clamorem egeni.

29. Ipſo. n. concedẽte pacem.

30. Qui regnare facit hominẽ hypocritam.

31. Quia ergo ego locutus ſũ ad Deum.

32. Si erraui.

33 Nũquid a te Deus expetit eã.

34. Viri intelligentes loquantur mihi.

35. Iob autem ſtulte locutus eſt

36. Pater mi.

ſanctiſsime, qui tanta cura, ſtudio, prouidentia, benignitate, rebus humanis conſulis, qui tua tantum bonitate illectus es, ut iſtis pœnis, quas Iobo intuliſti, eum erudires, & morbos animi, quibus erat implicitus, ab illius mente depelleres, te oro, & obteſtor, quando is neque tantis plagis ab impia mente deſiſtere, & ad ſanitatẽ reuocari poteſt, ne quidquã de puniendi ſeueritate remittas, ſed illum, quamdiu in eo ſcelere perſtiterit, uehementer excrucies, ut hoc inſigni ſeueritatis exemplo homines iniqui ab iniquitate ad pietatem, & iuſtitiam, traducantur. non enim Iob mediocre, & uſitatum improbis hominibus ſcelus, ſed nouũ, & inauditum in noſtris oculis ſuſcepit, & priſtina flagitia impietatis infandæ crimine cumulauit. 37. Nam, cum multis, & nefariis criminibus adſtrictus ſit, ſibi tamen, quaſi in meritis excellentibus, applaudit; tantaq. ſuperbia, & arrogãtia, tumet, ut Deo iudicium denuntiare minime uereatur. Quo quid indignius, & ſceleratius excogitari poteſt? Eadem namque opera, qua ſibi ipſi ſanctitatis egregię teſtimonium tribuit, ſummum, atque ſanctiſsimum Dominum, rectoremq. iuſtiſſimum, ſceleris, & iniuſtitiæ, condemnat.

37. Quid addit ſuper peccata ſua blaſphemiam.

C. XXXV.

1. HAEC ubi Helius perorauit, alium deinde ſermonem in hanc ſententiam exorſus eſt: 2. Nũ, cum tantis argumentis euictus ſis, adhuc in ea ſententia permanes, ut ad certamen cum Deo in legitimo iudicio ineundũ meditere? Num id confidis fore, ut, ſi cum illo litigaueris, ſuperior ex iudicio diſcedas, & litem obtineas? 3. Id enim dixiſti: Quam utilitatem ex pietate a me ſancte culta percipiam? Aut quod emolumentum aſſequar, ſi ſcelus expiauero? Nec enim Deus fontes tantum euertit; ſed etiam ſæpe uidemus, caſtos, & ſanctos homines ab illo maximis pœnis excruciari. 4. Tibi igitur, & amicis tuis, qui adſunt, reſpondebo: 5. Suſpice, quæſo, cęlum, & ſidera contemplare, & oculorum aciem in ætheriam formam intende, & animaduerte, ea omnia tam altum locum in natura tenere, ut ad ea, mente, & cogitatione, adſpirare non poſsis. 6. Si igitur tantillus es, ut, ad opera Dei tam magnifica, & excelſa, comparatus, ne punctiquidem inſtar obtineas; quo modo poterit ex te quidquam accidere, quo ætheris, & cæli, condicio, uel deterior, uel illuſtrior eſſe poſsit? Ergo, ſi nihil eſt in te, quod ad opera iſta Diuina, quæ cernis oculis, aliqua ex parte pertineat, quo tãdem modo fieri credis, ut aliquid ex rebus tuis uel boni, uel mali, in ipſum ſummum cõditorem, & Dominum, qui hæc omnia creauit, & complexu ſuo arcet, & continet, redundare poſsit? 6. Si peccaueris, quod illi detrimentum afferes? Si ſcelera tua fuerint multis acceſsionibus amplificata, quid de illius amplitudine, & maieſtate, deminues? 7. Quid, ſi iuſtitiam fueris amplexus? Num cum beneficio aliquo, quod ad illius fructum perueniat, alligabis? Non certe. Nec enim indiget ille opibus humanis, aut ullo terrarum cultu, ut ea gratia putes, eum donum aliquod, & munus, quod in rem illius ſit, ex te aliquando percepturum. 8. Homo igitur cũ ſis, ut reliqui, qui ex eodẽ principio generis orti ſunt, ſi fueris impius, hominibus, non Deo, impietas tua nocebit: ſimiliter, ſi iuſtitiam colueris, hominibus non Deo, iuſtitia tua fructum importabit. Cum igitur is te incommodis uexat, non rem ſuam curat, ſed tua tantum gratia laborat; atque, ut te ab exitio redimat, eas tibi plagas imponit. Non igitur de illo iure conqueri, atque lamentari, potes. Sed dices: 9. Cur igitur multi, iniuria oppreſsi, uociferantur? Cur innocentes, tyrannorum immanitate uexati, clamores in cælum tollunt? Cur tantam poteſtatem cõceſsit Deus hominibus impuriſsimis, ut homines tenues, a quibus numquã læſi fuerãt, omnibus bonis expellant, & crudelitate ſumma perſequãtur? Si ij, qui a tyrannis uexantur, nullũ in uita flagitiũ ſuſcepere, iure, atque merito queruntur. Si uero multis ſe peccatis obſtrinxere, nulla cauſſa eſt, cur ea mala ita indigne patiantur. Deus enim improborum crudelitate ad eos caſtigandos, qui flagitioſe uiuunt, ſapienter abutitur. Quid, inquies, ij, qui nullis erant opibus præditi, cõmittere potuerunt? Quid? quod multi, qui nemini umquã grauem iniuriã intulere, grauiſsimas iniurias ab hominibus improbiſsimis accipiunt? Vt nihil aliud dicam, id parum eſſe putas, quod, Dei immemores, illius beneficia ſcelerata obliuione contriuere? 10. Nec enim ex illis quiſquam dixit, Vbi eſt Deus, qui me creauit? Qui nocte, ſpecie ſiderum præclara, admirabilibusq. cæli totius luminibus, & ornamentis, carminum, & laudum, materiam ingentem præbet? 11. Qui nos multo præclarius, quam animãtia terreſtria, ad ſalutem erudituit? Qui nos multo maioribus ſapientiæ diſciplinis, quam cunctas uolucres, quæ libero cęlo fruuntur, inſtruxit? Hæc non uident homines, neque ſecum recogitant; nec ex humanę naturę prę ſtantia colligunt. eſſe ſibi imperium a Deo in cunctis animantibus attributum. Itaque, cum Dei beneficia minime recordentur, neque illi gratias agant, aut debitos honores inſtituant, merito ingrati animi debitas pœnas exſoluũt. 12. Poſtquã uero in maleficorũ hominum manus incidunt, eorumq. tyrannide premuntur, ad Deũ clamant, illiuſq. præſidium implorant; non tamen exaudiuntur. 13. Non enim Deus ingratorũ hominum preces, iniuriis, & calamitatibus expreſſas, & ad tempus nefarie ſimulatas, ad aures admittit: nec ad eorum clamores, quos non odium admiſsi ſceleris, ſed ſenſus inuſti doloris, ſtimulat, attendit. Omnes igitur humanæ clades, omnes uitæ acerbitates, omnes dolores, & ærũnæ, ad illius ſanctiſsimum iudiciũ referendæ ſunt, qui ſcelera humana debito ſupplicio perſequitur. 14. Inquis tamẽ, Hoc me nalde ſollicitum habet, quod cauſſam iudicij, quo me perculit, & afflixit, non teneo, nec eum in hac mea calamitate præſentem intueri poſſum, ut ad illum fidenter adeam. Quaſi ſit neceſſe, quoties is aliquid ſtatuit, atque decernit, decretorũ omnium, atque ſententiarum, cauſſas tibi notas eſſe. At hoc certe conſtat, ſiue tu illum uideas, ſiue non uideas, hoc eſt, ſiue conſiliorum Diuinorum rationes exploratæ tibi ſint, ſiue nõ ſint, in omnibus illius factis rectiſsimum iudicium antegredi, neque quidquã ab illo, ſine

9. Propter multitudinem calumniatorum.

10. Et non dixit.

11. Qui docet nos ſuperiumenta terræ.

12. Ibi clamabunt.

13. Nõ ergo fruſtra audiet Deus.

14. Etiam cũ dixeris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

summa lege, atque ratione, constitui. Si rationem illius assequeris, pelle ex animo mestitiam istam. Si non assequeris, nihilo tamen secius in illum intuere, illius auxilium implora, ab illo præsidium exspecta, & is te cura ista, quæ te premit, tandem aliquando liberabit. 15. Interim uero hoc unum habeto, illum, in animaduertendo modum iræ suæ statuisse, neque tibi tam graues pœnas irrogasse, quam criminum tuorum magnitudo postulabat. Et tamen te innocentem prædicas, cum tam exsecrabilis oratio ex ore tuo exciderit? 16. Quid enim indignius, aut immanius, excogitari potuit, quam Iobum, hominem sapientiæ, & integritatis, & religionis opinione præstantem, nerba, plenissima temeritatis, & flagitii, atque sceleris, protulisse, & ita Diuinum in se numen conuiciorum granitate, & magnitudine, concitasse?

15. Nunc enim Cnon infert furorem suum.

16. Ergo Iob frustra aperit os suum.

CAP. XXXVI.

1. HAEC præterea, ut Iobum acrius premeret, adiecit. 2. Perfer, & tolera, quæso, paullulum molestiam, si quam tibi exhibet oratio mea. Sunt enim præterea mihi aliæ rationes, quibus Dei caussam tueri queam. 3. Itaque, repetito altius principio, quid ipse cognitum, & constitutum habeam, explanabo, & peruincam, nihil a conditore meo sine summa ratione fieri, & semper cum operibus illius iustitiam esse coniunctam. 4. Et certe nihil erit in oratione mea falsum, & fraudulentum, nihil temerarium, & insanum, immo omnia, quæ tibi dixero, erunt uere, simpliciter, & sapienter, enuntiata. 5. Primum quidem, Deus, cum potentia summa præditus sit, non tamen hominum postulata, quæ sunt iure nixa, repudiat. Neque solum potens est, sed etiam maximis sapientiæ, & intelligentiæ, uiribus instructus. Ergo, cum omnipotens, & clementissimus, & sapientissimus sit, & ita neque imbecillitate, nec immanitate, nec errore possit de recto iudicio dimoueri, fieri ne potest, ut is impiis benigne consulat, & innocentes euersos, & afflictos, in calamitate destituat? Nullo modo. 6. Numquam igitur uel impijs uitam dabit, uel humilibus, contra ius, & fas, salutem eripiet. 7. A iustis autem oculos numquam deiiciet, sed eos semper tutela sua proteget, & malis obrui minime patietur. Cum uero cernat, nullam gentem sine imperio posse consistere, homines quosdam iustitia præcellentes in Regia sede locat, qui perpetuo populos sibi subditos stabili iure consocient. 8. At, qui se multis peccatis irretiunt, infinitæq. libidini constringendos tradunt, ferro uincti, & tenebris inclusi, uitam agunt miseram, & acerbam, multisq. angoribus implicatam: itaq. non solum maleficiorum conscientia discruciantur, sed Dei iudicio multis in locis acerrime plectuntur. 9. Scelera enim, quæ conflarant, illis obijcere, meritasq. superbiæ pœnas irrogare solet. 10. Non tamen totum odium, quod habet in scelus, repente profundit, sed leuioribus primum pœnis homines sceleratos afficit, ut eos a prauitate uitæ deterreat, atque plagis admoneat, omnem uitæ rationem esse ad studium pietatis, & iustitiæ, conferendam. Est igitur uel animi sollicitudo, uel illatum incommodum, uel iniustus dolor, admonitio quædam, atque disciplina, illis ualde salutaris, qui tantum beneficium non ingratis animis aspernantur. 11. Si enim ij, quos Deus plagis erudit, & admonet, ut, ab iniquitate, & iniuria traducti, in illum mentis adspectum referant, præceptis illius obedierint, huius æui cursum bene, & beate, conficient, & magnis iucunditatibus in uita perfruentur. 12. Quod si rebelles exstiterint, Dominiq. imperium detrectauerint, erunt illius telis exposiri, eodemq. genere leti delebuntur, quo exstingui, atque deleri, solent ij, qui sin emente, atque ratione, uitam exigunt. Amentia namque præcipites, in pestem ruent, & in pœnam sceleris sempiternam detrudentur. Cernis iam, quam sit falsum id, quod asserebas, nempe, Dei uoluntate improbis multa feliciter euenire, & innocentes immeritis sæpe incommodis diuexari? Nam, & qui nullo merito suo afflictari uidentur, scelera multa commisere, quæ sunt dura seruitute, bonorumq. direptione, punienda, & ipsi tyranni, quamdiu florent opibus, atque potentia, curis tristissimis agitantur, & scelcris, & amentiæ, pœnas luunt, atque tandem, omnibus uitæ commodis expulsi, in miseriæ sempiternæ regionem præcipites eiiciuntur. Sed inquies, multos esse, quorum uita nulla turpitudinis, aut impuritatis, labe notari potest, qui tamen multis incommodis afficiuntur. 13. Pergis ne tu innocentiæ simulationem, Innocentiæ nomine cohonestare, ficteq. uirtuti Virtutis nomen imponere? An est quidquam scelestius, quam pietatem ementiri, iustitiam simulare, incautis populis, fallaci specie sanctitatis, illudere? Illos igitur, quos dicis ærumnis diuturnis oppressos fuisse, non Castos, & Sanctos, & Pios, sed Fallaces, & Veteratores, & Callidos, appellandos existimo. Certe enim, si uere, & ex animo, pietatem coluissent, Diuina clementia, & in pristinam dignitatem restituti fuissent. Vt enim Deus ueræ bonitati fauet, ita est fictæ bonitatis imagini uehementer infensus. Omnes igitur, qui uirtutem simulant, iræ Diuinæ thesaurum coaceruant, &, cum ui Diuina constringuntur, neque scelus confiteri, neque preces adhibere norunt, nec eas deneque uoces ad Deum fundere, quæ ad aures illius perueniant. 14. Quamuis igitur in eo elaborassent, ut sapientiæ nomen obtinerent, & castimoniæ laudem uenerentur, tamen factum iuuenilis temeritatis, & amentiæ, subibunt, & impurissimæ libidinis, & intemperantiæ pœnas sustinebunt. Hæc quidem est eorum condicio, qui, superbia inflati, & erroribus excæcati, scelus admissum agnoscere, & ueniam petere, recusant. At, qui humiles sunt, omnia facillime, quæ uolunt, precibus assequuntur. 15. Deus enim, cum propter delictum aliquod eos afflixerit, illos minime deseret; sed illius clementiam suppliciter implorantes ab omni calamitate, quæ eos premebat, eripiet. Quoties enim eis aliquod incommodum affert, non id agit, ut eos interimat, sed clementer erudiat, & admoneat, eos, propter aliquod flagitium, plagam illam accepisse. 16. Verum autem, ut in memoriam redigas, quod ante dixi,

2. Sustine me paullulum.

3. Repetam scientiam meã a principio.

4. Vere. n. absq. mendacio sermones mei

5. Deus potentes non abiicit.

6. Sed non saluat impios.

7. Non auferet a iusto oculos suos.

8. Et si fuerint in catenis.

9. Indicabit eis opera eorum.

10. Reuelabit quoque aurẽ eorũ.

11. Si audierint, & obseruauerit.

12. Si autẽ non audierint.

13. Simulatores & callidi.

14. Morietur intempestate anima eorum.

15. Eripiet de angustia sua pauperem.

16. Igitur saluabit te

dixi, nempe, Deum duplici ratione mentem suã mortalibus aperire. Aut enim per uisum nocturnum arcana mentis suæ patefacit; aut, plagis impositis, se iratum esse sceleribus humanis ostendit. Hoc cum ira sit, restat plane, ut ista mala, quę tibi ab illo inuecta sunt, in loco admonitionis ponas; & intelligas, te, propter admissa flagitia, debitam pœnam subijsse. Quod si fecisses, &, plagis cruciatus, intellexisses, te, propter admissa scelera, in tam graues ærumnas incidisse, &, opem illius suppliciter imploratses; iam dudum is te ex miseriæ istius angustijs, quæ nullum finem, quãdiu pietatem nefarie simulaueris, est habitura, clementer abstraxisset, tibiq. summam uitæ tranquillitatem, bonorumq. omnium affluentiam, contulisset, mensaq. tua conquisitissimis epulis exstructa fuisset. & tamen obstinate in iustitiæ simulatione persistis, quasi ficta specie sanctitatis possis maculas insiti sceleris, & improbitatis, eluere. 17. Ergo, cum ex istis malis, quæ te circũueniunt, necessario colligatur, te caussam impio contra leges adiudicaisse, iustitiæ ratio flagitabat, ut iniustitiæ tuæ pœnam sustineres. Vt enim in indicando ius, & fas omne deleueris, ipsum ius, atque iudicium sempiternum infringi, & labefactari, non potuit. Flagitia igitur tua recognosce, & peccati confessione morbos animi curandos suscipe; operamq. da, ne umquam ab æquitate discedas. 18. Non igitur te in iudicando iracundia perturbet; non ullus cum improbis hominibus in scelere consensus inflectat; non donorum, atque munerum multitudo corrumpat, si cupis illud sanctissimum Dei iudicium effugere. Aliter enim iram illius uitare non poteris. 19. Quid enim censebas? num apud illum opes tuas pondus aliquod habituras? At neque opes, nec arces, neque munitiones, nec ulla præsidia, te poterunt a peste redimere. non enim est, nõ est dignitatis amplitudine, non mœnium altitudine non uirium robore, Dei uoluntas allicienda, sed innocentia, fide, iustitia, sanctitate. 20. Non ergo est, cur te nocte, cum animus reliquis curis uacuus est, ea cogitatio sollicitet, ninis anxie perscrutantem caussam, atque rationem, quare quidam populi in aliorum opes, & munitiones inuadant, &, antiquis possessoribus eiectis, ipsi cuncta, quæ fuerant aliorum, impune possideãt. satis enim erit tibi, ad omnem eiusmodi curam leuandam, intelligere, nihil a Deo, sine singulari consilio & ratione, constitui. Ergo, cum alios populos euertit, & alios in dominatu constituit, superbiam, & iniquitatem, & scelus ulciscitur, &, eo seueritatis exemplo, reliquas gentes ad officium erudit. 21. Caue igitur, ne studium tuum in inanitate consumas, & cogitationibus uanissimis te, ex miseria, quæ te premit, expedire coneris. Si enim uanitatem consectarus fueris, quo magis e malis emergere contendes, eo citius, omnium miseriarum colluuione depressus, interibis. 22. Deus arcem immensæ uirtutis, atque roboris, tenet. quis ergo Reip. conditor, legumq. lator, est cum illo, uel uiribus, uel sapientia, comparandas? 23. Quis illius opera in iudicium uocare potest, aut ei in eo, quod ille gesit, iniquitatem affingere? Nec enim uel metu ab æquitate deduci, cum sit potentissimus, nec mentis errore a uero auerti, cum sit sapientissimus, ullo umquam modo poterit. 24. Da igitur operam, ut illius facta recorderis, & opera Diuina, quæ sunt in hominum oculis, & adspectu proposita, uerbis amplifices. Nulla enim laus operibus Diuinis attributa erit tam ampla, quam non illa facillime uel magnitudine, uel claritate, uel utilitate, superent. Omnes homines illum intuentur; & illi etiam, qui uidentur esse a numinis sempiterni cognitione remoti, uim tamen illius, atque sapientiam, longe in posterum speculari, & contẽplariũ; cogtur. 26. Multa enim utilitatibus humanis exposita, & oculis omnium subiecta, ad speciem illustria, & ad utilitatem salutaria, quæ Diuinæ sapientiæ, atque bonitatis, egregiam significationem dant. Reliqua enim, quæ sunt multo maiora, & altiora, cũ non sint in promptu, & in caligine lateant, perscrutari, & speculari, non licet. Altior enim est, quam ut illum quisquam mente, ratione, comprehendere queat. Quis enim illius naturam, quis maiestatem, quis æternitatẽ, peruestigabit? Nec enim caussas, & rationes operum illius, quas oculis adspicimus, assequimur; tantum abest, ut illius perfectam notitiam capiamus. 28. Cum ei uidetur, nubes continet, ne guttam aquarum in terras demittat: cum illi ruris placuerit, imbres satis largos effundit. Excitati namque, illius decreto, & instituto, uapores in sublime feruntur, & humorem colligentes, in nubem concrescunt, ut, aquarum copia superne demissa, tellurem irrigent, & aruis ab hominibus cultis fecunditatem dent. 29. Quis nubium uarietatem, ad res nalde admirandas extensam, ratione consequitur, ut intelligat, quo modo is illarum caliginem, quasi tabernaculum undique tectum, atque laqueatum, subeat? 30. Vbicumque enim uis illius inclusa delitescit, ibi illum habitare, putandum est. Cum porrigit lumẽ suum, maris etiam fundamenta illius splendoee collustrantur. 31. Aquarum eluuione, populos impios euertit; aquarum rursus effusione, magnam frugum copiam alendis mortalibus elargitur. 32. Igneam uim e terris excitatam in nubes includit; eiq. præcipit, ut uapori circumdato obuiã prodeat, & obsistat. 33. Flammulis igitur exiguis contraria ui ambientis humoris undique expressis, & in locum unum compulsis, fit, ut alia aliam ad eruptionẽ excitet. Ergo, ubi ignis ille, auctus & amplificatus, ures colligit, acrius exardescit, &, nubes perrumpens, emicat, & excitatum humorem, impetu facto, dissipat, tantosq. in pugna fremitus edit, ut orbem terrarum frequenti tonitru, fulgure, fulmine, tremefaciat.

17. Caussã tua quasi impii iudicata est.

18. Non te ergo superet ira.

19. Depone magnitudinem tuam absq. tributatione.

20. Ne protrahas noctem.

21. Caue, ne declines ad iniquitatẽ.

22. Ecce Deus excelsus in fortitudine sua

23. Quis posterit scrutari uias eius?

24. Memento, quod ignores opus eius.

25. Omnes homines uident eum

26. Ecce Deus magnus.

27. Qui aufert stillas pluuiæ.

28. Quide nubibus fluunt.

29. Si uoluerit extendere nubes

30 Et fulgurare lumine suo desuper.

31. Per hæc enim iudicat populos.

32. In manibus abscondit lucem.

33. Annuntiat de eo amico suo.

CAP. XXXVII.

1. HAEC animaduertens animus meus, patuet, atque de statu deijcitur. 2. Percipite, quæso, quantus ille terror sit, cum ad illius uocem horrendi quidam strepitus, atque fremitus, metu mortales exanimant; & fragor, cum ille loquitur, auditus mentes omnium perterret. Naturæ namque uoces illius putandæ sunt, cuius imperio, &

1. Super hoc expauit cor meum.

2. Audite auditionẽ in terrore uocis eius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rio,& numine, natura uniuersa mouetur, illiusq. potentiam admirandis operibus exponit. 3. Sub ter omnem cælestem naturam nubem dirigit, atque moderatur, lucemq. suam in extremas oras terræ diffundit. 4. Pone illum horrisona quædã uox audietur; tonabit,& fulgurabit; nullaq. mora interposita, tonitrum unum aliud tonitrum consequetur,& ictibus crebris aures uulnerabit. 5 Intonabit Dominus, mirosq. fremitus edet is, qui res maximas gerit; quarum caussas,& rationes,ignoramus. 6. Ad illius imperium nix in terrã decidit; illius iussu exsistit nimbus, & pluuia; &, cum illi uisum fuerit, imbres, atque procellæ, ui numinis illius emissæ, horrorem incutiunt. 7. Vi tẽpestatis homines exterritos, in ædibus, & locis, aut natura, aut arte, munitis, inclusos tenet, ut, metu tanti fragoris, attoniti, opera illius mente considerent. 8. Quin etiam feræ se ad latibula sua proripiunt, & in cubilibus suis, procellæ uitandæ gratia, commorantur. 9. Ex nubium penetralibus exsistunt turbines; &, ubi primum nubes fuerint, flante uehementer Aquilone, dispulsæ, maximis repẽte frigoribus obrigent omnes terræ. 10. Aqua in nubibus uento uehementer conglaciat: ex illa uero glacie fracta iam, & comminuta,& attritu maxima ex parte liquefacta, rursus uis ingens aquæ grandine commista diffunditur. 11. Aere puro, atque sereno, Deus nubem densis aquis onerat, ut rursus ex illa calore dissipata pluuiæ in terras spargantur. 12. Ipseq. Dominus, per omnium rerum naturas, intentus, atque commeans, ita se uersat, ut orbem, cuncta lustrando, conficiat, &, cum gubernaculum mundi uniuersi teneat, ita res omnes moderatur, imperioq. denincit, ut nihil sit in natura, quod opus suum, iniussu illius, exsequi possit. Quæcumque igitur ille præcipit, fiunt; omnisq. terrarum orbis illius iussis obtemperat; & uniuersa natura numine illius, atque potestate, continetur. 13. Siue ille uni genti prospiciat; siue regionem in præcipuo illius præsidio latentẽ tueatur; siue singulis hominibus consultum esse uelit; omnia, quæ uiuunt,& uigent, & uitæ muneribus instructa sunt, illius misericordia conseruari,& augeri, reperiemus. 14. Ad hæc diligenter attende, Iob; & animo consiste, ut, quam sint admiranda Dei opera, ratione consideres. 15. Num id intelligentia percepisti, quo modo Deus nubibus leges imponeret,& e nube sua fulgorem eliceret? 16. Num tenes exacte modum,& numerum,& rationem, qua nubes, certis examinata ponderibus, in aere pendeant, ut ex illis tam uarij, atque mirabiles effectus oriãtur? 17. Num rationem tenes, qua Deus ita rerum naturam uarietate distinxit, ut frigus calorem, calor frigus expelleret,&, Septemtrione comprosso, atque sedato, uestes tuæ, Austro flante, concalescerent? 18. Num, cum is cælestes globos dilataret, atque tam excellenti artificio,& opere, perpoliret, naturæq. firmitate,& constantia, stabiliret, ut nihil ad speciem pulchrius, nec ad utilitatem melius, nec ad permanendum aptius, oculis uideri possit, illum uel opera, uel consilio, iuui-

3. Subter omnes cælos ipse cõsiderat.
4. Post eum rugiet sonitus.
5. Tonabit Deus in uoce sua mirabiliter.
6 Qui præcipit niui.
7. Qui in manu omnium hominum signat.
8. Ingredietur bestia latibulum.
9. Ab interioribus egredietur tempestas.
10. Flante Deo cõcrescit gelu.
11. Frumentum desiderat nubes.
12. Quæ lustrant per circuitum.
13. Siue in una tribu.
14. Auscultahæc.
15. Numquid scis, quãdo præcepit Deus pluuiis.
16. Numquid nosti semitas nubium magnas.
17. Nonne uestimenta tua calida sunt.
18. Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos,

sti,uel saltem rationem, qua ille tam excellens opus absoluit, intelligere potuisti? 19. Si tantum excellis intelligentia, doce nos, quo modo illũ, cum opus fuerit, alloquamur,& ad iudicium prouocemus. Nos enim non eam nobis sapientiam, quam ostentas, adscisimus; nec ad dicendũ coram eo parati, atque meditati, sumus; nec, cum in tanta rerũ caligine, & ignoratione uersemur, quid optimum factu sit, explicare possumus. Nos, idiotas,& Diuinarum rerum ignaros, esse fatemur: proinde tuum est, si tantis sapientiæ opibus abundas, nobis ista sapientiæ mysteria tradere, quæ tibi soli nota sunt, ut, illis initiati, perinde atque tu facis, cum Deo iudicio decertare audeamus. Quo quid asseri potest amentius? Homo, quo nihil est in terris imbecillius, ut cum illo sumimo Domino, qui omnia numine suo coercet, pedem in iudicio conferre minime uereatur? 20. Si enim cum illo egero, num interprete,& eo gnitore sui iuris indigebit, ut ei suggerat, quid illi respondendum sit? Illo etiam tacente, homo, qui tantum facinus ausus fuerit, non amplitudine tantæ maiestatis attonitus obmutescet,& in ipsius Domini conspectu exanimatus interibit? Quo tandem igitur modo uir ullus cũ Deo, æquo iure disceptabit? 21. Vt autem in magna serenitate, densis nubibus obductis, lucem adimit, & homines solis adspectu priuat; ita, cum cælum caligine tectum est, & nubes lucem mortalibus eripiunt, inducto Septemtrione, dispellit nubes, discutit caliginem,& serenitatem restituit. Quod quidem facile declarat, illius iudicio malorum tempestates importari; illius rursus numine, & uoluntate, tranquillitatem exsistere, & unicum remedium salutis esse ijs, qui procella, atque turbine, peruertuntur, ad illius opem confugere. 22. Vt enim is, purissimi Aquilonis ui,& impetu, tenebras pellit, aerisq. formam, quæ fuerat antea crassa caligine circumfusa, puram, atque nitentem, reddit; sic homines, ruinis oppressos, & squalore deformatos, ad pristinam dignitatis lucem, atque serenitatem, spiritus sui iucunditate, atque puritate; reuocabit. 23. Septẽtrio namque, serenitate summa præditus, & cum auri puritate conferendus, ita cunctas tenebras expellit, ut nihil in aere turbidũ, atque tenebricosum, relinquatur. Itaque omnium operum istorum laus,& gloria, penes solum Deum, cuius maiestas est ualde pertimescenda, consistit. Indignisme pateris, quod locum ignoras, ubi is sui copiã faciat,& tibi respondeat, ut sic demum litem obtineas. At id neque fieri potest, neque conueniẽs, & necessarium est. cum enim illius maiestas infinita sit, nullum certum locum, in quo is consistat, mente peruestigare, & cogitatione complecti possumus;&, cum altus, & excelsus, & robore præcellens, & iuris, atque iustitiæ splendore clarissimus sit, minime consentaneum est illius amplitudini, ut tibi respõdeat. Nec enim ab æquitate, propter alicuius mali formidinem, deduci potest, cum sit potentissimus; neque iustitiæ sanctitatem uiolare, cum sit in iudicio rire constituendo sanctissimus. Ergo, cum nihil ab illo fiat, nisi

19 Ostende de nobis, quid dicamus illi.
20. Quis narrabit ei q̃ loquor?
21. At nũc non uident lucem.
22. Ab Aquilone aurum uenit.
23. Digne eum inuenire nõ possumus.

nisi summo consilio, & æquitate, cum aliquem affligit, quamuis minime ratio inuectæ calamitatis explicetur, certe constabit, eã iure, atque merito, consilio sanctissimi numinis inuectam fuisse. 24. Homines, qui hæc animis recogitant, numen illius extimescent; & ita illud sibi facillime placabunt. At, qui sibi sapientiam arrogant, neque se in conspectu illius abijciunt, ab ope illius deserentur. nec enim is illis prospiciet, qui nomine sapientiæ nimis insolenter efferuntur.

CAP. XXXIIX.

1. HAEC cum Helius peroraſſet, excitata repente tempestas turbine Iobum, & amicos illius, abiecit. nam & horrendus terræ fremitus, & ætheris fragor,& micantia fulgura,& res aliæ nimis metuendæ, satis aperte numinis præsentiam declarabant. E medio autem turbine, atque procella, Deus eiusmodi uerbis Iobum perculsum,& stratũ, excitauit. 2. Quis, inquit, is est, qui uerbis imperitis mentem, atque sententiam, occultat, & consilio clarissimo tenebras afferre conatur? Quasi tibi minime compertum sit, me nihil omnino, sine summo consilio, ratione, æquitate, moliri. Sed id te pungit, quod consiliorum meorum rationes exploratæ tibi minime sint. An necesse est, tibi notas esse operum omnium caussas, quæ molior,& efficio? Nec interim tui pectoris angustias agnoscis; neque meæ mentis altitudinem, & maiestatis amplitudinem, mente consideras? Quæ profecto tanta est, ut illam nullum ingenium, quantumuis excellens, & disciplinis excultum, consequi ulla ratione possit. Dicebas autem, te facile, modo metum, atque minas, remouerem, caussam tuam defensurũ. Age, te illo numinis metu libero, qui tibi impedimento esse poterat, quo minus libere mecum de plagis tibi inflictis expostulares. 3. Excita uires animi; uiriq. fortis robur assume; & interrogabo te, ut me rationibus, quibus caussa tua nititur, erudias. Potestatem namque mihi,& optionem, faciebas, utrum uellem, eligerem, uel ad quæsita respondere, uel, interrogando de te, rationem tui iuris exquirere. Condicio placet. 4. Hoc igitur te primum interrogo: Vbi nam eras, quando terræ fundamenta iaciebam? Si tantum ingenio, & intelligentia, uales, uelim mihi exponas illius soliditatis rationem, qua in medio mundi conglobata, fuoq. tantum pondere nixa, cohæret. Quis illam certa mensura definiuit? 5. Quis ad normã, atque regulam, direxit, & certo numero, atque ratione, formauit? 6. Qua nam, quæso, base fulta, sustinetur? Quis in angulis illius lapides ingentes posuit; Vt ea uidelicet ratione firmior permaneret? 7. Quid agebas, cum in mundi nascentis exordio sidera cuncta mirabili splendore collucentia simul exstiterunt, insitamq. naturæ lætitiam, incitatis incredibili alacritate motibus, & suauissima ratæ, & æquabilis, conuersionis harmonia,& distinctis numero,& ratione, uocibus, expresserunt? Quid, cum innumerabiles angeli, forma, specie, pulchritudine, dignitate, Dei similitudinem,& speciem, referentes, exsultare, sempiterniq. laudibus optimum parentem, qui eos tantis, atque tam præclaris muneribus ornarat, efferre cœperunt? 8. Nosti, quo modo mare tam uastum, atque tam profundum, ex utero matris in lucem prodierit? Quibus ostijs, atque repagulis, intercluſum sit, ne ad perniciem, & uastitatẽ, orbis terrarum possit erumpere? 9. Qua ratione illud nube, quasi uestimento, contexerim, &, inducta caligine, quasi fascia quadam, cinxerim? 10. Illi præterea terminum, quem nullo modo transiliret, decreto meo constitui,&, quasi occlusis foribus, atque inducto uecte, furorem illius lege mea compescui. 11. Dixi namque, Hucusque peruenies; nec ultra terminũ tibi præfinitum ullo modo prosilies; sed hoc in loco tumidos fluctus franges. 12. Num, ex quo primum in lucem editus fuisti, legem matutinæ luci dedisti; & intellexisti, quo tempore esset e loco suo auroræ splendore excitandus? Qui quidem lucem in terras longe lateq. diffundit, & impios exterret,& a flagitijs inuitos abducit. Vt enim noctis, & tenebrarum opportunitatem sequuntur, ut liberius possint tætra facinora machinari; ita lucem oderunt,& exsecrantur, eo quod illos, infamię, atque iudiciorum, metu, tantisper, dum uideri, atque notari possunt, a sceleribus auertit. 13. Quamuis enim impuri, & flagitiosi sint, natura tamen decus exhorrent; &, ne turpitudo, in qua uersantur, animaduerti possit, animo ualde sollicito reformidant;& ea de caussa, cum lux Solis aduentat, metu præcipites expelluntur. 14. Luce igitur uultum, quasi ex argilla, sibi fingunt; & fictã honestatis personam induũt;& falsa dignitatis specie, quasi quadam ueste, conceptum scelus inuoluunt. 15. Merito igitur impijs, quasi lucis hostibus, omnis lux eripitur;& superbiæ uires, uanitate,& mendacio, nixæ, perfringentur; ut improbi, sempiternis tenebris damnati, sempiterniq. supplicijs excruciati, pœnas erroris detestabilis exsoluant. 16. Num maris guttas, enumerando, recensere potuisti; aut illius imam sedem, atque fundum, peragrando lustrauisti? 17. Num ostia mortis tibi referata sunt, & aditus umbræ morti feræ tibi patuit, ut omnia, quæ sunt terræ uisceribus inclusa, perspiceres? Tenes ne, quanta sit terræ latitudo? Si eam animo perfecte dimensam habes, edissere. 19. Nosti ne uiam, quæ ferat in lucis domicilium? Aut intelligis, quam sedem caligo possideat? 20. Num terminos luci, atque tenebris, assignabis, &, quibus regionibus utraque uis continenda, &, quo fine circumscribenda sit, ratione præscribes? 21. Quid? Illum ipsum diem, quo natus es, memoria tenes? Aut numerum dierum, quo uitæ tuæ spatium terminandũ est, mente,& ratione, consequeris? 22. Quæ sit fons,& origo, niuis, aut unde uis grandinis oriatur, explorate cognouisti? 23. Est ne tibi perspectum, & cognitum, quanta ratione,& consilio, hæc omnia designaui, & temporibus distinxi,& spatio definiui; ut ea uel ad hominum salutem, uel ad exitium,& uastitatem, conuerterem? Itaque meo numine uel recluduntur, uel depromũtur, prout ratio benignitatis, aut seueritatis, flagitat. Aliquando igitur ea reseruo, ut hostem immanem, qui bellum ijs, qui in mea tutela sunt, inferre

24. Ideo timebunt eũ uiri.
3. Accinge sicut uir lũbos tuos.
4. Vbi eras quando ponebam fundamẽta terræ?
5. Quis posuit mensuras eius, si nosti?
6. Superquo bases illius solidatæ sunt?
7. Cum me laudarent simul astra matutina.

8. Quis concluſit ostijs mare.
9. Cum ponerem nubem uestimentũ eius
10. Circumdedi illud terminis meis.
11. Et dixi, Vsque huc uenies.
12. Nũquid post ortum tuum præcepisti diluculo.
13. Et tenuisti concutiens extrema terræ.
14. Restituetur ut luto signaculum
15. Auferetur ab impijs lux tua
16 Nũquid ingressus es profũda maris?
17. Nũquid apertæ sunt tibi portæ mortis?
18. Nũquid cõsideraſti latitudinẽ terræ?
19. In qua uia lux habitet.
20. Vt ducas unum quod que ad terminos suos.
21. Sciebas tunc, quod nascituras esses?
22. Nũquid ingressus es thesauros niuis?
23 Quæ præparaui in tempus hostis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inferre minime ueretur, procella, atque turbine,
perturtam, & lapidibus e cælo coniectis, obruã,
& edita strage, conficiam. 24. Nosti ne uiam, &
rationem, qua splendor Solis erumpit, lucem in
terras spargit, exoriensq. Eurum in uarias terræ
partes impellit? 25. Quis aquæ ductũ in aeris cer
ta regione exstruxit, per quem potissimum uis
ingens aquarum deriuata in terram deflueret?
Quis aliam aliis temporibus uiam aperuit, qua
fulgura cum ingenti fragore discurrerent? Nec
potest ab hominibus assignari ratio, quare po
tius in una regione, quam in alia, hæc opera effi
ciantur; &, cum una nullo cæli rore fruatur, alia
imbribus madefiat. 26. Itaque sæpe fit, ut hæc
omnis cæli facies eo conferatur, ut solitudo, ho
minum curatione destituta, pluuijs irrigetur,
27. & uastitas inculta aquarum copia redundet,
ut locum neglectum, & incultum, & asperitate
uastatum, aquis expleat, & inde herbam eliciat,
ut brutis animantibus pabulum abunde submi
nistret. Ad hunc autem modum, cum mihi pla
cet, uastitatem locis ualde cultis, atque nitidis,
affero; & uasta rursus, herbarum, atque arborum,
cultu uestio, uariisq. frondibus exorno. 28. Ha
bet ne pluuia parentem, cuius satu procreata sit?
Roris uero stillas, quæ mater aluo continuit, ut
partum exactis temporibus in lucem ederet?
29. E cuius uentre prodiit glacies? Et pruinam e
cælo demissam quis generauit? 30. Cabore illo,
cuius admixti ui aqua dilapsa fluebat, magnitu
dine frigoris expulso, & eiecto, durescit humor,
instar lapidis, speciemq. illam naturæ liquidæ,
atque fluentis, amittit; neque solum parua flumi
na, uerum etiam multis in locis aquarum immẽ
sitates, frigore, atque gelu constricta, se a solito
cursu sustinent, & immobiles in loco consistunt.
Percipis ne mente rationem, qua calorum, & fri
gorum uarietates ordine, & modo dispensantur,
&, temperatione quadam adhibita, sic instituun
tur, ut omnes orbis terrarum regiones ab animã
tibus frequentari possint? 31. Poteris ne coerce
re pleiadas, quo minus, illis orientibus, tellus,
grauidata seminibus, flores, & fruges, efferat, in
numerabilesq. uitæ delicias effundat? Num rur
sus Oriona laxabis; idq. illi concedes, ne in illius
exortu, terra, nudata foliis, & frondibus, tristitiã
contrahat, nihilq. e se promat, quod oculos spe
cie aliqua iucunditatis alliciat? Tantum ne ua
les opibus, ingenio, facultate, ut ordinem natu
ræ, quem opifex rerum instituit, inuertere, aut e
mendare, queas? 32. Num errantes stellas, tem
poribus ratione præfinitis, ut oriantur, excita
bis, ut ratos, & æquabiles, cursus ordine, atque le
ge, definiant? Num Arcturi, aut Septemtrionis,
aut Vrsæ, aut Helices, conuersiones, ordine, quo
circum axem cæli uersantur, perturbato, dissipa
bis? 33. Quid? tenes ne leges, quibus cælum lumi
nibus illustratur, opibus ornatur, uarietate di
stinguitur, firmamento sustinetur, ut perpetuo
naturæ statum, & continentiam, cum magna re
rum omnium, quas ambitu coercet, utilitate re
tineat? Num, ordine, & instituto, quod præscripsi
sti, terræ uniuersæ cæli ipsius imperio, atque do
minatu, continentur? Ex illo enim utilitates in
numerabilees ad terras emanant; inde etiã mul
ta pericula hominibus intenduntur; illius uita
li calore omnia gignuntur, & adolescunt, ad ma
turitatemq. perueniunt; illius etiam ui paullа
tim deficiunt, & senectute languescunt, & inte
ritu consumuntur. Ad illius adspectum excitati
homines Dei cognitionem capere, & ex tam ma
gnificis operibus conditoris uim, & sapientiam,
& benignitatem, intueri possunt; illius etiam in
terdum horrenda specie, multi, qui se nefarijs sce
leribus adstrinxere, cõmoueri, atque perturbari,
solent; ita, ut facile constet, uniuersas terras cæli
imperio coerceri. 34. Quæro igitur, quis huius im
perij legẽ, & ordinem, & moderationẽ instituit?
Non tantum tibi certe tribues, ut hoc tuis opi
bus, & consilijs, adscribas. Quo modo ergo consi
lio, aut iuris æquabilitate, certabis cum eo, qui
hunc statum tanta conuenientia, & æquitate, sun
dauit, & tam firmo præsidio stabiliuit? Num, cũ
inclamaueris ad nubem, aquarum ingens aquæ
uis te confestim operiet? 35. Num ad imperium
tuum accurrent fulgura, &, cum primum ius
seris, emicabunt, & imperata absque ulla mora
conficient? 36. Quis animos humanos sapientiæ
disciplinis instruxit? quis mentes ad maximarũ
rerum intelligentiam erudiuit? An non perspi
cuum est, a me, tamquam ab inexhausto, atque
perenni fonte, omnem sapientiam dimanasse?
37. Quis ætheris naturam sapienter expoliuit, &
uasa, in quæ omnia, quæ a cælo undique pellun
tur, influerent, in media mundi regione colloca
uit, ut in eadem semper sede firma consisteret?
38. Sic enim factum est, ut puluis, undique pari
hærescens, in fundo conglutinaretur, ut capaci
tate sua aquas, similiter in medium ab extremo
pulsas, & reliqua omnia pondere grauia, quæ cæ
li conuersio undique fundit, excipiat. Iam ne sen
tis, tantam esse in omnibus naturæ partibus Di
uinæ mentis follertiam, tantum cõsilium, atque
rationem, ut nemo possit illam uel explicare di
cendo, uel mente, & ratione complecti? Non igi
tur fas est suspicari, aliquid sine summa sapien
tia a Deo fieri; neque par est, ut mæstitia confli
cteris, quoties uides aliquid ab eo decerni, cuius
causſam, & rationem, ignoras. Si enim, quæ cer
nis oculis, quæ manibus attrectas, quæ sunt ani
mantium usibus quotidianis expositа, non intel
ligis; quo modo Dei consilia, de maximis rebus
inita, quæ multo magis recondita, & abstrusa
sunt, perueſtigare contendis? Atque, ut magis, in
quanta rerum ignoratione uerseris, intelligere
queas, omitto cæli totius amplitudinem, siderũ
claritatem, ætheris ardorem, uimq. aeris multi
plicem, & nubium, atque uentorum, uarietatem,
terræ soliditatem, aquarum terras ambientiũ la
titudinem, totiusq. naturæ conuenientiam; ad il
laq. descendam, quæ te longe inferiora sunt, quę
corpore nõ ita magno cõstant, quæ ratione, & in
telligentia, carẽt, quę tuis usibus interdũ seruiũt,
quorum tamen uim, atque naturam, ratione nõ
percipis, & quorum etiam feritatem exhorres,

24. Per quã uiam spargitur lux.
25. Quis deduxerit celeme effimo imbri cursum.
26. Vt plueret super terram.
27. Vt impleret inuiam.
28. Quis est pluuiæ pater?
29. De cuius utero egressa est glacies.
30. In similitudinẽ lapidis aquæ durantur.
31. Nũquid coniungere ualebis micantes pleiadas.
32. Nũquid producis lucifetum in tẽpore suo?
33. Nũquid nosti ordinem cæli.
34. Nũquid eleuabis in nebula uocem tuam.
35. Nũquid mittes fulgura.
36. Quis posuit in uisceribus hominis sapientiam?
37. Quis enarrabit cælorum rationem.
38. Quando fundabatur puluis interra.

1. QVID

CAP. XXXIX.

QVID igitur? 1. Num tu uenaris ut escam
præbeas leænæ, & illius catulos esurientes ex
pleas? Atqui illis ego prospicio; mea ope sustẽ
tantur; illis uim, & ingenium, donaui, quo instru
cti, possint enutriri. 2. Nec in lustro quidem, ubi
cubant, ut insidias tendant, a mea ope deseruntur. 3. Quis coruis alimenta suppeditat? Pulli nã
que, a parentibus neglecti, ad me clamant; &, om
ni cibo carentes, passim uagantur, & errant, meo
tamẽ beneficio aluntur. Ex quo intelligi potest,
quam imbecillo animo sint, qui non, in omni re
rum asperitate, fide meæ benignitatis innitun
tur. Si enim feris animantibus benigne consulo,
si coruos minime desero; quo tandem pacto ho
mines, mentis, & rationis, compotes, mea benig
nitate fretos, meam opem inclamantes, in cala
mitate despiciam? 4. Nosti ne tempus, quo pa
riunt ibices? aut obseruas, quo modo ceruæ par
tum edere soleant? 5. Enumeraſti ne menses, qui
bus uterum ferunt, ut scias, quo tempore sint pa
rituræ? 6. Incuruę jacent, cũ hinnulos suos edũt:
angoris enim cruciatu erigi nõ possunt, ut ad pa
riendum facilius enitantur; intestiniſq. membra
nis in ipso pariendi conatu disruptis, ipsæ dolori
bus acerrime conflictantur, usque eo, dum sobo
lem emittunt. Quis igitur illas in angustia tue
tur, & dolore omni liberat? Meum profectõ nu
men, cuius prouidentia omnia conseruantur. Vn
de concludi potest, quam præsenti subsidio sim
hominibus, qui mihi fidunt, occursurus, cum ne
ceruarum quidem partus a me negligantur.
7. Hinnuli uero pabula lætũ carpunt, & frugibus
saginantur, & crescunt, & liberos cursus per sal
tus, atque nemora, requirunt, nec ad matres ul
tra reuertuntur. 8. Quis liberum dimisit onagrũ,
illiusq. naturam e uinculis exemit? 9. In loco de
serto, & inculto, illi domicilium assignaui, & se
dem in solitudine, & uastitate, constitui, ut intel
ligi possit, deliciarum contemptionem esse liber
tatis administram; contra uero, in multarum re
rum appetitione, quæ in terra fertili & opima, cõ
parantur, esse uirtutis auctoramentum. Eum igi
tur & pernicitate, & lætioris pabuli contemptu,
ad sui status custodiam armaui. 10. Itaque illu
dit urbanis hominibus, qui sunt tributis intole
randis obnoxij, neque clamorem exactoris exti
mescit: nec enim uereturr, ne, captus a uenatore,
alicui in seruitutem addicatur. 11. Cum enim te
nui uictu contentus esse possit, ab hominum ui
cinitate se longe segregat, & pabulum in monti
bus sine ullo metu conquirit, & quodlibet genus
herbæ uirentis inuestigat, quo facillime sustenta
ri, famemq. depellere, possit. Et hic quidem seru
tutis iugum solitudinis amore depellit. 12. At
Rhinoceros, robore, & fortitudine, libertatem fa
cile tuetur, atque conseruat. Numquid illum im
pelles, ut tibi seruiat, aut præsepi, hordei pleno,
inuitabis, & allicies, ut apud te commorari ue
lit? 13. Numquid illi iugum impones, eumq. fu
ne alligabis, ut agrum tuum aratro proscindat,
atque post te glebas frangat? 14. Numquid illi,
cum tantum ualeat robore, uitam tuam credes,
& fructus agrorum tuorum, multo labore quæsi
tos, fidei illius committes? 15. Sperabis ne, ut ille
bona fide tibi frugum semina restituat, & frumẽ
tum tuum in horreum conuehat? Non esset certe
prudentis hominis officium, illis seruis confide
re, qui seruitutem ferre nequeunt, & sunt illo, qui
eos premere dominatu cupit, uiribus, & animo,
robustiores. Ex quo intelligi potest, hominũ
imbecillitatem esse multis casibus infestam; cũ
tam multa sint animantia, quæ illorum uitam
euertere queant; & simul conijcere licet, quanto
robore sæpti sint illi, qui se numinis mei fiducia
communiunt. Nam, si tantis uiribus armaui hoc
animantis genus, ut se tueri posset; quantis a me
præsidijs illos oportet esse constipatos, qui se to
tos numini meo crediderunt, atque cõmiserunt?
16. Vt autem clarius uideas, omne genus animã
tis numine meo custodiri, aliud tibi memorabo,
quod non astu, non robore, non pennarum effu
gio, sed mea unius prouidentia, conseruatur. Ci
conia quidem, quamuis inter omnes uolucres
pietate in liberos, & in parentes, excellat, tamen
illius pennæ non sunt ulla ex parte cum struthio
cameli pennis, qui generis sui nullam rationem
ducunt, pulchritudine, & elegantia, conferendæ.
Vnde perspicitur, non semper cultum corporis
elegantiorem, & speciem externæ, & aduenticiæ
dignitatis illustriorem, dare uirtutis, atque pie
tatis, ueriſimæ testimonium. Sed ne struthioca
melus quidem a me negligitur. 17. Parit enim
ouа, eaq. sub terram abdita derelinquit. 18. Dein
deabit, &, periculi immemor, ouorum custodiã
ad se pertinere non putat; neque animaduertit,
fieri posse, ut ferarum pedibus confringantur:
19. eductos autem pullos inclementer accipit, &
quasi alienos expellit; &, perinde atque frustra la
borem in pariendo suscepisset, nec illos curat,
nec illis timet; nec ulla sollicitudine in illis tuen
dis afficitur. 20. Deus autem spoliauit illam sa
pientia, neque ei intelligentiam ullam, ut reli
quis animantibus, impertiuit. 21. At pullus, mea
prouidentia enutritus, alas erigit ad cursum; tan
taq. pernicitate fertur, ut equos, & equi agitato
res, insequentes irrideat. Vides ne, quo modo sa
pientia, & intelligentia, donũ Dei sit, & salus cũ
ctorum animantiũ sit ad illius beneficentiam re
ferẽda? 22. Libenter ex te præterea quæsierim, nũ
opera tua sit equo robur ingenitum; & tu illum,
naturæ ferocis instinctu, ceruicem attollere, at
horrendos fremitus edere, compelles. 23. Num
crebris illum motibus, tamquam locustam, agi
tabis; & facies, ut laudis spiritu concitetur, &
acrem uim naribus spiret, atque terrorem incu
tiat? 24. In planitie terram ungulis fodiet; robo
re lætus exsultabit; impetu armatis hominibus
occurret. 25. In rebus trepidis erectus, & ala
cer, animo consistet; nec hostium minas expaue
scet; neque micantium gladiorum metu in fugã
uertetur. 26. Pharetræ, sagittis plenæ, in illius
adspectu circumsonant; hastarum cuspides ex
terſæ coruscant; iacula micant, atque uibrant;
27. horrendi fremitus eduntur; tumultus excitã
tur; ipse tamen intrepidus interiectum terræ spa
tium cursu facillime transmittit; & tanta cupidi
tate

1. Nũquid capies leænæ prædã.
2. Quando cubant in antris.
3. Quis præparat coruo escam suam.
4. Nũquid nosti tempus partus.
5. Dinumeraſti menses conceptus earum.
6. Incuruantur ad fetũ.
7. Separantur filii earum.
8. Quis dimisit onagrum liberum.
9. Cur dedi in solitudine domum.
10. Contemnit multitudinem ciuitatis.
11. Circumspicit montes pascuæ suæ.
12. Nũquid uolet rhinoceros seruire tibi.
13. Nũquid alligabis rhinocerota.
14. Nũquid fiducia habebis.
15. Nũquid credes illi.
16. Pennæ struthionis.
17. Quando derelinquit ouа sua.
18. Obliuiſcitur, quod pes conculcet ea.
19. Duratur ad filios suos.
20. Priuauit enim eã Deus sapiẽtia.
21. Cum tẽpus fuerit.
22. Nũquid præbebis equo fortitudinem.
23. Nũquid suscitabis eum?
24. Terram ungula fodit.
25. Cõtemnit pauorẽ.
26. Super ipsum sonabit pharetra.
27. Feruẽs, & fremens sorbet terram.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tate tubæ clangorem exspectat, ut, cum illa signum dat, uix id præ gaudio credat; illa uero canente, uoces lætitiæ indices ore fundit. 28. Tanto
28. Vbi audierit buccinam.
29. Nũquid per sapientiam tuam.
30 Nũquid ad præceptum tuum.
31. In petris manet.
32. Inde cõtemplatur escam.
33 Pulli eius lambẽt sanguinem.
ardore bellandi desiderio tenetur, ut, multo antequam instructa bellatorum acies appropinquet, ipsam ducum, & principum, uociferationem, & classicum belli, præsentiat. 29. Quid? Accipiter ne, iussu, & imperio tuo, pennis extolletur, Austroq. flante alas suas expandet? 30. Quid: Numine, & consilio tuo, factum est, ut aquila, uolatu, altissimam aeris regionem petat, & nidum in alto loco, & excelso, constituat? 31. Domicilium collocat in rupibus, & in præruptis saxis, egregie natura munitis, ad quæ nemo facile possit euadere. 32. Inde uero speculatur, unde sibi escã paret; & oculorum aciem in longinquas oras intendit. 33. Illius pulli sanguinem lambunt; & sic natura, & educatione, instituuntur, ut aliorum animantium carnibus saginentur. Ex quo fit, ut, ubicũque cædes edita fuerit, illuc repente aquila festinanter inuolet, ut occisorũ sanguine pascatur. Pauca ex infinitis prope generibus animantiũ, exempli gratia, collegi, ut intelligeres, omnia, quæ sunt, siue maxima, siue minima, siue mediocria, mea prouidentia sustẽtari. Iam ne perspicis, quam singulari ratione res tum uniuersas, tũ singulas, conseruem? Quo modo animantibus cunctis numine, & consilio, meo prospiciam? Quam admirabili prouidentia uaria animantium genera uarijs naturæ præsidijs, prout cuiuslibet condicio postulabat, instruxerim, ut quælibet posset statum suum tueri, uitamq. sine difficultate traducere? Aliis namque sollertiam, alijs celeritatem, aliis uires, & robur, inseui, alia denique alijs muneribus, & opibus, naturæ muniui: ut facile appareat, nullam esse in rerum natura formam ope mea destitutam, sed omnes meo consilio, & benignitate, contineri? Harum quidem rerum, etiam minimarum, quæ longe infra conditionem tuam sunt, causssas, quibus cohærent, ignoras: quanta sollertia, & artificio, hæc omnia sim fabricatus, ingenio perue stigare nequis: quanta ui, & consilio, illis, quibus uitam dedi, prospiciam, explorare nõ potes. Quo modo igitur illa mẽtis Diuinæ consilia, quibus multo altiora, atque præstantiora, molitur, atque machinatur, excutere, atque perscrutari, conaris? Et, si nihil, in omni rerum condicione, intueri potes, quod non sit in suo genere perfectum, & aptissimis naturæ opibus instructum, & ornatum; quo tandem modo iure poterit quisquam de iudicij Diuini æquitate, & constantia, dubitare? Et, si tam præsenti numine brutis animantibus faueo, ut nullum a meis opibus orbatum esse patiar, qua tandem ratione suspicandum est, hominem mentis, & rationis compotem, & a me iustitiæ ornamentis excultum, quem ut mecum amicitiæ fœdere coniungerem humo excitaui, & muneribus Diuinis affeci, a mea ope, atque patrocinio, derelinqui? Repelle igitur istas cogitationes molestissimas, quæ mẽtem tuam oppugnant. Coerce temeritatem; reprime hostiles impetus; caue, ne te labefactent insidiæ; imbecillitatem tuã recognosce; meumq. solum numen extimesce; &, quidquid a me factum fuerit, sapienter, & clementer, factum esse statue; &, siquid occurrerit animo tuo, quod fidẽ istam oppugnare contendat, id, tamquam pestẽ uitæ tuæ, detestare; ut possis, in omni rerum discrimine, dignitatem, & constantiam, retinere.

34. Et adiecit Dominus.
35. Nũquid qui contendit cũ Deo.
36. 37. Respondẽs autẽ Iob Domino.
38. Vnũ locutus sum.
34. Hoc deinde Dominus adiecit: 35. Num is, qui cum Deo contendit, ullum ex ea temeritate, & confidentia, disciplinæ fructum percipiet? Nũ, cum Deus eũ redarguerit, responsum ullum dare poterit? 36. 37. Iobus autem, animo perculsus, & abiectus, Domino respondens, ait: Leuiter, & inconsiderate, locutus sum: nunc uero, quid Domino, qui me conuicit amentiæ, respondere possum? Summa igitur custodia os meum asseruatum post hac continebo, ne umquam imprudenti aliquod uerbum, quod offensionem Deo meo afferre possit, elabatur. 38. Fateor, me semel & iterum multa temere protulisse. quod tamen facinus numquam me amplius admissurum promitto.

CAP. XL.
1. Respondens autem Dominus.
2. Accinge sicut uir lumbos tuos
3. Nũquid irritum facies iudiciũ meum.
4. Et si habes brachiũ sicut Deus.
5. Circumda tibi decorem.
6 Disperge superbos in furore tuo.
7. Respice cunctos superbos.
1. DOMINVS uero, e turbine, quo Iobum exterrebat, illum rursus affatus est, dicens: 2. Animum tuum robore uirili confirma; timoremq. depelle; & interrogabo te; mentemq. tuam salutaribus disciplinis erudiam. 3. Numquid tu, quod a me iudicatum est, infirmabis; decretaq. mea rescindes? Me ne iniquitatis insimulabis, ut te de omni crimine purgare queas? Quo iure, qua lege, qua fiducia, tantũ facinus ausus es? 4. Si tantas uires habes, ut cũ Deo congredi possis, age, istius tantę uirtutis signũ aliquod uideamus. Ede tonitrua; impios procella, atq. turbine, peruerte; 5. ornare Diuini decoris, atque dignitatis, elegãtia; ad summam amplitudinem maiestatis adspira; sempiternæq. gloriæ, & honestatis, ornamentis illustrare; 6. iramq. tuam, & acerbum odium, in perditos, atque profligatos, homines profunde; & omnes. qui insolentes, atque superbi, sunt, oculis designa, ut eos de statu deijcias. 7. Hæc enim sunt numinis opera, impiorum conatus frangere, sceleratorum hominum scelus ulcisci, superbos perdere, atque profligare, omneq. mentis elatæ fastidium, & arrogantiam, impetu facto, prosternere, & superbos dominatu pellere, eorumq. nomen ex hominum memoria funditus exterminare. Tu igitur, si cum Deo certare uis, ede opera, his, quæ commemoraui, similia, ut Diuinum nomen ex rebus a te Diuina uirtute gestis inuenias. Circumspice omnes elata mẽte præditos, & intoleranda superbia flagrantes, & illos de omni statu detorque, & impios in loco, ubi uidentur opibus excellere, de gradu dimoue, in sempiternamq. miseriam detrude. Non enim, ut multi temere opinantur, iniquis faueo; non ope mea improborum opes communio, quamuis interdum eorum operis ad aliorum hominum scelera punienda uti soleam; & ea de causssa illis dominatum permitto: ita enim permitto, ut interim eorum animos uehementer excruciem, eorumq. tandem nomen tumulis obruam, & interitu sempiterno conficiam.

8. Tu

8. Abscõde eos in puluere simul.
9. Etego cõfitebor.
10. Ecce. Behemoth.
11. Fortitudo eius in lumbis eius
12. Stringit caudam suã
13. Ossa eius uelut fistulæ æris.
14. Is est principium uiarũ Dei.
15. Huic montes herbas ferunt.
16. Sub ultra dormit.
8. Tu igitur, si mihi similis esse studes, eos omnes, qui scelera inmania cõdant, in terram deprime, atque demerge; illorum ꝛ. speciem, qui sibi tantum arrogabant, locis opacis, atque tenebricosis, include, &, congestis molibus, occulta, ne umquam exstare possit in terris ullum gentis sceleratæ, atque perditæ, monumentum. 9. Quod si feceris, ego te Diuina uirtute præditum confitebor; atque testificabor, te, uiribus tuis fretum, posse tibi ipsi salutem parere. Eiusdem namque uirturis est, perniciem infetre sceleratis, & innocentibus salutem dare, & homines ab exitio sempiterno redimere. Cum uero neutrum ullo modo præstare possis, reliqunm est, ut te submisse geras, tibiq. diffidas, imbecillitatemq. tuam recognoscas; atque intelligas, omnem uitæ, salutis, dignitatis, spem esse tibi in meo præsidio collocãdam. Nam, sine meo auxilio, quo tandem modo poteris, tam multis hostium immanium uiribus, quæ te undique circumstant, obsistere. 10. Vis ne penitus explorare, quantas uires habeat aduersarius tuus, qui se in sensibus humanis implicat, qui animum ferinis motibus perturbat, &, facibus coniectis, inflammat, &, stimulis admotis, exagitat? Est autem ille, elephanto, uastitate, atque impetu, natura persimilis. Elephantus enim tam uastus, atque tanta sollertia præditus est, ut sit cum multorum simul animantium naturis, corporis magnitudine, atque multiplici cupiditate, & sollertia, comparandus. Hunc ego creaui, ut tecum habitaret, utilitatibusq. tuis seruiret. Qui tamen, quamuis tantus sit, atque tantum uiribus, & robore, ualeat, non sanguine pascitur, sed feno, & reliquis eiusmodi pabulis, instar bouis, enutritur. 11. Robur illius maxime in lumbis cernitur, & in uentris etiam umbilico perspicitur. 12. Partes etiã corporis uilissimas nimis caras habet, ita, ut caudam exiguam, & exilem, nullisq. munitam pilis, adstringat, & conseruatam uelit, perinde atque si posset illa; tamquam ramo cedrino, cum reliqua insecta, tum muscas omnes, abigere. testes habet admirabili neruorum implicatione tectos. 13. Dentes illius sunt cum æneis fistulis robore cõferendi, & ossa illis incluſa sunt cum ferreo baculo duritie, atque soliditate, comparanda. 14. Is, inter omnia animantia quadrupedia, quæ Deus a principio condidit, facile obtinet principatum, siue tu corporis uastitatem, siue uirium immanitatem, siue sollertiam, & acumen, consideres. Ne tamen quidquam sit in rerum natura tam confidens, ut non habeat aliquid, a quo sibi malum mẽtuat, qui fecit illũ, gladium, quem ille pertimesceret, in illius exitium comparauit. Rhinocerontis enim mucronem naso præfixum exhorret; &, illo, tamquam gladio in exitium suum conflato, minum in modum perturbatur. 15. Tam uorax autem est, ut ei soli montes fenum profundere uideantur. Reliqua animantia illi plaudunt, & lenocinantur, & sine timore feno ab eo relicto pascuntur. 16. Vmbras ingentiũ arborum, quæ ab illo Solis ardorem arceãt, sequitur, sub quibus accumbat, & in locis palustribus, & arundineto uestitis, cõquieſcit. 17. Operam enixe dat, ut umbra corporis sui maiore quadam umbra contegatur, & ideo sub ingentium salicum umbra frequenter abijcitur. 18. Cum autem bibere uoluerit, non tam bibere, quam fluuium haurire, uidebitur; neque in bibendo festinabit, sed sensim, atque leniter, potum sumet. Confidet enim, nihil sibi impedimento fore, quo minus omnes Iordanis aquas exhauriat. 19. Dei tamen consilio fit, ut is in foueam ante oculos positam ruat, & nasum illius perforatum funibus alligetur: ut usibus humanis seruiat. Quod autem monstrum magis potest exprimere libidinis, & cupiditatis, immanitatem? Primum enim illa neque parua, neque simplex, sed immensa, & uaria, & multiplex est; nec ullo solo motu, sed infinitis, animum frequenter exagitat. Omnes enim quadrupedum motus illius feritate continentur. Est autem insita in natura cuiusque, ita ut nemo possit illam a se uiribus, & industria sua, repellere. Est præterea sagax, & acuta, multis modis excogitans omnes uias, & rationes, quibus expleri, atque satiari, possit. Vt autem facilius eo, quod optat, perfruatur, adeo se submittit, ut appareat, illum non sanguinem, sed pabulum iucundum, petere; nec aliorum perniciem, sed uoluptatem suã, exquirere. Cũ uero cibi, potus, pecuniæ, cupiditas satis fera sit, nulla tamen est immanior, nulla furiosior uis libidinis ea, quæ lumbis, & umbilico, hoc est Veneris impotentia, continetur. Ea namque strages edit, &, quacumque impetum fert, omnia disturbat. Est illius preterea, nilissima queque, turpitudini proxima, summo studio cõfectari, &, quasi salutaria, uehementer adscisscere, cum tamẽ ex illis nullã sibi utilitatẽ, & emolumentũ, parare queat, Nã, ut omnia, sine cura, uoluptatis perfruẽdę gratia, conquirat, multis tamen curis animũ stimulat; atque sollicitudinibus uariis excruciat. Neruorum implicatio, quæ per omnes testes pertinet, uim ipsius libidinis, & obductum rebus turpissimis multiplex integumentum, uiolętumq. lenocinium, designat. Est dentibus armata, ut nihil sit, quod non, cum est irritata uehemẽtius, furibunde prosternat. A principio uero condita fuit, ut quodlibet animans, amore sui inductum, se, statumq. suum conseruaret, & naturæ consentanea uehementer adscisceret, & noxia propulsaret. Sed hominum culpa factum est, ut, quod fuit ad salutem datum, in pestem uerteretur. Vis illius tanta est, ut, nisi Dei gladio, confici ullo modo possit. nullis opibus satiatur, nullis uitę commodis expletur, amœnitates exquirit, humidis, atque uirentibus locis gaudet, lutulentis lustris immergitur, nullis uoluptatibus undique affluentibus sitis illius exstinguitur. Ea tamen, cum mentem eripiat, facit, ut homines irretiti capiantur, & libertatem amittant, durissimumq. dominatum subeant. Cernis iam, quanta sit libidinis uis, & immanitas, aut, ut rectius dicam, illius dæmonis infestissimi, qui libidinem irritat, & inflammat, & faces subijcit, quarum incendium nulla ratione potest, nisi meo tantum numine, atque spiritu, restingui.

17. Protegũt umbræ umbrã eius
18. Ecce, absorbebit fluuium.
19. In oculis eius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

30. An extrahere poteris.

20. Vis ne cernere aliam animantis feri, & indomiti, truculentiam, marini serpentis immanitati simillimam? Quid enim dominandi cupiditate ualentius? Quid tyrannide, opibus summis instructa, & armata, robustius? Quid igitur illo tyranno, qui terras dominatu oppressas tenet, immanius? Leuiathan est draco quidã marinus, ingentis magnitudinis, maximos fluctus, quocumque se confert, attollens, summis uiribus præditus, uiam reliquis piscibus intercludens, & omnia, quæ uelit, animantia obsessa tenens, & fortissimis adhæsionibus, quæcumque uult impedire, uinciens, &, ne se loco moueri possint, artissime colligans. Quæro igitur, num hoc tantum monstrum, ex aquis, hamo captum, extrahes? Num, fune per branchias immisso, linguam

21. Nũquid penes circulum.

illius alligabis? 21. Num iuncum, quemadmodũ a piscatoribus fieri solet, per illius nares transmittes; maxillamq. illius spina perforabis, ut id

22. Nũquid multiplicabit ad te preces.

e manu pendẽs domum facile deferas? 22. Num, si in illud incideris, te metuet, usque adeo, ut tibi supplex sit, teq. uerbis inflectat, ne illi necem asferas? 23. Num id saltem a te contendet, ut ea cõdicione uictum seruet, ut tibi seruiat, illudq. firmo fœdere deuinctum, dominatu perpetuo continebis? 24. Numquid illo, quasi auicula, ludes; atque perficies, ut non solum uiri, uerum etiam

23. Nũquid feriet tecũ pactum.

puellæ tuæ, alligatum facillime teneãt? 25. Diuident ne illud inter se socij, aut partientur mercatores, ut id pecuniæ comparandæ gratia in lon-

24. Nũquid illudes ei.

gin quas oras asportent? 26. Num arida materia cutem illius in tabernaculis implebis, & caput

25. Conicident cum amici.

illius similiter in umbraculis, ubi pisces condiuntur, asseruabis, ad piscationis egregie monumentum? Tantum certe abest, ut aliquid eiusmodi moliri studeas, ut neque manibus illud attingere audeas. 27. Quod si illi manum admoueris, memineris futurum, ut tam acre illius in te præ-

26. Nũquid implebis fuginas pelle eius.

lium concitetur, ut numquam postea sis cum illo congressurus. Spes profecto uictoriæ homines incautos fallit: qui, quamuis magnum sibi decus ex isto bello, opinione decepti, proponant, hostis tamen truculentissimi uultum adspicere nequeunt; sed, simul atque illum intuentur, animis concidunt, &, sola specie conterriti, confestim exanimantur. 28. Ego enim solus sum, qui

27. Pone super eum manum tuam.

draconem istum marinũ hamo capere, telo transfigere, supplicio torquere, dominatu premere, constrictum illis, qui in meo præsidio latent, tradere, illiusq. conatus frangere, & inanibus minis illudere, possum, atque ludibundus perficere, ut, quo magis ille in eo pugnat, ut meam gloriam, atque decus, obscuret, eo clarius meum nomen illustret, inuitusq. fiat meæ dignitatis instrumentum. Illum igitur euerto, & affligo, membraq. illius dispergo, & prædam ijs, qui sub meis signis egregie militant, summa fide, & æquitate, distribuo; & uictoriæ sempiterna monumenta constituo, ut eorum animos, qui sese ad nomen meum adiungant, spe sempiterni decoris, atque dignitatis, inflammem. Quod ut melius inspicere ualeas, quanta sit huius tætræ, & immanis belluæ feritas, in eodem simili uersabor, ut clarius ocu-

28. Ecce, spes eius frustrabitur eum.

lis tuis subijciam serpentis istius horrificam speciem, & roboris inauditi, atque intolerandæ truculentiæ magnitudinem.

CAP. VII.

1. NEC enim ferendum est, ut quisquam tam sibi sit inimicus, ut, per se nixus, eum ad certamen lacessat. Solus enim illum mihi hostem deposco, quem sternere, quem trucidare, quem sempiterno supplicio macta re, facillime possum; neque, præter me, quisquam est, qui cum illo certamen inire ualeat. Qui igitur illius cõgressum minime exhorret, ad meam potentiam, atque bellicam laudem, adspirare nititur: quo quid amentius excogitari potest? Quis enim in hac pugna, antequam ego præliarer, in acie consistit?

1. Nõ quasi crudelis insectabo eũ.

2. Quis ante me manum cum hoc immani hoste conseruit, ut illum debito præmio, atque mercede, remunerem, & omnibus rebus, quæ sub cælum sunt, anteponam? 3. Qui enim hanc immanitatem, & truculentiã, superat, Diuinis certe uiribus instructum esse constat, & iccirco omnibus rebus, quæ cæli ambitu coercentur, longissimo interuallo præferendus. Quod ut clarius cerni possit; neque membrorum monstri huius uastitatem, neque roboris uim, neque aciei instruendæ periciam, silentio præteribo. 4. Quis illi uestẽ detrahet; oriq. illius frenos injciet? 5. Quis illius tectum aperiet, ut ea, quę in illo latent? Dentes quidem, qui illius os circumquaque, tamquam uallo, sæpiunt, atque communiunt, terrorem uehementer incutiũt. 6. Durissimis squamis undique tectus, &, tamquam scutis per totum corpus obductis, & inter se artissime deuinctis, & obsignatis, inclusus, ingentes spiritus assumit. Nec enim potest ullis telis aliqua ex parte uiolari. 7. Vna siquidem squama ex alia nectitur; & ita sunt omnes admirabili colligatione consertæ, contextæque, ut inter earum commissuras ne tenuis quidem spiritus penetrare possit. 8. Sic autem inuicem commissæ, & complicatæ sunt, ut una ab altera disiungi, atque diuelli nequeat. 9. In illius sternutamentis fulgor eminet; & illius oculi instar auroræ collucent. 10. Ex ore illius lampades exsistunt, & flammæ scintillantes erumpunt. 11. E naribus fumus egreditur, tamquam ex olla subditis ignibus ebulliente, aut ex palude radijs Solis orientis incensa. 12. Anhelitu carbones ignitos euomit, oræque flammas impetu quodam jaculatur. 13. Ceruices illius sunt robustissimæ, ita, ut nullius imperium uereatur, aut dominatum extimescat. Gaudet, se timori esse cũctis, & omnes ad illius adspectum cõturbari, doloribusq. sũmis excruciari. Nec enim, ut subditos amore deuinciat, sed ut metu perterreat, summo studio contendit. 14. Ille partes corporis, quæ in reliquis animantibus laxæ sunt, & mobiliter palpitare solent, in eo incredibili soliditate cohærent, neque, nisi ad totius corporis motum, uno, & eodem impetu commouentur. nihil est enim in illo molle, nihil lãguidum, nihil eneruatũ, nihil ab uniuersi corporis immanitate disiunctũ. 15. Duritia cordis illius est, cũ silicis duritia conferenda: neque fragmentum inferioris molæ magnis

2. Quis antecedit mihi.

3. Non parcam ei.

4. Quis reuelabit faciẽ indumẽti eius.

5. Portas uultus eius quis aperiet?

6. Corpus illius quasi scuta fusilia.

7. Vna uni cõjungitur

8. Vna alteri adhærebit.

9. Sternutatio eius splẽdor ignis.

10. De ore eius lampades procedunt.

11. De naribus eius prodeit fumus

12. Halitus eius prunas ardere facit.

13. In collo eius morabitur fortitudo.

14. Mẽbra carniũ eius cohærencia sibi.

15. Cor eius indurabitur tamquã lapis.

gnis uiribus emissum illud pungere, aut stimulare, poterit. 16. Quocumque tulerit impetum, omnia metu, atque trepidatione, complebit; fortissimi quique subita formidine perculsi, concident, & exanimabuntur; &, quo se uertant, animis explicare non poterunt. 17. Si quis cum aggredi cominus ausus fuerit, ille retundet gladiorum aciẽ, perfringet hastas, & iacula discindet, atque dilacerabit loricas, 18. ferrum, tamquam paleam, cõteret, &, quasi lignum putridum, es comminuet, atque dissipabit. 19. Non poterit ullis sagittis in fugã uerti, lapides uero funda coniectos nõ pluris, quã aristas uento dispulsas, æstimabit; 20. catapultam non magis, quã aristas, metuet; hastarum uero horrisonum fremitum deridebit. 21. Illius enim cubile duris imarum testarum aculeis instratum est, &, in profundo demersus, super cuspides in luto expansas decumbit. 22. Ingentes fluctus excitat, undasque, tamquam ollam, efferuescere in profundo compellit; mareq. totũ perturbat, atque commiscet. 23. In aquis post se uiã latam signat. Fluctus enim torquet, & spumantes undas prouoluit; tantisq. motibus profundũ uertat, ut quacumque ille se incicet, ipsum mare canescere, uideatur. 24. Nulla est potestas, nulla dominatio in terris, cui cedat; nulla uis, quã extimescat. 25. Magna, & excelsa sibi proponit: dominationis, & imperij, cupiditate flagrat. Regnũ inuastas belluas affectat; & omnes tyrannos, qui eandem sibi uiam ad opes muniunt, superbiæq. radicibus innixi sunt, dominatu coercet. Ille nãque est elationis auctor, insolentiæ magister, arrogantiæ princeps, tyrannidis architectus; animos omnium, quos intelligit esse, in summa mentis cæcitate, maximarum rerum appetentes, imperiorum, & honorum, cupiditate furibunde sollicitans. Cernis ne iam, & animo recte cõsideras, ex huius truculentæ serpentis imagine, quanta sit illius antiqui serpentis, qui terras oppressas dominatu tenet, immanitas, quãtum robur, & quã intoleranda potẽtia? Quo modo tectus undique sit, ne telis ullis penetrari, aut uulnus accipere possit? Quantum uiribus suis fidat? Ad quantam tyrannidem adspiret: Quantam crudelitatem, & quantum scelus, anhelet? Quos fluctus in uita, tamquam in profundo pelago, & quas tempestates, excitet? Qua ui, & impetu, uertices suscitet, ut omnes opes humanas exsorbeat? Qui certe tantum naturæ uiribus, & ingenio, ualet, tantisq. sceleratorum satellitum præsidijs, ad hominum perniciem firmo fœdere, atque pactione, coniuratis, instructus est, ut, si meo numine frenatus minime fuisset, facile rueret, quocumque illlum immanis, & importuna, libido deferret, & omnia sursum deorsum turbaret, atque cõmisceret, & cunctos mortales in sempiternam miseriã detruderet. Hic est ille, qui homines imperij cupiditate incensos instigat; qui eorum animos furiarum facibus inflammat; qui tyrannos præsidijs armat, & stimulis urget, atque sollicitat, ut per uim, & scelus, cum generis humani strage, atque pernicie, dominationem quærant, ambitioneq. præcipites, omnia perturbent. His igitur insidijs homines undique circumuenti, nõ modo impurissimæ libidinis ardoribus incensi, uerum etiam bonorum, & imperiorum, cupiditatibus inflammati, sensibus orbantur, & cæci furore commouentur, & insaniunt, usque adeo, ut sponte sua in pestem ruant, & immanissimorum hostium uinculis adstringantur, ut cruciatibus sempiternis temeritatis, & amentiæ, pœnas luãt. Reliquum igitur est, ut tecum statuas, neque esse tibi de meis consiliis temere iudicandum, cum ingenij humani tarditas tanta sit, ut neque rerũ terrestrium naturã, quanto sit a me artificio perfecta, mente complecti, atque ratione, ualeat; neque esse tibi uiribus animi tui, & uirtutis tuæ constantia, nitendum, cum uideas imbecillitatem naturæ tuæ, & hostis tui tantas opes esse, ut illis, nullis humanis uiribus, obsisti possit. Quid ergo faciendum? Primum quidem, si te ea cura sollicitat, quod caussam ignoras, quare iusti plagis affi ciantur; intelligere debes, neque iustorum res a Deo negligi, neque sine summo consilio illos interdum affligi. Quod consilium si non semper assequeris, mirandum non est; sed statuendum, nihil a me, sine summa sapientia, geri. deinde, si te tuæ imbecillitatis recordatio conturbat, & hostis immanitatem extimescis, considerare debes, non esse imbecillos existimandos, qui ope mea, atque præsidio, muniuntur. Id enim, quod uiribus tuis non potes, meis copijs stipatus, obtinebis, ut de omnibus inimicis tuis, atque adeo de serpente immanissimo, cuius importunam naturam descripsi, uictoriam facile consequaris. Non igitur, qui nimis curiose Dei consilia perscrutantur, sed qui æquo animo, quidquid ille statuit, atque decernit, patiuntur, sapienter uitam instituunt. Neque illi, qui sibi quidquam arrogant, sed qui naturæ suæ imbecillitatem recognoscũt, & ideo, uiribus suis diffidentes, totos se ad Dei studium applicant, illiusq. robore muniuntur, fortes, & animosi sunt, & in omni certamine semper inuicti. Hæc est orationis sententia, qua Dominus usus est, ut Iobum clarius erudiret, & illis disciplinis instrueret, quibus multo fortius, & confidentius, in statu suo permaneret. In qua quidem oratione illud est consideratione dignissimum, quod, quamuis Dominus uirum sanctissimum obiurgare uideatur, non tamen illum sceleris accusat, neque perfidiæ condemnat, neque flagitio affinem esse dicit, neque ei simulationem pietatis obiectat; sed tantum illas cogitationes castigat, quæ mentem illius oppugnabant, atque tela omnia, quæ in illum dæmon infestus injciebat, depellit; ita, ut nihil aliud tota oratione moliatur, quam ut uirum sapientem illustrioribus disciplinis instituat, modestum modestiorem reddat, fortem multo fortiore præsidio sæpiat, sanctum, & religiosum, ardentiore quodam studio pietatis, atque sanctissimæ religionis, inflammet. aliter enim numquam, ut statim apparebit, orationem illius rectam esse dixisset, nec illius uitæ, & sententiæ, iustitiæ testimonium tribuisset.

16. Cum sublatus fuerit.

17. Cum apprehẽderit eũ gladius.

18. Reputabit enim quasi paleas ferrum.

19. Non fugabit eum uir sagittarius.

20. Quasi stipulã æstimabit malleum.

21. Sub ipso erunt radij Solis.

22. Perfuescere faciet quasi ollam

23. Post eũ lucebit semita.

24. Non est super terrã potestas.

25. Omne sublime uidet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CA. XLII.

1. Respondens autē Iob.

1. AT Iobus, præsentia Diuinæ Maiestatis attonitus, & clariore quodam lumine Diuinæ mentis illustratus, intellexit, nihil esse in terris tam purum, quod non in conspectu illius clarissimæ lucis illitis sordibus obsoletum appareat, & ita cogitationes, quæ animum illius peruagabantur, & bellum in illius fidem comparatum, acerrime condemnat. Inquit igitur: 2. Scio, & confiteor, potentiam tuam immensam esse; nullisq. te uiribus impediri posse, quo minus omnia, quæ designasti, perficias. 3. Quis igitur est tam sine mente, qui statuat, consilia tua non esse summa scientia, atque ratione, nixa? Quis tanta est oppressus amentia, ut in aliquo opere Diuino Dei sapientiam requirat, atque ita loquatur, ut appareat, illum Dei sapientiam occultare uelle? 4. Multa temere enuntiaui; & portenta, sine ulla consideratione, locutus sum. Eo namque proiectus sum, ut dicerem, Audi me, Domine, & probabo tibi causſam meam; & interrogabo te; tu uero me, de quibus rebus te percunctabor, erudies. 5. At uero nunc uideo, nunc sentio, nunc sapio, nunc salutari disciplina instructus sum; & quæ ante fama, & auditione, tantum, acceperam, nunc oculis clare cerno, & mente percipio; & intelligo sane, me multa nimis insipienter protulisse. 6. Pœnitet igitur me temeritatis, & amentiæ; & iccirco in puluere, atque cinere, uersabor. 7. Hæc ubi Deus cum Iobo locutus est, ad Heliphasium conuersus, ait: Et tibi, & duobus amicis tuis, grauiter iratus sum: nec enim apud me recte locuti fuistis, ut fecit seruus meus Iobus, cuius sententia fuit & auctoritate sapiens, & religione sancta, & iure Diuino munita. 8. Date igitur operam, ut scelus uestrum sacrificio expietis. Proinde capite septem iuuencos, & arietes septem; & ad Iobum, tamquam ad sacerdotem, accedite, & uictimas immolate; eaſq. rite cæsas flammis in ara consumite, ut uobis propitius sim Iobus autem, seruus meus, pro uobis orabit. Illius enim gratia iram meam continebo, ne uos debitis pœnis afficiam. Nec enim recte locuti estis, ut seruus meus Iobus. Vos enim falsis rationibus iustitiæ meæ patrocinari, hominemq. innocentem sceleris arguere, uoluistis: Is autem, cum innocentiæ suæ patrocinium legitimum suscepisset, nullum in me maledictū coniecit, quamuis interdum dolor acerbus ab illo graues querellas exprimeret, quę non perfidię testimonium, sed grauissimæ cladis, quæ illum premebat, indicium continebant. 9. Abierunt ergo Heliphasius Themanita, & Bildadus Suhita, & Sopharius Naamathita, ut imperata conficerent. His autem rite procuratis, Dei numen, Iobi precibus, illis tribus hominibus placatum repente fuit. Sed, cur in hac numinis placatione Helius nomen suppressum fuit? An, propterea quod ea, quæ dixerat, simplici animo dixerat, & erratum illius erat ardori iuuentutis, & religionis studio, condonandum, & iccirco non ita sacrificijs illis indigebat? An potius, quod multo asperius fuerat in uirum sacrum post illius defensionem inuectus, quod magis erat proteruię, & insolentiæ, quam studio pietatis, adscribendum? & ideo nefas illud erat pluribus hostiis expiandum. Vel postremo dicendum, quod simul cum reliquis tribus amicis Iobi, expiatus, atque solutus scelere fuit, quamuis nomen illius non explicetur. Aliorum enim ætas, & auctoritas, hominis adolescentis nomen obscurabat, & quasi lumnibus altius obstruebat. 10. Cū igitur Iobus pro amicis ad Deum preces adhibuisset; Deus illis placatus est; afflictumq. Iobi ipsius statū respexit; duploq. maiorem illi bonorum omnium copiam donauit, quam antea possederat. 11. Illo igitur iam in pristinam sanitatem restituto, conuenerunt omnes illius fratres, & affines, & familiares, & necessarij, & apud illum epulati sunt. Omnibus autem sensus humanitatis lacrymas excusſit, & animis commoti sunt, cum recordarentur, quanta ni calamitatis oppressus fuerat ille uir, qui erat probitatis, atque religionis: specimen. illum autem consolati sunt. Singuli uero singulas oues ei donarunt, & item singulas inaures aureas. 12. Dominus uero illius bona, multo magis, quam antea, auxit, & amplificauit. Fuerunt igitur illi, quattuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille asinæ. 13. Suscepit præterea septem filios, & tres filias. 14. Imposuit autem nomen uni Iemina, alteri uero Cesia, tertia porro nomen habuit Cerenhaphuch: quæ nomina earum splendorem, suauitatem, & elegantiam, designabant. 15. Fuerunt enim illæ, forma, & uenustate, omnium mulierum illius ætatis præstantissimæ; quas pater, cum earum fratribus, heredes instituit. 16. Post hæc autem uixit Iob centum & quadraginta annos; uiditq. filios, & nepotes, & pronepotes, & abnepotes. Atque tandem, summa, atque beata, senectute consumptus, ex hac uita migrauit, ut immortalitate frueretur.

2. Scio quia omnia potes.

3. Quis est iste.

4. Audi, & ego loquar

5. Auditu auris audiui te.

6. Iccirco ipse me reprehendo.

7. Postquā autem locutus est Dominus.

8. Sumite ergo uobis septem tauros.

9. Abierūt ergo Heliphaz Themanites.

10. Dominus quoque conuersus est.

11. Venerūt autem ad eum omnes fratres sui.

12. Dominus autem benedixit.

13. Et fuerunt ei.

14. Et uocauit nomen unius.

15. Nō sunt autem inuentę mulieres speciosæ.

16. Vixit autē Iob post hæc.

IN HIERONYMI OSORII PARAPHRASIM IN PSALMOS HIERONYMI OSORII CANONICI EBORENSIS MVM AD SER. PRINCIPEM ALBERTVM AVSTRIVM ARCHIDVCEM ET S. R. E. CARDINALEM PRAEFATIO.

POSTQVAM, Serenissime Princeps, acerbissima clade perculsam, atque prostratam Lusitaniam ut erigeres, eam gubernandam suscepisti, nihil habui antiquius, quam ut nominis tui studium, quo eram incensus, quacumque possem ratione declararem. me autem ad id officij munus tum Regum Lusitaniæ, a quibus originem ducis, memoria excitabat, tum etiam hæc, quæ in te elucet, species, omnium uirtutum ornamentis exculta, qua illorum, qui in Lusitania summa cum laude regnarunt, nostrum lenitur desiderium. in te enim effictos illorum mores, expressamque imaginem uitæ honestissime, laudatissimeq. actæ conspicimus. quamobrem, cum Romam uenirem, vt Hieronymi Osorij patrui mei opera omnia, quę in uulgus exierant, & quæ apud me compressa iacebant, ea in Vrbe in lucem ederem, tibi in Psalmos Paraphrasim dicare constitui: præclarum sapientis hominis, iam senis, ingenij monumentum. in ea enim maturitate quadā, quam secum senectus affert, admirandus uir ille exstitit; & Dauidis sensa ita explicuit, ut intra terminos circumsæpta oratio fluat, legētis animum delectet, teneat, ut numquam uagetur, instruat, & erudiat. Cum autem is sis, ut non plurimi faceres te a clarissimis Lusitaniæ Regibus ortum fuisse, nisi sapientiæ decus ad hanc Regiā dignitatem adiunxisses, Dauidis profecto, sapientissimi Regis, opus, Diuino spiritu elaboratum, ab eloquentiæ Romanę, post Ciceronem, principe satis erudite explicatum, tibi maxime debebatur. Accedit præterea, quod, quædam cum in Paraphrasi obscuriora quibusdam hominibus fore animauerterem, ea notauimus, & latius explicuimus: opus quidem exiguum, & nullo artificio conflatum; sed iis, qui Hebræas, & Græcas litteras ignorant, necessarium: quod quidem cum Paraphrasi

Universidad de Deusto
Biblioteca

raphrasi coniunximus. quem primum ſtudium meorum fructum tibi offerendum eſſe duxi; ut ex eo colligas, quantas uires caritas habeat: nihil enim ueretur, dum modo ſe ipſam manifeſtã efficiat: In Luſitanis uero hominibus erga Reges ſuos eximius amor ſemper uiguit, & incredibilis quædam fidelitas hæc animis noſtris inſita, immo potius innata uis, me, Princeps Sereniſſime, cõpulit, ut de honore, & nominis mei fama minime pertimeſcerem, cũ hæc mea ſcripta tibi dicaui. illud enim conſequi ſperabam, ut tibi meus erga te animus ſatis foret exploratus. Si uero ab infinitis negotiis, quibus diſtineris, animum aliquando ſeuoces, & hanc Paraphraſim euoluas, multa profecto percipies, quæ mentis ſtatum ſtabiliunt, quæ in ſe rerum Diuinarum ſcientiam continẽt, quæ ad rerump. gubernationem pertinẽt, & quæ Regio iſto loco, inquo a ſapientiſſimo auunculo tuo Philippo hoc nomine Primo Portugaliæ Rege fuiſti collocatus, digniſſima tibi uidebuntur: Diuini enim ſpiritus afflatu, Dauid hæc ſecum commentabatur, quæ litteris mandauit: ſpiritus autem Diuinus, totius ſapientiæ auctor, fons, & origo, unde humanę mentes, ſi quod in eis ſapientiæ decus ineſt, de libatum habent, illius uirtute reſp. beatæ efficiuntur, ſtabilitæ permanent, & reges inſtinctu illius ſalutares leges condunt. Verum, cum multa ſint in Pſalmis Dauidis obſcuritatibus inuoluta, illud ſibi Oſorius perficiendum propoſuit, ut ſenſum, qui in unoquoque illorũ magis conueniens loco, & tempori uidebatur, perpetua oratione explicaret, ut prima cum ultimis, & media cum utriſq. cõnecteret. qua in re eximia quędã interpretandi ratio eſt poſita. Quod ut præſtaret, non ſolũ ſanctorũ Patrũ explanationes, & ſententias diligenter obſeruauit, ſed in his, de quibus illi aliquando diuerſe ſentiunt, Hebræis libris eſt uſus, ut obſcuriores Pſalmorum locos luculentius explicaret: quos ego in unum contuli; &, quidquid ex Hebręis, & Græcis ad illorum explanationem deſiderari poterat, breui oratione perſtinxi: quod Paraphraſis ratio Oſorio, ut faceret, minime permittebat. Hoc munus, Luſitano Principe, & tuis maioribus dignum, enixe obſecro, Princeps Sereniſſime, ut ea, qua ſoles benignitate tuos amplecti, recipias. Vale. Roma. Kal. Martijs.
CIↃ IↃ XCII.

HIERO-

HIERONYMI OSORII PARAPHRASIS IN PSALMOS.

BEATVS VIR.

Pſalmus 1.

OMNES hominum cogitationes, & actiones, ad beatæ uitæ ſtudium conferuntur. Vita porro beata ea eſt, quæ ſic bonis omnibus expleta eſt, ut nihil amplius requirendum ſit. In quo tamen genere rerum ea conſiſtat, magna inter homines quæſtio eſt. Alij namque ſummum bonum in uoluptate ponunt, alij in dignitate, alij in proſpera ualetudine cum diuitiarum affluentia coniuncta; alij denique res alias præcipue appetendas, atque parandas, ſtatuunt, ut beatæ uitæ ſtatum conſequãtur. itaque, cum omnes, impetu naturæ, in ſtudium bene, atque beate uiuendi acriter incitentur, longe tamẽ diſſimili ratione ad id, quod concupierunt, modis omnibus enituntur. Iccirco fit, ut, cum idem ſit omnibus propoſitum, rarum genus ſit eorum, qui ad finem, quem ardenter expetunt, aliquando tandem perueniant. Hi uero ſunt illi, qui rectam uiam tenent; qui ueras opes intuentur; qui non, inſana cupiditate cæci, in turbulentos errores impelluntur; qui non ficta, atque fallaci, uoluptate deleniti, aut inani ſpe utilitatis illuſi, falſas, & inanes opes pro ueris amplexantur. Qui uero ab hac uia deflectunt, minime poſſunt eo, quo tendunt, peruenire. immo, quo magis neruos omnes intendunt, ut, quod uolunt, adipiſcantur, eo clarius tandem cernunt ſe deluſos eſſe, & ſine ullo fructu fuiſſe non uera bona, ſed bonorum inanem ſpeciem, conſectatos. An tu uoluptatem appellabis eam, quę, quaſi quadam ſcabie, atque pruritu, torquet animum, & turpitudinem ſubire compellit? Quæ, cum momento temporis effluxit, inſignem pœnitendi materiam relinquit? quæ denique moleſtia diuturna, & cruciatu non mediocri, concluditur? Quid de dignitate populari diſſeram? illa ne dignitas erit appellanda, quæ multitudinis amentia continetur? quam inconſtantiſsimi rumoris aura commutat? quæ libertate animos ſpoliat? quæ poſtremo tota eſt ex inanitate ſuſpenſa, & dedecori ſempiterno finitima? Similiter eſt de opibus, quas hominum uulgus exquirit, exiſtimandum. Nec enim morbis liberant, nec pericula propulſant; neque deſiderium explent; immo, quo affluentius hauriuntur, eo uehementius ſitim augent; &, quo magis hac cumulantur, eo grauiore cruciatu animos plectunt. Vt autem nihil aliud dicam, cum immortalitatis appetentes natura ſimus, illa profecto uera bona ducenda non ſunt, quæ mortis impetum minime repellunt; quæ animum, in cuius felici ſtatu beata uita collocanda eſt, minime locupletant: immo, cũ corporis uita conficitur, a poſſeſſoribus, cum animi angore, & cruciatu, deſeruntur. Quæ igitur homines amentia tenet, qui, cum uideant omnia uitæ commoda morte deleri, minime Diuina ſuſpiciunt; & omnem uitam in falſis opibus acquirendis ſine ullo fructu conſumunt? Vnde tantus error initium duxit? ex impietatis magnitudine. Sunt enim quidam homines, ut ſibi quidem uidentur peracuti, & falſa ſapientiæ opinione inſolenter inflati, qui, cum nihil ſapiant, nihil intelligant, nihil amplum, & excelſum, cogitent, ita ſunt ſenſibus addicti, ut nihil omnino credant, niſi id tantum, quod ſenſibus obiectum eſſe uident. Cum igitur Diuina, atque ſempiterna bona ſint ab eorum cognitione, qui ſenſibus omnia metiuntur, remotiſsima, neque Diuinam legem ſeruant; neque Diuinis promiſsis fidẽ habent, nec Dei iudicia reuerentur. Ex hoc igitur in Deum ſcelere omnes iniuriæ in homines oriuntur. Cũ enim uires colligunt, tenues homines fortunis ſpoliãt, & multis iniuriis, & contumeliis, ciues afficiunt, &, calliditate, & potentia nixi, opibus ad perniciem multitudinis abutũtur; plus tamen ſceleris exemplo, quam tyrannidis immanitate, nocent.

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum enim uidēt ij, quibus tenues opes sunt, eos, quos ipsi ingenio, & acumine, præcellentes arbitrantur, omnia repagula Diuini, & humani iuris effringere, & summum decus in summa maleficiorum impunitate collocare, eo tandem deducuntur, ut beatam uitam in summa iniustitia summis opibus innixa fitam opinentur. Nec enim uident, quæ furiæ uexent animos eorum, qui iniuriis uitam muniunt; qui metus eos exagitent; quæ sitis eos dies, atque noctes, excruciet; & quibus denique pœnis assidue torqueantur.

Qui igitur fallacem magnificentiæ splendorem oculis cernunt, & mente, quibus angoribus pœnas scelesti homines insiti furoris exsoluant, minime perspicuunt, illud esse sapientis statuunt, potentium exemplum uitæ legem arbitrati. Eorum igitur consilium, & auctoritatem, sequentes, cum primum possunt, a iuris uia deflectunt; & in miseriæ sempiternæ uiam ingrediuntur: deinde, cum peccatum cōsuetudine robustius sit, sensim metum iudiciorum Diuinorum abiiciunt: postremo, cum ad sceleris summum peruēniunt, ex opibus per iniuriam partis spiritus assumunt, & sibi summam sapientiam arrogant; & homines simplices, qui ius, & fas, omnibus uitæ commodis anteponunt, irrident; hominesq. stultos, atque dementes, appellant; summamq. stultitiam in summa religione constituunt. O cæcitatem exsecrandam hominum, qui ueram uiam felicitatis ignorant; &, cum maxime ad comparandam felicitatem omnes animi neruos contendunt, tum uel maxime sese in extremam miseriam furenter iniiciunt. Quam diuersum ab hac hominum perditorum opinione iudicium sanctissimus Rex Dauid sequatur, hoc operis huius Diuini principio clare perspicitur. Cum enim sit illi propositum, omnes homines in studium pietatis incitare; & humanas actiones beatæ uitæ gratia suscipi constet; docet, quibus studiis, & actionibus, uita beata comparetur. ait enim: Beati cantum sunt illi, qui minime in impiorum hominum sententiam discedunt: qui, si per imbecillitatem interdum prolapsi fuerint, nequaquam diu in flagitio commorantur, sed reuocant sese continuo, ueniamq. flagitant, & ad officium tota mente reuertuntur: qui denique derisorum impudentiā, qui petulantibus cachinnis, & impia dicacitate, multos mortales ad scelus erudiunt, ut pestem exsecrandam fugiant; qui non satis habent, scelus exsecrari, nisi etiam opera sancta, atque Diuina, moliantur. Iccirco omne uitæ studium in Diuina lege consumunt. Est enim lex Diuina, animorum medicina, iustitiæ disciplina, uitiorum omnium expultrix, uirtutum omnium magistra, atque postremo immortalitatis, atque adeo Diuinitatis, efficiens. Ardens namq. illius studium homines cum Deo in gratia ponit, & ad cælum uiam munit; atque (ut uno uerbo dicam) homines Deo, bonorum omnium fonti, artissime deuincit. Sed est animaduertendum, non legis metum iustos efficere, sed amorem. Qui enim, metu tantum pœnæ a lege propositæ, manus a maleficio continet, manus quidem ad aliquod tempus continebit, sed uoluntate, & studio, opus nefarium molietur. Cū igitur sit anceps, atque districtus, neque toto corde sese ad legis studium applicet, minime absolutum iustitiæ fructum consequetur. non igitur beatus erit, nisi postquam totum se sponte, & uoluntate sua, ad studium sanctissimæ legis aduinxerit. Nec sufficit, semel a flagitiis ad legis studium tota mente traduci, nisi in eo studio perseuerauerit. Illi igitur beati tantum erunt, qui ardenti studio, & uoluntate, sese ad legis Diuinę sanctitatem conferunt, & de illa dies atque noctes cogitant, omnesq. uitæ rationes ad illius trutinam exactissime perpendunt. Erunt enim Deo, qui est beatissimus, omni ratione coniuncti. Nā, si ad uitam beatam uoluptas exquiritur, hi certe erunt uera, & stabili uoluptate perfusi, sempiternoq. gaudio cumulati; si honores expetunrur, erunt hi dignitate Regia in omni sæculorum æternitate præcellentes; si opes beatos homines efficiūt, erunt opibus Diuinis affluentes; si denique status Diuinus exquiritur, hi Diuinum statum consequentur. Vt igitur arbor prope riuos consita altissimas radices agit, & semper uiresćit, atque frondescit, foliumq. non amittit, uberesq. fructus opportuno tempore profundit; sic iusti, cum sint ad uitæ flumen consiti, pietatis, atque fidei, radicibus humorem eliciunt, quo & insiti roboris stabilitatem, & honestatis uiriditatem, & fructuum copiam, & ubertatem, perpetuo consequuntur. Nec enim illos de statu tempestas ulla conuellet; nec ardor infestus aduret; nec inuecta calamitate eorum fructus interibunt. Non sic impii, non sic. erunt enim & ariditate cōsumpti, & tempestatibus agitati, & casibus infinitis expositi. Quemadmodum igitur gluma a frumento secreta, atque uentilata, proiicitur, sic impij a piorum hominum cœtu segregari dispellentur, nec ulla in sede consistent. Nec enim in Dei iudicio impij erigi, & ad spem salutis excitari, neque fontes, & flagitiosi, crimine liberari, & ad piorum hominum cœtum aggregari, ullo modo poterunt. Dominus enim uiam, quam ineunt iusti, comprobat, eorum studia confirmat, & actiones præmio sempiterno remunerat. At impiorum hominum conatus frangit, uires debilitat, omnemq. eorum uitam, & consilia, & actiones, funditus euertit.

Beatus uir, qui non abiit.

Et in cathedra pestilētiæ non sedit.

Sed in lege Domini uoluntas eius.

Et in lege eius meditabitur die ac nocte.

Non resurgent impii in iudicio.

Quare fremuerunt. Psal. 2.

IN omni turba, atque tumultu, causſam seditionis inquirimus: in illius auctores animaduertendum iudicamus; & eum, qui populare motum concierit, acerbissimo supplicio dignum censemus. Tollit enim uiris ordinem; disturbat uitæ societatem; frangit resp. uires; hostibus aditum in patriam patefacit; communibus denique rebus pestem, atque perniciem, machinatur. Verum, antequam causſam seditionis exploratæ cognitam habeamus, sententiam cum æquitate ferre non possumus. Multa namque in populis frequenter accidunt, quæ iustam offensionem afferunt,

runt, ita, ut non sit de omnibus, qui populum ad seditionem sollicitant, similiter inquirendum. Cupiditas enim diuitiarum, libidinis furor, & præceps honoris ambitio, & eiusmodi uitæ pestes, animos exagitant, & ad iniurias inferendas, & statum Reip. labefactandum, impellunt, ita, ut mirum non sit, animos ciuium commoueri, & aduindictam acerrime concitari. In eo autem tumultu, quo multitudinis furor, & principum immanitas, in Christum exarsit, quo nullus fuit in terra uel insania turbulentior, uel immanitate truculētior, mente defixus, Dauid uehementer admiratur, & de rebus futuris, quasi præsentibus, atque adeo præteritis, luculenter edisserit. Ait igitur: Diram seditionem mente considero; multitudinem odio furenter inflammatā ferri conspicio; nationes uniuersas contra Christum arma corripere cerno. Quæ nam igitur causſa tantæ seditionis exstiterit, exquiramus? Num Rex hic, contra quem bellum comparant, immania tributa populis imperabat? Immo, ut suos opibus summis expleret, summam inopiam sponte sua pertulit. Num uulnera ciuibus inflixit? immo, ut eorum uulnera sanaret, & uulnera, & cruciatum, acerbissimum perpessus est. Num commodis publicis repugnauit? immo omnes curas, & cogitationes, in communem generis humani salutem consumpsit. Verum, inquies, id est: sed honoris contentio animos potentium hominum stimulauit, ut bellum contra illum susciperent, qui omnes honores solus appetebat, neque ferre quemquam poterat, qui aliquod sibi munus, aut populare decus, assumeret. Quo modo? Is ne, qui oblatum imperium contempsit? qui omnes opes humanas pro nihilo duxit? Sed illud, inquis, fortasse fuit erat acer, & iracundus, multosq. mortales uerborum contumelia acerrime uulnerauit. Quis illo fuit lenitate, clementiam, ansuetudine, mirabilior? Quando is clamorem intempestiue sustulit? Quo tempore uocem ullam in publicis concionibus intemperanter emisit? Vt ista sint iniquis odio, certe dignus fuit eo nomine, quod, cum ciuibus suis consulere potuisſet, eorum salutem neglexit. Id igitur scire sane uelim, quid facere prætermisit, quod ad suorum utilitatem pertineret? Non ægrotos sanauit? non cæcis adspectum restituit? non surdos audire fecit? non dæmones infestos expulit? non mortuos in uitam uoce, & imperio, reuocauit? Cur igitur fremunt homines? cur insaniunt? cur pro acceptis beneficiis tætra facinora contra salutis auctorem moliuntur? &, ut magis eorum furor emineat, inania meditantur. Copias enim suas instruunt, ut cæli rectorem oppugnent. Quo quid poterit amentius cogitari? Si quis moles exstruere conetur, quibus cælum occupet, aut aquas in sublime coniiciat, quibus ardorem solis exstinguat, non plane demonstrat, se extremo furore, & amentia, cæcū ferri? quo modo non multo maiorem amentiæ significationem dabunt, qui cum summo Domino, qui omnia sempiterno imperio complectitur, bellum gerunt, quasi possint conatibus inanissimis opes Diuinas euertere? Sed inquis, fortasse mirum non esse, multitudinem tumultuari, & insanire. Non enim esse consilium in populo, non grauitatem, non iudicium, eumq. facillime quibus uis flatibus agitatum turbulentissimos fluctus eiicere. Singulari igitur consilio factum esse, ut principes multitudini præessent; ut æquabile ius dicerent, & turbidos motus sedarent, & tempestates temeritatis effrenatæ coercerent. Quid si, Principes ipsi, impietate, & amentia, multitudinem longe superāt? Quid, si, non repentino motu conciti, sed consilio sceleris plenissimo confirmati, idem facinus aggrediuntur? Quid, si exemplo, & imperio, populos in multo tætriorem dementiam præcipites impellunt? Quid, si odio longe maiore in summum Deum, & in illius Christum, inuehuntur? Confirmant sese terrarum Reges, & Principes, inter se coniurant, ut contra Deum, & Christum, illius copias instruant. O pestem exsecrandam, ex Orci penetralibus immissam. O detestabilem amentiam, supplicio sempiterno dignissimam. Eo progressam fuisse hominū, quibus nihil est imbecillius, amētium, ut contra Dominum, a quo ficti, informati, & beneficiis egregie cumulati sunt, arma corripiant, & de illius pernicie coniurent, cuius numine, atque potestate, omnis generis humani salus continetur?

Qua spe? qua fiducia? qua mente? qua ratione? Puluis, & cinis, contra cæli imperatorem bellum cōparat; imbecillitas summa cum potentia summa congreditur; inanitas in Diuinam Maiestatem impetum facere conatur, & illius statum irritis conatibus oppugnat, cuius uel solo nutu potest momento temporis exstinguit. Sed, quam tandem causſam furoris assignare poterit perdita multitudo? Aut quam rationem susceپto sceleri Principes obtendunt? Agi publicam libertatem, inquiūt Populi: Principes imperium suum labefactari assidue conqueruntur. Euangelij namq. sanctionibus adstringi cupiditatem; alligari uoluptatem; coerceri temeritatem; euerti tyrannidem, conspiciunt: quod minime ferēdum putant. Itaq. Christi leges uincula durissima nominant; imperiumq. Diuinum intolerandum iugum arbitrantur. Ea igitur de causſa in summum naturæ cōditorem, & Dominum, & in illius Christum, furenter insurgunt, & immani odio sanctitatis imbuti, insitum scelus factis expromunt. Inquiūt igitur: Omnia iuris uincula, quibus Deus, & Rex ab illo constitutus nos deuinctos habere cogitant, perrumpamus, ut libidines nostras explere possimus; eorum iugum ceruicibus nostris impositum deiiciamus, ne sit quidquam impedimento, quo minus in omni iucunditatis genere uersemur. Magna enim res est, quam instituimus cernimus: quæ si perfectionem fuerit assecuta, omnis nobis uitæ commoditas interibit.

Huic igitur malo, antequam maiores uires assumat, omni contentione repugnemus; & in inuisæ legis latorē irruamus; & illius etiam nomen, quo ad fieri poterit, ex hominū memoria euellamus, ne nobis id, in quo omnis uitæ nostræ status consistit, eripiat. Hæc profligatorū hominum sententia est, hoc odij immanissimi seminarium, quod ferre non possunt infinitas libidines, quibus adstricti

Meditati sunt inania

Astiterunt reges.

Astiterunt reges terræ

Dirumpamus uincula eorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

strícti sint,salutari seueritate cohiberi.Sic autem sunt amentes, ut miserrimam seruitutem,qua impurissimæ cupiditati seruiunt, Libertatem nominent;legis uero Diuinæ sanctitatem,quæ sola ueram libertatem,atque salutem,constituit,libertatis,atque salutis,euersionem putent. Quod faci-
Qui habitat in cælis, irridebit eos. nus nó impune ferent. Summus enim Dominus, qui Maiestatis suæ sedem in cælo collocauit,dupli ci supplicio impios torquebit. Nã & iliorum conatus irridebit; & scelus acerrimo iudicio uindicabit.Irridebit quidem;cum perficiet,ut,quo maior eorũ impetus exstiterit ad Christi decus obscurãdũ,& imperium euertendũ,eo clarius nomẽ illius illustretur, & imperium mirabilius amplificetur, ita, ut Christi hostes inuiti Christi gloriæ seruire compellantur.Scelus autem uindicabit;cum gentem perditissimam odio hominum,intestina seditione,mutuis cædibus,& insidiis, fame, pestilentia,internecione,rerumq. omnium uastitate, con-
Tunc loquetur ad eos in ira sua. ficiet.Eos igitur oratione,indignationis,& acrimoniæ,plena,peruertet;& horribili criminatione,more suo,conturbabit.Sic enim loquitur cum impuris hominibus rerum omnium Dominus, ut non uerbis humanis,sed pœnis Diuinis, mẽtem suam aperiat.itaque,cum homines præsidio suo nudat, eos alloquitur;cum signis exterret, illis comminatur; cum hostes in illos incitat, crimen intendit;cum hostibus uictoriam concedit, sententiam
Ego autem constitutus sum rex super Sion. ualde pertimescendam pronuntiat. Quid autem, cum hæc omnia gerit, eloquatur, operæ pretium erit attendere.Rex,inquit,contra cuius statum in surgitis, non est humano consilio delectus;sed uoluntate mea in solio Maiestatis sempiternæ locatus.Ego illum Regẽ creaui;ego illi sedem in sempiterna Sionis arce collocaui;ego illum cælesti Ieroro symæ præfeci, ut cunctis hominibus,fidei sanctitate,iurisq. Diuini societate,deunctis,iura describeret, imperiumq. meum opibus Diuinis administraret.Quæ igitur amentia uestra est ? Scilicet,uos Regem opibus meis egregie cumulatum oppugnabitis ? Vos Principem præsidio Diuino circumsæptum de statu conuelletis ? Vos nomen illius, quem ego ornamentis gloriæ sempiternis decorau i,indigna contumelia de formabitis? tanta uos uexabit amentia,ut, cum sitis ipsa inanita te uaniores,bellum mihi,ad cuius tactum natura uniuersa contremiscit,inferre conemini? Hæc qui dem Pater ille cælestis in perditos homines intorquet, eosq. pœnis dirissimis insectatur. Hoc autẽ
Prædicans præceptum eius. in loco a Dauide Christus inducitur, qui summi patris in se beneficia in hanc sententiam comme morat.Inquit igitur,In Regia sede locatus sempiternam legem feram,qua omnium, qui me secuti fuerint, uitam, & salutem, sempiternam constiDomin⁹ dixit ad me, Filius meus es tu tuam. Dominus enim dixit mihi, Filius meus es tu, & ego hodie genui te. A sempiterno quidem tempore a me fuisti, secundum naturæ Diuinæ rationẽm, exortus; nunc uero, cum te, secundum humanæ naturæ condicionem, sepultum a mortuis excitani,ratione longe dissimili generatui. Nec enim iam in te mors impetum dabit;non te dolor ullus lacerabit;non te ullius cohortis impia manus attinget. iam non gemitus ullos edes, neque lacrymas humanæ imbecillitatis indices effundes. Meus quidem filius eras, etiam antequam mortis acerbitatem sentires. Iustitia namque princeps eras, unguẽto cælesti perfusus multo excellentius,quam omnes, eiusdem gratiæ particeps esse potuerunt. Illa igitur Diuina iustitiæ forma,qua in humana natura uirtutis meæ similitudinem referebas,te filium meum esse demonstrabat. Verum,quo tẽpore te homines laboribus oppressum,indignissima cõtumelia uexatũ, doloribus afflictũ,& excruciatum, adspiciebant, satis apparebat,non dum te ex omni parte statum Diuinum fuisse consecutum.Eos dolores hauriebas, qui in Deum minime cadunt ; & corpus denique tuum erat mortis telis expositum . Ex hoc igitur die,quo,deuicta morte, triumphum clarissimum duxisti, nullum in te mortalis condicionis uestigium residebit.Non enim mærebis;nullo angore cruciaberis;sed,splendore Diuino clarissimus,immortaliq. gaudio cumulatissimus , Diuinam uitam ages;& cælum,atque terram,imperio sempiterno continebis;ita, ut facile in te huius Diuinæ
Postula a me,& dabo tibi gentes. generationis claritas eluceſcat . Cum in mortali uita manebas, illa te cura uehemẽter afflictabat, quod gens tua monita tua contemneret;imperiũ recusaret;& lucem oblatam aspernaretur.At nũc, meritis mortis,atque supplicij, quod communis salutis gratia pertulisti , non mediocre præmium consequere.Non enim erit nomen tuum angustis Iudææ terminis inclusum,neque imperium tuum gentis Hebrææ possessione definitum . Multo igitur maiora uolo,ut a me postules,& exspectes. Nam , pro Hebrææ nationis fœce, innumerabiles nationes imperio tuo subiiciam ; & ultimis terrarum finibus dominationem tuam terminabo.Vt igitur homines Israelis sanguine propagati , & in spe sempiternæ salutis enutriti,beneficium Diuinum aspernentur , imperiumq. tuum perfidiose detrectent,& tenebras luci furenter anteponant, at uniuersæ nationes,quæ uersabãtur in tenebris, in lucem tuã respicient ; ad te supplices adibunt; imperium tuum uerebuntur;in tua uirtute,atque benignitate, omnia uitæ præsidia collocabunt . Hæc igitur erit hereditas tua præclara; hoc patrimonium infinitis accessionibus amplificatum . Cum uero difficillimum uideatur,regere imperio populos,& continere in officio multitudinem;&, quo imperium latius dilatatur,eo difficilior illius administrandi ratio rectoribus proposita sit,id tibi non ita continget . Nam & uis tua erit semper inuicta ; & eorum, qui tibi repugnare uoluerint, imbecillitas apparebit.Vt enim ferrum facillime uasa fictilia frangit, atque comminuit, ita omnes hostes tuos conteres,& dissipabis . quin etiam in illis, qui se totos ad studium tui nominis adiunxerint,robur tuæ uirtutis ostendes . Nam corporis cupiditatem franges;motibus turbulentis interitum afferes;& flagitia resecabis;ita,ut nihil reliquum sit in hominibus tibi consecratis, quod studiũ pietatis, & immortalis gloriæ, restinguat. Hactenus quidem orationem patris explicat,qua impios exterret, qui de Regis sempiterni interitu cogitant,illiq. perniciem inferre meditantur,cuius

Et nunc reges intelligite. ius potestas est immensa,& infinita. Hæc auribus percipite.Reges;hæc,principes,mente, & cogitatione, comprehendite, ne in sempiternam miseriam incidatis.Superbiam fugite;insolentiam,detestamini;motus inanes comprimite, ne tæterrimas oculis uestris tenebras offundãt . Quo enim altior est honoris gradus, in quo locati estis, eo maiore lumine sapientiæ nobis opus est , ut populis uestræ custodiæ permissis salutari prouidentia consulatis. Quod longe secus plerumq. fit . Nam honores immodici,opes immanes , luxus regius, apparatus magnifici, adulatorum frequentia,hominumq. perditorum calliditas, excæcant animos;& principum mentes in furibundos errores impellunt.Sic autem fit,ut, qui maiore sapientia præditi esse debuissent, maiorem temeritatis, & amentiæ,significationem dent. Non igitur populis salutem,sed perniciem,afferunt;& sibi ipsis exitio sunt. O Reges, arcete furorem ; sensumq. humanitatis,& prudentiæ,recipite.O Principes,qui terras imperio continetis,& salutarem disciplinã summo studio cõparate . Aliter enim fieri non potest,quin miserrime concidatis. Si uos exterret sapientiæ nomen ; si difficillimum existimatis,fructu illius potiri;si uel ingenio diffidit is, uel laborem extimescitis;intelligite,multo faciliorem esse illius comparandæ rationem, quam fortasse suspicamini.Non uos admoneo, ut illius gratia terras ultimas peragretis; ut magistros undequaq. magnis muneribus allectos adscisc atis ; ut labores immensos noctes atque dies perferatis.Nec enim sapientia est e terræ uisceribus eruenda,sed a Deo postulanda.Ille namque est perennis , & immensus,sapientiæ fons , unde sunt omnes Reip. rectegerendæ rationes hauriendæ . At benignitas illius semper illis præsto est,qui fidem,& pietatem,
Seruite Domino in timore. colunt, illiusq. numen caste uenerantur . Illi igitur seruite; illius Maiestatem reuereminí; omnes uestras cogitationes in studium illius cum timore consumite. Timor enim Dei est sapientiæ uerissimæ fundamentum . Si igitur Deum timueritis, & in illius fide permãseritis,is uos opibus sapientiæ Diuinæ locupletabit . Tunc igitur admirabili gaudio triumphabitis;& in summa lætitia uersabimini;cum , cælesti luce perfusi , sempiternam
Exsultate ei cũ tremore pulchritudinem,opes immortales,gloriæ ueri simæ fontem,adspicietis.Vos tamen hortor , & admoneo,ut,cum fueritis bonis Diuinis egregie cumulati,minime antea actæ uitæ memoriam deponatis; sed mentem ad præteriti temporis recordationẽ assidue reuocetis,ne uestros animos floretis status cogitatio sic efferat,ut pietati , & industriæ, uestræ , quod est Diuino beneficio partum, adscribẽdum arbitremini . Omnia namque bona de manibus uestris elabentur, si obliuio Diuinæ benignitatis in mentes uestras irrepserit , superbiaq. animosq. uestros inflauerit. Sic igitur in secundis rebus exsultate, ut ad cæli conspectum, &
Apprehẽdite disciplinam. iudicij Diuini memoriã, trepidetis.In omni uero disciplina magistrum exquirimus , cuius monitis,& exẽplis,instruamur. Quis igitur noster magister erit? Quis uestigia nostra diriget? Ad cuius nos ductum,& imperium, applicabimus ? Adilius certe, contra cuius imperium bellum omni odio imbutum gerebatis ; cuius leges durissimæ seruitutis uincula,cuius imperium iugum minime ferendum putabatis.Intelligite tandem , aliquando Christum ipsum , in quem amentia flagrantes ferebamini,esse Dei filiũ , in quo generis humani salus,& sapientiæ summa,cõsistit.Cõuertis igitur animis,in illum respicite; illum colite;illũ ardenter amate;ut lumen suum animis nestris
Ne quando irascatur Dominus, & pereatis. præferat, & uos a sempiternis tenebris ereptos se cum bonorum omnium communione consocie t. Quod si filium cõtemperitis,pater in statum uestrum mucronem suæ seueritatis exacuet ; & uos grauissimis pœnis excruciatos interimet . Num arbitramini, iram Dei facillime posse quauis corporis declinatione uitari?aut iudicium illius muneribus eludi?aut uiribus impediri?O miseri mortales,sæpe numero in mentem redigite,quam horribile,& pertimescendum,sit Diuinum iudicium. Non loquor iam de scelere in illius filium suscepto;non de tanti facinoris atrocitate dissero;non illius criminis diritatem , quo nullum umquam potuit scelestius excogitari , commemoro . De quo uis alio,quo homines impuri religionem sanctissimam uiolant,sermonem facio . Cum Deus, communi scelere permotus , iracundia ad aliquod tempus exarserit, quis illius impetum susti nebit?quis plagam effugiet? quis non toto corpore , & animo , contremiscet? Beatus erit certe is tantum, qui in illo omnia præsidia uitæ cõstituet.

Domine, quid multiplicati sunt. Psal. 3.

DAuid,grauissimis curis anxius,cum in eum hostes undique impetum ferrent , & filius Absalon sanguinem patris, atque uitam,peteret, ipseq. uix impias manus effugeret , huiusmodi uerbis Dei opem implorauit. Summe Domine,
Domine, quid multiplicati sunt nides,quot me pericula circumsistant?quam maxima sit eorum multitudo, qui in me furenter irruunt ? Quot hostes in me crudelitate flagrantes inuehuntur ? Non enim solum Hierosolyma de mea pernicie coniurauit; uerum & regnum Israelis uniuersum inani quadam spe florentioris condicionis erectum in meum caput pestem, & exitium,machinatur;senatus frequens contra meam salutem sententiam dicit;consiliarij,quorum prudentia maximas res administrabam , sceleristissimi facinoris societatem cocunt;familiares,atque domestici,in me hostiliter incurs ant,&,quod longe grauius est,filius meus,quem ardẽte amore,& studio,complectebar,cuius furori ueniam dedi, & quem beneficiis,atque muneribus,auxi,impetum in me fecit . Nec enim statum , quem per summũ scelus appetiuit,se tueri posse confidit , nisi scelestiore facinore se præmuniat , & Regnum , quod per nefarium scelus occupauit,parricidio confirmet.Itaque,me perfidiose deserto,homines innumerabiles ad illum se cum proiecta audacia , & impudentia,contulerunt. Neque solum in Regẽ, qui commodis omnium amore patrio consulebat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

bat,inuadunt;uerum etiam in te indignissimam contumeliam intorquent. Dicunt enim: Deus illum de manibus nostris haud quaquam eripiet. Quo quidem conuicio quid poterit scelestius excogitari? Tu ne is es,qui fidem deseras? qui officium prodas? qui religionem uioles? qui eorum salutem, qui se totos patrocinio tuo cõmiserũt,in calamitate despicias? Pessime certe de tua probitate immensa,atque fide,sentiunt ij,qui fieri posse credunt,ut eorum salutem negligas,quos in fidem sanctissimo fœdere recepisti. Tua igitur benignitate atque promisso,fretus,licet; omnes mortales me uehementer oppugnent, me obsessum, atque circumuallatum teneant,mihi perniciem, & interitum,moliantur, spem numquam abiiciã, sed animo erecto,& excelso, ope tua nixus, incedam. Tu enim me ut scuto protegis; tu nomen meum cælestibus ornamentis illustras; tu me in summo honoris gradu constituis;tu,quod est summæ benignitatis indicium,cũ me premunt crumnæ,& opem tuam imploro, e summo cæli fastigio uocem meam clementer exaudis, & mihi in precibus festinanter accurris. Quem igitur metuam? cuius potentiam formidabo? quibus curis sollicitabor? Nocturnos hostes despiciam,tuis,qui procul abesse non poteris,excubiis innixus; cum, ex somno excitatus,me ad munus meum uigilanter administrãdum reuocauero, hostium uim,& multitudinem,minime pertimescam. Siue igitur cum me quieti nocturnæ tradidero,siue expergefactus die remp. gessero; numquam ullo metu de statu meo deiiciar, quia summus Dominus me præsidio inuicto sæpit: & gratia cælesti corroborat.

Multi dicunt animæ meæ.

Tu autem Domine susceptor.

Ego dormiui, &.

Licet igitur innumerabilis hostium multitudo me,castris positis,circumsideat,atque terrores iaciat, & mihi perniciem minitetur, nullo pauore concutiar. Exurge, Domine;uirtutem inuictam excita;arma,atque robur,assume;ut mihi salutem afferas. Tu namque solus Deus meus es, in cuius auxilio cõquiesco;tu Rex meus, cuius imperium sequor;tu summum bonũ, cuius desiderio flagro: fac id, quod ante hac,admirabili benignitate, & studio,in me conseruando perfecisti. Impetum enim hostium meorum represisti; & de conatu perditissimo depulsos insigni dedecore cumulasti; illorumq. maledicentiam detectis fraudibus, & insidijs,ita refutasti, ut laus mea longe clarius emineret. O miseri mortales,qui aliunde salutem expetendam existimatis, non intelligetis tandé,quanta sit in hominibus imbecillitas,& quanta perfidia? Quid est igitur in terris,quod salutem dare, aut dãam conseruare, possit? Ab illo igitur tantum Domino, cuius est potestas infinita, & fides immutabilis, atque sempiterna, auxilia postulate, & non ab hominibus,quorum opes momento temporis euanescũt, & infidelitas multis experimentis redarguta conuincitur. O fons perennis salutis, atque dignitatis, a quo bona cuncta profluunt, quantis opibus, & ornamentis, affecisti populum tuum? Beatissimi igitur tantum illi dicendi sunt, qui in populo tuo numerantur; nempe, quos fides & amor, ad tuum sanctissimum nomen adiunxit. In eorum enim animos opes immutabiles, atque sempiternas, munifice congessisti.

Cum inuocarem, exaudiuit me. Psal. 4.

INueterauit quædam opinio, perniciosa uitæ, moribus uehementer infesta, Diuinis legibus,& institutis,aduersaria,& cum summa impietate coniuncta, apud homines, quorum mentes humi defixæ sunt,& minime cælestia, atque Diuina,suspiciunt;nempe,summam sapientiam in malitia summa debere constitui. Qua sententia quid amentius fingi potest? quid enim stultius est,quã calliditate niti? quam mendacio gloriari? quam ingenium ad fraudem uersare? quam ex diuitiarum fallaciis,atque somniis, omnes uitæ rationes suspensas habere? & interim isti non solum sibi ex uanitate sapientiam insolenter arrogant, uerum in eos,qui omnem rationem uitæ,salutis,atque dignitatis,in Diuina fide reponunt,petulanter inueluntur; eosq. ut homines stultos irrident, & omni dedecore deformatos arbitrantur. Hoc autem dementiæ nomine scelesti homines, qui subnixi fraudibus sapientiam iactabant, cum essent amentissimi, Dauidem oppugnabant, quod nimis religioni deditus esset;quod in cælum semper respiceret;quod non aliunde,quam a Deo, uitæ præsidia postularet. Contra Dauid, ut ostendat,quanta sapientia gubernentur ij,qui non opinionibus hominum, sed religionis sanctitate, uitam instituunt, pietatis suæ fructum explicat; & stultitiam exprobrat illis,qui,relicto uero, & firmo,uitæ præsidio, ad inanitatem tota mente conuersi, mendacio nitebantur. Inquit enim: Simul atque clamorem tollo, Deus meus,meæ iustitiæ parens,& auctor,orationem meam exaudit,&,ut beneficia sua in me tueatur,confestim accelerat. Non enim opes iustitiæ, quibus me excultum cerno, mihi insolenter assumam. Non sum adeo furiosus,& amens, ut id, quod non potest aliunde, quam a mente Diuina,ad humanas mentes emanare, meis meritis adscribam. Reliquum igitur est,ut,quoties recordor qui fuerim,& quo modo, Dei clementia, ex flagitijs emerserim,& opibus Diuinæ uirtutis ornatus fuerim, illum meæ iustitiæ architectum ardentissime diligam, castissima religione uenerer;&, illius tantum præsidio, omnes uitæ rationes muniendas existimem. Nec enim fieri potest,ut,qui me alienum,& a iustitiæ sanctionibus abhorrentem, ad suum nomen adiunxit,& hac me noua forma decorauit, ut in illius adoptiua sacra uenirem, me iam sibi agnatione cælesti deuinctum despiciat, postulataque mea repudiet. O clementissime Domine, quo modo tibi gratiam referam? quoties enim inclamo, tu auxilium confestim affers, ut,leuatus angoribus,libere respirem,&, spiritu tuo recreatus, admodum iucunde reficiar. O uiri, quos uel nobilitatis insignia,uel honoris ornamẽta, uel opes immanes extulerunt,quæ uos tanta uexat amentia,ut gloriam meam ad dedecoris opinionem re-

Cum inuocarẽ, exaudiuit me Deus.

Filij hominum, usquequo graui corde.

uocetis? & ideo me contẽnendum existimatis, quod me religioni sanctissimę nimis deditum arbitremini? An quidquã fieri poterit ad decus uitæ magnificentius,quã optimum parentem amare? summũ Dñm reuereri? opibus Diuinis,atque sempiternis,inniti? Scilicet,efferri mendacio,opes uanitate firmare,potentiã inanitate stabilire, id erit gloriosum,& prędicandũ? Deo autẽ uiua fide coniungi,& in illius præsidio, qui neminẽ umquã fefellit,acquiescere,id erit dedecori, & ignominiæ, tribuendũ? At uos interim, qui uẽditatis ingeniũ, qui,acumine subnixi,passim uolitatis,qui meam simplicitatẽ,ut rebus augendis inutilem, intẽperanter illuditis,in uanitate uersamini, & mẽdaciũ amplexamini. oẽm namque operam,studiũ,industriã, uigilantiam, in rebus illis parandis frustra cõsumitis, quæ uobis opitulari nõ poterunt. Non cernitis,hoies amentissimi,cũ sanctissimã religionem dedecori affinẽ iudicatis,istã opinionẽ, dedecoris, & audaciæ, plenã, in Dei cõuicium redundare? Non enim de Diuinę Maiestatis amplitudine rectã opinionẽ habet, qui in debito numinis illius cultu dedecus situ esse cõstituit. Sed inquies, difficillimũ esse,ut quisquã rem suam bene gerat, qui totus est in studio religionis occupatus. necesse igitur esse,ut imprudẽtię uituperationẽ subeat, qui uinculo religionis nimis adstringitur. Id igitur scire sane uelim, quis melius rebus suis consulit;Is ne,qui,ingenio,& industria,fretus,oẽm utã in terrenis opibus parandis,& amplificandis,conterit? An is, qui sanctę religionis studiũ omnibus rebus humanis anteponit? Vt autẽ rectum iudicium faciatis,in me respicite;&, quã ampla præmia meæ religioni, atque benignitati, constituta sint,animis considerate. Me namque Dñs mirabilibus ornamentis affecit;me ad Regni fastigium euexit;mihi multas gentes subdidit; nomenque meum multis uictoriis illustrauit. itaque me, quẽ non ualde sapientẽ arbitramini, non solũ cęlestibus ornamentis excultũ,uerum etiã terrenis opibus locupletatũ,cernere potestis. Quod si dicitis, simplicitate mea factũ esse,ut in hoium improborum insidias inciderem: dũ enim nimis religioni seruio, & magis hominũ caritati, quam meę securitati,consulo,frequenter accidere,ut ab illis ipsis, quorũ uitæ pepercerim, crudeliter oppugner: hoc igitur a uobis quęro: Num tutius uitę consulitur, dum Deus benignitate placatur? an, cum, Dei numine neglecto, salutis custodia in crudelitate reponitur? Num uidistis me,in rebus aduersis,ope Diuina nudatũ? Nõ certe. Dñs enim exaudiet me,cũ clamauero ad eum. Si igitur amplissimũ pietatis,& sanctimonię,fructũ cernitis,si præsidium uitę firmissimũ in benignitate positum esse conspicitis; cur humanam sedulitatem,& industriam,religioni sanctissime cultę præponitis? Cohibete motus animi,& temeritatẽ coercete. Quod si in uos improuiso iracundię furor inuaserit,non illi confestim pareatis; sed spatium ad cogitandũ sumite; ut intelligatis, quam tętra sæpe facinora ex immoderatione mentis acrius ad uindictam concitatæ oriantur. Sic autẽ fiet, ut offensionem, quã sine caussa sumpsistis,facile deponatis. Con-

Scitote, quoniam mirificauit Dominus sanctũ suũ

Irascimini, & nolite peccare.

tremiscite;& terrimam peccati luem detestamini: ipsi cum animis uestris sceleris atrocitatem reputate;& in cubilibus uestris tanti erroris amentiam perhorrescite. O scelus uix multis sacris expiandum. Multis enim sacrificijs opus est, ad tanti facinori monstrum procurandum. Quę sacrificia dicis? Num uitulos immolabimus? Num agnos, ut flammis absumantur, ad aram statuemus? Non inquam. Hæc enim sacra, non solidam, & expressam,religionem,sed adumbratam, continẽt. Nec enim animos expiant, sed, quibus sacris sit uera puritas comparanda, obscure significant. Quod igitur erit sacrificium Deo gratissimum? id certe, quod sine illius gratia, & beneficio, offerri minime potest. Sacrificiũ nempe iustitiæ. Is enim, qui uerum iudicium exercet, qui iuris æquabilitatem tuetur,qui inopis iusti causam suscipit,qui potentium opes in iudicando non respicit,qui hominum caritati consulit,qui beneficentiam gratæ uoluntate prosequitur, qui denique opus illud sanctissimum Diuini iuris absoluit, nempe, ut Diuina beneficia assidue in mentem reuocet, & Deo semper gratias agat; is certe ex hoc iustitiæ sacrificio amplissimum fructum percipiet. Cum uero præcipua iustitiæ pars sit uera religio: tum enim uel maxime iustitiæ officium facimus, cum debitum honorem summo Domino, atque parenti, tribuimus; religionis autem duo munera sint; unum, præterita beneficia recordari; alterum, futuris firme confidere;in utroque est uobis elaborandum; ut pro acceptis beneficijs gratias semper agatis,& minime uos ampliora percepturos diffidatis. Magna igitur uos spes teneat, fore, ut numquam ab illo, si iustitia a uobis sancte culta fuerit, deseramini. Sic autem opes uestras firmiore certe præsidio munietis, quam si omnes animi uires, omnem uestram industriam,& contentionem, in opibus uel parandis,uel augendis, uel constituendis, posueritis. Sed, unde, quæso, tanta sollicitudo, quæ torquet, & assidue uersat, animos, ortum habet? Quæ pœna est hæc, qua homines ita cruciantur,ut minime respirent? cur tantis motibus agitantur, ut consistendi locum minime reperiant? Omnia certe ex infinita cupiditate proueniunt: quæ cum satiari nullo modo possit, mentes semper ieiunas, & inanes, angore, & cruciatu, propter indigentiam, plectit, atque dilacerat. Nam quilibet,præter bonam ualetudinem,& firmas uires, & corporis elegantiam, frugum ubertatem, pecuniæ abundantiam,opes, honores, appetit, & nihil omnino prætermittit, quo tandem possit, eo, quo illum cupiditas impellit, aliquando peruenire. Sed, quid prodest? Si enim id, quod concupiscit,non assequitur, uitam in acerbitate summa traducit: si assequitur, experiundo sentit, fuisse a se omne uitæ studium in bonis inanibus acquirendis frustra consumptum. Sitis enim eorum copia non exstinguitur, immo acrius irritatur; ita, ut, quo magis opes affluunt, eo miserabilius homines in mendicitate uersentur. O summe Domine, uultus tui splendorem, quasi signum, quod sequar, in conspectu meo

Sacrificate

Multi dicunt. Quis ostendit nobis bona.

Signatũ est super nos lumen uultus tui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sublimem tolle, mentemque meam claritate lumminis tui lætifica, gratiaq. tua animum meum opibus, quæ cerni oculis non possunt, expleat; & nihil amplius desiderabo. Sint alii florentes opibus humanis; sint uitæ præsidiis, & ornamentis, redundantes; dignitate, atque gloria populari, circumfluant: ego uero, ut his rebus omnibus caream, si gratiæ tuæ fructum fuero consecutus, summo gaudio triumphabo. Omnibus enim ueris simis bonis expletus, & cumulatus, incedam. Hoc est igitur uotum meum, hoc desiderio flagro, hæc me cupiditas inflammat; facillimeq. omnes hominum copias, & facultates, contemnam, dum hoc summum bonum, quod in amore tuo consistit, adipiscar. Sic autem fiet, ut nullis opibus inuideam.

A fructu frumenti.

Immo, cum illi, qui mihi ualde infestis animis aduersantur, frumenti, atque uini, copia locupletati fuerint, tu miram animo meo lætitiam afferes, & eam mihi mentem dabis, ut ex illorum secundis rebus insignem uoluptatem percipiam. Sed, inquiet aliquis, Quid, si uires collegerint, quibus te longe uehementius oppugnent? Non eorum inuidiam, cum potentia non mediocri coniunctam, extimesces? Minime. Nam & communi paci prospiciam, & illorum immanitatem moderatione mea mitigabo. Non enim cum hominibus, sed cum uitiis, acre mihi bellum gerendum suscipiam. Itaque mea benignitas illorum immanem naturam coercebit; caritas odium exstinguet; modestia insolentiam superabit; ita me denique geram, ut, quoad fieri possit, omnes ad meas rationes bonitate mea deuictos adiungam. Quod si occulte inimici fuerint, inter illos tamen pacifice, atque sine ullo metu, uersabor; & nocte, sine ulla formidine, somnum capiam; &, omni cura, & sollicitudine, uacuus, conquiescam. Tu enim solus, Domine, me ad firmam spem immortalitatis erexisti; tu meæ uitæ præsidium susceptisti; tu dignitatem meam inuicteris copiis sæptam esse uoluisti, ne umquam ullis hostium uiribus de statu meo de migrarem.

In pace in id ipsum.

Verba mea auribus percipe, Domine. Psal. 5.

QVi secum firme statutum habuerit, nullum esse in uita bonum, quod non ab illo sanctissimo parente nostræ uitæ, atque salutis, emanet, non certe alio mentem conferet; sed oculos perpetuo in Diuina benignitate defixos habebit. Is enim est, qui nos in morbis curat; in angoribus sublenat; in inopia ditat; in periculis tuetur; in erroribus erudit. Ab interitu namque deterret, ut in immortalitatis, atque adeo Diuinitatis, uiam dirigat. Vt hæc tamen munera ab illo consequamur, opus est, ut numquam ab illo oculos dejiciamus, sed ardenti studio nostræ salutis auctorem diligamus, amemus, ueneremur, amplexemur, & numquam ab illius complexu ulla condicione diuellamur. Ingratis enim omnia de manibus elabuntur; at illis, qui memoriam beneficiorum Diuinorum retinent, cuncta sunt præclarissime constituta. Porro autem huius clarissimæ uirtutis, quæ in gratissima ratione, atque uoluntate, consistit, studium sanctissimæ orationis frequentia, & assiduitate, continetur. Qui enim Deum frequenter alloquitur, aut pro beneficiis acceptis agit, aut beneficia, quibus indiget, fidenter petit, quorum utrumque est & gratissimæ mentis, & maxime confidentis, officium, id efficit, in quo religionis sanctissimæ ratio consistit. Vnde colligitur, sapientiam esse in huius orationis studio constitutam.

Quo modo autem sit orandus Dominus, qua puritate, quo studio, quo mentis ardore, sint ad Deum preces adhibendæ, docet nos in hoc carmine Dauid, cuius uerba sunt, si uolumus uerissimam felicitatem a Deo consequi, memoria perpetuo retinenda, ut illum imitemur, qui omnia summa bona feliciter impetrauit. Inquit enim: *Verba mea auribus percipe, Domine.*

Non enim sine mentis attentissima consideratione proferuntur. Tu namque, qui intimos animorum recessus perscrutaris, & inspicis, nitidas, mentem meam esse studio acerrimo concitatam, & uehementer inflammatam, ita, ut clamor meus, quo opem tuam imploro, multo magis sit ex animi meditatione, quam ex uocis contentione, censendus. O Rex summe, cujus imperium cum debita ueneratione mihi perpetuo sequendum statui; O Domine clementissime, cuius seruituti me ualde libenter addixi, preces meas ad aures tuas sanctissimas admitte. Non enim lente, non negligenter, non submisse, sed acriter, & uehementer, magnisq. uocibus, te, ut mihi opem asseras, inclamo. Nec enim aliunde, quam a te, auxilium in meis rebus aduersis expetiui. Non enim homines studio inani sollicito; non commenticia numina ad auxilium inuoco; non me ad opes fallaces confero; sed te solum Deum meum, unicum meæ uitæ præsidium, oro, & obtestor, fidemq. tuam clamoribus iustis imploro. Nec illud quidem dici potest, me aliquod uitæ negotium huic te orandi studio prætulisse. Nam, bene mane, antequā aliquid uel publice, uel priuatim, geram, hoc unum opus molior; hoc unum ago; in hoc totis animi uiribus incumbo, ut a te contendam, ne me ope tua destituas. Audi igitur, Domine, orationem, qua diebus singulis, prima luce, ad te suppliciter adeo; qua mentem ad cogitationem tuę immensæ probitatis excito; qua animum studiose comparo, ut possim magnitudinem tuę iustitię, & æquitatis, attentissime contemplari. Hęc autem sunt, quę mente recolo, ut eō maiore fiducia ad thronum tuę Maiestatis accedam. Cogito enim, te Deum uerum esse, perfectissimū sempiternę uirtutis, puritatis, honestatis, exemplum; neq. posse te ullis hominū fraudibus immutari, & a iusta seueritate ad iniquam lenitatem muneribus inflecti, aut aliquo pacto ad causſam nequitię, & improbitatis, adiungi. Impietatis enim munus aspernaris, maleficos a Sede tua lōgissima propellis, amētes in oculorū tuorum adspectu consistere non finis; oēs, qui suscipiunt

Mane adstabo tibi, & uidebo.

Quoniam non Deum uolens, iniquitatem tu es.

cipiunt actiones iniquitatis, insectaris; eos, qui mendacio nituntur, euertis; homines, in sanguine, atque cæde, uersatos, & dolos astute concinnantes, exturbas. Horum quidem omnium facta odio persequor, & sceleris exempla perhorresco.

Ego autem in multitudine misericordię tuę.

Non igitur illos umquam imitabor, sed aliis me præsidiis muniam. Itaque, fide amplissimæ tuæ benignitatis innixus, in domum tuam me conferam, & in templo sancto tuo, cum metu Maiestatem tuam supplici mente uenerabor. Sic autem religioni operam dabo, ut semper auctorem meæ puritatis agnoscam. O Domine, ne me deseras; tuere beneficium tuum; gressus meos ita dirige, ne umquam a legis tuæ uia declinem. Si tu me opibus iustitiæ tuæ, quam mihi clementissime contulisti, munieris, nullo modo hostium uires, aut insidias, formidabo. Tu enim mihi semper aderis, si in iustitiæ tuæ disciplina permansero. Non igitur alias munitiones, aut præsidia, requiram. hostes insidias comparent; copias instruant; cædem, & interitum, machinentur; in eo neruos omnes intendant, ut me funditus euertant; omnes tamen eorum conatus irridebo, si uiam iustitiæ tuæ, quam non meis meritis, sed gratia tua, consecutus sum, constanter iniero. Quod tamen præstare minime potero, nisi fuero præsenti auxilio numinis tui confirmatus. Ne igitur hostes odium in me suum exprimant, &, quod crudelissime meditantur, efficiant, propone in conspectu meo rectissimam iustitiæ uiam, & uires mihi inuictas elargire, quibus fretus, nullis hostium uiribus impelli possim, ut a salutis uia deducar. Ne des eam gloriandi materiam hostibus tuis, quam ex ruina mea capient, si prolapsum me animaduerterint. Magis enim hostes nominis tui, quam inimici mei, censendi sunt, qui odio immani Diuinis uirtutibus aduersantur: nulla officij sanctitas; nulla religionis puritas; nulla æquitatis mentio, in ore illorum uersatur; sed improbitas summa, sed scelus nefarium, sed flagitiorum omnium documentum. Animi eorum sunt sceleſtissimorum facinorum corruptellis inquinatissimi. eorum guttur, quasi apertum sepulcrum, tæterrimum immanitatis odorem exhalat. &, ut ad tanta facinora non mediocris cumulus accedat, sermonem molliunt, ut, specie benignitatis, eos, quos interimere statuunt, incautos adoriantur. Ne tantum scelus inultum esse patiaris, o Domine. euerte funditus eos; conatus eorum frange; impios de statu deturba; meritas de illorum improbitate pœnas sume. Non enim tam in homines iustos, quam in te iustitiæ parentem, se acerrimos præbuerunt. A te namque per summum scelus defecerunt. Lætentur omnes, qui in te omnem spem salutis collocatam habent; insigni gaudio cumulentur; uoces, summæ uoluptatis indices, emittant; & in tuo patrocinio latentes exsultent omnes, qui diligunt nomen tuum. Tu namque iustorum animos opibus auges; ornamentis illustras; iucunditate perfundis; nec eos solum beficiis exples; uerum & omnia ab eis pericula propulsas. Gratia namque tua illos, ut cohortis inuictæ præsidium, cingit, ne possit ulla manus hostium eos, qui præsidio tuo fulciuntur, attingere.

Domine, deduc me.

Et lætētur omnes.

Domine, ne in furore tuo arguas me. Psal. 6.

HAc quidem oratione docuit Dauid, quo studio, & contentione, sit ornandus Dominus, qua fide colendus, & qua uirtutis constantia sit in studio pietatis elaborandum. Sequens uero oratio continet singulare animi, & corporis, afflicti remedium. complectitur enim morbi grauitatem, & illius depellendi rationem. Aegit igitur, in morbo, quo erat oppressus, uir in omni statu pietate præcellens: Domine, febri uehementissime iactor, &, grauissimis curis afflictus, in lecto decumbo. Nec enim me tam morbus ipse, quam morbi causſa, discruciat. Non enim is sum, qui ad casum, & fortunam, huius inualetudinis magnitudinem, sed ad iudicij tui seueritatem, referendam existimem. Reliquum igitur est, ut non dubitem, morbum hunc esse pœnam flagitiorum mihi a te iustissime constitutam. Quod si tu me, pro grauitate criminum, punire uelis, quo tandem modo seueritatis tuæ uim corpore, & animo, sustinebo? crimina enim mea, uel propter offensionem hominum, uel propter legis tuæ sanctitatem, scelere meo uiolatam, tantum pondus habent ad uindictæ studium acriter excitandum, ut nullo modo queam supplicium, quod mihi debetur, sine pernicie, & interitu, totius mei status exsoluere. Quid igitur faciam? spem salutis abiiciam? oppressus scelerum conscientia, conticescam? Sic me exanimabit peccatorum recordatio, ut te interpellare non audeam? Minime profecto. Video enim, clementiæ tuę fontem exhauriri non posse; nec esse te ita ad irrogandum supplicium pro peccatis incitatum, ut non etiam in ipsa iudiciorum integritate magnas misericordię partes suscipias. Quare numquam sic me scelerum memoria perturbabit, ut a postulanda uenia deterreat. Non id peto, ut de me pœnam minime sumas, sed ut iræ tuæ modum statuas. Te igitur oro, & obsecro, &, per immensę tuę clementiæ magnitudinē, supplex obtestor, ut finem malis, quę me affligant, imponas. Misericordiam mihi tribue: nam, morbo grauissimo uictus, in magno discrimine uersor. Sana me, Domine: nam morbi uis in ossa penetrauit, & uires meas oppressit. Anima uero mea, ingenti motu perturbata, concutitur; &, cum uehementer afflicta sit, longe maiorem uim morbi in dies ingrauescentis extimescit. Tu uero, quousque tandem me doloribus excruciabis? quem terminum iræ tuæ præfinies? conuertere, Domine; indignationem tuam comprime; manum tuam cohibe; animam meam libera; salutem meam constitue, propter misericordiæ tuæ sanctitatem, ut non nobis, sed nomini tuo, gloria tribuatur. Quo enim maior est iniquitas mea, eo clarior erit in me clementia tua; cum uisum fuerit, eam nullo modo potuisse flagitiis meis innumerabili-

Misere mei.

Quoniā nō est in morte qui memor sit tui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus impediri. Gloriæ igitur tuæ cõsule; nomẽ tuũ admirandis misericordiæ operibus illustra; atque perfice, ut multi mortales, salute mihi clementissime tributa, ad laudem tuam perpetua prædicatione celebrandã prouocentur. Nec enim in morte quisquam gloriæ tuæ memoriam conseruat; nec sepulcrum nomen tuum laudibus exornat; sed tuorum salus, & uita est, quæ gloriæ tuæ ingentem materiam præbet, decusq. tuum præconiis sempiternis amplificat. Quod si fuit necesse mihi, uim in me tuæ seueritatis experiri, id iam satis expertus sum. Nam, magnitudine uulneris stratus, atque perculsus, admodum dolenter ingemisco; & totis noctibus uim lacrymarum tanta copia profando, ut sponda fluctibus agitari uidea tur; & die lectus, in quo iacco, mæroris, & fletus, redundantia colliquescat. Neque solum ex morbi magnitudine dolore conficior; uerum & ex inimicorum lætitia mæstitiam non mediocrem percipio. læti cursitant; erecti uolitant; spe mortis meæ insolenter efferuntur; & res nouas in nominis mei perniciem animo machinantur. Hac igitur hostium exsultatione commotus, intabesco; & oculi mei in dignitate immanitatis exeduntur; adspectusq. meus, ex malignitate inimicorũ grauiter offensus, inueterascit. O summa benignitas, quibus uerbis tibi gratias agam? Quibus sacris nuncupata uota persoluam? Quibus officijs animum meum tuis beneficiis exaggeratum testificabor? Sentio namque, me alleuari; sentio, morbum expelli; sentio, pristinam mihi sanitatẽ, Diuina benignitate, restitui. Operditissimi homines, qui in morbo meo furenter insultabatis, abscedite. abscedite, inquam, omnes, qui actiones, iniquitatis, & audaciæ, plenas suscipitis; uosq. procul a conspectu meo remouete. Ea enim de caussa odium in me nimis acerbum concepistis, quia exploratum habuistis, me impunitatem sceleribus minime concessurum: & iccirco in meo periculo lætitiam apertissime tulistis. Nunc igitur, pro lætitia, mærore contabescite; pro spe impunitatis, cõtremiscite; pro gratulatione mutua, casum uestrum lugubri querimonia lamentamini. Spes enim illorum, qui in Deo præsidia uitæ collocarunt, numquam interibit; at eorum cogitationes, qui fraude, & iniuria, fulciuntur, euanescent. Quod quidem in me clarissime perspectum fuit. Dominus enim exaudiuit orationem meam; Dominus preces, & uota mea, suscepit. Ignominia notabuntur, & dedecore insigni maculabuntur, omnes inimici mei; terga uertent, & uehementer erubescent, cum, repentina calamitate perturbati, sero persipient, nullam sibi opem callidita-
tes, & iniurias, in perditis rebus attulisse. Vt enim piis hominibus, qui, fide uiua corroborati, fiducia cælestis numinis innituntur, est immortalis uita cum summa dignitate proposita; ita & improbis, qui, Diuinæ legis obliti, se ad iniquitatem referunt, est interitus sempiterni supplicium cum ignominia sempiterna constitutum.

Laborauí in gemitu.

Inueteraui inter.

Domine Deus meus, in te speraui. Psal. 7.

CArmen, quod continuo sequitur, fuit a Dauide elaboratum, cum esset odio immani a Saule, quem in carminis huius titulo Chus appellat, oppugnatus. Sed, cur hoc nomine Saulem appellarit, operæ pretium erit animaduertere. Chus fuit filius Cham, & pater Nemrhot. A patre igitur exemplum impudentiæ, & ingrati animi documentum, assumere potuit; ad filium uero dominandi libidinem nefario instituto transmittere. Cham enim patris sanctissimi nomen dedecore maculare instituit, cũ nudum irrisit; cum fratres, ut patrem nudum cernerent, euocauit; cũ, debitæ pietatis oblitus, pro delectamento habuit, ebrietati incognitæ optimi parentis illudere. Nemrhot uero primus omnium mortalium tyranidem occupauit; propriamq. dominationem humanitati, & iuris æquabilitati, longe præposuit. At utrumque crimen inhæsit in Saule. Fuit enim ingratus in Dauidem, a quo, tamquam a parente, uitam acceperat. hominemq. sanctũ indignissima contumelia notauit, cum illum, ut proditorẽ, ad sceleratissimorum hominum pœnam popposcit. Præterea tyrannum immanem se præbuit, cum imperium suum multorum innocentium sanguine sancire constituit. Deinde Chus fuit imprecationi illi obnoxius, qua Noe Cham posteris maledicit; nempe, ut illius soboles ad seruitutem nasceretur. At Saul, eo tempore, quo Dauidem persequebatur, seruiebat inuidiæ; seruiebat iracundiæ; seruiebat odio; seruiebat immanitati. Postremo, cum Aethiopes a Chus originem duxerint, factum est, ut uniuersum genus Aethiopum a Chus nomen assumeret. Aethiopes uero, atro colore, qui elui nullo modo potest, inusti sunt. Vt igitur animi simplicitas, & puritas, & facilitas, Candoris nomine designari solet; ita consentaneum est, ut, quidquid fuerit infuscatum malevolentia, imbutum odio, & nimis in improbitate perseuerans, Atri, & Adusti, nomine declaretur. Quo igitur tempore Saul, ab infesto demone exagitatus, innocentis sanguinem petebat, & in ea crudelitate adeo contumaciter insistebat, ut ab ea abduci non posset, Aethiops appellari merito poterat. Hoc tamen in loco Dauid in uniuerso genere uersatur, neque tantum in Saulem, sed in ipsam tyrannidem, & mores scelestos, inuehitur; atque iustorum fructum, qui cum pietate, & simplicitate, uiuunt, luculenter exponit, in hanc sententiam: Domine, numquam, meis cogitationibus innixus, ad aliquod uitæ decus adspirauí; numquam me uel naturæ præstantia, uel hominum gratia, uel Regiæ opes extulerunt. In te solo spem omnium rerum mearum fixi, & locaui; ab huius fidei constantia numquam declinaui; in eademq. semper mente, & sententia, permanebo. A te igitur maximo opere contendo, ut huius fidei meæ fructum, opera tuæ benigni-

Dñe Deus meus.

nignitatis insigni, percipiam. Accelera, ut mihi salutem conferas, animamq. meam ab eorum crudelitate, qui me persequuntur, eripias. Si enim tu auxilium non attuleris, hostis, tamquam leo, in me furenter irruet; corpus meum corripiet, & dilacerabit; nemoq. poterit uitam meam ex illius faucibus extorquere. Sed, quæ nam caussa tanti odij exstiterit, ex cogitare non possum. Inquit tamen ille, me, regnandi cupiditate cæcum, suæ uitæ insidias moliri; hominesq. ad me, specie humanitatis, allicere, ut, eorum opibus instructus, facile queam illum exturbare, omnibusq. bonis euertere. Itaque, cum aliquod opus clarum, pro illius dignitate, & reip. salute, suscipio, id in pessimam partem rapit, ut, quod uirtute, & caritate, gestum est, perfidia, & scelere, factum interpretetur. Domine, cui nihil abstrusum, & abditum est, te obtestor, ut, si quid hostiliter in illum gessi, si in me scelestum aliquod facinus admisi, si in domesticos, & necessarios, meos malum aliquod machinatus sum, si non illis eriam, qui animis infestis de mea pernicie cogitabant, non me benignum præbui, &, immemor iniuriarum, non illos ipsos, qui erant in me tæterrimi, a peste seduxi, hostis in me copias instruat; me uestigiijs insequatur; me fugientem corripiat; sanguinem meum exsorbeat; uitam meam exhauriat; gloriam meam fœde contaminet; pedibusq. immanissime proculcet. O rem sceleris exemplo detestabilem, iniuriæ grauitate nefariam, immanitatis odio pestilentem. Eo ne ferri hominem inuidia præcipitem, ut illum uita, & dignitate, spoliare conetur, cuius opera uitam, & dignitatem, retinet; eumq. salute prorsus indignum iudicet, per quem ciues innumerabiles salutem consecuti sunt? Tam grauis iniuria ius Diuinum postulat; tam immane facinus uindictam flagitat; tam nefarium crimen supplicium requirit. Exsurge, Domine; uim tuæ seueritatis excita; frange conatus hostium; debitamq. pœnam iudicio tuo sustineant. Sic autem nomen tuum in sublime tolles; insigniq. laude sanctissimi iuris illustrabis. Hostium meorum furorem comprime, & iudicium cum æquitate summa constitue. Non recuso, quo minus de me, secundum legem, quam tulisti, sententiam feras. Si enim fraudem capitalem suscepi, si ius affinitatis uiolaui, si deniq. facinus aliquod morte dignũ conflaui, cum tu graues pœnas malitiæ, impietati, improbitati, cõstitutas habeas, hoc peto, ut, secundum eas leges, debitis pœnis excrucier. Aliter antẽ iram tuam in sontes cõuerte; & me crimine, quod mihi fraudulẽter intendunt, iudicio tuo libera; fidemq. præsta, quã dedisti; atque perfice, ut, Regia dignitate, quã mihi promisisti. præsidio tuo egregie eõstituta, innocẽtia mea cõprobetur. Hoc quidem non tã propter honorẽ meũ, quã propter gloriã tui nominis, exopto. Video enim fore, ut, hoc iudicio in oculis omniũ cõstituto, multi mortales iudicia tua pertimescãt; sanctitatẽ Diuini iuris admirẽtur; multitudo populorum ad te undique cõfluat; tibi seruiat; te laudibus sempiternis extollat. Sic demum fiet, ut numen tuũ, quod multis ignotũ, & obliuioni ditũ, esse uidebatur, rursus hominũ fide, in excelsa sede locatũ, religione debita celebretur. & pietas propemodũ exstincta reuiuiscat. O mortales, quos tenet amẽtia, ut opinemini, propter pœnæ dilationem, iustissimum Dñm in hominum sceleribus conuiuere; aut, munere delenitũ, crimina impuris hominibus condonare; aut, alicuius gratia, a flagitiis acerrime puniendis abduci? Num sanctissimus iudex iniustitię scelus impunitũ sustinebit? aut iustissimus Dominus muneribus corrũpi poterit? aut Deus omnipotẽs, ficta specie dignitatis, & humanæ potentiæ, commouebitur? Longe uos fallit opinio. Iudicabit enim de populis uniuersis Dominus; rectissimumq. iudiciũ de uniuscuiusq. mente, officio, & actione, constituet. Quamuis autem iudicia tua omnibus ualde pertimescenda sint, in hoc tamen crimine, quo ab aduersarijs condemnor, conscientiæ testimonio fretus, ad iudicium tuum confidenter accedo; & te, quantum possum, oro, & obsecro, ut tu iudex sis, & mihi testimonium innocẽtiæ, & pietatis, sententia tua, tribuas coerce malitiam, & improbitatem, ne serpat ad publicæ salutis pernicię; iusti gressus in sempiternæ gloriæ uiã dirige, iustissime Dñe, qui intimos aĩorum recessus exploras; & oẽs sensus, qui latent intrinsecus, perspectos, & cognitos, habes, ita, ut nõ sit, quod possit iudiciorum tuorum integritatẽ fraudibus eludere. Hæc me fides corroborat; hæc cogitatio me sollicitudine liberat; cõscientiæ testimonio sustentor, & inimicorũ meorum insidias pro nihilo puto. defensor enim meus Dñs est, qui saluos facit omnes, qui pura, & simplici, mente uitã instituunt; nec ullas fraudes aĩo machinantur. Deus enim, secundum eos, qui iusti tiam colunt, iudicat; in eos uero, qui, malitia, & calliditate, nixi, iustis interitum parant, & ius Diuinũ nefarie uiolant, iracundia insigni perpetuo cõmouetur; usque eo, dum in exitium præcipites exturbet. Si igitur impius Deum uitæ cõuersione nõ placauerit, ipse Dñs gladium seueritatis exacuet; arcũ suum apparabit; illumq. mortiferis telis instruet; & sagitis ignitis armabit; ut hominem odio flagrantem dirissimo leto conficiat; & meritissime, qui tantum facinus admisit, uindictæ Diuinæ uim in se experiatur. Ab iniquitate enim constupratus, concepit sollicitudinem, & peperit mendacium. Primum enim, statuit, contra ius, & fas, innocentem perdere; deinde, animum in uarias partes uersat; & consilijs mentem instruere conatur, ut effectum uideat, quod furenter appetit; tum, his curis anxius, assidue torquetur; postremo, ut sceleratum consilium exitum habeat, nullum tamen fructũ ex eo nefarius, & pestilens, homo percipiet. Nam, pro gaudio, quod sibi proponebat, mærorem inueniet; pro securitate, formidinem; pro tranquillitate, perturbationẽ; pro dignitate, dedecus, & ignominiam. Quemadmodum igitur uanitatis sementem fecit, ita mendacij fruges inanissimas metet; &, inanissima spe delusus, interibit. Foueã excidit, & in summam altitudinem defodit; & in ipsam foueam, quam fecit, prolapsus est. Sibi enim exitium molitur, qui periculum alijs ruinæ fraudulenter

Dominus iudicat populos.

Iudica me Domine.

Irascitur per singulos dies.

Nisi cõuersi fueritis.

Ecce parturit in iustitiam.

Exsurge Domine.

Exsurge in præcepto.

Domine, si feci illud, si reddidere tribuentibꝰ mihi mala.

Universidad de Deusto
Biblioteca

intendit;& consilio,quo innocentes opprimere co natur,in calamitatem præceps impellitur. Ita igi tur eueniat hosti salutis,& dignitatis meæ, ut om ne malum,quod mihi inferre nitebatur, in caput illius recidat, in uerticemq. illius uis importunæ truculentiæ, qua in meam uitam irruebat, de uoluatur. Sic igitur Domini iustitiam, atque sanctissimum iudicium, laudibus efferam; no menq. illius,qui cælum imperio infinito comple ctitur, carmine perpetuo celebrabo.

Domine Dominus noster, quam admirabile. Psal. 8.

HOc quidem carmine Dauid celebrat opera Diuina, & ea, quæ in naturæ fabrica sum mus rerum opifex architectatus est;& ea, quæ in instaurando hominis statu clementia admirabili confecit,atque perpoliuit. Ait igitur:O præcellen Domine Deꝰ noster. tissimum Domini nostri nomen, quam illustris, & ampla,uis est nominis tui in uniuersa terrarũ laus tua, in cælos mirabiliter elata, admirandis signis amplitudinem tuæ uirtutis, & immensitatẽ Diuinitatis,ostendit. Nam,si florum odores, si fru ctuum suauitatem,si frugum ubertatem,si ratam temporum uarietatem,si dierum,& noctium, ui cissitudinem,si ordinem, & conuenientiam, qua mundi partes inter se singulari moderatione con sentiunt,attente conspicimus; tuæ potentiæ uim, & sapiẽtiæ rationem, & probitatis magnificentiã, considerantes, obstupescimus; neque minimam quidem partem eorum,quę,ut genus humanum, a te formatum, locupletares, effecisti, explicare Ex ore infantium. dicendo possumus. Quid illud,quantum est,quod infantibus eloquentiam admirandam, pueris lacentibus robur inuictum, præbuisti, quo uirtus tua insignis ad gloriam sempiternam clarius emi neret?In hoc enim uis tua se mirabiliter ostendit, cum opera humilitatis,superbiam;infantiæ,dicen di artificium;imbecillitatis,potentiam,exscindis; atque ita perficis,ut hostem generis humani, dolore sui casus immanem, & uindictæ cupiditate ferocem, impeditum teneas, ne possit rebus humanis uastitatem inferre. Nam, quo minores uires sunt eorum, quos ad hoc bellum strenue profligandum delegisti,&,quo maior est uis illius,qui tenebris,& caligini, præsidet, eo uictoria, quam tui de hoste tęterrimo consequuntur,est ampliori prȩconio celebranda. Sed, quo modo fieri potest, ut tantum possit imbecillitas, ut inferorum ma nium potentiam, & exercitum, antea semper in uictum,facillime fundat?quia homo,natura pau per,& imbecillis,cum fide uiua mentem suam ex citat,ut cælum suspiciat, cæliq. Dominum uene retur,uires inuictas Diuina benignitate consequi Quoniam uidebo cæ los. tur,quibus admiranda facinora moliatur. Hac igi tur fiducia erectus in cęlum, quod manibus tuis singulari opere factum suspicio,opera digitis tuis mirabiliter expolita contemplor; lunam,& astra, quę singulari modo,lege,& ordine,prȩparasti,con sidero; &, hac cogitatione uehementer incensus, opem tuam fidenter efflagito, qua firme munitus,nullas hostium opes extimescam. Cum uero opera tua sint ualde admiranda, tum illud est ma gna consideratione dignissimum, quod omnia, quę cernimus a te designata, perfecta,& constitu ta, intelligimus hominum caussa condita fuisse. Terra namque nobis fruges & pabula, submini strat;mare nostris usibus seruit; cælum nobis lu cem diffundit;uimq. suam in terram expandit,ut nulla sit utilitas,quam non ex illa capiamus. O Quid est ho mo. Domine, quid est homo, ut tantam illius curam cum tam insigni benignitate suscipias?Est ne ali quid in uita fragilius,ex pluribus calamitatibus, atque ruinis, expositum? Et tamen illius memo riam assidue conseruas;& tamen illum spiritu tuo frequenter inuisis, ut ad similitudinem tuæ clari tatis,& gloriæ, perducas. Eoq. illius statum pro uexisti, ut prope ad cælestium dignitatem acce deret;gloria,& honore illum decorasti : & opera manuum tuarum sub illius imperium subiunxi sti;omnia sub pedibus illius posuisti,ut cuncta do minatu teneret. Pecudum greges,& armenta, & omnes denique ferę,sub illius potestate sunt; & uolucres etiam,quæ libero cęlo fruuntur,non tan tum pennarum effugio ualent,ut illius uim, & ra tionem,possint effugere. Animantia etiam, quæ sub aquis latent, & in maris profunditate uitam degunt,hominum utilitati seruire compelluntur. Hominis enim artificium adeo late patet, ut in superam regionem euehatur, terrarum uiscera peruagetur, & maris etiam gurgites perueſtiget. Nihil est enim,in tota rerum natura,quod impe rium rationis effugiat. Sed hæc humanæ dignita tis præstantia parua ducenda est,si cum alia infi nitis paruibus ampliore, quam mente prospicio, conferantur. Hominem namque, Christum in quam, secundum humanæ naturæ rationem an gelis inferiorem, secundum uero uirtutis,& digni tatis, excellentiam Angelorum principem, & totius cælestis exercitus imperatorem,in excel sa sede collocasti, ut omnia, quæ super subterq. sunt, summo imperio contineret. Huic marini fluctus obtemperant; huic terræ uniuersæ pare ni; huic cælestes orbes obsequuntur; & eius denique consilio, numine, potestate, modera tione, natura uniuersa continetur. Quibus uerbis tantum beneficium explicari poterit? Summum Dominum; ut seruorum abiectissi mam condicionem erigeret, ad similitudinem sue claritatis auocaret, naturam humanam as sumpsisse, quam in altissima sede reponeret, ut illius meritis, atque uirtute, multos homines magnitudine Diuinæ uirtutis, atque decoris, il lustraret. O præcellentissima Domini no stri Maiestas,quam illustris, & am pla, uis est nominis tui, in uniuersa ter ra.

Con-

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. Psal. 9.

In titulo apud Heb. CArmen hoc celebrat nomen Domini, cuius potentia fuit a Dauide bellum contra hostem acerrimum,& immanem, cum ipsius hostis cęde,& cum multorum exitio,profligatum. hunc autem hostem Dauid Laben appellat. Quis autem Laben iste fuerit,incertum est,hoc tamen ap paret,hostem fuisse opibus summis affluentem,ui ctoriis elatum,& confidentem,igne,ferroque,mul tis populis furibunde minitantem, qui iam non paucis ciuitatibus exitium, & uastitatem,intule rat. Assyrius fortasse fuit, aut alius non minus po tens, qui armis infestissimis in Iudæam ferebatur, cum in acie,Dauidis armis oppressus, occu buit. Dauid igitur,ob eam uictoriam,in Dei lau dem carmen hoc, amplo admodum, & illustri, Confitebor tibi. orationis genere composuit. Inquit igitur: Tota mente mea Deum laudabo; & admiranda opera tua,summe Domine,recensebo. Gratia, & beni gnitate,tua nixus, lætabor, & exsultabo; & no men tuum, qui sedem sempiternam in cæli sum mo fastigio locasti, carminibus, & symphonia, prosequar; neque de laudibus tuis ullo tempore conticescam. Nec enim mihi uires assumam; nec ad mei nominis gloriam uictorias reuocabo; ne que ea,quæ tua clementia gesta sunt,meis meritis adscribam. Tu igitur,qui mihi uictoriam contuli sti,mihi caussam ingentis lætitię clementer attu listi; animumq. meum insigni gaudio cumulasti. Cum enim hostis ferox, & nimis infestus, in me furenter irruisset, tu illum perculisti, & abiecisti; ita,ut,in fugam conuersus, suos exanimaret; nec ille solum,sed omnes tandem,qui illum sequeban Quoniam fecisti iudicium. tur,iudicio tuo funditus interirent. Nec enim iure bellum inferebant; sed,superbia, & immanitate, ducti,ut in me pestem machinarentur, aduenta bant,&,quasi ad certam, & exploratam, uictoriã, animis furentes accelerabant, cum tu opem iuri meo,quod in summum periculum ueniebat,attu listi;& caussę meæ,quæ deserta uidebatur,patro nus exstitisti. O Iudex sanctissime, qui sedes in sempiterno solio,ut iustissime iudicium exerceas, & eorum casu,& ruina,qui non equitate,sed,uiri bus nixi,bellum comparant, sententiam rite pro nuntias. Sic gentes cladibus illatis increpas; sic impium de sede conuellis; sic eorum nomen, qui factis fœdissimis,& conatibus perditissimis, tuis sanctionibus aduersantur,exstinguis, & deles, ut ex omni memoria penitus euellatur. O hostis im Inimici de fecerunt framęa. portune,ubi sunt illi spiritus immanes, quos assu mebas?Quo reciderunt illæ uictoriæ, quibus ela tus, nimis ferociter irruebas; quasi nihil esset, quod tibi repugnare posset? Omnibus ferro, & flamma,minabaris,eo quod multis terris popula tionem,& uastitatem,intulisses; multasq. ciuita tes excidisses. At nunc ferocia compressa est; su perbia de statu concidit,uictoriarum monumen ta deleta sunt; cum duræ tyrannidis interitu, & gentium impiarum exitio, omnis memoria faci norum est iam sempiterna oblivione sepulta. At Dominus,in statu Regio,atque sempiterno,con Et Dominꝰ in ęternum. stitutus, Thronum suum ad iudicij sanctitatem inuicto præsidio muniendam dirigit,ut seuere il latas ab improbis iniurias ulciscatur. Ipse nam que orbem terrarum cum summa iustitia mode ratur; & populis, cum admirabili æquitate, iura describit. Vt autem ad aliquod tempus homines humiles, & ab opibus humanis inopes, qui in te præsidia uitæ constituunt, uexari permittas; uel illorum uirtutem aduersis rebus exerceas;uel ut maculas alicuius labiis eorum animis adspersas moderato supplicio deleas;illos tandem clemen tia tua respicis, ut in alto dignitatis gradu con stituas, & ope tua sempiterna communias. Nec enim eos diutius afflictari permittis,quam sit eo rum saluti, atque dignitati, necessarium. At, cum primum cernis, opus ad eorum salutem cõ modum opera hostis absolutum, & temporis op portunitatem consilio tuo definitam, occurris cõ tinuo, ut eos a calamitatibus eripias, & eorum pietatem opibus Diuinis, cum dignitatis amplifi catione,remuneres. Qui igitur notitia tui nominis Sperent in te. instructi sunt,& clare cernunt,esse uim tuæ pote statis infinitam, & uim tuæ probitatis immen sam,ita, ut neque uires impediri, neque bonitas retardari possit,ne summa fide illos tueari, qui in præsidio tui nominis acquiescũt, reliqua uana præsidia negligent; tibi soli credent; in te solum intuebuntur;numquam,quamuis omnibus perie culis cincti sint, a fide deficient; cum certum ha beant, auxilium tuum minime defuturum, illis, qui te quærunt;ut nomen tuum pura,casta,& in tegra,mente perpetuo uenerentur. Canite Deo, qui Sioni insidet;annuntiate gentibus exteris stu dia, & actiones illius, ut, cognitione sanctissimi Domini eruditæ, uobiscum salutem consequan tur. Nemini enim optimus ille parens, & Domi nus,uult aditum ad salutem intercludi,modo co lat fidem, & pietatem, & se coram Domino sup plex abiiciat. Qui enim sanguinis profusi pœ nam persequitur, & iniurias hominibus sanctis illatas ulciscitur, non eorum obliuiscitur, qui, ærumnis oppressi, & afflicti, illius opem clamo ribus magnis implorant. Hac igitur fiducia fre Miserere mei. tus, clamare minime desistam; præsidiumq. tuum precibus assiduis flagitabo; nec ullis ho minum dolis, & fraudibus, impediri potero, quo minus mihi salutem de tua immensa boni tate pollicear. Miserere mei,Domine:opem nam que tuam in ęrumnis suppliciter imploro; a te solo auxilium expeto; spe tuę clementiæ nixus, pericula,quæ mihi intenduntur,me propulsurum confido. Vides,me ab hostibus circumueniri, eo rumq. opera multis incommodis afflictari;eripe me a mortis faucibus, & a conuentu inferorum extrahe me,ut enarrem omnes laudes tuas in ce lebritate Ierosolymitanæ ciuitatis,&, fructu salu tis meæ,tua benignitate cõstitutæ,omnibus mo dis exsultent. Gentes enim mihi acriter infensæ depressæ sunt in foueam, quam fecerãt;earumq. pedes in rete, quod ad meam perniciem intende

rant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rant,inciderunt. Apparuit numen Diuinum; iustissime in scelus animaduertit;pœnas ab improbis expetiuit; impius operibus suis manifesto deprehensis adstrictus est. O Diuinum iudicium, sempiterna laudatione prædicandum. Impij, a conatu depulsi,terga uertent;in sempiternæ miseriæ regionem corruent;omnes, qui Deum obliuiscuntur,interibunt. Nec enim salus inopis negligetur; neque humilium spes erit inanis. Exsurge, Domine,ne permittas hominis improbi opes corroborari;in iudicium coram te uocentur omnes gentes;ut tui pietatis præmio potiantur; &, qui te oderunt,sceleris pœnas luant.Et,quia nulla potest,in hac uita,grauior pœna constitui,immanis tyranni dominatu,permitte, tyrannum illis præfici,qui eos tributis opprimat; crudelitate dilaceret; amentia perturbet; & turpissimo leto conficiat. Ius enim postulat,ut, qui legitimum summi Domini imperium recusant, tyrannidis importunitate deprimantur;&, qui legis Diuinæ manſuetudinem,& æquitatem,ferre noluerunt, durissimæ seruitutis iugum subeant; &,qui uitæ sempiternæ præmiũ contempserunt,mortis sempiternæ uinculis adstringantur;atque postremo, qui in uiam immortalitatis, atque Diuinæ gloriæ,nullo pacto ingredi uoluerunt,in uiam funestissimi leti, & in turpitudinis extremæ deformitatem,detrudantur. Sic autem,experiendo, discent multi, se esse natura fragiles, mentis expertes,ad mala propensos,a bonis auersos;& ita fieri,ut,nisi fuerint a te in fidem,& patrocinium,recepti,& præceptis tuis sanctissimis eruditi, erroris magistros adsciscant;& in humeris suis dominos crudeles imponant,quorum legibus, in pestem,& perniciem,nisi resipuerint, præcipites eijciantur. O admirandam Diuini iuris æquitatem, quam iusto iudicio illos prosequitur,qui sese per summum scelus a uia salutis abducunt.

Exsurge, Domine.

Conqueritur Dauid de hominum scelere, & improbitate, qua non solum tenues homines uexant, & infectantur, omnibusq. bonis spoliant, sed etiam Dei iudicia contemnunt,eumq.res humanas minime curare putant.inquit igitur: Omnes quidem, o Domine, qui, neglectis humanis præsidijs,in te solo præsidia uitæ constituunt,hac mente sunt,ut statuant, te numquã procul abesse, auxiliumq. tuum illis nullo tempore defuturum,qui, firma fide,constanti spe, castissima religione,roborati,ope tui numinis innitũtur. Fallit spes homines eos, qui uel cõgestis opibus effrũtur,uel humanis copijs erecti uictorias sibi pollicentur,uel principũ gratia,& nobilitate nominis,insolescunt:cum omnia sint caduca, fluxa, & fragilia,& uel momẽto temporis euanescant, uel insita perfidia mortales ope sua destituãt. Itaque fit,ut,præter calamitatem, insigne dedecus subeant omnes, qui alia,præter te,uitæ subsidia summo studio comparanda sibi esse statuũt. Soli igitur, qui in præsidio tui sanctissimi nominis acquiescunt,& inuicti permanent,& ex ea spe, quã in te repositã habent,decus eximium consequuntur.Cum hoc ita sit,& constet,neminem eorum, qui omnes opes salutis,& dignitatis, in te collocatas habent,ope tua nudatum fuisse, cur hoc tẽpore pauperes a te deseruntur? Cur auxilium tuum longe a bonis remoues? Cur hominẽ inermem,& ab omnibus rebus inopem,hostium prædæ,& direptioni,relinquis? Cur,cum inclamo,ut opem afferas,non celeriter occurris?Is enim certe annumerandus sum, qui reliqua præsidia pro nihilo duxerunt, omnesq. suas spes in te uno fixas,& collocatas,habent. Sed inquies, te numquam eorum caussam,qui ad te fideuter adeunt, neglexisse; uerum id etiam curasse,ut eorum uirtutem exerceres,ut clariora illis præmia,cum illustri gloriæ amplificatione, conferres; & ea de caussa sæpe impios tolerari, ut eorum opera bonos erudias;exẽplaq.patientiæ inuictæ,& uirtutis admirandæ,proponas;quibus homines intelligant, nihil esse in terris, quod uirtutem possit de statu suo dimouere. Cum uero temporis opportunitatem cernis, opem continuo supplicibus tuis afferre. Opportunitas uero est,uel,cum calamitas tanta est,quantam difficillime tui per ferre queant; uel improbitas hostium tuorum tã immanis est,ut minime diutius toleranda sit, ne uidelicet serpat ad Reip. totius pestem, & euersionem.Hæc opportunitas oblata est.Cur igitur, o sapientissime rerum omnium rector, atque moderator, has temporum opportunitates negligis?Cur non simul,ut me,prope collapsum, & iacentem, erigas, &,ut hostem importunum, se uerissime contundas,celeritatẽ suscipis?Si enim oculos in nos conieceris, cernes, animos nostros miseris modis afflictos, & in summas angustias adductos: Si uero hostem respexeris, cernes improbitatem in tyrannide summa cum pauperũ pernicie constitutam.dum enim impius insolenter inflatus ad summas opes euehitur, uir pauper flammis aduritur;& pœna, qua erat improbitas exstinguenda, ad innocentiæ cruciatũ transfertur. Nec interim dici potest, malitiam nimia calliditute celari, ita, ut non possit, quid impij animis secum agitent,manifesto deprehendi. Eo namque impietas progressa est, ut iam nihil homines pudeat sceleris; nec in eo laborem suscipiant,ut oculos hominũ uitent.In facinore enim gloriantur;& ita fit,ut, audacia immani,& impudentia effrenata,subnixi,flagitia sua profiteri nõ erubescant.Sic igitur sunt inuersa omnia,ut laus summa in fraude summa consistat.Impius enim id tantum laudat, quod est animi sui cogitationibus accommodatum. Itaque auaritiam summis laudibus ornat; sanctissimumq. Dei numen maledictis insequitur;& religionem omni contumelia dilacerandam suscipit. Eum namque, qui contra ius Diuinum opes auget, summum uirũ, singulari sapientiæ laude florentem,iudicat;contra uero,qui pecuniæ religionem anteponit, hominem non ducit. Cum uero impius, superbia ductus,in furorem erumpit, nullo numinis metu ab insita crudelitate reuocatur.Non enim Dei iudicium inquirit; numquam Deum in aliquo actionis genere cogitat, cum semper longissime ab illius mente dissideat. omnia uitæ studia flagitiose contaminat; nullum tempus scelere uacuum

Vt quid Domine, recessisti longe.

Despicis in opportunitatibus.

Quoniam laudatur peccator.

Secundum multitudinẽ iræ suæ.

cuum abire permittit;ꝺoía iudicia tua, Domine, ab illius oculis longissime remota sunt; omnes inimicos suos iudibrio habet, & in eorum rebus asperis nimis furiose,& insolenter insultat. Cum enim res sibi,ex animi sententia,fluunt, nullam conuersionem extimescit; sed ita mentis expers est,ut secum statuat,nullum malum esse sibi ullo umquam tempore subeundum.Hac igitur amẽtia ductus,insolescit,furit,insanit; nullaq. formidine impeditur,quo minus, in omni genere flagitiorum, & scelerum, impudentissime uolutetur. Os illius,est exsecratione cumulatum;lingua illius,dolis,& fraudibus,inquinata;malignitatem, & iniquitatem,perpetuo meditatur.In siluis ponit insidias;abdit se in latibulis,ut necem inferat innocenti;oculos suos malitiose,atque dissimulãter,intendit,ut,quacumque ratione possit,bonorum cœtum opibus,atque uita,spoliet.In occulto insidias collocat;quasi quidam leo,se occultat in lustro,ut subito in pauperem, nihil hostile suspicantem,insiliat, ut eum omni crudelitate dilaceret. pauperem quidem crudelissime dilacerabit, postquam illum in rete suum attraxerit,& laqueis suis arte constrinxerit. Ne quidquam autẽ improbitatis in scelere constando permitrat, in superbia moderationem simulabit; in immanitate,bonitatis personã induet,& fraudulenter abijciet,ne ullam peruersitatis,aut calumniæ, suspicionem moueat, cum subito uiribus suis opprimet imparatos,innocentiumq. multitudinem nimis incautam furibunde peruerret. Parum fuit, pudorem amittere, hominum sermones contemnere,iura omnia conculcare,decus,& honestatẽ, in fraude sitam,arbitrari, summam dignitatem in tyrannidis immanitate ponere, nisi te ipsum, summe Dñe,te ipsum,inquam,qui oía potestate infinita cõplecteris, indigniſsima contumelia uexaret,nomenq.tuũ sanctissimũ infando conuicio macularet,tuiq.numinis amplitudinẽ,atque Maiestatem,maledictis insequeretur. Secum enim statuit, te memoriam sempiterni iuris abiecisse, humanarumq rerum procurationem reliquisse; & sic imperij totius administrationem neglexisse, ut neque perditorum hominum scelus intueri,nec in facinora uindicare uelis; ita, ut neq. in præsenti uita,neque in futura, uir improbus iudicium tuum pertimescendum existimet.Quid est igitur,quod iam possit ad tantum scelus accedere? Eripiat tibi homo sceleſtissimus mentem,& rationem? eripiat iustitiæ sanctitatem? eripiat ius,& imperium? Eripiat denique fidem, & probitatem,qua tuorum defensionem suscipis? O facinus indignissimum, diritissimo supplicio uindicandum.O sceleris importunitatem, & audaciã, cruciatibus sempiternis ulciscendam. tantos sibi spiritus ex diuturna peccandi consuetudine impurissimum hominem assumere,ut in summũ rerum omnium Dominum insolẽter inuehatur? ut illius immensam Maiestatem contumeliis uiolare conetur? ut,sine ullo metu,illius sanctiones, atque iura,perfringat? Si igitur in animaduersione tua opportunitas flagitatur, uix ulla maior optari potest. Nam & uirtus nostra,iniuriarum magnitudine uehementer oppressa,langueſcit;& hostis improbitas ad summum totius improbitatis euasit. Exsurge,Domine;uim tuæ seueritatis excita;caussam gloriæ tuæ suscipe;ne pauperum, qui te solum intuentur,obliuiscaris.Cur tam diu hominis impii audaciam impunitam patieris? Eo progressam esse perditissimi homuncionis amentiam,ut statuat, secum Deum minime in scelus animaduersurum?Respice tam atroci facinoris indignitatem.Tu enim humanorum studiorũ in patrando facinore sollicitudinem mente considerabis; tu iram, qua improbi bonos infectantur, animaduertis; tibi omnia patent,atque diluescunt;ut iudicium cum sanctitate summa constituas,&,pro cuiusque meritis,unicuique, uel pœnam,uel præmium reponas. Pauperes, omnium patrocinio destituti, tibi solam caussam suam cõmittunt; pupillis omnium tutela miserabiliter orbatis,opem affers,ita,ut patronus egenorum, & pater pupillorum,merito nomineris.Contere igitur impietatis uires; tyranni robur infringe, quo in pauperes,& in pupillos,inuadit: innocentiumq. boua prædam suam putat. Dele impiorum nomen; fac, ut illorum memoria funditus euanescat;nullum exstet in terris nationis sceleſtissimæ monumentum.ita fiet, ut, si quæras aliquem impietatis fructum, nullum prorsus inuenias. Quantus autem error uersetur in uita, est consideratione dignissimũ. opes intercunt;splendor exstinguitur; aura popularis momento diffluit; humana gloria, quouis motu tempestatis obruitur; & tamen homines, sponte sua a ueris bonis auersi,& in fluxa,& interitura, cõuersi,omnem uitam,in uanitate, sine ullo fructu, consumunt;& ita euenit,ut,quemadmodum immanitatẽ summo studio consectati sunt, ita fiant inanissimi, & eorũ nomen tumulo sempiternæ obliuionis opprimatur. Hoc quidem certe non eueniet illis,qui Deum inquirunt,illiusq.mentem caste,atque pure,perpetuo studio,uenerantur.Qua re?Quia Deus est rex summus,& excelsus;opesque illius nullis finibus arceri possunt, cum sint fixæ,stabiles,atque sempiternæ. Vnde sequitur, ut omnes,qui se totos ad Dei nomen adiungũt, omniaq. uitæ studia ad legem illius dirigunt, bona sempiterna possideant,nulliſq.hominum impiorũ opibus concidere,aut labefactari,possint; contra uero,impij,e terra Domini,quam ingrate nimis,& insolenter, quasi ea minime ad Diuinum imperium pertineret,occuparant, inaniſsimiſq. præsidijs uinctam tenuerant,expellentur, & eijcientur;eorumq. nomen funditus interibit; ita,ut non solum a bonis,quę contemnebant,excluſi,uerum & ab ijs,quæ plurimi faciebant, exterminati,pœnas temeritatis exsoluant.Tu namque,Domine,desiderio pauperum,qui in te salutis spem repositam semper habuerunt,cumulate satisfeciſti; tu eorum mentes,ne a fide deficerẽt, opibus egregie muniuiſti; tu aures tuas eorum precibus clementissime præbuiſti;ut caussam pupillis adiudicares; ut pauperes iacentes excitares;omniumq. tandem inopiam, qui sese ad ardens studium numinis tui contulerunt, subleuares,

Non mouebor a generatione in generationem.

Exsurge, Domine Deus.

Vt tradas eos in manus tuas.

Cõtere brachium.

Quæretur peccatũ illius.

Dixit enim in corde suo, Oblitus est Deus.

Dominus regnabit.

Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

res,& opibus sempiternis afficeres. Hoc est meũ uotum;hoc opto;hoc perpetuo postulabo, ut iudiciorum tuorum sanctitas innotescat;ne perditus homo, potentia nominis elatus, uastitatem terris inferat; multisq. mortalibus exitium moliatur.

In Domino confido: quo modo &c. Psal. 10.

ACtus sane præclarus hoc carmine continetur,in quo Dauid, cum amicorum Choro loquens inducitur;periculum,in quo is uersabatur,ab amicis exponitur; ab illo autẽ,spes in Dei præsidio constituta,quantum habeat roboris,ex planatur;atque tandem supplicium,quo malefici homines opprimuntur, admodum luculenter exprimitur. Dauid enim, inuidia,odio, immanitate Saulis exagitatus,perditorum hominum in sidijs,& malignitate, circumuentus, admonetur ab amicis,ut summum periculum fuga uitet. Huiusmodi enim uerbis, ut uerisimile est, utebantur. In Regno omnia illis, quibus Reges sunt irati,infestissima sunt. Quam sit autem Rex iratus tibi,quam immani odio te persequatur, quanto studio, & contentione, tuum sanguinem petat, animaduertis. Nemo enim umquam tãtum pro uitæ suæ defensione pugnauit,quantum ille,ut tibi uitam eripiat,elaborat. Itaque in tuam perniciem totus incumbit; ingentia præmia illis, qui tibi pestem comparauerint, se daturum pollicetur;&,quantum potest, ut tandem male pereas, omnes tibi exitus intercludit. Quid igitur moraris? Cur non,quam celerrime fieri poterit, te fuga proripis? Quid hoc est?inquit Dauid. Estis nemihi auctores,ut, illo metu perturbatus, tot res sanctissimas,quæ sunt mihi ipsa uita cariores,tã facile deseram? Vt patriam,quam toties seruaui, fugiam? Vt a monte Domini diuellar? Vt cultum sanctissimæ religionis intermittam? Tempori,in quiunt,cedas opus est,ut ea omnia,cũ fuerit opportunum,recuperes. Aliter enim earum omniũ rerum,cum uitæ ipsius interitu, spoliabere. Hostis enim tuus Rex est, atque summas opes habet,& eas omnes contra te unum comparat, ut solum,inopem,& imparatum, crudelissime trucidet. Verum,inquit,dicitis:attamen cogitare etiã debetis, quanto maiores,& fortiores, illæ copiæ sint, quibus ipse cinctus sum. Numquam enim summus ille cælitum imperator, & Dominus, suos salutari præsidio destituit. Ergo,cum in ipso Domino,cuius est fides,& ueritas,sempiterna, & potestas immensa,& infinita, spem meam collocauerim,qua tandẽ ratione me admonetis,ut insani Regis opes extimescam? ut a monte uestro, ut uolucris expulsa,demigrem?& in externas regiones,in quibus nomen Domini non sancte colitur,præcipiti fuga contendam? Quia,inquiunt, rectus humanæ rationis usus cum Diuina lege non pugnat: Sapiens uitatio periculi fidem in Domino locatam nõ uiolat. Immo, qui,fidei,atque pietatis,obtentu,sui custodiam negligit, cæleste numen offendit, summiq. rectoris legem, qui se tentari minime uult, transiliendam suscipit. At,si fuit aliquod tempus, in quo nulla diligentia,in tua salute tuenda,summa possit existimari, hoc profecto est. Rex enim ardet sclere, & furore, & homines innumerabiles dementiæ satellites,atque ministros, habet,qui,ut Regi satisfaciant,sanguinem tuum exsorbere desiderãt. Est enim hoc in illis penitus insitum,qui pietatẽ minime colunt,ut in rebus honestis,atque salutaribus,principum imperia impudentissime recusent;in turpibus autem,atque pestilentibus,se festinanter inferant,& ostentent; &, quidquid fuerit imperatum,incredibili sedulitate, & celeritate,conficiant. Quid?inquit Dauid:Nihil omnino ius,& æquum,ualebit?nulla recte factorum memoria in hominibus a me seruatis residebit?Nullam,inquiunt, opem tibi,ubi Regis animus a te fuerit alienus, poteris à uirtutis tuæ recordatione polliceri. Nam,ubi Rex humanitatem exsuerit,omnes, qui illi operam nauauerint,efferabuntur,ita, ut nullam officiorum memoriam ullo pacto retineant. Quod nunc in istis,qui tibi necem moliuntur,cernere licet. Arcus enim sceleris, & immanitatis,intendunt,sagittas mortiferas neruis apponunt; tenebras obseruant; ut homines iustos,nihil hostile suspicantes,interimant. Fundamenta interim Reip.conuelluntur.leges enim contemnuntur;iura uiolantur; iudicia constuprãtur;mores,& instituta,peruertuntur; omnis anti qui officij memoria conticescit. In tanta porro communium rerum perturbatione,iustus, quid geret?qua ratione sibi turbulentissimæ tempestatis effugium comparabit? qua spe uitam,in tanta rerum acerbitate, moderabitur? Optima certe,atque firmissima. In Deum enim semper intuebitur;nec oculos umquam ab illius immensa benignttate deijciet. Cernet enim mente,Summum illum Dominum in templo suo considere, ut suorum preces exaudiat; in cælo sedem stabilem,atque sempiternam,locare, ut ius æquabile cunctis gentibus administret,ut cuilibet,pro merito,uel præmium, uel pœnam,constituat. Non negligit enim res humanas;nihil illum latere potest; nihil tenebris occultari; nihil omnino ab illius conspectu remoueri. oculi illius hominum mentes explorant; intimos animorum recessus animaduertunt:nihil est tam abstrusum, & abditum,quod non scrutetur,inspiciat,ponderibus iustis examinet. Cur igitur (inquiunt multi) patitur,hominem iustum ærumnis uexari,& impium uitæ commodis,& emolumentis, affluere? Quia, inquit,iustum probat,& erudit,& laboribus gloriosis exercet, ut eum ampliore præmio, atque mercede, remuneret; iniustum uero angoribus frequenter exanimat, atque tandem pœnis sempiternis excruciat. Qui igitur iniquitatem summo studio consectatur,atque per uim,& cædem, ad opes summas enititur, statumq. suum non caritate,& officio, sed ciuium metu, stabilire conatur,animam suam odio immani persequitur. Sibi enim uitam exhaurit; seipsum cruentat, & lacerat; & opera sua fit,ut curis tristissimis intabescat;

In Domino cõfido.

Quoniam peccatores

Dominus in templo.

Dominus interrogat iustum.

beſcat; &, dum maxime diuturnam sibi uitam, & status firmitatem, pollicetur,tum in illum clades improuisa,atque repẽtina,irruit,hominemq. miserũ prosternit,atque in sempiternæ miseriæ regionem præcipitẽ exturbat. Vt enim olim quinque ciuitates,quæ Deum fœdissimis factis uiolabant, cælesti incendio conflagrarunt; ita & isti, Diuino iudicio, cũ se magis florentes,atque beatos,existimauerint,subito peruertentur. Demittet enim Dominus in eos ignis imbrem, qui miseros homines,opibus elatos, & inflatos,quasi laqueis adstringat, & incendio repentino sulphuris obruentur,&,ingenti turbine,atque procella, concussi, funditus interibunt. Hoc erit tandem præmium impijs,pro furore,& amentia, qua flagrabant,cumulatissime persolutum. Iustus enim Dominus est;& actiones iustitiæ ualde comprobat; & facies illius in eos, qui æquitati operam dant,benigne respicit;ut, improbis ab omni aditu benignitatis exclusis, bonos bonis sempiternis afficiat.

Pluet super eos.

Saluum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus. Psal. 11.

QVo magis est intẽtus animus hominis sancti in institiæ fructum, eo magis admiratur,rarissimum esse genus eorum,qui iustitiæ studeant, cum plerique mortales hoc unum certamen suscipiant,ut fraudibus,& iniuriis, reliquos homines superent; &,quo quisque callidius dolum machinatur, ut alienas opes domum auertat,eo clarius sapientiæ nomen apud multitudinem acquirat. Cum uero multis rationibus iniustitia pugnet, ut ciues bonis euertat, & pestem Reip.comparet, tum nulla ratio funestior est ea, quæ in linguæ uenenatæ maledicentia consistit. Ea namque mendacium concinnat; calumniam struit;bonorum dignitatem falsa infamia deformat;odia frequenter exsuscitat;innocentibus pericula tæterrimæ necis intendit; uniuersamque Remp.perturbat; atque tandem exitium cõmunibus rebus infert. Hæc animo considerans Rex sanctissimus,stupet,&,periculi magnitudine cõmotus,exclamat,inquiens: Setua me, Domine, qui solus potes tantam uim malorum inuicta uirtute reprimere. Cerno enim, apud homines pietatis studium restinctum,fidem uiolatam, ueritatem oppressam,ita, ut nemo sibi possit operã fidelem a suis etiam domesticis cum fiducia polliceri. Quilibet enim proximum suum astute decipere conatur;uerborũ blanditijs fraudem uersat; aliud ore profert, aliud intima cogitatione molitur. Itaq. nemo poterit,in tã pestifera hominum perditorum colluuie,sine graui cura,& anxietate, consistere. Exscindat tandem Dominus omnes, qui linguæ lenocinijs in fraudem ciues suos inducunt;qui eos, quos ad se,uerborũ dulcedine, allicere nituntur, erroribus turbulentis inficiunt; qui in ficta religionis specie religionẽ ueram conatibus perditissimis oppugnant;qui, dum honestatis studium simulant,hominum mores,flagitiorum fœditate, contaminant; qui,linguæ uolubilitate nixi, insolentius efferuntur, & Reip.principatum occupare conantur. Sic enim loquuntur: Nos,eloquentiæ uiribus freti,dominabimur. nullum enim erit tãtum facinus,quod non facillime,orationis efficacia, cum felicitate moliamur. Malas enim causas obtinebimus;bonas,cum libuerit,euertemus; cum linguæ præsidia parata semper habeamus, quis tãdem nobis imperio suo repugnare poterit? Hæc quidem illi secum statuunt;& ita tandem cum proiecta audacia tyrannidem in Rep.constituunt. Non tamen,ut sperãt, improbi impunitatem scelerum, & flagitiorum licentiam,obtinebunt. Nec enim numen Diuinum in sceleribus conniuet, neque res suorum ope sua nudat,sed, cum est ad bonorum salutem tempus opportunum,uim suam ad mirandis operibus insignem facit. Nunc, inquit Dominus, exsurgam, minimeq. patiar diutius uastitatem pauperibus, qui in fide mei numinis acquiescunt,inferri. Clamores egentium,qui in me spem habent,agribus clementer accipio,ut illos e faucibus hominum impiorum eripiam. Itaque simul & hostes nominis mei supplicijs afficiam,& supplicibus meis salutem afferam, cosq. opibus sempiternis egregie cumulabo. Hæc quidem Dominus effatur,& in eo, quod se facturum ostendit,summa fide permanet, ita, ut confestim pios homines spiritu suo reficiat; omnibusq. malis expeditos bonis sempiternis augeat,&,pignore Diuinæ iucunditatis, ad firmam spem gloriæ immortalis exsuscitet. Sed interim sollicitos habere poterit multos mortales impiorum hominũ fraus,& fallendi artificium, quo persuadere nitũtur imperitis,se disciplinã tradere dignitate præclaram,fructu salutarem,uoluptate periucundã, ita, ut, qui se ad eorum exemplum effinxerint, sint merito sapientes existimandi; reliqui uero, qui aliam sectam secuti fuerint, sint, ut homines amentes, expertes cœtu,& communione, repellendi. Verba namque illorum sunt illustria, & promissa magnifica, & ostentatio decoris, & honestatis,admiranda. Quis igitur facile poterit coniectura percipere,quæ sit uera disciplina?quę sit eloquentiæ summa laus? aut quibus notis uerba fucato splendore nitentia a uerissimo splendore distinguenda sint? Nihil erit facilius. Disciplina namque hominum scelestorum indulget flagitijs;alit cupiditatem; non it obuiam sceleri; non resecat libidinem;non coercet temeritatem; non cupiditarem Diuinitatis incendit; sed in rebus tantum humanis nimis exquirendis immoratur;& in terrenis opibus, ut in bonorum omnium fine,omnibus modis insistit. At eloquia Diuina purissima sunt; nullum flagitij commerciũ admittunt;omnes cupiditatis fibras euellunt;castimoniam seuere sanciunt; iustitiæ sanctitatem minime de statu conuelli patiuntur; ad hominũ caritatem mentes humanas incitant; & faciunt denique,ut mortales, immortalitatis amore flagrent,omniq. ratione ad cœli studium rapiantur.

Saluum me fac.

Qui dixerunt.

Propter miseriam inopum.

Eloquia Domini.

Est

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est enim lex Domini, puritatis splendore clarissima, præceptorum integritate sanctissima, caritatis ardore flagrantissima, ut nihil possit ardentius excogitari. Tota denique ignea est, animos ab omni sordium contagione purificans, & studio rerum cælestium, atque Diuinarum, uehemẽter inflammans. Et, ut clarius appareat, hoc totũ esse Diuinæ gratiæ, & non soli industriæ humanę, tribuendum, in humana natura, qua nihil potest esse fragilius, uirtus Diuina perspicitur. Vt enim argentum in uase fictili conflatum, ab omni scoria ignis ui secretum, & liberum splendescit; &, quo sæpius in fornace liquefactum in uas terrenum infunditur, eo maiorem puritatem ex conflatura consequitur; ita cęlestis gratię splendor, in hominis natura, quę quidem tamquam fictile uas est existimanda, ex Diuini amoris ignibus inflammatus, quo sępius incenditur, eo prius enitescit, maioremq. in se uim sempiternę uirtutis ostendit. Nec enim uera uirtus in uno gradu resistit, sed quotidie exoritur; &, cum ad aliquem gradum honestatis Diuinæ peruenit, ad altiorẽ consequenter adspirat. Quo modo igitur poterit hominum improbitas diu iustitiam simulare, & sapientiam Diuinæ legis ementiri, cum nihil sit in homine Diuina gratia uacuo purum, & simplex, nihil non fraudulentum, & malitiosum, & maleuolentia turpiter in uscatum & flagitijs innumerabilibus infectum, atque in dies magis in uitiorum omnium colluuionem deuolutum? At tamen magnum ex his hominibus periculũ multis impendet, nisi tu, Domine, tuis præsentem opem attuleris. Seruabis tu quidem eos, quos in fidem recepisti, a tanto uitæ discrimine; perficiesque, ne electi tui in errorem pestilentem inducantur. Nos, inquam, in tam perturbata uiuendi ratione, a contagione huius pestiferæ nationis eripies. erecta namque, circumquaque uolitat impietas, quoties, propter bonorum pænuriam, homines postremi in Rep dominantur. Erit igitur tum uel maxime omnibus, qui te fide, & sanctitate, coluerint, elaborandum, ut numine tuo tantum discrimen salutis effugiant.

Tu, Domine, seruabis nos.

Vsquequo obliuisceris. Psal. 12.

MVltis incommodis exercentur uiri sancti, ut insitæ uirtutis significationem dent, & simul animum ardentius excitent ad opem Diuinam implorandam; nullum tamen incommodũ dolentius patiuntur eo, quo familiaritate, atque iucunditate, numinis Diuini ad tempus aliquod exspoliantur. Multa namque eos sollicitant. Primum quidem, opinantur, se, propter flagitia sua, fuisse Diuini spiritus solatio destitutos. Deinde, cum imbecillitatem suam recognoscunt, casum nimis anxie reformidant. Tum, desiderio tam ad mirabilis uoluptatis, quam fuerant experti, miserrime cruciantur. Accedit ille sensus acerbissimus, quo intelligunt, hostes exsultare gaudio, cũ bonos depressos animaduertunt. Opinantur enim, fore sibi facillimam uincendi rationem, cũ eos, a quibus sæpe superati fuerant, ope pristina nudatos esse conspiciunt. Vt enim, cum Spiritus sancti munus mentes iucunditate sua complet, nihil poterit in terris excogitari ualentius; ita, cum Diuinus spiritus (ut quidem uidetur) abscedit, nihil, ut opinio est, esse potest imbecillius. Nõ igitur immerito sancti homines, cum in hoc statu sunt, dolent, & anguntur, & condicionem suã lugubri querimonia lamentantur, & a Deo assidue cõtendunt, ne se deserat. Hoc est autẽ, quod hoc in loco Dauid facit. Vt enim apparet, erat Diuino solatio destitutus. Iacebat igitur, sibiq. displicebat; non ita tamen, ut salutem desperaret. Quocirca excitat, quantum potest, animi uires, Deumq. suppliciter orat, ne auxilium differat. sibi namque robur esse non putat, ad tantum malum diutius, cum tanta uitæ acerbitate, tolerandum. Ait igitur, Quousque tandem, Domine, mei memoriam depones? quousque faciem tuam a mente mea remouebis? Equidem, cum splendore tui luminis illustrabar, omnes labores, & ærũnas, facillime perferebam; omnes dolores, & cruciamenta, spiritus tui iucunditate compensabã. Nunc igitur, in tantis periculis, tam firmo præsidio nudatus, quo me conferam? quod remedium tantis malis inueniam? Quid faciam, ut, e tenebris emersus, in lucem tuam aliquando respiciã? quamdiu consilia mente uersabo, quibus dolorem, quo toros dies afflictor, ex animo meo depellam? Quamdiu hostis immanis, & importunus, in meis malis insultabit? Respice, Domine, doloręquo sum miserabiliter oppressus; preces meas ad aures admitte; oculis meis lucem tuam porrige, ne, mortis telo pestifero uulneratus, spem salutis abijciam; ne glorietur hostis, quod sit de me uictoriam consecutus. Triumphant enim hostes mei gaudio, quoties me prolapsum uident. quid igitur facient, si ruinis extremis oppressum esse cõspexerint? Hostes mei, hostes tui nominis sunt. Vt enim beneficia in me tua funditus intereãt, elaborant. Tantam igitur gaudiorum materiam illis subtrahe, qui sunt potius ui tui sanctissimi nominis ab omni conatu repellendi. Quid igitur faciam? Num spem salutis, quę tota est in clementia tua sita, prorsus abijciam? Nullo modo. Non enim benignitas tua est finibus ullis circumscripta; nec aditus ad illam fuit umquam interclusus illis, qui ad te cum fide uigenti accederent. Tuæ igitur benignitatis immensitate fretus, incedam; animus meus inexplicabili uoluptate perfusus exsultabit; laudes Domini carmine perpetuo celebrabo; quando postulato meo cumulate satisfecit; meamq. pietatem amplissimo prę mio muneravit.

Vsquequo obliuiscēris.

Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Psal. 13.

NOn satis habet uir Diuinus explicare florentissimum piorum hominum statum, uirtutisq. munera Diuinitus oblata recensere, nisi etiam

etiam ob oculos ponat extremam eorum miseriã, qui pietatem nefarie uiolant, omnesq. sanctitates pro nihilo ducunt. Quod quidem iccirco faciunt, uel quia Deum nõ putant, uel quod ab illo res humanas minime curari censent. quæ quidẽ est summa dementia, & furor detestabilis, & exsecrãdus, malorũ omnium seminarium complexu suo continens, & in sempiterni cruciatus regionẽ animos exturbãs. Hos igitur describẽs Dauid, ait: Statuit secũ uir insipiens, sceleribus uidelicet excæcatus, Deum non esse. Hac igitur opinione ducti homines, amentia, & furore, præcipites, studia, & actiones, scelerate contaminant; omniaq. uitæ officia ita peruertunt, ut nihil possit excogitari turbulentius. cũ uero multi sese ad imitationẽ eorum, qui sceleris huius nefandi principes exstitũt, contulere, nullũ est tatum facinus, quod non cum impudentia summa suscipiant. Itaque nullus est inter illos, a quo aliquid boni sperandũ sit, cũ omnes certatim a bonis operibus abhorreant, & in flagitiis assidue uolutentur. Dñs e cælo prospexit, ut in homines animaduerteret, neminemq. uidit ex illis, qui, moribus hominũ usu prauo, & consuetudine, recepti, uitam instituuut, qui saperet, Deiq. præsidiũ, & opẽ requireret. Omnes simul de uia deflexerunt; omnes flagitijs intabuerũt; nemo est, qui bonum agat; ne unus quide reperitur. Non tandem aliquando homines iniusti sensum aliquẽ humanitatis recipient, ut intelligãt, se esse ad iustitiã, & officiũ, natos; &, ita, considerent, cũ iniquitatem sectantur, & humanam societatẽ uiolant, se contra naturã facere, & ita, propriũ statum labefactare, & infringere? Quod tantũ abest ut animo secũ reputent, ut potius hominum fideliũ nationem, qui se mihi commiserunt, quasi cibum, comedendã, & omni crudelitate lacerandam, existiment; neque uitæ subsidiũ a Dei benignitate, sed ab insita prauitate, requirendum arbitrentur. itaque opes suas iniurijs augent, & accumulant, & Dei opem mini me flagitandã censent. Atqui tandem, flagitiorũ conscientia, (uelint nolint) oppressi, trepidabunt, & in rebus aduersis nullum habebunt firmũ uitæ subsidium, quia, Deo, bonorum omniũ fonte, neglecto, mendacium, & uanitatem, acerrime consectati sunt. At iusti, cum impij funditus euersi corruerint, in securitate summa cõsistent, quia in Domini patrocinio, atque tutela, delitescũt. Et tamẽ, cum homines impij essent amentissimi, ueram sapientiam ludibrio habuerunt, & eos, qui præsidio Diuino nitebantur, ut homines mentis expertes, irriserunt, consilium inopis, & afflicti, deridendum existimatis, o miseri, quia ueritatẽ mendacio prætulit, & opes inanes contempsit, ut ope Diuina firmaretur, Deiq. gratia, & benignitate, statum suũ stabiliret. nunc igitur pœnas, amentię debitas, sustinete; & illius sapientiam, quam petulantissime derisistis, cum sempiterno inuidiæ cruciatu, in uestris malis, admiramini. O miserandam seruitutem, qua mortales oppressi, minime cernunt, quæ sit bene, beateq. uiuendi ratio; & ideo, pro ueris bonis, inania cõplectuntur, ut ita supplicijs, quo sempiterno, crucientur. O quis iam uideret oculis illã felicissimam libertatem, quam Dei filius terris allaturus est, cum, mundi principe, qui nunc tenet mortis imperium, profligato, noua lux in terris orietur, qua uidebunt homines, quid fugiendum sit; quid modis omnibus adsciscendum; quæ miseriam sempiternam inuehant; quæ rursus uitam beatam, sempiternisq. bonis affluentem, efficiant; quis sit miseriæ sempiternæ machinator; quis sempiternæ salutis architectus, ut miseriæ totius effectorem odio persequantur; salutis auctorem amore ardẽtissimo complectantur; ut sic demum, seruitutis iugo ab Israelis ceruice depulso, summo gaudio uera Iacobi progenies exsultet; & Israel, quem non caro, & sanguis, sed fides, & pietas, in stirpem tantæ nobilitatis insceuit, lætitia mirabiliter efferatur.

Dixit insipiens.

Dominus de cælo.

Nonne cognoscent omnes.

Illic trepidauerunt.

Consilium inopis.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Psal. 14.

HOc carmine explicatur eorum uirtus, qui sunt in tabernaculum Domini introrsum ingredi. Non autem hoc in loco tabernaculum operis humanis exstructum, sed cæleste, atque sempiternum, sed quod fuit antiquo legis tabernaculo designatum, cogitandum est. in illud namque, multi, flagitiis cooperti, ingredi solebant; in hoc autem, nemo, nisi qui sancte uitam traduxerit, introibit. Itaque Dauid sic Deum alloquitur: Domine, quis sedem stabilem, atque sempiternam, in tabernaculo tuo obtinebit? quis habitabit in illo cælesti monte, in quo tuæ Maiestatis amplitudo, in solio clarissimo collocata, a mentibus beatis conspicitur? Non is certe, qui duplici animo est, & iniurijs opes suas augendas, atque firmandas, existimat; sed qui mente pura, & integra, uitam degit; qui iustitiam colit; qui ueritatem loquitur; & non aliud uerbis enuntiat, quam id, quod animo, & cogitatione, amplectitur; qui stat promissis, & fidem, quã dedit, egregie præstat; qui non machinatur malum necessario suo; & maculam dedecoris non inurit proximo suo; qui hominum dignitatem non opibus, sed uirtutibus, expendit; ita, ut, qui, propter flagitia, est ignominia sempiterna dignissimus, quamuis magnas opes habeat, ab illo contemnatur, illosq. solum omni honore dignos deputet, qui Deum timent, uitãq. religione sanctissima moderantur; qui tanta fide iusiurandum conseruat, ut, quamuis ex eo damnum aliquod sibi subeundum sit, nihil tamen immutet; quia pecuniam suam fenori non dat; nec, ob iudicandum, pecuniam accipit, ut contra ius ab innocente causſam abiudicet. Qui hæc omnia pura mente, studioq. ardentissimo, conseruat, numquam de statu suo migrabit; sed gloriam, nullis sæculis interituram, obtinebit.

Domine, quis habitabit.

Qui iurat proximo.

Conserua me, Domine, quoniam speraui in te. Psal. 15.

CArmen hoc Diuinum, quamuis statum Sanctorum hominum laudibus Diuinis exor-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Conserua me, Domine.

ner, illum tamen, auctorem iustitiæ, nostræq. salutis architectum, præcipue celebret. quem Dauid ita loquentem inducit: Conserua me, Domine, quoniam in te solo omnem spem salutis collocatam semper habui. Dixi Domino: Deus meus es tu. Nec enim pecuniam ueneratus sum; neque uoluptatem in Diuina sede repositi; neque humanam dignitatem, & gloriam, ut summum bonum, exquisiui; sed te solum amaui; te secutus sum; tibi placere, flagrantissimo studio, concupiui. Tu enim es salutis meæ parens, iucunditatis effector, dignitatis architectus, diuitiarum largitor; omnia denique bona, quorum cupiditate incensus sum, in tua benignitate constituta sunt, ita, ut nihil sit mihi præterea requirendum. Adde, quod reliqua omnia, quæ bona nominantur, sunt inania, fluxa, & interitura; ea uero, quæ numine tuo continentur, uera, constantia, & immortalia. Quem ergo alium Deum adsciscam? Quod aliud numen intuebor? Quod mihi, præter te, præsidium uitæ constituam? Sed hoc me sollicitum habet, quod sit factu difficillimum, ut, quemadmodum desidero, liceat mihi hāc mentem meam operibus indicare, cum mea bona in fructu numinis tui redundare nullo modo possint. Tu enim es summus Dominus, atque beatissimus; & omnia, quæ super, subterq. sunt, potestate immensa, & infinita, complecteris. ad statum tuum nihil potest accedere; nec ex illo tibi quidquam detrahi potest. Laudes humanæ non possunt ullo modo dignitatem tuam amplificare; quemadmodum neque contumeliæ splēdorem illius obscurare, cum uniuersum genus humanum in conspectu tuo, neque pulueris quidem exigui instar obtineat. Quid ergo faciam? Vnum restat opus, quod tibi cordi futurum scio, ut uiros sanctos, qui in terra uersantur, qui, animi excellentis altitudine, opibus humanis neglectis, ad Diuinas adspirant, summo studio, & beneuolentia, prosequar; firmo præsidio muniam; monitis meis, in tui nominis studium incitem; & amore tui sanctissimi nominis inflammem. Hos enim diligis; hos ad te allicis, eosq. patria benignitate complecteris; &, cum bonitatis tuæ proprium sit, bona tua liberalissime communicare, nullum officium tibi gratius esse poterit eo, quod ad tuum nomen multos eiusmodi filios adiungit. Eos igitur, qui te amant, mecum fœdere sanctissimo constringam; & illorum consortium repellam, qui pro Deo uero numina commenticia uenerantur; Deorum multitudinem adsciscūt; & accelerant, ut diis alienis sacra conficiant. Libationes illorum ad uictimarum sanguinem oblatas exsecrabor; eorum nomina, quibus homines miseri supplicant, numquam ore meo proferam; illorumq. mentionem numquam oratione mea fieri sustinebo. Colant alij suas religiones; cærimonias patrias obseruent; aliæ nationes deos sibi alios ad sciscant, quos gentis ritu uenerentur, &, pro regionum diuersitate, diuersa sacra procurent; a maiori busq. suis traditas ineptissime sanctitates, quasi hereditatem, summo studio tueantur; at hereditas mea Dominus semper erit, hoc erit patrimonium meum præclarissime constitutū; hoc sacrificij mei iucundissimum poculum, atque libamēcum. Nec erūt irritæ preces meæ. tu namque, Domine, hereditatis meæ sortem præsidio tuo stabiliendam suscepisti, ne umquā labaret, sed potius aucta, & amplificata, permaneret. Dimensio namque illius infertili, & opima, tellure, & in fundis pulcherrimis, obuenit. Itaque hereditas mea mihi pulchritudine mirabiliter excellit. Non enim opibus humanis, sed Diuinis, continetur, nec in uno genere nationis, sed in omnium hominum, qui cum iustitia uiuunt, fide, & officio, consistit; ita, ut præclarissima sit, & in fines orbis terrarum diffundatur. Nec enim quidquam iustitia præclarius esse potest; &, cum Dei benignitas angustiis Iudææ finibus inclusa non sit, consequens est, ut omnes orbis terrarū regiones splendore illius collustratæ sint. Gratias agā Domino, cuius cōsilio firmatus, omnes meas actiones feliciter administraui; qui etiā nocte intimos meos sensus instruxit; nec umquam spiritus mei monita a uoluntate mea remouit. Sēper enim aures aperui, & sensus excitaui, ut uerba illius exciperem, & præceptis alacriter obtemperarē. Proposui semper illū in cōspectu meo. numquā enim a latere meo discedit, ut me fulciat, ne concidam, aut uacillē. Iccirco animus meus in summa semper iucunditate uersatur; gloria mea, quę numine meo cōtinetur, exsultat; & corpus etiam meū, cū occiderit, & uita functum esse uidebitur, cū firmissima spe decumbet. Breui namque, in uitā excitabitur; nec umquā postea mortis ullum aculeum subibit. Nec enim, Domine, animum meū infima regione deseres, sed illi uictoriam contra rectores tenebrarū, contra inferos, contra Satanæ copias, cū gloria summa, concedes, & corpus huius sancti tui, cuius meritis ab ira deduceris, ab omni corruptione uindicabis. Perficies deinde, ut uoluntas tua manu mea dirigatur; quę quidē est hominum uita; est animorū summa uoluptas; est bonorū decus excellēs, atq. sempiternū. Iustrues itaque meæ uitæ, quā illis, qui se mihi dediderint, aperiā; cumulabis me gaudijs, quorū pios homines participes efficiam; me dextera tua in decore summo collocabis, ad cuius sempiternam societatem eos, qui sese ad nomen meum contulerint, euocabo; ut mecum uita Diuina fruātur, uoluptatem summā percipiant, & gloria sempiterna circumfluant.

Quoniā bonorum.

Sanctis, qui sunt in terra eius, mirificauit omnes uoluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates meorum.

Dominus, pars hereditatis meæ.

Restituet hereditatē meam mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: insuper usq. ad noctem increpuerunt me renes mei.

Propter hoc lætatū

Notas mihi fecisti.

Delectationes in dextera tua usque in finē.

Exaudi, Domine, iustitiam meam. Psal. 16.

Exaudi, Domine.

INstat precibus assiduis, & ardentibus, Dauid, ita, ut oratio non mediocrem animi langorem, & afflictationem, significet. Ait enim: O Domine, cuius nutu nere, & benignitate, mea iustitia continetur, in me cōseruando tuere beneficiū tuum. Nō enim uiribus meis, sed gratia tua, ex uitiorum tenebris emersi; nec insitæ a natura uirtutis meritis, sed amplitudine tuæ bonitatis, iustitiæ tuæ donū adeptus sum; ita, ut, cum mihi remediū in rebus aduersis attuleris, sis lumen clarissimum operibus tuis allaturus. Percipe igitur orationem

nem meam; prębe clementer aures tuas precibus meis, quas, ut cernis, non ficte, & simulate, sed uere, atque tota mente, supplex adhibeo. Hominum iudicium est tenebris obscuratum, maleuolentia deprauatum, calumniis inuersum, hominumq. potentium gratia corruptum: quo fit, ut nemo de me recte iudicet, sed multi, contra ius, & fas, nomini meo insignis infamiæ dedecus inurant. Reliquum est, ut te solum, penes quem est summa ueritas, appellem; & a Solio iuris sempiterni summa contentione postulem, ut ius meum in lucem proferat; & oculi tui æquitatem, qua nitor, & confido, perspiciant. Tu namque cor meum iustis ponderibus examinasti; tu nocturnis etiam tenebris animi mei puritatem comprobasti; tu me, quasi aurum, quod igne conflatur, ærumnis explorasti, & nullam fraudis, & malitiæ, scoriam deprehendisti. Semper enim uerba mea cum mente mea consentient; neque secus loquar, quam sententia in animo penitus infixa monet. cum enim intelligam, te mendacio offendi, atque ueritate placari, operam do, ne ex ore meo uerbum ullum excidat, quod a ueritate parumper abhorreat. In humanis autem actionibus id summa uigilantia prouidendum statuo, ne umquam a uerbis tuis discedam; institutisq. tuis eruditus, uias illius tyranni sempiterni, qui est humanæ salutis euersor, effugiā. Quod ramen nullo modo, absque præsidio tui numinis præsentis, efficiam. Vię sunt lubricæ; ita, ut nemo, seipso nixus, queat uestigium stabilire. Tu igitur, Domine, firma gressus meos in semitis tuis, ne nutent, & labantur pedes mei. in omnibus meis curis, & angoribus, unum remedium præsentissimum semper expertus sum, quod est in oratione mea, qua ad clementiam tuam adeo, constitutum. Numquam igitur mihi deest, uel in morbis medicina; uel in periculis auxilium; uel in fletu solatium; uel in iuris defensione testimonium; uel in inopia subsidium. Numquam preces meæ sunt irritę; sed, cum primum inclamo, clementer exaudis, Domine. Hoc igitur oro, & obtestor, ne umquam me fructu tantę benignitatis, & clementiæ, destitui patiaris; sed, quemadmodum ante hac fecisti, aures tuas accommoda, ut uerba mea percipias; fac insignem, & illustrem, in me misericordiam tuam, Domine, qui das salutem omnibus, qui in te omnem salutis rationem positam habent, eosq. a peste, quam parant hostes importuni, dextera tua seducis. Sed uide, quantum sit nobis de tua immensa benignitate concessum. Non enim peto a te, ut a me, tamquam a seruo fideli, hostilem impetum reprimas; nec ut, tamquam amicum, opera tua custodias; nec, quod multo amplius est, ut, tamquam filium, ope summa tuearis; sed, uelut te ipsum, atque adeo tamquam pupillam oculi tui, animam meam, quam tecum conglutinare niteris, summa uigilantia, cura, studio, contentione, defendas. fac, summe pater, ut, tamquam uolucris pullos suos alis protegere conatur, sic tu me umbra tua protegas, alis tuis occultes, opibus tuis firmes; ne umquam sanguine meo hostis immanitas expleri possit. Mirum enim est, quanta crudelitate in me homines impij, & quā furenter, inuehantur; rebus meis inferunt uastitatem, acerrimo nocendi studio me undiq. circūsistunt; os eorum adipe, & aruina, tumescit; superbe nimis, & iracunde, loquuntur; minas iaciunt; insidias ponunt; gressus meos circumquaque perueștigant; se ipsos in terram demittunt, ut laqueos, & retia, tendant: omnes enim conatus eo comparant, ut me extremo casu, & ruina, conficiant. Sunt similes leonibus, qui, latitantes, ad lacerandum repente prosiliūt. Vt leunculi, in lustris insidentes, ad interitum meum, attentissima cogitatione, meditantur. Exlurge, Domine; occurre sceleri; eorum faciem contunde, & in terram deprime; libera gladio tuo animam meam, ab impio, qui rebus secundis extollitur. libera, inquam, me ab hominibus, quos dextera tua hactenus occulto iudicio protexisti; ab hominibus, quorum animi in terram depressi, atque demersi sunt; qui de futura uita minime, cogitant, sed in hac tantum patrimonium fundare, & amplificare, nituntur; quorum domos opibus egregie, consilio ignoro, cumulasti; qui etiam posteris suis opes testamento relinquunt; ita, ut non solum ipsi, dum uiuunt, diuitiis per iniuriam partis impune fruantur, uerum & earum simul cum sceleris exemplo filios heredes instituant. Itaque illi, rebus secundis elati, feroces, & infesti siunt, & in bonos incitantur; & multi mortales, dum homines iniustos opibus abundare cernunt, hærēt, & dubitant; parumq. abest, quin statuant, inuistitiam, cum tam multas opes accumulet, esse iustitiæ, quæ plerumque nimis angustę uitam exigit, longe præferendam. Mihi uero numquam eueniet, ut tam peruersam sententiam mente concipiam; immo semper hoc Diuinum iustitiæ munus omnibus uitæ commodis, & emolumentis, anteponam; eoq. munitus, exsurgam, & faciem tuam cum inexplicabili iucunditate contemplabor. Tum demum animus meus, ad imaginem tuam factus, & ad similitudinem Diuinę claritatis expressus, euigilabit. Antequam enim faciem tuam uideat, & in gratia tua sit, ueterno oppressus est; neque potest de ueris bonis recte, ac conflanter, perpetuo iudicare, tenebris miserabiliter offusis impeditus. At, cum iustitiæ splendor exoritur, caliginemq. dispellit, &, quoad fas est, claritatem tui numinis intuemur; tunc expletur animus; tunc ueris opibus abundat; tunc illius sitis exstinguitur; tunc mens, illustrata cælesti lumine, gaudio cumulatur, ita, ut nihil amplius desiderandum sit. Cum uero nulla opulentia possit ullo modo animum hominis iniusti satiare, immo, quo affluentius opes obueniunt, eo cupiditas grauiores de impuris hominibus pœnas expetit. Quo enim plura possident, eo maiore indigentia cruciantur: soli iusti homines, bonis ueris simis expleti, summa uoluptate potiuntur. Hęc cum experrectus animus clare cernit; cū diuitiarum inanitatem, quibus impuri hoies efferuntur, mente considerat; cum se Diuinis opibus affluentem animaduertit; omnia, quæ uersantur in uita, pro nihilo ducit; & ea, quę sibi a Deo donata sunt,

Opera hominū propter uerba labiorum tuorum.

Perfice gressus.

Inimici mei.

Exsurge Domine. Eripe aſam meā ab impio, frameā tuā ab inimicis manus tuæ. Domine, a paucis de terra.

Ego in iustitia apparebo cōspectui tuo: satiabor, cum apparuerit gloria tua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

modis omnibus amplexatur; nec alias opes sibi exquirendas existimat, præter eas, quibus abūdat. Hæc est felicitas mea; hæc bonorum copia; hæc affluentia diuitiarum, quibus animus meus expleri, & in cælum euehi potest.

Diligam te, Domine. Psal. 17.

HOc quidē carmine, quod sequitur, nihil potest grandius excogitari. Nā & materia est illustris, & ampla, & genus scribendi multis luminibus illustratū, & ornamentis mirabilibus exultum, tantisq. orationis opibus exaggeratū, ut ad amplitudinem illius nihil possit accedere. Celebrat autem eam Dei clementiam, qua fuit ab hostibus creptus, & in Regia sede locatus. Hostium uero copias, & insidias, & nimiam cum magna potentia nocendi cupiditatem, totiusq. belli diri, & immanis, apparatum explicat, allegorijs, a tempestatibus, atque procellis, totiusq. naturæ fragore, desumptis; ut, quo maius apparuerit uitæ periculum, in quo uersabatur, eo clarius demōstretur auxilium Diuinæ uirtutis, quo fuit e tantis malorū omniū fluctibus, absq. ullo humano præsidio, liberatus. Id tamen uelim omnes admonitos, qui uirū hūc admirati pro dignitate fuerint, ut, quoties in scripta illius inciderint, toties Christum respiciāt. Neque enim solum Dauid, spiritu illius incensus, & incitatus, se ad scribendum contulit; uerum & imaginē illius luculēter in multis locis expressit; quo factū est, ut apud Prophetas uideamus Christū Dauidis nomine sæpe designari. Ipseq. Dauid sępenumero ita de se loquitur, ut omnis oratio illius in Christū præcipue dirigatur; multaq. profe rat, quæ in se minime conueniāt; sed ad Christi uitā, & actiones, & cruciamenta, & gloriā, conferēda sint. quod etiā hoc in loco erit explorate cognitū. Cum enim Dauid explicat uires, quibus ab hostibus oppugnatus fuit, Satanæ bellum, & uires, & insidias, & odium, quo Christū petiuit, explanat; & auxilia, quæ undique ad pernicie illius exquisiuit, plane recensēt. cum rursus numinis seueritatem, & uindictam, qua hostes domuit, atque contriuit, oratione persequitur, iudicium illud, quo mundi princeps expulsus, & eiectus fuit, cū interitu eorum, qui Christum in Crucē immanissime sustulerunt, elegantissime narrat. Non est autē hoc multis uerbis exponendum; cum nihil magis notum sit, quam sub Dauidis persona in litteris sanctis Christi mysteria pertractari. Ait igitur hoc in loco uir sanctus, in cuius pectore cerni poterat numen Diuini spiritus inclusum: Te unum, summe Domine, animo incenso, & inflammato, diligam, & tota mente complectar; amoreq. perpetuo in studium tui sanctissimi nominis incitabor. Omnia namque mea bona in te posita sunt; nec est aliquid extra te, quod uel ad salutis præsidium, uel ad dignitatis ornamentum, exquirendum sit. Tu namque es mihi firmissimum uitæ monumentū; tu rupes editissima; tu arx munitissima; tu salutis uindex, atque uitæ liberator; tu Deus meus; tu inuictum uitæ propugnaculum; in te spes omnes uitæ constituam; tu me, ut scuto, protegis; tu omnia mortifera tela a corpore meo depellis; tu Diuinis opibus salutem meam corroboras; tu me in sublimi, & excelso, dignitatis gradu constitu- Laudans in uocabo.
is. Domini perpetua laudatione prædicandi opē implorabo; & continuo salutem, hostibus meis frustra repugnantibus, adipiscar. Beneficia enim, quæ iam sum illius immensa benignitate consecutus, me de futuris dubitare non sinunt. Vt omnes igitur intelligant, quo loco erant res meæ, cū Dominus mihi subsidio occurrit, magnitudinem calamitatis exponam, quæ in me impetu furibundo peruaserat. Exitij funestissimi funibus circum Circūdederunt me dolores mortis.
plicatus, miserrime distinebar; & torrentes extremæ impietatis, & odij pestilentissimi, me circumueniebant, ita, ut me appropinquātis necis metu uehementissime conturbarent; funes erebi obsessum, & artissime colligatum, impedierunt; & laqueis mortis adstrictus improuiso fui. Hostium uires erant immanes; odium acerbissimum; imbecillitas mea undique oppressa tenebatur; auxilium procul abscesserat; omnis humana spes prorsus euanuerat, ita, ut nullum omnino esset necis, & diris simi cruciatus, effugium. Cum igitur fuis- In tribulatione inuocaui.
sem in tantas angustias adductus, Dominum inuocaui; & maximos clamores, ut opem afferre maturaret, ad illum sustuli, qui uocem meam de templo sancto suo protinus audiuit: uoxq. mea ad aures illius continuo peruenit; ita, ut, sceleris indignitate permotus, iram suam in hostes meos, qui in me, sine ulla caussa, inuehebantur, acriter incitaret. Non fuit autem supplicium, quod de illorum scelere, & impuritate, sumpsit, mediocre; nec, ut dissimulari posset, ab hominum adspectu semotum, sed dirum, & exitiosum, & in oculis omnium constitutum, eaq. atrocitate præditum, ut stuporem mortalibus multis incuteret. Vt enim nullum maius in communi uita scelus exstiterat; (non enim similis puritas, & iustitia, tantis iniurijs uiolata fuerat) ita ius Diu num postulabat, ut supplicium tam immani facinori constitutum, & magnitudine, & exemplo, cuncta, quæ fuerunt ab exordio generis humani sceleribus irrogata, longissimo interuallo superaret. Tempestas igitur illa horribilis, atque pertimescenda fuit, quæ res hostium meorum ita perdidit, & afflixit, ut eorum nomen, & opes, & antiquum decus, exstingueret. Commota est, & contremuit terra. Terra maximis motibus agitata contremuit; mōtes in summam altitudinem desederunt; labes ingentes factæ sunt. nam ira Domini in terras tā scelesto facinore contaminatas inuaserat. Nec dubijs signis eam offensionem demonstrauit. Fumus e uultu illius exstitit; ignis, ex ore illius emissus, inflammationem hostiū rebus intulit; &, quacumque tulit impetum, incendium, quo decoris antiqui monumenta deflagrarent, incitauit. Cælestem naturam inflexit, ita, ut, magnitudine turbulentissimæ tempestatis, cælum ruere uideretur; ipseq. Dominus, ut pœnas expeteret, infra orbem ætherium præsentiam suam declarauit, ut sui nominis hostes magis exanimaret. Densa autē caligo, ut Maiestatem illius ab adspectu remoueret,

in se

Diligā te, Domine,

in se conglobata, pedes illius occultabat. Is au- Adscendit super Cherubim.
tem, Cherubino insidens, per cælum uehebatur; uentorum celeritatem perpeti uolatu superabat. Nihil est enim mente Diuina celerius, quæ, cum in sede sua sempiterna, intra naturæ suæ penetralia, semper immobilis, & fixa, permaneat, omnia tamen subito tranat, & singulis naturis occurrit, ut cuncta, quæ sunt sanctionibus suis accommodata, perficiat. Ergo, ut iudicium suum, cum est opus, exerceat, summa cum celeritate peruadit, ut malorum tempestatem contra impios, & sceleratos, excitet. Se igitur tunc in tenebras densissimas abdit, & atra caligine circumsæpit, & quasi tabernaculum sibi in nubibus exstruxit, ut inde Posuit tenebras. hostes acerrime uulneraret. Itaque tenebræ densantur; aquarum ingens uis, & copia, congregatur; nubes celerrime discurrunt; ignes interim an te illius conspectum crebro micant; nubes maximis uentis impelluntur; grandinis ingens uis in terras demittitur; fulgura, nubibus discisis, erumpunt; Dominus ipse superne, crebro tonitru, naturam uniuersam tremefacit; editisq. e cælo uocibus, mortales exterret; grando, ignibus admixta, terris uastitatem, & populationem, infert; neque solum terrorem hominibus impuris injicit, uerum etiam multos sagittis suis transuerberat. ubrat enim fulmina; & multos eorum perdit, atque dissipat; fulgura frequentissime iacit; illosque, terroribus obiectis, excruciat. Flumina, in alium cursum contorta, suos alueos, ut possint clare uideri, Apparuerūt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis.
destituunt; terrarum fundamenta oculis subijciuntur. Omnes hi motus, summe Domine, iræ tuæ magnitudine fiunt; & tui spiritus offensione concitantur. Non enim, ut imperiti homines suspicantur, casus, & fortuna, in natura dominantur; sed omnia mente, ratione, & consilio, dirigunturt: iudicio namque Dei, tempestates excitantur; fluctus ejciuntur; naues ad saxa franguntur; & siluæ, atque nemora, dissipantur; similiter rerum publicarum turbidæ seditiones, & morbi pestilentes, & bella dira, & exitiosa, atque demū gentis totius euersiones, iuris Diuini seueritate, aut permissu, impijs nationibus inferūtur. Itaque supplicia, quæ pertulerunt hostes mei, non ad fortunæ temeritatē, sed ad Dei sanctitatem, reuocanda sunt. Hoc autem ualde perspectum fuit, quod non solum hostes meos perculit, & abiecit, atque tandem ad exitium funestissimum præcipitauit; uerum etiam me, ex omnium malorum fluctibus Misit de sūmo. eductum, in sede tutissima collocauit. Misit enim Dominus e cælo opem suam mihi, ut me de medijs fluctibus, quibus eram demersus, extraheret. Eripuit me de manibus inimici fortissimi; & ab hostibus, qui erant me longe uiribus, & potentia, superiores, eduxit. Illi quidem, nullam nocendi facultatem prætermittentes, simul atque me ærumnis afflictū adspexerunt, totis uiribus, ut me funditus perderent, in cogitatum, & meditatum, scelus incubuerunt; at Dominus iacentem erexit, & languentem confirmauit. cum essem in angustum adductus, ope Diuina respiraui; & in loco satis lato, atque libero, cum iucunditate uersatus sum, omni cura, quæ me angebat, omnino solutus. Do minus enim liberauit me, quia gratia sua, & benignitate, mihi prospexit. Explorat enim, & perspicit, animum meum, studio iustitiæ, atque pietatis, incensum; operum meorum puritatē animaduertit; uidet, nihil a me subdole fieri; sed omnia uere, & simpliciter, ad legem illius administrari; & iccir co mercedem mihi huius integritatis attribuit. Illius enim uias non desero; a Domini mei side nūquam deficio: omnia namque illius iudicia in ocu- Quia custodiui uias tuas,
lis semper habeo; statuta illius, memoria, sine ulla præuaricatione, conseruo. In illius conspectu, innocentiam, & puritatem meam tuebor; &, ne in priscā iniquitatem labar, summa cura, studio, & uigilātia, prouidebo. Dominus autem iustitiam meā præmio satis amplo remunerat; & actionum mearum integritati, quam oculis suis intuetur, merce dem sane magnam constituit. Quam cæci sunt, & amentes, qui opinantur, aliquid esse, quod mentē tuam lateat, Domine, aut sit a procuratione tua se clusum? Secreta penetras; abdita pandis; quę sunt crassis occultata tenebris, exploras; & infimis terrarum sedibus immersa perscrutaris. Iudicium tuum nunquam aut donis corrumpitur, aut gratia flectitur, aut alicuius potentia conculcatur; & sic fit, ut, pro cuiusque meritis, aut premiū proponas, aut pœnam statuas. Nam & misericordi mise Cū sancto sanctus eris
ricordiam tribues; & cum uiro integræ fidei integritatem tuebere; & cum homine puro puritatem amicitiæ retinebis; & peruersum modis omnibus impugnabis. Tu namque hominis humilis salutē Quoniā tu populū humilem saluum facies
constitues, & oculos superborum in terram deijcies. Siquidem tu me, quem abiectum cernis, clementissime subleuas; mentisq. meæ lucernā, Spiritus tui lumine comples; tenebrasq. meas longissi me dispellis; animumq. meum inuicta uirtute corroboras. Gratia tua munitus, hostium aciem per- In te eripiar a tentatione.
rumpam; præsidioq. Dei mei, hostilem murum trā filiam. Nihil enim est, quod possit uires eorū, qui tibi adiuncti sunt, infringere; aut uirtutem remorari; aut conatū impedire; quo minus omnia præclara facinora moliantur. Deus enim integra fide præditus est; ita, ut numquā suos opera sua destituat. Verba illius, igne amoris cælestis conflata, & exanimata, nullū impuritatis consortium admittunt; & ita fit, ut is, quem uerba illius erudiunt, minime offensionem illius concitet. Ad hunc igitur modum semper amicitia illius erga suos inuiolata permanebit, & ab illis omnia pericula propulsabit. Ipse namque est scutum omnibus, qui habent in illo uitæ, atque dignitatis, præsidia, firma fide constituta. Quis enim est alius Deus, quem uereri, quem amare, cuius præsidio niti, debeamus? Quod aliud est munitissimum propugnaculum, præter Deum nostrū, in quod nobis confugiendum sit? Deus est, qui me uirtutis inuictæ robore sæpit; &, cum uirtutis robur in uitæ puritate, & integritate, consistat, is omnes meas actiones iustitia sancit; atque perficit, ne labis ullius contagione maculentur. Instruxit me celeritate mirabili, ita, ut cum ceruis contendam; & cursu collium fastigia petam; & in altissimi montis uertice consistam. Instruxit manus meas ad prælium; arcus æneus brachiorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

meorum robore perfringetur. Nihil mihi insolenter arrogo; nihil mihi impudenter assumo; non mea facinora narro; sed beneficiorũ tuorum multitudinem gratissima mente commemoro. Tu namque hæc in me mirabiliter agis, ita, ut non in meam laudem, sed in gloriam tuam, sint hæc omnia, quæ recenseo, iure optimo referenda. Tu nam que me salutis tuæ scuto protegis; & dextera tua sustentas; & benignitate tua ad summam dignitatem euehis: Tu facis, ut firme, atque laxe, uesti gia ponam; ne nutent, atque labantur, pedes mei. Tuo numine firmatus, ex omnibus bellis uictoriam adipiscar; hostes meos in fugam uersos persequar; nec ab eis cædendis manum retrahã, donec eos omnino conficiam. Concidam illos; & exsurgere nequibunt; & stratos pedibus meis faciles proculcabo. Me namque, uirtute inuicta, ad prœlium conserendum præcinxisti; hostesq. meos sub me prorsus abiecisti. Inimici mei coram me in fugam uersi sunt; hostes meos exscindam: & quod est omnium malorum maximum, nullum in cladibus suis remedium aliqua ratione reperient. Quamuis enim, opibus humanis diffisi, opẽ Diuinam summa contentione sibi flagitandam statuant, frustra in ope Diuina flagitanda laborabunt. Magnis quidem uocibus, quibus malis circumuallati sint, testificabuntur; nullum tamen sibi auxilium afferri sentient; non Deos commenticios, sed Deum uerum, qui numquam supplicũ preces, & uota, repudiat, orabunt; & tamen summus ipse Dñs, cuius infinita clemẽtia miserorum calamitates sæpenumero depellũtur, eorũ preces aspernabitur. Numquam enim illis, qui sunt in instituto scelere pertinaces, ignoscit. Ergo, cum ueniam denegat ijs, qui opem cum assiduis precibus, & flebilibus etiam modis, implorant, satis profecto constat, illos minime a peccatis discessisse, quibus in se Deum incitarunt: quod contigit hostibus meis, qui, neque tantis cladibus afflicti, ab odio nominis mei discedere noluerunt. Illos igitur, ut puluerem uento dispulsum, in uarias regiones dissipabo; &, ut lutum platearum, comminuam. Cum enim impie, atque nefarie, ab imperio meo defecerint; cum ad officium, neque tantis cladibus uexati, redire noluerint; cum meis sanctionibus, immani odio penitus imbuti, perpetuo repugnauerint; cum denique bellum inexpiabile cum lege mea gesserint; ius Diuinum flagitat, ut non modo opera mea minime subleuentur, uerum & opibus meis funditis cuersi corruãt, & in ruina conterantur. Iactura quidem dolenda esset, & imperij tanta deminutio ægerrime patiẽda, nisi tu, Domine, hoc damnum, commodo nimis amplificato, resarcires. Eripies enim me ab huius ingrati populi rebellione, & gentium innumerabilium, quæ fuerãt antea a placitis tuis alienæ, principem, & imperatorem, constitues. Gentes, quas nullis beneficijs, quæ ad salutem sempiternam ualerent, obstrinxeram, quæ nullis disciplinis ad notitiam nominis mei instructæ fuerũt, simul atque illorum oculis splendor cælestis affulsit, & salutaris lex ad aures eorum allata fuit, repente animis commutatæ sunt; atque sese mihi singulari fide subdiderunt; filij alieni suorum opinionem fefellerunt; cum a principibus suis animo magno, & libero, defecerunt, ut mihi inflãmato studio seruirent. Quod quidem non, absque mirabili animorum motu, fieri ab illis potuit. Cum enim memoria tenerent gentes alienæ, sese uitam in flagitijs, & turpitudine, contriuisse, dolore simul, & pudore, conturbatæ, finem actionibus suis attulerunt; & ex penetralibus suis operam dederunt, ut crucem operibus suis, cum singulari animorum firmitate, defigerent. Laudibus sempiternis efferatur Dominus, inuictum uitæ meæ præsidium; & in omni sæculorũ eternitate, ingẽti uirtutis immensæ præconio, celebretur; qui salutis magnitudinem, cuius me auctorem, & principem, esse uoluit, extulit, & amplificauit, cum gentes ex ultimis etiam terris ad communionem illius euocauit. *Eorum quidem scelus, qui meum imperiũ accipere noluerunt, acriter ultus est; illorum uero loco, complures populos sub imperium, & ditionem meam facillime subiunxit. Liberauit me ab inimicis meis; & ab hostium importunitate defensum in loco sublimi, & excelso, constituit; ab immanissimi tyranni uiolentia, qui me opprimere conabatur, uitam meam præsidio suo custodiuit. Propterea laudes tuas in gentibus prædicabo, Domine; & nomen tuum carminibus in cælũ feram. Nam regis tui salutem multis muneribus, & ornamentis, auxisti; Christumq. tuum Dauid sempiterna clementia protexisti. nec enim uoluisti, ut ullis umquam sæculis a tua misericordia esset semen illius excluſum. Est enim ab illo satu Diuino propagatum.

Dedisti mihi protectionem.

Persequar inimicos.

Eripies me de contradictionibus populi.

Filij alieni mentiti sũt mihi.

Filij alieni inueterati sunt, & claudicauerũt a semitis suis

Cæli enarrant gloriam Dei. Psal. 18. apud Heb. 19.

NEmo, qui rationis particeps sit, in religionis uel cõtemptu, uel obliuione, potest se, ignorationis excusatione, defendere; cum omnes naturæ partes clarissimis uocibus testificentur, esse uim Diuinam, atque sempiternam, summumq. rerum omnium Dominum, cuius potentia a principio omnia designata, & constituta sunt, & in omni temporum uarietate regantur, & cõseruentur, statumq. suum moderatione eiusdem optimi parentis obtineant. quod hoc in loco Dauid admodum luculenter edisserit. Cæli, inquit, claritas, & amplitudo, Dei immensam gloriã prædicat; operaq. illius admiranda superæ regionis firmamentum, & excellẽs decus, annuntiat. Primum enim, naturæ cælestis magnitudo, omnia, quæ sub sensum cadere possunt, complexu suo coercet, & continet; &, cum circum axem, cum incredibili celeritate, sine ulla intermissione, feratur, terris stabilitatem dat, & formas, quas ambitu circumdat, fœderis insigni uinculo deuincit. Est deinde astris elegantissime distinctum, luminibus clarissimis illustratum, ornamentis sempiternis excultum; ut nihil cogitari possit in omni natura, quæ cerni oculis possit, aut specie pulchrius, aut splendore magnificentius. Iam uero, lex, ordo, cõuenientia, qua

Cæli enarrant.

qua cælestes orbes cursus suos definiunt, & concentum suauissimum ex diuersis motionibus ad unam rationem pro certo numero, & portione, reductis efficiunt, tam admirabilis est, ut ea sola clarissimo testimonio Diuinæ sapientiæ magnitudinem in oculis, & adspectu, proponat. Vt enim turbatio, & confusio, temeritatis argumentum continet; ita ordinis insignis constantia, summæ sapientiæ significationem dat. Iam uero, utilitates, quæ ex opere tam præclaro capiuntur, eiusmodi sunt, ut nullius oratione explicari possint; cum & magnitudine humanum ingenium superent, & innumerabiles sint. Animantium namque salus, uitæ iucunditas, fructus, quos uel terræ profundũt, uel aquæ suppeditant, cælesti beneficio continentur. Cælum igitur nobis summi conditoris potentiam demonstrat; sapientiam explicat; beneficentiam declarat; omnibusq. modis nos ad cognitionem Diuinæ uirtutis instituit; cum facile constet, omnia fuisse hominum gratia a Deo condita, omnibusq. suis numeris absoluta. Quid dierum, & noctium, uicissitudines, temporumq. uarietates, oratione commemorem? An non liquet, diebus prope singulis aliquid afferri, quo, si uelimus uires mentis excitare, non sapientiæ muneribus augeamur? An noctes ipsæ non multa cognitionis instrumenta suppeditant, quibus in cælum cogitatione penetremus? Naturæ igitur peruestigatio nos facillime ad Dei notitiam sine litteris, & sine ope ullius humanæ artis, erudiet. Adde, quod hominum disciplinæ certis regionum finibus continentur, neque possunt ita late diffundi. Nã quælibet gens natiuum loquendi genus usurpat, reliquis gentibus ignotum, ita, ut, quod uni nationi traditur, non facile ad reliquas transmitti queat. At cæli disciplina, admirabili uia, & ratione, in omnes orbis regiones procedit; mundiq. totius uox. & oratio, ab omnibus nationibus audiri, & intelligi, potest. Nulla enim gens est, quæ non facile possit ex naturæ operibus, quæ oculis omnium noctes atque dies subiecta sunt, uim Diuinam cogitatione complecti, rectorisq. summi Diuinitatem contemplari. Porro autem, cum summus rerum opifex sidera finxit, & informauit, tum Solem præcipue magnitudine lucis instruxit, qua omnes mundi partes collustratæ nitescerent. In cælo illi domicilium, & sedem, constituit, in qua locatus, simul cum ipso cælo conuersionem ordinatam conficeret, & temporum distinctiones constantissima ratione terminaret. Itaque, ut sponsus, de thalamo suo progreditur, ex fecunditate, quam naturis inducit, exhilaratus; atque, inuicto robore, munitus exsultat, ut cursum expedite conficiat. Nihil est enim, quod uires illius infringat, aut celeritatem remoretur, aut actiones impediat. Tenebras enim discutit; crassum, & caligino sum, cælum dissipat; uim uitalem, & salutarem, cunctis rebus impertit. Neque solum lucem suam in omnes terras spargit; uerum propagandæ soboli uirtutem, & efficientiam, cunctis animantibus, & arboribus, & plantis, elargitur. Vi illius, quæ sunt iam per illum seminibus grauidata, sobolem procreant, &, quæ sunt generata, nutriuntur, & ad maturitatem perueniunt; ut rursus simile fetum propagent; ne umquam in terris ullum genus, & forma, deficiat. Vt autem hæc omnia peragat, a cæli extremitate ad aliam extremitatem cursum incitat, ut totius cæli amplitudine diurna conuersione lustret; & ita progressionem annuam temperat, ut non sit regio ulla, quæ ab illius calore deseratur. Ordine namque mirabili, ab Austro ad Septemtrionem iter instituit; & rursus a Septemtrione ad Austrum conuersionem facit, ut omnia luce compleat; & florum, & fructuum, copia, & ubertate, lætificet. illius enim accessu, cuncta uiresc unt, atque frondescunt; abscessu illius, ornatu spoliata, contrahuntur. Postremo, multis modis imaginem refert illius Solis, quo mentes humanæ, quæ lumen minime fugiunt, illustratæ collucent. Et, his quidem naturæ operibus, optimus, ille parens, & Dominus, homines ad sui notitiam erudit, & ad communionem cuius dam Diuinitatis inuitat. Sed hoc non fuit summæ bonitati satis, nisi etiam beneficium sanctissimæ legis adiungeret, qua nihil poterat esse præstantius. Superat enim lex Diuina uniuersæ naturæ decus, & magnificentiam. Primum enim est castimonia, & integritate mirabili. omnes nãque sordes expellit; cuncta flagitia detestatur; puritatem summo studio sancit; nihil omnino decernit, quod non sit purum, & sanctum, & ab omni turpitudinis fœce longissime segregatum. Deinde, eas uires, postquam est mentibus humanis opera sancti Spiritus incisa, consequitur, ut animas ab impuritate uitę ad pietatis studium traducat. Continet prœterea Diuinum testimonium, quod non potest ulla suspicione uanitatis infirmari. Est enim Deus, constans in omni eternitate boni tas, atque fides, & ueritas sempiterna. Cum igitur Deus in lege nobis omnia pietatis officia præscribat, & uerę uirtuti sempiternæ glorię præmia proponat; consequens est, ut animi, fide Diuinæ promissionis erecti, terras deserant, & in cælum euehantur, & opibus Diuinæ sapientiæ cumulentur. Itaque legis beneficio sapientes fient, non qui sibi omnia animis insolenter arrogant; sed qui se coram Deo prudenter abiiciunt, omnemq. rationem salutis, & dignitatis, in Dei gratia, & benignitate, reponunt. Sic enim Deus superbos, & insolentes, expellit, ut humiles, atque moderatos, adsciscat, quibus sapientię suę arcana communicet. Cõplectitur prœterea lex exactissimam iuris æquitatem. Nihil enim gratiæ concedit; nulla offensione, a iustitię prescripto deducitur; omniaq. officiorum momenta exactissimi ponderis examine, atque ratione, perpendit. Quid dicam de uoluptate illa eximia, qua cumulantur animi eorum, qui lege Domini confirmati sunt? Nihil est enim, uel opibus affluentius, uel gloria magnificentius, uel presidio inuicto munitius, uel animi pace tranquillius, eorum condicione, qui iustitia florent, & spiritu Domini perfruuntur. Quo circa, necesse est, cum se uideant tantis opibus, & ornamentis, redundantes, ut lętitia incredibiliter efferantur. Prœcepta Domini singulari claritate splendent, & oculos illuminant; ita, ut, qui se ad illorũ ductum adiun-

Non sunt loquellæ.

In Sole posuit tabernaculũ suũ

A summo cælo egressio eius.

Lex Domini immaculata.

Testimonium Domini.

Iustitię Domini lętificantes corda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Timor Domini sanctus.

adiungunt, labi, & errare, non possint, eo quod cernant clarissime uiam, qua sit in cælestem patriam, absque ulla graui offensione, properandum. Adde nunc Diuinæ legis constantiam, & æternitatẽ, ad quam Dei metus, atque insignis uitę puritas, uiam egregie munit. omnia labuntur, & fluunt, & momento tẽporis extinguuntur, ita, ut ea etiam, quę uidentur esse firmissime stabilita, sint interitu consumenda, usque adeo, ut neque cælum, neque terra, possint immortalitatem sibi polliceri: sola tamen Diuini uerbi sententia est eodem statu, atque dignitate, semper immobilis permansura. Itaque, cum sit æterna, efficitur, ut omnes, qui sunt illius sanctionibus alligati, æternitatem consequantur. Sed, quid tandem est in singulis rebus diutius immorandum? Satis est ad legis Diuinę perfectionem explicandam, statuere, omnia Dei iudicia esse constanti fide roborata, & singulari iustitię obseruantia cõstabilitas; ut intelligi possit, nihil esse nec siderum pulchritudine, nec in Solis splendore, nec in cęli constantia, neque in totius naturę concinnitate, cum illius uel amplitudine, uel elegantia, uel utilitate, uel luce, uel æternitate, comparandum. Cui igitur potest esse dubium, quin Dei iudicia sint magis, quam auri purissimi ingentes acerui, sanis hominibus expetenda; illorumq. suauitas mellis e fauo defluentis dulcedini longe prępononda? Mundi igitur fabrica Dei gloriam clarissimis argumentis illustrat; sed longe clarius lex Diuina, in mentibus humanis impressa, & insculpta, eiusdem Domini sempiternas laudes exornat. In hoc etiam maxime tantę dignitatis magnitudo declaratur, quod, cum beneficium sit amplitudine maximum, dignitate clarissimum, diuitijs opulentissimum, atque adeo Diuinitatis cuiusdam opibus ornatissimum, neminem tamen uoluit clementissimus Dominus esse illius expertem, modo uellet uera bona fallacibus, cælestia terrestribus, sempiterna fluxis, & interituris, anteferre, & in salutis ipsius auctorem puris semper oculis intueri. Immo, quo dona maiora sunt, ex magis prompta, atque parata, sunt omnibus, qui illis potiri uoluerint. Summæ namque bonitatis proprium est, non opes inuidiose comprimere, sed summa largitate, & beneficentia, eas omnibus, qui magna, atque præclara, concupierint, elargiri. Nam & ego ipse, quamuis humilis & abiectus, sim, & tantis muneribus prorsus indignus, minime fui ab aditu tam admirandæ benignitatis exclusus. Hic etiam, inquam, seruus tuus, o Domine, legis sanctissimæ disciplinis instructus, uitam sapienter instituet; &, cum præceptis tuis fuerit obsecutus, amplissimam mercedem assequetur. Est enim hoc ualde etiam in magnitudine tuę bonitatis admirandum, quod amplissimis muneribus ea seruorum officia remuneras, quæ non possunt, absque nefario scelere, & insigni perfidia, prętiri. Sed, quis tandem officium suum cumulate pręstabit? Quis sibi commissum munus adeo nigilanter exsequetur, ut nusquam offendat? Viæ sunt ita lubricæ, ut uix quisquã ita possit firmare uestigium, ut minime labatur. Adeo multi errores in uita uersantur, ut difficillimum sit, ab officiis delicta secernere. Si ergo hęc omnia ad uiuũ resecta fuerint, & tu nostras actiones ad exactissimam legis normam reuocaueris; quis in uita poterit innocentiam tueri? Precor igitur, o clementissime Domine, ut non summo iure mecum agas; & mihi ea, quæ in me, per ignorantiam lapsus, admisero, clementer ignoscas. Ea uero, quæ obfirmata in suscepto scelere uoluntate fiunt, & a contumacia depromuntur, prohibe, Domine, ne me fœde contaminent, & a gratiæ tuæ coniunctione diuellant. Quantum enim in me fuerit, opera dabo, ne, superbia ductus, in contemptum tuæ legis incurram, & sponte mea nefarie delinquam. Id tamen pręstare nullo modo potero, nisi tu me prędio tuo munieris. Quod si me tutum, & incolumem, a superbiæ malis conseruaueris, & ita nullum aliud peccatum animũ meum dominatu oppressum tenuerit; tunc eam innocentiam retinebo, quæ potest ab homine pietatis amantissimo, in hac imbecillitate naturę, retineri; & contagionem sceleris detestandi a me propulsabo. Tunc igitur clementia tua fiet, ut oratio mea tibi grata sit, & meditatio cordis mei in conspectu tuo iucunda, o Domine summe, cuius prędio defensus, &, persoluto pretio, in libertatem uindicatus sum.

Etenim seruus tuus.

Delicta quis intelligit? ab occultis munda me & ab alienis parce seruo tuo.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis. Psal. 19. apud Heb. 20.

REx Summus, atque sempiternus, qui imperium Cruce stabiliuit, cum esset etiam sacerdos sanctissimus, qua die in Crucem actus fuit, & Regni sui opes firmauit, & sacerdotij munere perfunctus est. Hostium enim copias excidit, & proprio sanguine litauit. Hoc igitur sacrificium prospiciens spiritu Dauid, exclamans, ait: Exaudiat te Dominus eo tempore, quo doloribus eximiis cruciaberis; contumelia laceraberis; impetum hostium patientissime sustinebis. Protegat te uirtus Dei, qui Iacob, generis nostri principẽ, ærumnis afflictum, & sollicitudine summa conturbatum, ex malis, quibus erat circumuentus, eripuit. Mittat similiter tibi prędium de templo sancto suo, in quo sedem sibi exstruxit, ut inde sanctorum precibus, & uotis, occurreret, & ex Sion ne cęlesti auxilium tibi præsentissimum, cum in te hostium furor exarserit, importet. Teneat ille semper memoria oblationis tuæ sanctitatem, & sacrificij acceptissimi religionem, quã illum placandum suscipies. Non enim pecudes immolabis; non hircorum, aut uitulorum, sanguinem fundes; non odores terrestres adolebis; sed te ipsum ad sacrificium offeres; precesq. sanctissimas adhibebis, quibus nos, a lege Diuina nefarie dissidentes, cum Deo in gratia ponas. Cum uero in lege illud sacrificium omnium gratissimum esse uideatur, quod totum flammis absumitur, illud certe sacrificium acceptissimum, atque gratissimũ, patri

Exaudiat te Dominꝰ.

Memor sit omnis sacrificij tui.

patri fore confidimus, quod erit a te igne ardentissimi amoris inflammandum. Amor enim te ad supplicium adiget; illiusq. uis tibi uitam eripiet, ut uitam multis mortalibus opere caritatis ardẽtissimo largiaris. Nihil est enim Deo, in procuranda religione, animo uehementer inflammato iucundius. O admirandum Diuinæ caritatis exemplum, in omni sęculorum æternitate, hominum, & angelorum, prædicatione, celebrandum. Serui liberandi gratia, Dominus immolatur; ut hominis nocentis scelus expietur, innoxius sanguis, atque plane Diuinus, effunditur; &, ut ignis cælestis in animis hominum, qui fuerant a cæli conspectu diuulsi, implicetur, Diuini amoris incendium ab ipso Dei filio, quo ipse ardeat, cacitatur. Erit igitur hoc sacrificium Deo gratissimum, qui postulatis tuis omnibus egregie satisfaciet; illiusq. gratia, & benignitate, consilia tua exitum felicissimum consequentur. Mors enim ad uitam aditum aperiet; ignominia decus, & honestatem, constituet; mentes, humi defixæ, cælestem Maiestatem intuebuntur; homines, addicti flagitiis, in studio Diuinæ uirtutis elaborabunt; gentes, a Diuinis placitis alienæ, acerrima sese contentione ad tuum nomen adiungent: quarum tandem æmulatione prouocatus Israel, e tenebris emersus, lucem amissã recipiet. Huc enim preces tuæ referuntur; huc consilia tua diriguntur; ut omnibus, qui tantum beneficium contumaciter aspernati non fuerint, æterna salus afferatur. Quod quidem admodum feliciter effectum Dei parentis benignitate conspicies. Non igitur, ut sperabant improbi, fuit morte tua interitus cogitationibus tuis sanctissimis allatus; immo tunc omnia, quę mente uersabas, fuerunt egregie constituta. Exsultabimus igitur, Dominiq. laudes concinemus, & salutem, non exiguo tempore definitam, sed sempiternam, non Iudęæ finibus inclusam, sed in omnes gentes latissime diffusam, quam Deus opera tua nobis attribuit, celebrabimus; & signũ, ad quod omnes gentes undique confluant, erigemus. Multi namque mortales tibi nomina dabunt; apud te sacramento dicent; sub te imperatore stipendia facient; illustremq. uictoriam de perenni hoste generis humani consequentur. His operibus admirandis, certus sum, Deum salutem Christo suo contulisse; fieriq. non posse, ut ullo tempore postulata illius repudiet. Itaque, precibus illius a ſeueritate ad misericordiam inflexus, dexteræ suæ robore fundit hostes, prosternit acies, & eorum, qui te sequuntur, salutem, & dignitatem, mire constituit. Hac igitur fide muniti, nullum bellum metuemus; nullas hostium minas formidabimus; nullę res, specie horribili metuendæ, nos de mentis statu deijcient. Alij quidem curribus inuecti nos adorientur; alij equos in nos acriter incitabunt; at nos Domini, & imperatoris, nomen fidenter inuocabimus. & illi quidem, uiribus elati, animis, atque telis, instructi, multitudine circumsepti, cum in nos impetum tulissent, miserrime conciderunt, & ruina grauiter oppressi sunt; at nos, ab opibus humanis inopes, omniumq. mortalium auxilio destituti, constitimus, & uictoriam adepti sumus. O Domine, salutem conferi; Regniq. huius statum perpetua felicitate confirma: ipse Rex summus, qui omnia potestate infinita complectitur, nos exaudiat, quoties illius nomen inuocabimus.

Domine, saluum fac regem, & exaudi nos

Lętabimur in salutari tuo.

Et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Nunc cognoui.

Domine, in uirtute tua lætabitur rex. Psal. 20. Apud Heb. 21.

EVndem Regem, quem Dauid præcedenti carmine celebrauit, hoc, quod sequitur, laudibus Diuinis ornat; & illius Maiestatem, & ampiitudinem, luculentissima oratione complectitur. Non enim se, neque Solomonem, neque quemquam alium Regem, definito imperio florentem, laudibus efferendum suscipit, sed illum summum cæli imperatorem, Regem sempiternum, in Sione a patre summo constitutum, admiratur, & extollit; illiusq. Diuinam uirtutem elegantissimo dicendi genere describit. Sic igitur Deum alloquitur: Domine, patientia tua lętabitur Rex, & salute, quam imperio, & opibus illius attulisti, mirabiliter exsultabit. Cum enim lætitia e lumine ueræ uirtutis oriatur, consequens necessario est, ut maximis uirtutibus maximæ lętitiæ sint affines. Ego cum nullius uirtutis decus sit cum Regis huius sanctissimi decore, & honestate, comparandum, certe constat, gaudium, quo triumphat, esse omnium maximum, maximisq. munerum, & donorum, accessionibus amplificatum. Non enim opibus humanis, sed Diuinis, efficitur; non bonis interituris, sed æternis, cũ insigni gloria, cumulatur. Viribus namque tuis hostes domuit, atque contriuit; salutemque, benignitate tua egregie constitutam, suis impertiuit, quæ non poterit ullis umquam sæculis interire. Quis igitur animi tam florentis, atque beati, lætitiam explicare dicendo poterit? Vo torum omnium compos effectus est; quæ optabat, feliciter inuenit; quæ flagitabat, impetrauit; cuncta, quæ uoluit, ei cumulatissime præstitisti. Optabat suis lucem, at tu eos oẽs clarissima luce collustrasti; postulauit illis libertatem, tu uero eos in sempiternã libertatem asseruisti; omniaq. tandem, quæ uehementer expetiuit, de te consecutus est. O admirabilem Diuinæ benignitatis amplitudinem, quæ tam effuse omnes Diuinas opes in humanum genus, Christi meritis, & sanctitate, congesit. Itaque non lente, & fastidiose, sed tã libenti animo, & cum tanta festinatione, ut liberalitas tua orationem illius anteuerteret, & propemodum prius, quam eius preces ad aures tuas peruenissent, omnia bona tua, insigni iucunditate referta, in illum contulisti; coronam, ex auro purissimo factam, capiti illius imposuisti, ut Regnum sempiternum legibus sempiternis adstringeret, & remp. diuitiis ueris simis opulentam redderet. Nominis æternitatem a te postulauit, quam ei liberalissime cõcessisti; æui sempiterni spatium Regno suo concupiuit, & non fuit uoti sui fructu, aliqua ex parte, destitutus. Sic enim statuisti, ut nulla malorum tempestas, aut sęculorũ uetustas,

Domine, in uirtute tua lætabitur rex.

Desideriũ cordis.

Quoniam præueniſti eum.

Vitam petiit a te.

Regnum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Regnum illius labefactaret; sed semper eadem uis,& maiestas,& gloria,Regis,& Imperatoris,no stri opibus summis exaggerata permaneret.Illustre sane decus,& amplum,illius exstitit,cum abste fuit salutem,quam suis conferret,adeptus.Omnes enim, quibus Diuinæ lucis splendor illuxit, perspectum,& cognitum, habuerunt, meritis illius omnia bona fuisse ad generis humani salutem, tuo beneficio,comparata.Hæc tamen gloria non in uno gradu restitit, sed in dies magis illustrata,& amplificata fuit; cum signis clarissimis, & operibus admirandis,perfecisti, ut decus illius augeretur;& homines, quo lumen clarius assumebãt,eo maiora,& altiora,de amplitudine illius cogitarent. Non enim opes illius, in terra fundatæ, sunt tempestatibus humanis obiectę,sed in Diuino patrimonio,& hereditate, constitutæ,ut in omni æternitate stabiles,& fixæ, permaneant. Illum igitur summa lętitia, quę ex uultus tui splendore ppetuo manat,egregie cumulabis. Rex enim, Dei præsidio nixus, eam fidem constantissime retinebit;&, cum summi,& excelsi, Domini misericordia munitus sit, numquam a statu suo demigrabit, nec a Dei coniunctione diuelli poterit; & ita semper in gaudio summo uersabitur,: quia numquam a lętitię fonte deseretur.Et tamen erit quisquam, ô Rex clementissime, qui te, quem summus pater tantis donis,& muneribus,affecit, tantis uirtutis Diuinę præsidiis instruxit, cuius gratia tam sępe ueniam hominum sceleribus impertiuit,immani odio persequatur? qui,pro acceptis beneficijs,tibi interitum machinetur?qui numen sanctissimum perditis conatibus oppugnet? Vlciscere tantum scelus;ne facinus infandum hostium tuorum maneat impunitum, dextera tua pœnas de tam detestabili,& exsecranda, inimicorum tuorum perfidia reposcat. Cum autem opportuno tempore fuerit a te iudicium cum debita seueritate constitutum,illos, quasi incenso fornace,flammarum incendio cruciabis; ira Dei eos populabitur, & ignis ardore sempiterno cõficiet. Interim uero eorum posteritatem ex terrarum finibus exterminabis, perditorum hominum semen ex hominum memoria funditus euelles. Tenamque odio acerbissimo insectati sunt; tibiq. pestem impie machinati sunt,eaq. consilia susceperе, quę ad exitum perducere minime potuerunt.Ipsam namque lucem tenebris obruere, uitæ fontem morte delere, decus sempiternum insigni dedecore maculare,conabantur.Irritis igitur conatibus in cęlum inuecti sunt;& temeritatis in suꝑ, & extremę dementię, pœnas luent. Eos namq. libertate spoliabis,ut humeris suis intoleranda pondera, & tyrannorum immania tributa, sustineant;sagitisq. frequenter emissis grauissime sauciabis,usque eo,dum in cruciatum sempiternum coniicias.Fac,o summe Domine, insigne iudicium tuum;& arma tuæ potentię, atq. iustissimæ seueritatis,assume;ut hymnis,& canticis,potentiæ tuę magnitudinem celebremus.

Quoniam dabis eum in benedictionem.

Inueniatur manus tua omnib⁹ inimicis tuis.

Deus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? Psal. 21. Apud Heb. 22.

HOc in loco uir Diuinus,instinctu Diuini Spiritus, Christum inducit,cruciamenta,quę pertulit,acerbissime lamentantẽ;ut deinde postea tiores glorias, ut Petrus ait, quas sibi cruciatibus comparauit, ostenderet. Inquit igitur ipse nostrę salutis architectus, qui se ad supplicium pro nobis obtulit:O Domine, quem semper amaui,colui, ueneratus sum;in quo solo omnia præsidia uitę constitui;cur me in tam insigni calamitate deseris?Num ob id,quod opem tuam non imploro? Hoc dici non potest: tanta enim contentione ad te clamo, ut uox mea, ui summi doloris emissa, magis rugitus leonis, quam uox humana,uideatur.Et tamen,quo magis inclamo, eo longius remedium nręe salutis abscedit. Die clamoribus summis auxilium pero,& non exaudis; nocte,cũ lacrymis,& fletu, ut misericordiam mihi tribuas, oro, & tamen nullum experior acerbissimi cruciatus alleuamentum.Dicemus,te eorum res,qui nomen tuum metuunt, & in te spem suam positam habent,negligere?Nullo modo. Nam in templo sancto tuo sedem collocasti,ut tuorum preces audires; &, cum, presi ærumnis, exclamarent, opem confestim afferres.Porro autem, hęc semper fuit populi tui gloria, ut numquam sine fructu ad gratiæ tuæ thronum confugeret;&, cum reliquę nationes a diis commenticiis,quibus erroris opinione supplicabant, auxilium flagitarent, frustra in auxilio flagitando laborarent, hi soli, qui ad te,uerum Deum, pie, atque fideliter,adibant,remedium pręsentissimum continuo sentiebant. Quis enim fuit umquam eorum, qui in te spem salutis suæ ponebant,ab ope tua derelictus? Patres nostri tibi se firma fide commiserunt, & fuerunt ope uirtutis tuę potentissima liberati. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt; in te omnem spem salutis,& dignitatis,collocatam habuerunt,& nullo ex ea fide dedecore contaminati sunt.Non enim eos fefellit spes,quam in te,unico uitę prędio,collocarant. Quid igitur dicam?Mihi soli esse clementiæ tuę magnitudinem, quæ semper omnibus patuit, qui in fide tui sanctissimi nominis acquiescunt, intercłusam? Mihi soli fontem inexhaustum, atque perennem,immensæ benignitatis exaruisse?me solum,in tanta sanctorum hominum multitudine, ope tua destitutum, inimicis deridendum, atque cruciandum, relictum esse? Num dici potest, illos sanctos patres, qui a te adiuti sunt, e grauissimis malis ereptos fuisse; me uero multo leuioribus afflictari? Non prorsus. Quis enim umquam grauiores dolores hausit,acerbioraq. supplicia perpessus est?Omnes in me sic animis efferati sunt,ut nihil mihi secum commune esse statuant;& proinde, quamuis me uideant intolerandis doloribus excruciari, ad nullam partem lenitatis, & mansuetudinis, impelluntur. Itaque me non hominem, sed uermiculum,

Deus Deus meus.

Longe a salute mea uerba delictorũ meorum.

Tu in sancto habitas.

Ego autem sum uermis

culum, ducunt. sum hominum insigne dedecus, & probrum multitudinis,illis,qui me sequuntur, obiectum;ita,ut multi ex meo nomine contumeliam sumant,quam in illos,quos uelint,conscindere maledictis intorqueant.Omnes, qui me uident, mihi petulanter illudunt; labia distorquent; crebris capitum motibus, meis cladibus insultant;eaq. maledicta iaciunt, quæ in contumeliam tui nominis,& gloriæ,redundãt.Sic enim loquuntur:Id semper hic præsetulit, ut ex omnibus curis suis in solo Deo,unico suæ uitæ prędio, cõquiescerеt. Videamus igitur,huius fidei quem fructũ ferat. Liberet nunc eum Deus; dolorem abstergat; uulnera sanet; cumq. a mortis faucibus eripiat, si actiones illius gratia sua complexus est. Hæc illi sæpe dicunt. Quibus uerbis non mediocrem ignominiæ maculam sanctitati tui nominis inurunt.Cum enim me temeritatis insimulant,quod humanis opibus omnino contemptis, te solum salutis uindicem, & uitæ defensorem,adoptauerim,non de tua fide male sentiunt? Non secum statuunt, te supplicum tuorum salutem negligere?Non opinantur, te minime seruare pacta, quibus te ad spem tuis afferendam fœderibus sanctissimis adstrinxisti? Hæc igitur contumelia, quam in me iaciunt, nomen tuum grauissime lædit;&,cum mihi uitio uertunt, quod uitã non alio præsidio, quam spe benignitatis tuæ, munierim,indignissimum cõuiciũ tuę probitati, promissorum tuorum constantię,faciunt.Suscipe igitur,Domine,causſam dignitatis tuæ; eorumq. audaciam comptime,qui laudibus tuis maculam insignis dedecoris adspergere nituntur. Si igitur clementię magnitudo,qua semper erga tuos usus es; & si doloris asperitas, qua indignissime torqueor;si gloriæ tuę causſa,quæ ab improbis hominibus infando conuicio uiolatur;si omnes istę rationes a te misericordiam flagitant; cur diutius, quam imbecillitas humana sustinere queat,opem tuam differendam censes? Nec enim dici potest, uel te meum nomẽ odio semper habuisse, uel me me parum sanctę religionem tuam coluisse. Tu enim me ex utero genitricis eduxisti; & in uberibus matris meæ gratia tua protexisti;beneficio tuo singulari,me mater enixa est;ut tibi ardentissimo studio,& acerrima contentione, seruirem, in lucem editus sum;& iam ex utero matris meæ tu mihi Deus fuisti;& ego ad religionem tuam sanctissimę procurandam,Spiritus tui monitis,& disciplinis,incitatus sum;& ita me semper gessi, ut numquam imperium tuum ullo modo recusarem.Si igitur me semper insigni fauore, & gratia, amplexus es; & ego te summa semper fide ueneratus sum;uide, quantum ad dignitatẽ tuam pertineat, me præsidio tuo e tãtis cruciatibus educi. Te igitur,quantum possum,oro,& obsecro, & per immensam magnitudinem tuæ probitatis obtestor, ne præsidium tuum a me longe remoueas, cum tam prope sit angor, & cruciatus; & nemo sit,qui auxilium ferat. Circumdederũt me uituli permulti, & tauri ualde truculenti me obsessum tenuerunt. Non homines, sed immanes belluæ, sunt ij,quos in me odium,& furor,incitauit;& illorum omnium conatus eo comparantur, ut me omni crudelitate dilacerent.Quilibet eorum impudẽtissimi oris hiatu mihi maledicit; & quasi leo,ut rapiat,atque dilaniet, in me furenter inuehitur.Effusus sum,sicut aqua; omnia ossa mea locis diuulsa,atq. dissipata sunt;cor meum,intra uiscera mea liquefactum, tamquam cera, diffluxit; robur meum, ut testa exsecarum,contabuit; lingua mea palato meo uehemẽter adhæsit; corpus meum uulneribus concisum,& plagis fœde contusum, in mortis puluerem detruſisti. Ea enim, quæ hoſes impii in me nefarie moliuntur, & efficiunt,ad tuũ permissum reuocanda,sunt eo quod per te a pestifero conatu depelli facillime potuissent.Illi, te inspectante, ut canes,hotribili latratu,me,ut morsibus discerperent, circumdederũt; homines malefici, consensione sceleris in meam perniciem conspirantes,me circumuenerunt;manus meas, & pedes meos, immanissime transfixerunt;arcus mei tanta ui distenti sunt, ut emineant ossa mea,ita,ut a me numerari possint. At illi,nihilo mitiores effecti,oculis in me defixis,uoluptatem e cruciatu meo capiebant; &,sanguine meo in eorum adspectu profuso,suam crudelitatem satiabant.Milites, qui me ad crucem adegerant, inter se uestem meam diuiserunt; tunicam uero(non fuit enim illis consilio tuo permissum, ut eam similiter diuiderent) sorti commiserunt, ut eam is,cui tali iactus contingeret,solus asportaret. Sic autem de rebus meis inter se deliberabant,ut appareret,animos omnium, desperatione meæ salutis, occupatos fuisse. Nunc igitur, o Domine, cum hostes se uictoriam consecutos arbitrantur,robur inuictum tuæ uirtutis assume; & ostende, nullam esse uim, quæ potentiæ tuæ possit obsistere; cum etiam mortem, quæ omnia demolitur,exstinguat.Hoc autem explorate perspici poterit, cum me, uita functum, & in sepulcro conditum,in uitam reuocaueris. Tu enim es uita mea,atque robur meum. Si igitur a me digressus minime fueris, neque poterit uita mea exstingui,neque robur infirmari. Accelera igitur,ut mihi opem feras;& uirtutis infinitæ uim in hominũ oculis,& adspectu, propone; ut quorundam pietas propemodum exstincta reuiuiscat. Libera a gladio mortifero,hoc est,a Satanæ tyrannide, animam meam, tui solius ope confidentem;e leonis faucibus eripe me;& a cornibus unicorniũ qui in me furenter irruunt, ut uitam meam furibunde conficiant.Hostes enim generis humani, qui me, generis humani uindicẽ,crudelissime persequuntur, rabidi canis impudentiam, & leonis immanis truculentiam, & unicornis robustissimi uiolentiam,assumunt; ut non solum mihi uitam eripiant,sed etiam memoriæ nominis mei sempiternum exitium moliantur.Sed absccdant gemitus, querellæ fileant: prędium adest; dolori est finis impositus;summæ gloriæ lumen exoritur. Tantũ igitur abest,ut hostes,quod conantur,efficiant,ut ipse potius sim eorum acies profligaturus, & ipsi morti necem illaturus;ut deinceps nemo sit ex illis,qui ad nomen meum aduncti fuerint,qui uim mortis extimescat. Tunc igitur, summe Domine,

Quoniã tu es, qui extraxisti me de uentre.

Ne discesseris a me.

Quoniam circũdederunt me canes.

Erue a framea.

Tu autem Domine ne elõgaueris.

Narrabo nomen tuũ

cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum de nictis hostibus clarissimum triumphum egero, annuntiabo nomen tuum fratribus meis, & in medio sanctæ concionis te laudibus sempiternis afficiam. Iure fratres meos appello, quos tu, pater sanctissime, filios tuos effecisti. O gentes uniuersæ, quæ hucusque a Diuinis sacris abhorrentes exstitistis, quę gloriam, Deo debitam, ad falsa, & inania, simulacra, per summum furorem, & amentiam, transtuliſtis, animos ad spem firmissimam tantæ felicitatis erigite. Nullum enim est, apud Deum, generis, aut conditoris, discrimen. Omnes igitur, per me, ad societatem gloriæ immortalis, inuitat. Non sunt enim opes Diuinæ per inuidiam comprimendæ, cum Deus opulentissimus sit ad omnes, qui nomen illius inuocant, locupletandos. Vos igitur, gentes, ad tãtum bonum e longinquis regionibus adscitæ, perpetua prędicatione laudate Dominum, cuius gratia, atque magnificentia, fuistis tam Diuinis muneribus ornatæ, & excultæ. Vos etiam, qui Iacob satu propagati estis, hortor, & moneo, ut, patris sanctissimi uestigiis insistentes, Domini nomen, & gloriam, celebretis. Nomen illius reueremini, iudicium pertimescite, omnes, qui ab Israele originem ducitis; & amore complectimini illos, quos Deus ex gentibus uobis fratres adiunxit. Omnes enim Israelis semine procreatos esse cognoscite, quos in unã stirpem, una fides, una religio, unus sensus, & unus spiritus, insecuit. Omnes in memoriam sæpe redigite, quemadmodum Dominus nullo modo cõtemperit, & abiecerit Christi pauperis, quem mundus aspernatur, humilitatem. Numquam ab illo faciem auertit; numquam postulata repudiauit; numquam illius ordinandi facultatem prætermisit. Illum uictoriis mirabiliter illustratum ab inferis excitauit; illum in Maiestatis sempiternæ solio locauit; ut cælum, atque terram, sempiterno imperio contineret. Tuas igitur laudes perpetuo canam; numquam beneficia, quæ in me contulisti, silebo; & coram omnibus, qui pietatem unice colunt, nuncupata uota persoluam. Pauperes, qui fame premebantur, dapibus Diuinis expleti, lætabuntur; qui Deum inquirunt, uotorum rei, Deum perpetuo laudabunt; animiq. uestri, o fratres mei, sempiterna uita perfruentur. Erant quidem homines insitæ legis obliti, officiorum, atque uirtutis, immemores; neque solum memoriam pietatis abiecerant, sed multis etiam se sceleribus alligauerant; qui tamen, beneficio meo, Dei legem in memoriam reuocabunt, & ad Deum incenso aĩo conuertentur, ita, ut, qui antea sceleris immanitate flagrabant, studio, & cupiditate, pietatis inflammentur. Non erit autem hoc tantum beneficium Iudææ angustissimis finibus inclusum, sed cum omnibus gentibus liberalissime communicatum. Ex ultimis enim terrarum finibus innumerabilis multitudo confluet, quæ te, Domine, supplex adoret; & in studium tui nominis incensis animis incitetur. Non enim tunc regnabit libido, non cupiditatis impotentia; non Satanę tyrannis eos, quos in libertatem uindicauero, oppressos importuno dominatu tenebit; sed solius Domini regnum in gentibus erit opibus florẽtissimum, stabilitate fundatissimum, atque sempiterno præsidio munitissimum. Terræ etiam principes cęlestis pabuli suauitatem gustabunt; & illi supplicabunt; & omnes se coram illo in terram abiycient, qui uitam pro salute omnium libentissime profudit. Gens, quæ illi seruierit, in Domini familia, & posteritate, censebitur; iisdẽ uestigiis ingredietur; & populo, qui ex sanctis disciplinis ortus exstiterit, admirantiæ Diuinæ satisfaceret, & suos opibus iustitiæ cumularet, annuntiabit.

Vniuersum semẽ Iacob

Manducauerunt, &. In conspectu eius cadẽt omnes, qui descendunt in terram, & anima mea illi uiuet.

Dominus regit, &c. Psal. 22. Apud Heb. 23.

QVanta cura, & uigilantia, Deus uitæ bonorum prospiciat, nullis uerbis explicari potest. Non enim solum uniuersa ea prouidentia, quæ per omnia pertinet, sed singulari studio, perinde suis consulit, atque si nihil aliud operis, & muneris, habuisset. quemlibet enim illorum alit; instituit; erudit; illum, cum est opus, absterret; cum rursus salutis ratio flagitat, ad se clementer allicit; ab illo omnia pericula propulsat; ita se denique gerit in negotio cuiusuis hominis pij conseruandi, ut nihil malle uideatur, quam illum Diuinis opibus auctum, & ornatum, & in cælesti sede repositum, tandem adspicere. Hanc tam admirabilem benignitatem ut aliquo modo litteræ sanctæ significent, Deum Pastorem nominant, non quod pastoris nomen huius bonitatis immensitatem possit exprimere, sed, ut, aliqua ratione, a rebus a nobis cognitis si militudo ducatur, qua ad notitiam Diuinæ erga nos caritatis adspiremus. ad hanc enim enim caritatem aliqua ratione designandam reperiri uix potest aliquod nomen nomine Pastoris accommodatius. Pastor enim, ea ratione, qua Pastor est, non suum commodum, sed ouium salutem, sibi proponit. Itaque uigilat; calores perfert; frigora sustinet; lupos arcet; gregem in læta pascua deducit, a locis pesti lentibus abducit; omniq. tandem cura, & sollicitudine, laborat, ut pecus sanum, atque bene ualens, sit, & soboles illius multiplicetur. Hac igitur similitudine Dauid mirifice delectatus, ait: Dominus in me alendo, & nutriendo, pastoris officio fungitur. quo circa nihil mihi deesse potest, nec ad corporis, & animi, pabulum, nec ad ualetudinis firmitatem. reliqui enim pastores, uel, propter inopiam, & imbecillitatem, non possunt; uel, propter socordiam, nolunt ouium tincolumitati prospicere. At Deus, cum rerum omnium Dominus, & probitate infinita præditus sit, fieri non potest, ut uel imbecillitate impeditus, uel negligentia ductus officium deserat, & oues suas aut fame confici, aut a feris laniari, patiatur. Cum igitur illi custodiam meæ uitæ commiserim, qui & omnipotens est, & optimus est, nullius rei indigentia uexari possum. Operam dat, ut in locis herbidis, & amœnis, accumbam; & pastum me ad aquas summæ iucunditatis adducit, ut sitim meã facillime

Apud te laus mea.

Reminiscẽtur. conuertentur.

Dominus regit me.

In loco pascuæ ibi me

lime copia, & ubertate, sui spiritus exstinguat. Quod si casu dispulsus a uia deflexero, is continuo animam meam conuertet, & in uiam reuocabit, & per semitas iustitię deducet, ut omnes uiæ meæ ad legis sanctitatem dirigantur, ut ab eo gloriam immortalem adipiscar. Et hoc quidem iustitię dono, & munere, quo nullum potest esse clarius, & magnificentius, aut quod magis ad splendorem Diuinæ lucis accedat, me donabit; non meritis meis, sed gratia tantum sua, prouocatus. Nã, quę merita mea gratiam illius antegredi potuissent, quæ illum aliquo nexu iuris obligarent ad flagitiorum meorum offensiones prorsus obliterandas, & similitudinem suæ pulchritudinis in animo meo penitus insculpendam? Non igitur mihi, non meis cogitationibus, & actionibus, sed nomini suo sanctissimo, hoc tãtum munus attribuit, cum me a peccatis eripuit, & in iustitię Diuinę fructu, & possessione, collocauit. Neque solum me cumulat beneficiis sempiternis, uerum & inuicto præsidio communit, ne hostium insidiis spolier, &, a uia salutis abstractus, in barathrum miseriæ detrudar. Hoc est enim summæ bonitatis officium, ut omnem muneris sui gloriam, quam suis elargitur, præsidio suo protegat, ne possint opes Diuinę de manibus eorum, qui in Dei gratia positi sunt, hostium uiribus extorqueri. Si igitur, o pastor optime, & uigilantissime, per uallem crassam, & caliginosam, horrenda tyrannide mortis oppressam, iter habuero, minime pertimescam, quoniam tu mecum semper es, ut me ab omni calamitate incolumẽ tuearis. Virga tua, qua me dirigis; baculus tuus, quo me sustentas, mihi maxima solatia dãt. Quo modo enim possum ærumnis angi, aut doloribus ullis succumbere; cum animaduertã, quam singulari disciplina me erudias, monitis instituas, subsidio tuearis, iucunditate permulceas? Ne labi autem, & concidere, possim, uires meas reficis; mensamq. dapibus Diuinis instruis, quibus in conspectu inimicorum meorum ualde confidenter utor; ita, ut nec illorum minas metuam; nec impetum, contra imbecillitatem naturę factum, reformidem. Vires enim colligo, quibus facillime conatus eorum despiciam. Cibus namque cælestis robur cæleste suppeditat; epulumq. Diuinum animum Diuina uirtute fulcit, ita, ut omnes aduersarias potestates, & copias, pro nihilo putet. Perfudisti præterea unguento caput meum: mentem namque meam Spiritus sancti gratia cumulasti, qua copiosissime delibuta nitescat, & odores suauissimos longe diffundat, & ad sempiternas uoluptates odoris summi fragrantia deducatur. Quid dicã de poculi illius repleti dulcedine, qua animum meum lætificas, & studio immortalitatis incendis? Omnibus denique modis bonitas, & clementia, tua me prosequentur omnibus diebus uitę meę, usque eo, dum plenissime iura cælestis ciuitatis adipiscar, & habitem in domo Domini, immortalitatem gloriæ consecutus.

Nam etsi ambulauero.

Parasti in conspectu meo.

Domini est terra, & plenitudo eius. Psal. 24.

NOn satis est, reuocare sępe in memoriã, quæ beneficia in nos liberator generis humani contulerit, nisi simul illius Maiestatem, quoad licet, & fas est, animo complectamur. Quo enim altius de illius amplitudine fuerit a nobis cogitatum, eo pluris beneficia accepta faciemus. Cum igitur Dauid nobis Christi preces, sacerdotis officium, sanguinis profusionem, sacrificij sanctitatem, imperatoris summi uictoriam, exposuisset, nunc ostendit, eundem, qui pro nobis necem, & cruciatum, libentissime perpessus est, qui hostem profligauit, & in cęlum adscendit, ut iurisdictionem sempiternam administret, illum esse, qui cælum, atque terram, condidit, & omnia potestate infinita complectitur. Nec enim dubium esse potest, quin carminis huius sententia ad Dei filium referatur. Quod clarius apparet, cum illius triumphus, & aditus in cælum, describitur. Ait igitur Dauid: Hic summus Dominus, qui patrẽ nobis placauit; qui sanguinem, & uitam suam, hominum generi largitus est; qui in nostra salute conseruanda uigilantissimi pastoris officio fungitur; terræ Dominus est; & omnia, quæ illius amplitudine continentur, & uniuersus orbis, & omnes denique illius cultores, sub illius ditionem, & imperium, subiuncti sunt. Quod mirum uideri non debet, cum ipse terram uniuersam condiderit. Est igitur rationi consentaneum, ut, qui conditor est, sit etiam imperator. Is autem a principio, cum omnia creauisset, & terra fuisset aquis immersa, imperio sanxit, ut aquæ unum in locum defluerent, & terra ex marinis aquis, & ex fluminibus, emineretut; fruges, & pabula, non solum hominibus alendis, sed cunctis etiam animantibus, large suppeditaret. Nunc autem, quamuis aquis circumfusa sit, & undique aeris ambientis motibus assiduis excluſa, adeo stabilita est, ut nullo pacto de loco sibi assignato conuellatur. Vt autem Dominus hic noster non naturæ tantum operibus, uerum etiam cælestibus disciplinis, ad sui notitiam humanum genus adduceret, religionem instituit; & montem sibi dedicauit, quem sanctissimo templo consecraret; ut homines, sacris sanctissimis instituti, ad cupiditatem cælestis, atque sempiternæ, ciuitatis incitarentur. Non enim uoluit, ut in monte terrestri, & in templo hominum manibus exstructo, mentes humanæ resisterent, sed etiam, assidua mentis commentatione, de illo monte, atque templo, cogitarent, cuius id, quod est oculis obiectum, imaginem gerit. O beatos illos, quibus adscensus in cælestes illas sedes datus erit. Quis adscendet in illum montem Domini, sempiterna claritate Diuinę lucis splendentem, & cælitum frequentia, & celebritate, decoratum? Quis ad templum sanctum Domini, in quo ipse non adumbrate, sed uere, sempiterna habitat, altitudine mẽtis adspirabit? Nõ certe

Domini est terra.

Super maria fundauit eum.

Quis adscẽdit in montẽ Domini

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qui non accepit in uano animam suam.

nocentes,& facinorosi;non flagitiis infames; non homines malefici,& in Deum scelerati;sed,qui ab iniuria,& maleficio,manus abstinent, & ita purũ animum gerunt, ut nullum malum cogitatione moliantur;qui nullo modo fidem, qua se ad perpetuum legis Diuinæ studium adstrinxerunt, uiolant;nec homines,interpositi iurisiurãdi religione confidentes,dolo circũueniunt.Hi clementię Diuinæ beneficiis erunt large,& munifice,cumulati, & iustissima meritorum suorũ prędia consequentur.Eadẽ namque opera optimus parens, & Dñs, & misericordię,& iustitię,suę satisfacit.Misericordiæ quidẽ;quia illos, quorũ flagitijs erat infensus, in gratiã recepit,& spiritu suo cõfirmauit,ut opera præclarissima molirentur; iustitiæ uero ; quia Diuinã uirtutẽ Diuinę gloriæ præmio, ornamentisq. Diuinis, affecit;&,quod sef acturum recepe-

Hæc est generatioque rentũ eum

rat,summa fide perfecit.Qui sic uitam instituunt, omnesq. suas actiones ita moderantur, ut numquam a Diuina lege in alterutrã partem declinẽt, ardentissimoq. studio puritatẽ conseruant,in sanctorum patrũ sobole adscribẽdi, & in populo Dei censendi sunt;nõ illi, qui, secundum rationẽ sanguinis a stirpe Iacob propagati,ab illius sanctitate degenerant.Nõ enim seminis propagatio, sed pietatis imitatio,ueros Iacob filios facit.nec enim apud Deum multũ refert , quali genere ortus sis, sed quibus disciplinis, & exẽplo,cõformeris . Qui igitur te quęruut, Domine, qui faciẽ tuam nimis ardenter expetunt,hi filij Iacob numerandi sunt, & non illi,qui Deum non metuunt, & ius humanæ societatis nefarie perfringunt.O sapientissimi iudicis æquitatẽ,qui nihil hominum generi,aut assimulatæ religioni, tribuit ; sed uerissimæ uirtutis studium,& solidæ, & expressæ, sanctitatis rationẽ gratia,& fauore suo complectitur;neque pietatis ostentationem,sed uerissimam religionem , & hominum caritatẽ, prẽmio sempiterno remunerat. Sed uenit mihi repente,quodam instatu, & instinctu,Diuini spiritus,in mentem,admirari illã pompam,& celebritatem, qua Dominus,nostræ salutis auctor,hostibus deuictis,& nostra libertate cõstituta, in templum suum ingredietur.Non de tẽplo,hominũ operis ædificato, in quod arca fœderis inferetur,orationẽ habeo·Non enim signis , & umbris,sed studio ipsius ueritatis,inflammor.Itaque ipsius summi Regis,in aditũ cæli,cũ amplitudine,& magnificentia,summi decoris inuectũ,clarissimã speciem uidere iam uideor; angelorumq. theatrum mihi in oculis,& adspectu,cõstituo; corumq. uocibus circumsonant aures meæ, quibus alij alios excitant,& ad laudẽ imperatori summo debitã perpetuo tribuendam monitis crebris adhortantur. O fores cæli sempiternæ , capita festinanter attollite,aditum confestim aperite ; & introibit rex gloriæ.Fuit quidẽ, post primi hois occasum,cæli aditus intercluſus; & hæ fores nemini umquã patuerunt . Quis igitur est iste tam excellenti uirtutis specie præcellens,ut ad illius aduentum cæli aditus aperiatur?Quis est iste rex glorię? Hominis naturam intuemur, insigni quidem claritate raræ,& insolitæ, dignitatis illustratam ; ingressus tamen in cælum,nisi Diuina uirtus accesserit, nemini concedi potest. Verum . Sed in hoc principe Diuina uirtus semper eluxit. Est enim Deus uerus immensa uirtute præditus, & inuicto robore pręcellens,bellorumq.omnium uictor,insigni gloria in omni æternitate circumfluens. Is enim,in hominis habitu delitescens,Satanæ uires elisit , peccatum inuicta uirtute delcuit , inferorum acies profligauit ; in cælumq. uiam non sibi tantum,sed suis etiam,præclarissime muniuit . O fores cæli sempiternæ , capita festinanter attollite;aditum confestim aperite; & introibit rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Cælestis naturæ Dominus,& cælitum imperator,cui oẽs angeli,atque beatissimæ mẽtes,obtẽperant,est ipse Rex glorię.

Ad te leuaui animam meam. Psal. 24. Apud Heb. 25.

HAc quidem oratione uir sanctus non solum Deũ pro salute propria ueneratur ; uerum etiam nos ad pias preces erudit;&,qua ratione,cũ labimur,excitari debeamus,egregie demonstrat. Dñe,inquit,si naturę meę imbecillitatẽ recognoscam,& animi labẽ,& corruptellã,considerem,ois spes mea debilitabitur, & euanescet;sed,cũ benignitatis tuę magnitudinẽ mente , atque ratione, cõprehendo,rursus erigor,& uires assumo,quibus oĩa mala depellã.In te igitur semper salutis spem aĩo maximo reponã;& ita fore confido,ne ignominiæ,atq. dedecoris,insigni labe cõturber. Non. n. mihi hostes insultabunt,& amentiã obiicient, qđ tui solius openixus sim . Neminẽ enim umquam spes in te collocata fefellit, quia neque potestas tua debilitari, neque fides labare,potest. Nũquã igitur ero ludibrio inimicis meis . Nemo enim, qui in prędidio tui sanctissimi nominis acquiescit,erubescet;quia numquã ab ope tua deseretur. Qui igitur erubescẽt?illi,qui,te neglecto, subsidia sibi inanissima comparauerint.Omnes igitur uitæ meę rationes huc in summa referuntur ; ut te unum spectem; tibi placeam ; a te numquam diuellar ; tecum sim fœdere amoris sanctissimo copulatus . quod fieri nullo modo potest , nisi fuerim tuæ legis obseruantissimus.Eos namq.solum tibi deuincis,qui placitis tuis obtemperant;eosq. a cõiunctione tua repellis , qui legis tuæ imperiũ recusant.Ex quo sequitur,oẽm meę salutis,atque dignitatis, rationẽ esse in legis ardẽti studio cõstitutã.Sed, quis legẽ tuã seruare poterit,in tãta naturę corruptella,& imbecillitate?Nemo certe,nisi is,quẽ tu instituendũ,& erudiendũ, susceperis,& gratia tua cõfirmaueris, ad pietatis munera felicitẽr obeunda,& hostiũ insidias constanti aĩo repellẽdas.Demõstra tu igitur,Dñe,mihi uias tuas; & semitas tuas, quæ perfecto tuæ legis studio contenentur,doce me.Deduc me in ueritatẽ sanctitatis,& iustitiæ,disciplinã;& doce me , ne de uia deflectã,&, mẽtis errore præceps,miserrime cõcidã. Nõ ullis operibus meis innitor;non est in me aliquid, quod ostentem: nulla iuris ratio est,qua te mihi obstrictũ esse cõtendã; sed oĉs postulati mei rationes a tua clementia depromũtur.Tu.n.Deus meus

Ad te, Domine, leuaui.

Cõfundantur omnes iniqua agẽtes.

Viæs tuas demonstra mihi.
Dirige me in ueritate tua.

mcus es,quem solum,pura,& integra,mente,colui; tu salus mea es ; quæ me multis in locis a pestẽ seduxit;in te solo omnem spem collocatã semper habui,quia numquam mihidefuisti;&,reliqua uitæ præsidia, quam essent inania , expertus sum. Non peto, ut opera mea recorderis , quę , per se, uel nullius momenti sunt, uel , si ponderis alicuius sunt nõ certe tanti sunt,ut,illis fretus,opinari debeam,me fuisse ex omni parte serui fidelis officio perfunctũ; maxime, cum flagitia multa commiserim,quæ non poterãt nullo modo sacris ullis a me rite procuratis expiari,aut officiis cũ seduli tate prestitis æquabili æstimatione compensari. Quid igitur a te petam,ut clementiã tuam,& misericordiam tuã,recorderis,qua a primordio generis humani erga supplices tuos usus es?Dele,Domine,ex animo tuo memoriã flagitiorum, & scelerum,quæ in me,cum essem iuuenis,propter imbecillitatem indicij,&uim temeritatis,admisi.amplitudine misericordię tuę fretus , ad te fidenter adeo;teq. suppliciter oro, ut mei recorderis , & in me tuendo,& cõseruando,non me, sed bonitatem tuam,respicias.Cur ego a Deo meo non debitum

Dulcis, & rectus Dominus.

exigã,quo ille nõ mihi,sed benignitati,& iustitiæ, suę est admodũ uehementer adstrictus?Benignus est enim,& rectus Dñs;& iccirco eos,qui aberrãt, disciplina sua aberrore deterret,& in rectam uiam reducit . In quo quidem & benignitati consulit, cum non delictis impeditur, quo minus homines ad se clementer alliciat , & ad uiam,& rationem, salutis erudiat;& iustitiæ prospicit,cum non aliis, quam iis , qui rectam uiam tenent , aditum in cælum aperiendum esse docet; & iccirco prius iustitiæ muneribus ornat homines , quam iustitiæ

Diriget mã fueros.

præmia illis largiatur . Hoc tamen tam Diuinum beneficium non omnes accipiunt.Nõ quod summa , atque sempiterna, bonitas inuida sit , & opes suas cõpressas habere studeat;sed,quia multi,pestiferis erroribus inflati , & falsa specie cuiusuis splendoris elati,insaniunt,& insolescunt ; Dei obliuiscuntur;illiusq. beneficia aspernãtur, atque repudiant. Soli igitur, qui se coram solio Diuinæ Maiestatis obiiciunt , qui flagitiorum ueniam petũt,quos ita impuritatis susceptę pẽnitet,ut nouę uitæ rationẽ constanter instituant,qui se denique totos ad Dei misericordiã conferunt,eius monitis instructi,in iustitię uiã ingrediuntur, ut ita tandẽ iustitiæ propositã mercedem, eiusdem Dñi clemẽtia,& benignitate,consequantur . Dominus enim humilibus ductor est;iudicij magister est ; nemem,qui uelit sibi subiici, a doctrina sua repellit; hominibusq.sapienter abiectis,atq. demissis,qui non ex se ipsis,sed ex Deo , suspensas uiuendi rationes habere cõstituunt,uiæ disciplinam clemen

Vniuersæ uiæ Domini.

tissime tradit. Quæ autem maior dementia potest excogitari ea,qua miseri homines,uia Domini neglecta,se in uias tenebris demersas dant,ut præcipites in miseriam sempiternam deturbentur?Omnes enim uiæ Domini misericordia cõstratæ sunt, & ueritate constabilitæ ; misericordia quidem, quia,nullis antecedentibus meritis, obligatus, iustitiæ Diuinum beneficium hominibus large , atque munifice,contulit;ueritate porro,quia fidem quã dederat,cumulate prestitit. Receperat enim, fore,ut omnes,qui ad se,cum fide uigente, & incitata,redirent, participes Diuinæ claritatis efficeret.Sed,qui sunt ij,qui tantæ felicitatis compotes sunt?Num omnes,qui uerbis, & oratione,religionem profitentur?Non certe;sed, qui in fœdere,cũ ipso Domino sanctissimo sanguine percusso, permanent; summaq. fide testimoniis illius adhærescunt,& sanctionibus illius obtemperãt.Sed, qua tandem ratione fiet,ut promissis maneam , & legis tuę sanctitatem minime uiolem,nisi fuero per spiritum tuum monitus , & eruditus , & robore confirmatus;ita,ut neque errore ullo a uia deduci,neque uiribus ullis debilitari,possim?Quo modo autẽ,ipsius ductu, & imperio,iustitiæ cursum conficiam,si ab illius coniunctione fuero,propter flagitia mea,diuulsus?Te igitur oro,Domine, propter nominis tui gloriam, quæ tum demum clarissime splendet, & amplissimis laudibus illustratur, cum homines e luculentis uitiis emersos iustitiæ muneribus ornas,& ex flagitiosis,& impuris,sanctos , & immaculatos , efficis , ut mihi flagitiorum meorum , quæ sunt nimis multa, ueniã clementer impertias . O beatum illum uirum, quem metus Dei in officio continet. Quot bonis expletus erit ? Primum enim Dominus illum docebit, & in quocumque genere uitæ,quod sibi recta ratione delegerit , sic instituet , ut ad exitum, quem expetit , facillime perducatur.Tum anima illius ueris mis bonis affluet.& in summa iucunditate uersabitur : deinde posteritas illius , in patrimonio,sibi a maioribus relicto,sine cura,& sollicitudine, permanebit . Qui enim positum a parentibus exemplum iustitię , atque pietatis , imitantur , nullo pacto de possessione patriæ , atque sempiternæ hereditatis , expellentur . Postremo, quod omnium maximum est,Deus cum illo arcana sapientiæ suæ communicabit ; & multarum rerum intelligentia illum instruet, quæ sunt ab humana cognitione remotissimæ . Nã, quo tandem pacto homo humi stratus poterit cęlestia , atque Diuina,contemplari , nisi Spiritus sanctus illum excitauerit,& instituẽdum,& erudiendum, & illustrãdum,susceperit?At omnes,qui Deũ metuunt, illiq. se totos in disciplinam tradunt,hoc illius gratia cõsequuntur,ut mysteria Diuinæ legis integumentis inuoluta perspiciãt ; ut in legis finem actẽ mẽtis intendant; ut ipsi summo Domino amoris sempiterni fœdere sanctissimo copulentur;ut Spiritus Diuini familiaritate,& cõsuetudine iucundissima,perfruantur; ut multa denique speculentur;& uideant , ad quæ mentes humanæ , uiribus tantũ suis innixæ , adspirare nullo modo possunt. Illũ igitur semper intuebor ; illũ in animo semper habebo;oculos ab illo nũquam deiiciã:ille namq. pedes meos reti uehementer implexos expediet; hostiumq. fraudes,& insidias, perrũpet, ut libere possim cursum tenere;&, quo tendit aĩus,ope , & gratia,illius,absque offensione peruenire.Respice me,Dñe,& miserere mei. Nec enim aliud umquã in meis aẽrũnis auxilium exquisiui;aut alium patrociniũ contra cãlũniatores adoptaui.Itaque,omni præsidio nudatus,oĩum gratia destitutus,mul-

Quis est homo , qui timet Dominum.

Oculi mei semper ad Dominum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis curis,& angoribus,afflictus,ad te,unicum uitę meæ subsidium,supplex accedo: animi namque mei dolores, & anxietates amplificatæ sunt. Te igitur oro,& obsecro,ut me e tantis malis,quibus sum miserrime circumuentus,eripias. Vide, quibus ærumnis oppressius sim, quibus solliciter; & peccatis meis, quæ me in hanc calamitatem impulerunt,ignosce. Adspice, quam multi sint inimici mei, qui me nimis crudeliter insectantur; quantis me uiribus oppugnent hostes mei; quam acerbo,& immani, odio impetum in me ferant. Esto custos,& defensor,animæ meę, & libera me; perfice,ut spes,quam in te positam habeo,nō mihi dedecoris extremi caussa sit:quod eueniet,si ope tua fuero in mei laboris,atque doloris, magnitudine destitutus. Erubescant illi,qui sibi subsidia fallacissima comparant; non ego, qui in sola spe tui sanctissimi numinis acquiesco. Nec enim ita sum demens,ut solo nomine fidei,& religionis,inseptissime glorier;& officia,quæ fidei penitus inhe rentis,& insitæ,religionē testificantur,impudēter abiiciā. Integritas enim uitæ,qua labes oēs aspernor,& æquitas,qua iniurias omnes reuello,quam uera,& constans, fides mea sit,facile demonstrāt. Hęc igitur officia me tuebuntur, eo quod ortū habeāt a fide,qua mirifice sustentor;cū recordor,me tibi oēs uitę meę rationes credidisse. O Dñe, redime populū tuū, Israelis exēplo,uera fide,& religione,subnixū,ex oibus angustiis,quib⁹ opprimitur.

Innocentes et recti adhęserunt mihi.

Judica me, Domine. Psal. 25. Apud Heb. 26.

NIhil esse conscientia rectę,& integræ,uitę iucundius,& bonis, & improbis, est satis exploratum. Bonis quidē,quia sensu dulcedinis,quā ex uirtutis fructu percipiunt,id experiuntur. Malis autē, quia maleficiorum suorum assiduo cruciatu lacerantur;&,obiectis terroribus,examinantur; & iccirco necesse est, ut (uelint nolint) illos beatos esse iudicent, qui minime tam pestiferis morbis affliguntur. Cur igitur uirtutem colere recusant? quia se nefariis cupiditatibus in miserrimam seruitutem addixerūt;& durissimis illis uinculis laxari non possunt, nisi præsentissimi Dei ope,quam illi minime requirunt. Duo autem maxima solatia continet recti conscientia; Vnum est, infamiæ falsæ cōtemptio; Alterum,est constans,& perpetua,Diuinæ benignitatis spectatio. Facillime namque,qui sibi nullius sceleris conscius est, ignominiā inimicorum calumnia comparatam despicit;quia scit,omne mendacium,modico spatio temporis interiecto,in lucem ueritatis incursurum;& ita ad nihilum confestim recisurum; &, quia exploratū habet solis obstinatis,improbis & sceleratis, esse fontem Diuinę benignitatis intercłusum,& nulla recordatione grauissimi criminis exterretur,cum summa fiducia, & exspectatione, ad Deum accedit,ut,illius ope fultus,omnes contumeliarum aculeos facile retundat, & præmia etiam insignia, ex contumeliarum despicientia, consequatur. Dauid igitur, cum hominum perditorum maledicentia carperetur, utrumque facit. Nam & suæ conscientiæ testimonio gloriatur, & caussam suā,iudicio sanctissimi illius iudicis, qui neque labi,neque in erroṙ induci potest,& a quo innocentiæ præmium sibi pollicetur,fidenter sane committit, non ita tamen, ut ad se Diuinam gloriam transferat, cum sapienter inteiligat, nullo bono se perfrui, quod nō ab ipso Deo,ex quo oia bona frequenter emanant, acceperit,sed ut ab eo dē,suæ salutis,& dignitatis,auctore,clarius iustitię testimonium cōsequatur. Ait igitur: Cernis,Dñe, quam fallax sit humanum iudicium: nam ueritas apud homines, aut ignorantiæ tenebris obscuratur;aut,intercłusa uariis calumniis, opprimitur; aut odio improbitatis, in exsilium pellitur, ita,ut in loco etiam,iuris examini destinato, ueritas ipsa rato consistendi locum habeat. Tu igitur,cuius sanctissimum solium numquam a ueritate deserirur,& quem nihil latere potest, qui non solū iudex integerrimus,sed testis etiam fidelissimus es, & mētem meam penitus exploratā habes, de me iudiciū fac,& sententiam,quā cernis iustissimam esse,pronuntia,ut inimicorum meorū maleuolentia cōticescat. Nihil enim subdole gessi, nihil fraudulenter administraui,sed simpliciter,& candide, cum animi singulari integritate,uixi; spem meā non in humanis opibus, sed in clemenria tua, cū fide firmissima,collocaui. Quo circa fore cōfido, ut numquā de statu meo cōuellar. Explora,atque peruestiga, penitus mentē meam; sensus diligenter examina;&, quasi quadam conflatura,renes meos,& cor meū,igne comproba;&, quam recte uitam sim moderatus,experire. Nam primum misericordiam tuā in oculis semper habeo,ita,ut me, illa ualde fretum, nulla grauior caussa sollicitet; & ueritatis tuæ constantiam sæpe cogito, quę spē meam ita cōfirmat, ut nihil interueniat,quod me ulla ratione labefactet. Intelligo enim,cui me,cui salutem,& dignitatem meam, & omnia mea,credideriṁ;illi nempe,cuius nec opes exhauriri, nec clementia diminui,neque promissa fluctuare,possunt. Hac igitur fide,omnes uitæ meæ rationes instituo; & ad uoluntatem tuam omnes cogitationes,& actiones,accōmodo. Cum igitur uideam, te odio persequi uanitatem, & malitiam detestari,confessum eorum, qui uanitatem sectantur,effugio; & homines ueteratores, & callidos, detestor. Hominum maleficorum concionem odi; & iudicium impiorum nullo umquam modo comprobaui. Manus meas puras ab omni iniquitatis, & iniuriæ,macula conseruaui; & religionē tuam summo semper studio,& sanctitate,colendam suscepi. Curaui enim,ut altare tuum, frequentibus sacrificiis imbutum,homines ad pietatem acrius incitaret,& laudes tuę clarissima uoce canerētur, & ipse mirabilia opera tua prędicarē. Amore miro dilexi domum tuam, eo uidelicet,quod in illa gloria tua carminibus,& concentu perpetuo,celebretur;& in illa sede,& domicilio, Diuini decoris, & sanctitatis,similitudo operis altissimi, in quod angeli semper incumbunt, cum summa iucunditate referatur. Omnis enim beatę uitę perennitas in laude nominis tui, & in gloria tua,studio

Judica me Domine.

Non sedi cum concilio uanitatis.

Lauabo inter innocentes.

Proba me Domine.

acriter inflammato prædicanda,consumitur; ita, ut nihil fieri possit in terris, quod propius ad cælitum uitam accedat,neque ad uitam recte constituendam salutarius. Qui enim Deum semper intuetur, & beneficia illius mente recolit, & angelos uita,& actione,sequi nititur,numquā, quamdiu in eo studio permanserit, in se offensionem Diuinæ Maiestatis incitabit. Ergo,cum is sim,qui neque iniuriam hominibus inferam, neque Dei mei religionē negligam,consequens est, ut,quem admodum gratia tua hunc iustitiæ,& sanctitatis, statum assecutus sum,ita misericordia sim semper adiutus, & præsidio tuo, in omni temporum uarietate,munitus. Ne igitur animam meam, Domine,cum nocentibus, interitu sempiterno conficias;neque, cum homicidis,& facinorosis,hominibus, mihi uitam eripias. Illorum namque opera, fraudes, & insidias, moliuntur; manus eorum, donis, atque muneribus, ad corrumpendum iudicium repletæ sunt; at ego, contra,pura, & integra,mente,semper incedo; ita,ut neque homines offendam, neque religionis sanctitatem polluam. Non tamen meritis meis, sed clementia tua,nitor. Redime igitur me, Domine, a peste sempiterna; & misericordia tua animam meam complectere. Pedes enim mei in uia iustitię uestigia firme ponunt; & in cœtu fidelium hominum, laudes tuas,oratione mea,prædicabo.

Ne perdas cum impiis

Dominus illuminatio mea, & salus mea : quem timebo? Ps. 26. Apud Heb. 27.

QVam firmo præsidio cincti sint, qui ad nomen Domini adiuncti sunt,explicat hoc in loco Dauid. Erat ille quidem omni humano præsidio nudatus;insidiis undique circumuentus,a Rege potentissimo magnis copiis obsessus, multis difficultatibus implicatus;nulla spes salutis ostendebatur;nullum miseriæ perfugium patebat; oia denique erant desperatione plenissima,cum subito Diuina uirtus affulsit,& uirū sanctum in summas angustias adductū obsidione liberauit. Vnde poterat esse perspicuum, nullas esse uires, nullas copias,nullas machinationes,quę possint eos,qui sunt fide,& amore, cū Deo copulati, eiusque ope muniti,de statu dimouere. Quæ namque humanę uires esse possunt,quę Diuinis obsistant? Hac confideratione uir Diuinus sapienter elatus,exsultat, omnesq. hostium impetus facillime contemnit. Itaque ait,Dominus est mentis meę clarissimum lumen,& sempiterna salus animi mei. quo tandē igitur modo,uel offensionem, & ruinam, uel pestem,& exitium,pertimescam? Dominus est munitissimum meę uitæ præsidium: cuius igitur pauore concutiar? homines malefici,odio,& immanitate,flagrantes,arma corripuerunt; hostes mei,acerrima nocendi cupiditate insanientes, in me impetum fecerunt: tantum uero abfuit, ut ipsi conata perficerent,ut potius,grauiter offensi,corruerint: Si castra fuerint contra me posita,minime trepidabit cor meum: si bellum contra me ueheméter exarserit,Diuini præsidij fiducia,constantiam retinebo; firmissimamq. uictoriæ spem in Domino collocabo. Nullo igitur pacto,metu mortis,a statu demigrabo;neque animum meum ullus angor curis tristissimis agitabit. Omni igitur sollicitudine,& cura,solutus, de una tātum re sollicitus ero; id solum a Domino petam;hoc precibus assiduis flagitabo; ut,in illius tandem domo sempiterna locatus, beatissima illa uita,æuo sempiterno,perfruar;illiusq. decus, & pulchritudinem, clare uideam; & tabernaculum illud præclarissimum, in quo sibi sedem stabilem,atque sempiternam, exstruxit,insigni quodā mentis ardore conspiciam. Ad hoc autem tantum bonum impetrandum nō merita mea recensebo,sed bonitatē illius,quæ me confidentem efficit,adducam. Is enim,cū me mala circumuallarent,ex ærumnis eduxit, & in tentorio suo constituit,ne malum ullum extimescerē. In tabernaculi sui in timā sedem introduxit,ut ab omni calamitatis incursione protegeret, & in rupem munitissimam, quo hostes euadere nullo modo possent, me sublimem euexit. Quin etiam hoc tempore, cum me hostes obsidione cingerēt, extulit caput meum,ut de omnibus insignem uictoriam reportarem. quo circa gratissimas,& magnificentissimas, laudis uictimas, cum maxima uoce,& clarissima illius in me beneficiorum testificatione,in tabernaculo illius immolabo;illi sem per gratias agam; in gloriam illius carmina modulabor;laudes illius canam; nec de tantis in me beneficiis ullo tempore silebo. Sit modo hic spiritus,qui me magnis uiribus incitat, & amore tātæ bonitatis inflammat,in mēte mea perennis; num quam abscedat tā Diuinæ gratiæ iucunditas, & tam inuicti præsidij firmamentum. illo namque amoto,concidā;& summa molestia,& angore, cōficiar. Exaudi igitur orationē meam, Domine; & misericordiā mihi tribue; & postulato meo satisfac;ita, ut numquam ope tua præsenti destituar. Vota namque mea tibi nota sunt; opes terrestres non appeto; popularem celebritatē non ambio; reliqua oia, quæ uulgus hominum diligenter exquirit,pro nihilo habeo: te unū quęro; te summo studio sequor;te aīo nimis inflammato frui desidero. Huc igitur oēs preces meę in summa referuntur, ut nūquam mens mea a mentis tuæ iucundissimo cōspectu diuellatur; & ex hac tā suaui familiaritate,quā summa cōtentione peto,fructū, quē uolo,percipiā. Non igitur auertas faciem tuam a me,ne,flagitiis infensus, iram ita in me cōuertas, ut, repentino tuæ lucis absessu, animum meum in terram deiicias. Quod enim mihi supplicium grauius irrogari potest? Cum enim me pericula circumsistunt, solus tu auxilium afferre soles. Nō igitur me deseras,neque orbatum derelinquas,o Domine; quando solus te mihi auctorem præbuisti. Pater enim meus, & mater mea, nullam mihi opem in rebus asperis attulerunt: tu solus me, ab omni ope, & solatio, destitutum,in fidem recepisti; nomine tuo protexisti; & a capite meo hostiū impetum repressisti. Tu igitur es mihi uitæ præsidium;tu salutis meę propugnaculum;tu denique

Vnam petij a Domino.

Vt uideam uoluptatē tuam.

Quoniā abscondit me in tabernaculo suo.

Exaudi, Domine, uocē meam.

Tibi dixit cor meum.

Ne auertas faciem tuā a me.

Dominus illuminatio mea.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mihi pater es amantissimus. Si igitur a te fuero derelict', ab auxilio destitutus, salute spoliatus, ope sanctissimi parentis orbatus; hostium prædæ, & direptioni, relinquar. Sed dices, me, multis in locis, delictis meis caussam attulisse, ut a me discederes. Fateor, Domine. Sed, ne hoc malum in me sæpius incurset, perfice, clemẽtia tua, ut numquam in offensionem tuã incidam. Demonstra mihi uiã tuam, & in semitas iusticię dirige mentẽ meam, ut numquam nulla cupiditas rerum humanarum me transuersum a disciplina pietatis abducat; ut sic tandem, ope tua confirmatus, hostes meos despiciam. legis namq. tuæ rectissimus cultus homines fortes, & inuictos, efficit; sicut legis negligentia, & religionis obliuio, timidos, & imbecillos. Vt igitur hostes profligare queam, inscribe in animo meo legem tuam, ne umquam a studio illius abducar. Ne me inimicorum meorum libidini, & crudelitati, dedas: quorum oẽs conatus in meam perniciem conferuntur; in me furenter insurgũt; neque uiribus tantum pugnant; sed etiam falsis testimoniis in eo uehementer elaborant, ut nomẽ meum ignominiæ extremę notis inuraht; ut iure facere contra me omnia uideãtur, cum in meum exitium tyrãnicę violentiæ scelus anhelant. Quid de me fieret, si me spes illa non mirifice confirmaret, qua bona Domini uera, atque sempiterna, in regione uiuentium me uisurum esse confido? Potuissem ne tot hostium incursiones sustinere? tot insidiis occurrere? tot dolores excipere? tot cõtumelias, & conuicia, pati? Non prorsus. Sed, cum uitæ breuitatem cogito, & bonorum, quæ uersantur in uita, inanitatem consydero, neque bona esse statuo illa, quæ tot malis admixta, & contaminata sint, &, cum momento temporis effluxerint, animos hominum mœrore conficiunt; nec illam uitam ducendam esse, quæ tanta celeritate in interitum tendit, & mortis repentina ui, & atrocitate, consumitur. Illa igitur demum bona sunt existimanda, quæ neque calamitas ulla peruertit; neque mortis uis, & impetus extrudit; nec ulla temporis uetustas obliuione cõterit; sed in omni eternitate uigent, & animos semper florentes, atque beatos, efficiunt. Similiter illi tantum uiuere sunt existimandi, qui sunt cum ipsa uita fœdere indissolubili colligati: quorum neque uires infringuntur, neque laudes emoriuntur; neque uoluptates ullo interuentu mœstitiæ contaminantur; sed sæculis infinitis in eodem semper statu permanebunt. Hæc me spes in omni rerum uarietate consolatur, ita, ut omnia pericula, quæ mihi ab improbis intenduntur, pro nihilo ducã. Quocirca uos hortor, & moneo, qui uitã, & salutẽ, caram habetis, ut, rebus alijs neglectis, in Deo ola uitę præsidia collocetis, qui uos in hæc uita non deseret, & in futura uobis Diuinitatis cuiusdã præmia sempiterna constituet. Hac spe, languida uirtus excitatur, & animus deiectus inuictum robur assumit, & altior in dies efficitur. Summa igitur fide in Deum respicite; &, ad spem immortalitatis inflammati, omnia, quæ hominum uulgus nimis sitienter exquirit, contemnite; ut fructum spei in Deo positę feratis, & sempiterna gloria perfruamini.

Legem pone mihi.

Ne tradideris me in animas tribulantium me.

Credo uidere bona Domini.

Exspecta Dominum.

Ad te, Domine, clamabo. Psal. 27. Apud Heb. 28.

OStendit Dauid, numquam sine fructu orationem a pijs hominibus apud Deum haberi. Quamuis enim in orationis principio se incommodis uexari, doloribus angi, & uehementer afflictari, demonstret, in fine tamen uoces lætitiæ ingentis indices emittit, & Deo gratias summas agit, clementiæq. Diuinæ magnitudinem ampla, & illustri, predicatione prosequitur. Hoc igitur instituturum ut hoc etiam in loco teneat, ait: Ad te, Domine, munitissimum uitæ meæ propugnaculum, contenta uoce, & studio, clamo; te, quantum possum, oro, ne abhorreant aures tuæ a precibus meis, ne ue me silentio tuo suspensum, & summa perturbatione perculsum, diu teneas. Si enim me non audieris, si opem mihi minime, cum calamitas instat, attuleris, similis ero illis, qui, ab ope tua derelicti, in imam tetræ uoraginem, & in miseriæ sempiternæ regionem, deprimuntur. Cum enim uita mea in tua benignitate sita sit, consequens necessario est, ut, a te neglectus, a uita diuellar, & spem salutis abijciam, & illis, qui sepulti sunt tenebris sempiternis, annumerer. Ne igitur tantum malum subeam, o clementissime Domine, preces meas ad aures admitte. Non enim negligenter, & frigide, loquor: noui enim te socordiam in maximis rebus exsecrari, & postulatum animi languidi, atque negligentis, aspernari. signum est enim, neque iusto doloris sensu commoueri, nec firmã spem in benignitate tua reponere, illos, qui negligenter opem tuam implorant. Quod flagitium ne in me turpiter admittam, maxima animi contentione clamo, manusq. meas ad aditum sancti templi tui, in quo sempiternam sedem locasti, frequenter intendo. Ne igitur me cum impijs ad æternum supplicium trudas: ne me pœnis, quæ sunt iniquis propositæ, torqueri patiaris, cum ab illorum moribus, & peruersitate, uehementer abhorream. Ego namque simpliciter, & sine fallacia, uitam instituo; illi uero dolos struunt, & insidias perpetuo moliuntur. uerbis quidem pacem ostentant; animo autem bellum cõparant; &, cum maxime humanitatem, & beneuolentiam, simulant, tum uel maxime dolos cogitatione uersant, & pestem nefarie machinãtur. Quid igitur illis poterit esse nocentuis, & communibus rebus infestius? Malum enim perspectum, uirtute reprimitur; insidiæ latentes, difficillime præcauẽtur. Solius igitur Dei uirtus potest machinis adeo sceleratis occurrere. Vlciscere igitur, Domine, tantum facinus, & pœnam, tantis sceleribus debitã, hominibus profligatis impone: pro ratione malitiæ, supplicij illis irroga, & mercedem illis, pro magnitudine sceleris, & impietatis, attribue. Quid. n. aliud eis, qui nomen tuum impudentissime tõtemnunt, qui beneficentiã tuã aspernantur, qui nullis beneficiis leniuntur, qui nullis monitis absterrentur, qui aĩs obstinatis in prauitate pseuerãt, optandũ est, nisi ut magnitudine tuæ seueritatis exscindantur; &, qui opes immẽsas tuę benignitatis despiciũt, opibus

Ad te, Domine clamabo.

Ne simul tradas me.

Da illis secundũ opera eorum.

bus immensis tuæ seueritatis oppressi, æuo sempiterno sceleris infandi pœnas luãt. Numquã enim cæli candorem, & amplitudinem, suspexerunt; nõ mentis aciem in siderum splendorem intenderũt; non uniuersæ naturæ consensum ad hominum salutem contemplati sunt; non legis sanctitatem, non reliqua opera Diuina, animo comprehendere uoluerunt; in quibus si mentem defigere uoluissent, facillime a se, ope Diuina firmati, morbos animi depulissent, & uirtutibus Diuinis instructi, opibusq. sempiternis cumulati fuissent. Non est igitur, cur merito de ulla externa ui conqueri possint, cum ipsi sibi, obfirmatæ uoluntatis in scelere pertinacia, perniciem intulerint, & in sceleribus suis gloriati sint. Illos igitur funditus euertes; neque umquam illorum statum in staurari, & in antiquã splendoris speciem restitui, patieris. Nomen Domini laudibus sempiternis efferatur, omniumq. prædicatione celebretur, qui orationem meam clementer exaudiuit. Dominus est robur meum, quo bellorum omnium tempestates animo inuicto sustineo; est scutum meum, quo facillime hostium tela in corpus meum inimissa repello. Animus meus illius fide nixus semper exsultit, &, ope illius defensus, exsultauit: gaudio triumphat cor meum: hymnis igitur & canticis laudes Domini celebrabo, omniaq. mea studia, & cogitationes, ad illius gloriam conferentur. Dominus robur suorum est; opibusq. summis, atque sempiternis, Christi tui salutem constituit. Per illum nãque terras gratia constabiliuit; cælum gloria cumulauit; homines cum cæleſtibus amoris fœdere coniunxit; multisq. modis Christi opera ad multorum salutem sempiternam usus est; uoluntateq. sua decreuit, ut Christi sui nomen nullis sæculis interiret. O Domine, salutem confer populo tuo, quem non religionis species, terrestribus sactificijs, atque cęrimonijs, adumbrata, unica Reip. cõsensione colligauit, sed solidæ, & expresse, ratio sanctitatis inter se caritatis uinculo deuinxit; & hereditatem tuam tibi a patre traditam, quæ ultimis etiam terrarum finibus cõtinetur, beneficijs tuis auge, & illorum opes amplifica; eos, ut uigilantis sinus pastor, in salutaria pascua deduc, & in sublimi dignitatis gradu colloca, ut non solum bonorum ubertate, & copia, redundent, sed etiam dignitate sempiterna circumfluant.

Quoniã nõ intellexerunt.

Benedictus Dominus.

Refloruit caro mea, & ex uoluntate meacõfitebor ei.

Afferte Domino filij Dei. Psal. 28. Apud Heb. 29.

CVm multa sint, quibus homines pij ab impijs utrosque discrimen, ostendit. Viri namque pij certum habent, ui Diuina cælum conuerti, terram motibus interdum horrendis conquassari, mare in nubes fluctus immanes attollere, imbres immodicos ab ætheria regione decidere, micare fulgura, emitti fulmina, uniuersamq. naturam cum fragore ualde metuendo contremiscere. At impij, cum ad naturam rationis expertem, & casum, omnia referant, quamuis metu trepident, & in maximis tempestatibus animum, maxima formidine consternati, despondeant, non ita tamen, ut ualde uim Diuinam cogitent; &, illius timore perculsi, in desertam uitam redire constituant; sic etiam bellorum tempestates, rerum publicarum cõuersiones, & imperiorum euersiones, atque uastitates, ad fortunæ temeritatẽ reuocant, quam deam esse fingunt summa potentia præditam, eam tamen orbant consilio, ut, in omni rerũ humanarum euentu, non possint homines suis flagitijs, sed inuictæ fortunæ temeritati, magnitudinem cladis, qua opprimuntur, adscribere. Ea uero ratione sic obfirmati sunt, ut nullis cladibus resipiscant, & uitia, quibus sunt cooperti, detestentur. Ab hoc autem tanto furore, & amentia, longe ab sunt ij, qui pietatem unice colunt, & Diuinam mẽtem pura, & integra, mente uenerantur: quibus persuasum est, nullum motum in uniuersa natura fieri, qui non sit Dei uoluntate concitatus, uel ut flagitiosis suppliciũ inferat, uel saltem, ut eos, qui sanari possunt, absterreat, & in sanitatem reducat. Quod adeo uerum est, ut nullæ tempestates, absque illius iudicio, concitari existimandæ sint. Itaque (ut credibile est) cum illa memoria sæuissima tempestas, atque procella, animos hominum ingenti formidine perculisset, & Dauid inde materiam sibi præberi Diuinæ potentiæ prædicandę intellexisset, noluit facultatem tam Diuini munetis luculenter obeundi prætermittere. Admonet igitur omnes, qui summo studio pietati operam dant, quos Dei filios appellat, ut Deo non uitulos, non hircos, non agnos, more antiquæ legis, ad aram statuant, sed noui, & sempiterni fœderis uictimas offerant, quæ sunt in ardentissimo studio pietatis, in Diuinæ bonitatis assidua prædicatione, & in iudicijs illius perpetua oratione celebrandis, constitutæ. Ait igitur: O uiri Diuini, qui in Dei adoptiua sacra ueneistis, in familiam illius, per eiusdem gratiam, adsciti, offerte Domino non quadrupedum sanguinem, neque uitulorum adipem, neque hostias in umbris, & imaginibus, ueri simæ sanctitatis, & iustitiæ, constitutas, sed sacrificia, & munera, illius Maiestate digniſsima, nempe gloriæ summæ, & uirtutis inuictæ, confessionem. Offerte Domino glorię laudem; nomenq. illius modulati carminis iucundissima symphonia celebrate. Ipse est, qui uapores in nubes cogit; & aquis densissimis intonat, Deus immensa gloria præcellens intonat in aquarum multarum copia, & densitate. Vox illius, robore ingenti prædita, terram uniuersam concutit; humanumq. genus ingenti formidine perterret. Vox illius, gloria insigni, atque sempiterna, circumfluens, hominũ tandem mores, & instituta, commutat. Vox Domini cedros altissimas perfringit, & dissipat; perfringit, & dissipat Dominus cedros Libani. Arbores, altissimis radicibus nixæ, Domini uoce conuellũtur, &, tamquam uituli, in uarias partes saltu deferuntur. Libanus, & Sarion, montes editissimi, de sede conuulsi subsultant, &, ut unicornes, impetu uehementi desiliunt: ut intelligi possit, potẽtia Domini superbiam concidere, insolentiam deprimi, tyrannides exscindi, imperia dissipari, & omnia

Afferte Domino filij Dei.

Vox Domini super aquas.

Cõfringet Dominꝰ cedros Libani, & dilectus, quẽ ad modum filius unicornium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnia denique,quæ uidentur esse fundatissima,e sublimi dignitatis gradu in extremam humilitatem,& abiectionẽ,detrudi. Vox Domini ex atris nubibus flammas dissijcit, quas in terras eiaculetur. Vox Domini nimio terrore conturbat Arabię solitudinem; Arabiæ uastita:em,& solitudinem,tã ta formidine conturbat,ut nulla sit in lustris illis tam immanis,& fera,bellua,quæ non toto corpore contremiscat. Cum enim malorum tempestas, ui infensi numinis in citata,desæuit, feritas exhoret,& omnis ferocia,formidine compressa, humi procumbit, & dolore, quasi parturientis dolore, conficitur. Illo namque iudicio, multa, quæ latebant in uiscetibus,in lucem prodeunt; & flagitia, in animorum penetralibus occulta, in apertum, cum hominum ignominia,proferuntur,ut calamitatis inuectæ caussa cum Domini gloria cognoscatur. Itaque uox Domini perficit, ut ceruæ etiã, quorum partus est difficillimus,fetum repente edant;siluasq. densissimas peruastat;saltusq. omni fronde spoliat;ut nihil sit,quod occuli possit. Porro autem omnes, qui religionem sanctè coluerũt, & uirtutem flagitiis, & iustitiam terrenis emolumentis,antetulerunt,& fidem in Domini summa constantia locauerunt, in rerum communium uastitate animos ad spem summæ felicitatis erigũt, quia sciunt,tum maxime bonorum salutem constitui,cum improborum status euertitur. In templum igitur una mente conueniunt, ut gloriam Domini laudibus summis afficiant. Dominus enim, cum opes hominum eluuione cõsumuntur, in iudicij sui solio sedet; ut intelligant omnes seueritatis suæ sententiam;notumq. sit, non temere,& casu,sed iudicio Diuino, impiorum opes, & imperia,peruerti. Semper enim Rex sempiternus in solio iustitiæ sedebit,ut præmia cuique,pro meritis, & dignitate constituat. Cum igitur euertet impios,& ingenti pauore concutiet, tum populũ suum inuicto robore confirmabit. Dominus enim populum suum uerbis bonis egregie cumulabit; illiusq. pacem fœdere sempiterno constituet, ut labefieri numquam possit.

Vox Domini intercidẽtis flãmã

Et in templo eiusomnes dicent gloriam.

Exaltabote, Domine. Psal. 29. Apud Heb. 30.

DAuid,hostibus deuictis, & imperio constituto,domum,& arcem,exstruxerat, quam, de more gentis,antequam in illa habitaret, rite dedicauit. is enim erat, qui nihil agendum existimaret,quod non esset auspicijs uerissimæ pietatis inchoatum,& sanctissimis Dei laudibusabsolutum. Agit interim Deo gratias, quod, cum fuisset grauissimo morbo,& multis malis,oppressus, & inimici periculo illius ualde lætarentur, esset ex omnibus periculis eductus,in quo quidem ualde luculenter exprimit imaginem Christi crudeliter exstincti, & magna cum gloria suscitati. Itaque ait: Summis te laudibus efferam, Domine, quia me iacentem erexisti; languenti uires pristinas reddidisti;morti,impiorum hominum iudicio,destinatum in uitam reuocasti; & inimicis meis uoluptatem eripuisti, quam ex mei interitus exspectatione capiebant. Cum periculoso morbo grauissime laborarem,ad te clamaui, & mihi confestim sanitatem attulisti. Minime autem mirandũ fuit,corpus meum fuisse,gratia tua,e morbis pestiferis emersum,cum id, quod multo pluris faciendum est,mihi clementissime præstitisses. Animam namque meã,mortis atra caligine circumfusam, ex inferis extulisti; uitamq. meam tua gratia tuẽdam suscepisti, ne cum illis annumerarer, qui in profundũ miseriæ lacum præcipites ejciuntur. O uiri sancti, qui pietatem unice colitis, & omnes res humanas,præ studio rerum Diuinarum, contemnitis,animos assumite,gaudio triumphate,lætitiam ingentem percipite, & laudes Domini concentu suauissimo celebrate. Vestri enim labores non erunt inanes, & irriti, cum pietati sint præmia ingentia,& sempiterna,constituta;& dolores exiguo termino circumscriptos firma spes æternæ,& immensæ,iucunditatis facile consolet ur. Ita que bonorum uita maxima ex parte summa iucunditate perfruitur. Iusti quidem cum labũtur, breui ira Domini in eos animaduertit, ut morbis, atque laboribus, eruditos ad officium reducat;at illius gratia,& benignitate,uitę longitudo, atque adeo æternitas ipsa,continetur. Breuis autẽ mæstitia,gaudio diuturno concluditur; ad uesperum fletus excitatur; mane uero lumen clarissimum ingentis lætitiæ,atque uoluptatis exoritur. Hoc tamen nos admoneo,ne nimis rebus ex animi sententia contingentibus insolescatis: quasi sit uobis exploratum, fieri non posse, ut mutationẽ ullam subeant. Veniat sæpe uobis in mentem imbecillitatis humanæ;&,quam subito ea,quæ firme stabilita uidentur,de statu suo concidant,cum animis uestris assidue reputate. Subitæ sunt, & improuisæ, rerum humanarum conuersiones; ad quas parati,atque meditati,semper esse debemus, ne inopinate perculsi frangamur, & propemodũ exanimemur. Repentina namque uulnera, præter opinionem hominibus lautis inflicta,animũ intolerabili dolore conficiunt; quæ uero sunt ante cogitatione percepta, facile sustinentur. Caput autem uerissimæ consolationis est, ut omnia ad consilium summi Domini,& parentis optimi, referamus;qui,ne per insolentiam spoliemur bonis,quæ sunt moderationi,& humilitati, proposita, plagas nobis imponit, quibus animi turgentis inflationem comprimat, & salutarem modis omnibus medicinam adhibeat. Equidẽ,cum mihi secundæ res essent, statuebam, fore me eodem semper statu mansurum. Hostes erant perterriti; bella omnia prostigata; ualetudo satis commoda; domus ab omni seditionis metu tranquilla; opes erant ingentes; populus singulari erga me studio deuinctus. Quod uero opinionem meam mirifice confirmabat, erat, animaduertere opes meas nõ humana industria partas,sed gratia tua, o clementissime Domine,in me magnificentissime congestas fuisse. Itaque non maiore robore domum meam per te fundatam arbitrabar, quã sint montes editissimi, quos nulla tempestas de sede conuellit. Hic erat status meus, cum tu faciem

Exaltabote, Domine

Ego autem dixi in abũdantia mea.

Auertisti faciem tuã.

Ad te, Domine, clamabo.

Conuertisti planctũ meum.

ciem tuam,cuius gratia sustentabar,auertisti.quo facto omnia repente conuersa sunt. Hostes recentes exorti; ualetudo uarijs morbis afflicta; opes auersæ;fides nefarie prodita; coniuratio in meam perniciem facta; domus turbulentissimo tumultu conuulsa; omnia denique sic confusa fuerunt, ut appareret, te a me animum clementissimi parentis abiecisse. Nec enim mens mea erat ea spiritus tui iucunditate perfusa,quæ me a sensu totius doloris auerteret,& in tot malis dulcedine aliqua subleuaret. Quo circa,ualde perturbatus, in mærorem incidi,non ita tamen,ut fides mea attenuata languesceret,aut spem salutis amitterem. Nam ad tuum sanctissimum nomen clamores sustuli; openq. tuam,Domine, assiduis precibus suppliciter imploraui. Ad hunc autem modum Deum meum affatus sum. Quæ utilitas ex sanguine, & interitu meo,in gloriam tuam redundabit? Num, si fuero in foueam altissimam depressus, illustrabitur ob id nomen tuum? Num reliquiæ sepulti puleris, fidei tuæ summis laudibus efferendæ materiam suppeditabunt? Recordare beneficiorum,quibus me affecisti; fœderis, quo tuam mihi fidem ualde clementer adstrinxisti; perfice, ne cauillam arripiant homines impij, gloriæ tuæ calumnijs obscurandæ:qui,quoties hominem,in fidem tuam receptum, ope tua nudatum adspiciunt, toties nomen tuum conuicio infando deformare nituntur. Nam uel te imbecillitatis insimulant,quod nequiueris;uel perfidię,quod nolueris,opem afferre illis, quos tibi deuinxisti, & qui in præsidio tui sanctissimi nominis acquiescunt. Hac autem ratione fit,ut multi,impiorum oratione retardati, a studio pietatis abducantur. Quod certe eueniet, si me,hominem tibi, tantis, & tam admirabilibus, beneficijs obstrictum, & tam sacro sancto fœdere ad spem tuæ benignitatis excitatum,a te desertum animaduerterint. In mea igitur salute, gloriæ tuæ consule. Audi orationem meam,Domine; & miserere mei;& auxilium tuũ mihi,quo e malis,quæ me circumstant,eripiar,importa. Hęc quidem dicebam;& his precibus opẽ tuam implorabam; quam mihi confestim attulisti. Itaque planctum meum in gaudium eximiũ, choreis,& canticis festiuis,celebratum, conuertisti; lugubre sagum, acerbissimi mœroris insigne, mihi detraxisti; &,illius loco,me insignibus lætitiæ uestibus,& ornamentis,excoluisti. Hominum igitur fidelium cœtus hoc beneficium commune arbitrabitur; cum, propter caritatis eximiæ,sacramentum,quo nemo aliquid fratribus attributum a se alienum putat;tum,quia sibi aditum ad eandem clementiæ magnitudinem apertum uidebit. ,Tuam igitur gloriam laude perpetua prosequetur;& numquam gratiæ tuæ amplitudinem silebit. Ego uero,summe Domine, qui Deus meus es,in quo solo uitę firmissimum præsidium,& excellens dignitatis ornamentum,constitui,tibi gratias immortales agam;& omni sæculorum æterni tate nomen tuum debita pietate, & ueneratione, prosequar.

Inte, Domine, speraui: non confundar in æternum. Psal. 30. Apud Heb. 31.

IVsti quidem multis ærumnis exercentur, ut uirtus eorum in dies magis illustretur, & ipsi ampliora præmia ab eo, qui bonorum patronus, & uindex,& pater est,adipiscantur. Sed,cum iustitiæ princeps,& auctor,Christus sit,omnia,quę de iustis hominibus Prophetæ locuti sunt, ad Christum præcipue conferuntur. Quis enim fuit ab impijs oppugnatus infensius? Quis acriora supplicia pertulit? Quis pluribus conuicijs,& contumelijs,laceratus umquam fuit? Quis,hominum opinione,fuit in terris abiectior? Quis clariore patris sempiterni testimonio ab ignominia liberatus? Quis maius,& amplius, præmium fuit umquam ex Diuina uirtute,& religionis purissimę sanctitate,consecutus? Cum igitur homini Diuino hæc de Christo cogitatio Diuinitus esset iniecta, sic de se, & de quouis alio homine iusto, loquitur, ut animus illius sit in Christi consideratione defixus. Vt igitur illum sequamur,opus est, ut tam in hoc carmine, cuius sententiam nunc explicandam suscepimus, quam in multis alijs,animum a Dauide, qui Christi imaginem gessit, ad ipsum Christum, qui multis in locis Dauid a Prophetis appellari uoluit, transferamus; ita tamen, ut memoriam Christianæ sanctitatis, quæ in Dauide mirabiliter eluxit,animo conseruemus. Inquit igitur: Multis quidem periculis undique cinctus sum; hostes innumerabiles, odio immani flagrantes, copijs maximis circumsepti,multis mihi modis exitium moliuntur:hominem, omnium præsidio nudatũ, multitudini,propter ardentissimum studium puritatis,inuisum,insidijs circũueniunt; armis adoriuntur; in eoq. pugnant, ut non solum me uita priuent, sed etiam nomen meum grauissima contumelia deforment. Quid igitur faciam? quibus præsidijs hostibus ualentissimis obsistam? Vno certe,quo nullum poterit esse securius. In re,Domine,salutis, & dignitatis,spem collocatam semper habui:quocirca numquam labe dedecoris adspersus ero. Non enim umquam me præsidio tuo spoliabis; neque hostibus meis ludibrio esse patieris. Fac igitur, Domine, quod te facturum recepisti,ut,secundum iustitiam tuam,me ex perditorũ hominum insidijs eripias. Innocentia mea tibi cognita est; iustitiam meam tu penitus exploratam habes;hostium calumnias animaduertis; ius meũ postulo, nempe, ut sententia tua mihi testimoniũ sanctitatis des, & hostium maledicentiam acri iudicio contundas. Præbe mihi aures tuas;auxilium ne differas;instat discrimen;accelerant hostes; urgent,& insectantur;nec ullum spatium animi reficiendi concedunt. Tu igitur appropera. Ne sint illi magis de mea pernicie, quam tu de salute,solliciti. Festinanter igitur accurre, ut me liberes. Esto tu mihi rupes editissima,domus ad salutis defensionem omnibus rebus instructissima,ut mihi salutem afferas. Tu namque es mihi firmissimum

In Domino confido

Esto mihi in Deũ protectorem.

e petra

Universidad de Deusto
Biblioteca

epetra propugnaculum, & arx munitissima uitæ meæ. Propter nominis tui gloriam duces me, nea uia deflectam; & mihi in uia præsens aderis, ne tui spiritus pabulo destitutus accumbam. Gloria nãque tua illustratur, quoties ij, qui toti ex gratia tua pendent, e periculis eximuntur. Venit autem apud homines in discrimen, quoties boni ab ope tua deseruntur. Expedies igitur a rete, quod inimici mei mihi tetenderunt, quoniã tu solus es animæ meæ robur, atque firmamentum. Manibus tuis commendo spiritum meũ: tu namque Deus es, cuius nec immensa potestas infringi, neque summa ueritas a promissi constantia deduci, umquam poterit. Si igitur nihil est, uel quod uim tui nominis impedire, uel fidem tuam commutare, queat; & tu fidem dederis, te numquam officio parentis optimi defuturam; reliquum est, ut fides mea, tua potentia, atque probitate, nixa, numquã labet, sed in extremo etiam uitæ discrimine me ope tua defensum iri confidat. Eos enim, qui malitia confidunt, & mendacijs innituntur, & sperãt, se calliditate sua posse imminentia pericula propulsare, detestatus sum; & in te solo omne salutis præsidium spe firmissima collocaui. Fructum igitur fidei amplissimum ex gratia tua percipiam. Exsultabo enim, & ingenti lætitia cumulabor, cũ me multis cladibus circumuentum misericordia tua subleuaueris, & opibus Diuinis instruxeris. Vidisti enim dolores, quibus afflictus sum, & angores, quibus anima mea excruciata fuit, te mini me latuerunt, quia numquam oculos a me dejcere uoluisti. Non me inimici manibus, atque potestati, tradidisti; pedes meos, ex angustijs eductos, in uia latissima posuisti; ut feliciter pietatis, & iustitiæ, cursum conficerent. Numquam igitur ante hac fui ab hostibus acriter, atque uehementer, oppugnatus, quin tu subsidio occurreres, & me ab impendente calamitate liberares. Nunc igitur, cũ hostis immanitas ad summum peruenit, cũ multo maiore conatu in meam perniciem incitetur, acerbioreq. odio mihi pestem moliatur, accelera, Domine, ut misericordia tua me e tantis malis eruas. Instat enim grauissimus angor, & cruciatus; acies oculorum meorum assiduitate mœroris hebescit: fœstissimi namque facinoris offensio maximum fletum excitat; & adspectum grauissime lædit; & intimis animi sensibus altissimum doloris ulnus imponit. Vita mea, acerbissima cura consicitur; anni mei in gemitu, & suspirio, consumuntur; robur meum, propter iniquitatis pœnam, mihi irrogatam, prolabitur; & ossa mea, grauata, magnitudine doloris, intabescũt. Omnes hostes mei, ut probrum, nomen meum obiectant illis, quos afficere contumelia statuunt: itaque eram pudori uicinis meis, & formidini notis meis, usq. adeo, ut, qui me foras in adspectu multitudinis adspicerent, se a me longissime segregarent, ne uiderentur mecum aliquod commercium iuris, aut consuetudinis, habuisse: tãtus erat metus multis mortalibus, ne me sequerentur, iniectus. Quemadmodum mortuus tumulo obrutus, obliuione etiam sepelitur, ita ex hominum memoria prorsus excideram; &, tamquam testa confracta, & comminuta, quæ nullis usibus seruire potest, uulgo contemnebar. Maculam dedecoris, mihi a multis iniustã, auribus accepi; & simul pauorẽ undique circumfusum, quo non pauci, ne publico mei nominis studio tenerentur, anxie formidabant, oculis usurpaui; cum hostes mei secum communi consilio deliberarent, quo modo mihi, & dignitatem, & uitã, eriperent. At ego, quas copias ad resistendum cõparaui? Quibus præsidijs uitam meam muniendam esse duxi? Religionis purissimæ sanctitate, firmissimaq. benignitatis tuæ fiducia. Tibi enim tantum confido, Domine: te unum colo: tuum nomen ueneror: simulacra detestor: summum omnium bonorum in te solo constituo. Cum igitur alij pecuniæ diuinitatem tribuant; alij fame populari, tamquam Deo, nota faciant; ego omnia mea bona in te solo fita constitui; idq. oratione professus sum, te solum Deum meum esse. Tu enim es uerissimæ, atque tranquillissimæ, uoluptatis architectus; tu Diuinarum opum largitor; tu sempiternæ dignitatis effector; tu denique inuictum in omni rerum discrimine præsidium, atque firmamentum. Quem igitur alium mihi Deum adsciuissem, cum reliqua omnia uitæ subsidia sint fluxa, & inania, breuissimoq. temporis spatio consumenda; tuq. solus idem semper in omni æternitate sis, solusq. immẽsas, atque sempiternas, opes obtineas? fides mea in tua gratia locata, facit, ut minime sim de termino uitæ sollicitus. Temporũ meorum opportunitates in manu tua sunt. Tunc igitur confido fore, ut a uita discedam, cum fuerit magis gloriæ tuæ, cui seruio, & claritati mei nominis, opportunum. Hoc igitur tantum oro, & obsecro, ut eruas me a manibus inimicorum meorum; & eorum perditissimos conatus, qui me persequuntur, ulciscare. Inuidia enim furentes, sunt disciplinæ cælesti, & hominum saluti, & auctori salutis, infestissimi. Illustra, Domine, splendore uultus tui, hunc seruum tuum, qui numquam imperium tuum, nec mortis quidem formidine, recusauit, & salutem meam magnitudine misericordiæ tuæ confirma. Fac, Domine, ne umquam dedecore afficiar ego; sed me semper ope tua protege; ut ita lumen tuæ bonitatis in ultimas etiam terras diffundi possit. hostes autem mei dedecore omni maculentur. quod fiet, cum illos ope tua nudaueris; cum eorum maledicentiam ueritatis luce cõpresseris; cum mutos, & elingues, reddideris; cum denique contumaces in scelere in imas inferorũ sedes iudicio tuo detruderis. Linguæ fallacissimæ, quæ mendacia perpetuo cottidiant, obmutescant; qui superbe nimis, & insolenter, contra iustum, te ἠτιμονιον dicunt, summumq. sanctitatis exemplum impietatis insimulant, & salutis auctorem, salutis euersorem asserere conantur. Hi quidẽ pœnas facinoris exsoluent: at illi, qui nomen tuum metuunt, & religionem tuam sancte colunt, quot opibus affluent? quanta lætitia cumulabuntur? quot præsidijs, & ornamentis, in omni genere redundabunt? quam magna Spiritus tui iucunditate, atque dulcedine, perfruentur. Hæ quidem animi uoluptates ab hominum sensu, & cognitione, remotæ sunt; per te reconditæ, & asseruatæ; ut illis

Odisti obseruantes uanitates.

Quoniã respexisti humilitatem.

Miserere mei, Domine.

Infirmata est in paupertate uirtus mea.

Obliuioni datus sum.

Ego autem in te speraui.

Eripe me de manu inimicorum.

Quam magna multitudo.

ut illis eos perfundas, qui ad studium pietatis incũbunt; operaq. multa nimis admiranda moliris, & efficis, in hominũ cõspectu, gratia illorũ, qui toto animo in immensitate tuę benignitatis acquiescunt. Nã in intimis domus tuæ penetralibus, ubi maxime species tua mirifico splendore te intuentes illuminat, eos proteges, a cuiusuis perditissimi uiri petulantia, & duritate; eos in tabernaculo tuo occultabis, & contra linguarum contentionẽ tuebere; ita, ut, quamuis homines sceleratissimi mẽdacia conflent, ut notam turpitudinis sanctis, qui in tua tutela, & patrocinio, latent, inurant, conata minime perficiant. Labes enim, fraudulenter adsperſa, ueritate perspecta, diluitur; & summus ille bonorum omnium patronus suos diu falsa infamia flagrare non patitur. Nomen Domini in cælũ laudibus sempiternis efferatur, qui misericordiã suam admirandam in me tuendo, & ornando, demonstrauit in ciuitate munitissima. Me namque, a meis repudiatum, & eiectum, in gentium dominatu constituit. a Ierosolymæ terrestris finibus expulsum in Ierosolyma cælesti, angelorum præsidio cincta, Regem collocauit. Multæ quidem aduersæ cogitationes animos peruagantur, & humani sensus dant insitæ imbecillitatis indicij; usque adeo, ut, quamuis fides inuicta sit, multa tamen sint in sanctis etiam hominibus, quæ fidem illorũ uehementius oppugnent, quam hominis natura patiatur. Spiritus tamen, ope Diuina subnixus, de omnibus eiusmodi cogitationibus uictoriam insignẽ consequitur. quod in me ualde expertus sũ. Cum enim essem in summas angustias adductus, & instantis mortis formidine trepidarẽ, corporis sensus animo meo suspicionem afferebat, me esse ab oculorum tuorum adspectu seclusum, & ab ope tua omnino derelictum. idq. flebilibus modis, & lugubri ualde querimonia, lamentabar, cum tamen, in ipsius summæ acerbitatis angore, mens, in bonitate tua defixa, confidens, atque secura, cõsisteret. Eaq. fide uehementer incensus, ad te clamaui, & tu preces meas iustissimas accepisti, & opem, cõfestim attulisti. O uiri, qui Deum sancte colitis, & hominum caritatem summo studio retinetis, Deum tota mente diligite. Seruat enim constãtissime fidem Dominus; ita, ut, quemadmodũ promisit, iustitiam, & pietatẽ, præmio gloriæ sempiternæ remuneret, & illis, qui insolenter efferuntur, mercedem debitam cruciatu sempiterno constituet. Nemo igitur ex uobis, o uiri meis placitis addicti, diffidat; animos assumite; corda robore inuicto stabilite, omnes, qui spem in Domino collocatam habetis; cum exploratum omnibus bonis sit, nunquam summum illum Dominum suorum preces, & uota, repudiasse, & semper fidem, & pietatem, muneribus Diuinis affecisse.

Benedictus Dominus.

Ego autem dixi in excessu mẽtis meæ.

Diligite Dominum.

Beati, quorũ remissæ sunt iniquitates. Psal. 31. Apud Heb. 32.

IN principio operis huius Dauid lõge aliter uitæ beatæ rationem, atque multi Philosophi faciunt, definiuit. Neque enim bona corporis, nec huius uitæ commoda, ad beatæ uitæ cumulum, aliqua ex parte, pertinere demonstrauit, sed tantum in assiduo Diuinæ legis studio, hoc est, in iustitiæ sanctissimo oultu, uitam beatam constitutam esse docuit. Iustus autem est, qui ita iure Diuino deuinctus est, ut nihil agat, nihil dicat, nihil animo moliatur, quod non sit ex legis Diuinæ sententia, & sempiterni iuris sanctione. qui autem hunc statũ fuerit assecutus, beatus erit. Deo enim, qui est iustitiæ parens, erit similitudine uitæ coniunctus. Qui autem Deo, bonorum omnium fonti, coniunctus est, expletus omnibus bonis sit, necesse est. Iusti igitur solum beati sunt; & omnes iniusti, eo quod a Deo dissideant, quo feliciores ab imperitis iudicantur, eo miseriores habendi sunt. Cum autem hoc ita sit, uidendum est, qui iusti nominandi sint. Si ad uiuum omnia resecare uelimus, is iustus est, qui ita uitam semper instituit, ut numquam, ne cogitatione quidem, a legis Diuinæ præscriptione deflexerit. Quis autẽ ille tam felix inter homines exstitit, qui nusquam legis sanctitatem aliquo pacto uiolauerit? Nemo prorsus. Primus parens generis humani legem nefarie transgressus est; & uiri sanctitatis gloria præcellentes sæpenumero in offensionem sanctissimi numinis inciderunt; & omnes ita nati sumus, ut satis appareat, insitum esse in nobis peccati quoddam seminarium; quod nos ad legis ipsius odium furibunde sollicitet. Quid ergo dicendum? Neminem umquam iusti nomen obtinere potuisse? In quem igitur finem lex Diuina lata fuit, si nulla erat ex ea utilitas capienda? Si nemo eam ita seruare poterat, ut non interdum laberetur, & rueret? Quod si nemo iustus umquam fuit, & beatus nemo potest esse, nisi qui iustitiæ muneribus excultus fuerit, frustra operam ponunt uiri sapiẽtes in beatæ uitæ ratione describenda, si ad illam adspirare minime licet. Hanc dubitationem ut expediat Dauid, docet, quo modo possimus iustitiã consequi, & ita fieri status beatissimi, atque adeo Diuini, participes. Non, inquit, beatum appello eum, qui numquam peccauit. is enim numquam in terris exstitit; sed eum, qui, cum peccatis inquinatus esset, fuit a Deo in gratiam receptus, & omni crimine liberatus, ut deinceps iustitiæ fructu potiretur; seq. totum ad effigiem Diuinæ uirtutis effingeret. hoc autem beneficium peccati dolor, & spes in gratia Dei posita, & oratio humilis, & pia, consequitur; ita, ut non sit uitæ sanctitas naturæ, & studio nostro, sed amplitudini Diuinæ clementiæ, atque benignitatis, adscribenda. Vt hoc igitur explicet, ait: O beatum illum, qui peccatorum ueniam impetrauit; quorum flagitia nouæ uitæ cultus obtexit, ita, ut omnia illius crimina, cum primum iustitiæ uestem induxerit, ex oculis euanescant. O beatum illũ uirum, cui Deus peccatum non exprobrat, eo nempe, quod peccatum sit omnino illius gratia deletum. Nam, si peccatum, post tributam ueniam, in animis inhæsisset, crimini certe datum fuisset, & in iudicium uocaretur. Eum igitur, qui probro liber est, peccato liberum esse constat. Sed, qua tandem ratione is, qui uitijs coopertus erat, nunc iustitiæ Diuinis ornamentis excolitur? Quia ad Deum, non ficte, ad tempus,

Beati, quorum remissæ sunt.

Nec est in spiritu eius dolus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tempus, ut pœnam aliquo pacto declinaret, accusit, sed toto animo conuersus est. Itaque nō honestatem simulauit; non sanctitatem mentitus est; non in eo elaborauit, ut, ficta pietatis specie, intestinas fraudes occulteret; sed flagitia sua, sine ullo fuco, atque fallacia, confessus est. Quod quidem officium cum post admissum crimen ego distulissem, & scelus confiteri minime uoluissem, eā plagam a seueritate offensi numinis accepi; tantusq. dolor ossibus quasi senio debilitatis inustus est, ut mihi necesse esset per totum diem lugubres uoces emittere. Itaque, qui peccati uulnus animo infligerat, quod erat maxime dolendum, minime lamentatus sum, morbi multo lenius ferendi dolore uictus, eiulatus maximos edidi. Tunc enim, quantum malum esset in crimine, cognoui; & in corpus etiam mala redundare percepi. Manus enim tua grauissimum corpori meo uulnus impo suit; neque die, neque nocte, quidquam de seueritate remisit. Itaque corporis succulenti uiriditas sic arefacta est, ut uideretur ætatis solibus arden tissimis perusta. O rem summa consideratione dignissimam. Cum, ad hunc modum uehementer afflictus, in lecto decumberem, non alium medicum, quam illum ipsum, a quo sauciatus erā, accersendum duxi; illiusq. iram mihi acerrima peccati confessione placaui. Facinus meum, Domine, in oculis tuis aperui; non suppressi silentio iniquitatem meam: statui mecum, ut me ipse criminis suscepti coram Domino nimis acriter accusarem: at tu, cum me, criminis dolore perculsum, & stratum, animaduerteres, & preces meas audires, remisisti continuo pœnam sceleri meo constitutam. O clementiæ nimis admirandæ magnitudinem; quanta facilitate ueniam supplicibus impertit; & quam præsenti remedio eorum uulnera sanat, qui minime salutarē illius medicinam aspernantur? Iccirco ad te omnis uir sanctus, cum piis precibus, confidenter adibit, quoties per imbecillitatem in peccati morbum inciderit, qui tamen non est alia curatione, quam gratia tua, depellendus. Numquam enim, quamdiu tempus est precibus accipiendis opportunum, hoc est, quamdiu huius uitæ status manet, & homines, peccati dolore uehementer afflictati, opem suppliciter imploRant, erunt ab aditu tuæ benignitatis excluſi. Si enim tu, ubi primum aliquis in officio deliquisset, te implacabilem præbuisses, & numquam seueritas iustitiæ ad lenitatem, & misericordiam, inflecti ulla ratione potuisset; quis in desperatione salutis preces adhiberet? Reliquum erat igitur, ut omnes spem salutis abiicerent, cum nemo posit uitæ cursum, absque aliqua prolapsione, conficere. Sed, cum lumen clementiæ tuæ omnibus, qui in te intuentur, expositum sit, homines, qui sancti tatis studio tenentur, quamuis interdum concidant, ad te fidenter accedunt; & eos quidē tu plaga mediocri eruditos sanabis; quos tamen in communi rerum strage tueberis. itaque, cum aquarū eluuione hominum multitudinem, sceleribus nefariis infectam, & contaminatam, consumpseris, eluuionis impetus homines pios nō attinget; sed, quemadmodum Noe, cum liberis suis, e fluctibus illis immensis ereptus fuit, ita & illi ab omni calamitatis incursione tuo præsidio seruabuntur. Tu mihi latibulum es, & doloris acerbi perfugium; tu me ab omni afflictione tutum, & incolumem, conseruabis; uocibus multorum, mihi de liberatione gratulantium, aures meæ undique circunsonabunt; & omnes, summo consensu, tibi laudis uictimas immolabimus. O bonitatis admirandæ magnitudinem. Clementia enim Domini nullis finibus arcetur, sed in dies amplificatur. Itaque nō satis habuit, morbum a me depellere, & pericula impēdentia propulsare, nisi etiam iacentem animum excitaret, & ad spem certissimam muneris multo ampliori erigeret. Nam promittit, & spondet, se fore mihi itineris ductorem, uitæ magistrum, atque adeo parentem, ut non imperio illius tantum, uerum monitis, & consilio, possim, eius ope firmatus, in cælestem uitæ sempiternæ regionem, absque ullo errore, peruenire. Me nāque in hanc sententiam alloquitur: Instruam te mētis intelligētia, & deducam te per uiam, in quam ingredieris, ne a semita iustitiæ in alterutrā partem deducaris. Tantaq. facilitate monitis meis obtemperabis, ut ex oculi mei nutu facillime, quę sint salutis consilia, mente percipias. Aios enim faciles, & ad bonitatem flexibiles, qui, Spiritus sancti nutu, in studiū pietatis impelluntur, amo; duros autem, & cōtumaces, qui nullo modo, nisi grauissimo malo coacti fuerint, in aliquo officij genere continentur, a familiaritate repello. Hac quidem sentētia in animo meo penitus impressa, & insculpta, me Spiritus sanctus admonet, ut etiā oēs suos nutus obseruē; nec ullam actionem, nisi de illius sententia, & uoluntate, suscipiam. Vos autē, ciues mei, hortor, & moneo, ut rectę rationi pareatis, & nullo modo impetu libidinis effrenatę, tamquam bruta animantia, in flagitia, & scelera, rapiamini. Ne sitis similes equi, & muli; qui, cū mentis expertes sint, non libera uoluntate, & consilio, sed ui, & malo, coguntur Domini sui imperiū accipere, ita tamen, ut acriores freno coercendi, tardiores capistro cohibendi sint. aliter enim Domini sui imperium detrectabunt. Cogitate cum animis uestris, quanta sint præmia illis proposita, qui suauissimū summi Dāi iugum sponte, atque uoluntate sua, subeūt; & quātis suppliciis sint expositi, qui, ut cupiditatibus suis turpissime seruiāt, a Regis sempiterni fide deficiunt. Multi sunt dolores, impiis hominibus, qui Diuinam legem præ libidine sua cō tempserunt, inusti; at eos, qui in Dei benignitate fidentibus animis acquiescunt, ipsius Dei misericordia circūspiet, & Diuinorum bonorū affluentia cumulabit; lętamini, & exsultate, iusti, tā multis bonis, quam multis eritis a Domino, qui uos in amicitiam recepit, expleti; & omnes, qui pura, & integra, mente in iustitiæ studiū incitamini, uoces maximas, indices summæ uoluptatis, effundite.

Quoniam tacui, inueterauerunt

Quoniam die ac nocte.

Dixi Confitebor iniustitiam meā Domino: & tu remisisti impietatē peccati mei

Pro hac orabit ad te

Tu es refugium meū.

Intellectū tibi dabo.

Noli te fieri sicut.

Exultate Iusti in Domino. Psal. 32. Apud Heb. 33.

ANimum sollicitudine liberum, & tristissimis curis uacuum, oratio consequitur: quemadmodū

admodū ex animo tabificis curis exulcerato oratio tristis, atque plena desperationis, erūpit. Ergo, cū boni nullo cruciatu sceleris angātur, nullis facinorum pœnis exagitētur, & Diuinis bonis semper affluant, & ad spē immortalis gloriæ Diuinis promissis excitati sint; necesse est, ut iucūdissime uiuāt, & omnē uitam in Dei gloria laudibus celebranda consumant. Vt igitur impiorū animi cum scelerū conscientia cruciātur, & iudicij Diuini metu, quoties res aliqua paullo horribilior moueri uidetur, exanimantur, nihil sibi lętū ominari possunt; ita boni, cū uerisbonis egregie cumulati sint, & Spiritus Diuini iucunditate perfruātur, qui eos de futura gloria, si permanserint in officio, dubitare nō sinit, gaudio certe triumphabunt; & salutis auctorē gratissima mente, & oratione, prosequentur. Bonis enim, & nō improbis, cōcessum est, Dei laudes in ore semper habere. Ornamēta nāque ab homine impuro tributa clarū nomē non exornāt; sed inclytę dignitati, quantum possunt, insignē labem dedecoris adspergunt. Dauid igitur, cū tota mente esset in ea gloria defixus, qua boni ab optimo parente cumulantur, eos ad summā lætitiam excitat, & ad Domini laudes oratione perpetua celebrandas impellit. Sic enim inquit: Concinite Dei laudes, o iusti. Vos enim, qui animū rectū geritis, & linguæ puritatē summo studio cōseruatis, decet, optimum parentem, & dominum, continua laudatione celebrare. Scelesti nāque homines, cū Deum laudibus afficere nituntur, nō illius gratiā ineunt, sed offensionē concitant; tum, quia officiū, quo sunt prorsus indigni, insolenter usurpant; tū, quia insignis impudētiæ significationem dant, cū numē oratione laudant, quod uita, & moribus, oppugnant. Vos igitur, quibus tā Diuinum officium curandum est, in studium Diuinę laudis totis uiribus, inflammatis animis, & sensibus acriter incitatis, incumbite; neque uocibus tantū, sed omnibus instrumentis musicis, laudes Dāi in cęlum, quantum potestis, extollite; inducantur cytharæ; imporRentur nablia; decē chordarum testudines afferantur; omnibusq. modis gaudium, quo estis mirabiliter affecti, testificamini. Nō uos hortor, ut antiqua beneficia celebretis; nēpe, ut memoria replicetis, quo pacto Pharao cū omnibus copijs suis fuit maris gurgite demersus, & Israel in libertatē uindicatus, & in quietis sedibus, sancti hominis opera, cōstitutus: non cōmemoro uictorias insignes, quas fortissimi olim duces fuerunt, ut a ceruicibus uestris seruile iugū depellerent, ope Diuina, consecuti. Hęc enim uetusta nimis sunt; & recentis muneris, & beneficij, splēdor, magnitudine sua antiquis obscuritatē affert. Vmbræ namque rerum Diuinarum, facillime, interuentu solidę, & expressæ, ueritaris, cuanescunt. Aliud igitur multo maius, & amplius, beneficium nouo cantico prędicate. Nouum enim beneficiū, nouum genus carminis, & concētus, efflagitat. Mūdi namque princeps extermina tus est; imperiū illius euersum; sempiterna libertas egregie cōstituta; pax animorū conciliata; hominibus in cęlum uia præclare munita. Rectū est enim uerbū Dāi; & omnia opera illius summa fide constabilita. fuerat salutē pollicitus; salutē cumulate præstitit; spem sempiternæ libertatis ostēderat; libertatē sempiternam mirabili ratione confirmauit; Maiestatem suam hominibus propitiam fore prędixerat; hominū mētes secum sanctissimo fœdere conglutinauit. Cum autem iustus sit Dns, & iustitiā, & iudicium, diligat, & iniuriā odio prosequatur, fieri nō poterat ullo modo, ut opes suas cum iniquis hominibus communicaret, nisi prius eos iustos, atque sanctos, efficeret. Sāctissimis igitur sacris recenter institutis, humanum scelus expiauit, & flagitiorum maculas omnes abstersit ab illorum animis, qui se totos in illius fidē, incenso studio, contulerunt. legem namque suam, non in tabulis lapideis, sed in cordibus humanis, insculpsit; hominumq. genus, a nimia cupiditate terrenæ felicitatis abstractū, desiderio glorię cælestis inflā mauit. Hoc tamen tantū beneficiū noluit esse angustis Iudææ finibus incluſum, sed ita longe, late que, diffundi, ut ad oēs nationes peruenire. Nam & probitas illius opes suas minime comprimit; & iustitia nullū generis discrimē, sed uim fidei, & studium pietatis, agnoscit. Itaque omnis terra iliius misericordia plena est. Hæc est materia noui carminis, quo uobis fœderis noui beneficiū est perpetuo celebrandum. Vt melius autem possitis mundi amplitudinem cōsiderare, in auctoris, & administri, maiestatem, quoad licet, & fas est, aciem mentis intendite. Non enim aut angelis, aut hominibus sanctis, hoc officium, & munus, delegauit; sed ipse, per se, tantum, & tam excellens, opus, quod ex omni æternitate designauerat, instituit, ad summumq. perduxit. Verbo Domini ipsius cęlestis natura perfecta fuit; spiritu illius astra omnia constiterunt. Includit, quasi in utrē, undas maris, ne redundent, & effluant, & terris uastitatē inferant; & comprimit, quasi thesauro, profundam aquarū immensitatem, non ad perniciem generis humani, sed ad utilitatem, reseruatā. Capite illius notitiā, & potentiā illius extimescite, omnes, qui terras incolitis; omnesq. orbis cultores metuant illius iudicia. Hoc enim expetit, ut uniuersæ nationes, Dei sanctissimi metu perculsæ, & abiectæ, admissa scelera, & flagitia, detestentur, & in studium sanctifsimæ religionis incitentur. ut sic tandē Diuinæ gloriæ communionem, pro fidei ratione, consequantur. Quod quidem assequi, gratia illius, cuius potestas est infinita, non erit difficillimū. Ipse namque duxit, &, quod non erat, repente, ui uerbi illius, exstitit; ipse imperio sanxit; & omnia, quæ nunc cohærent, & permanent, ad uoluntatē illius informata sunt. Ita, ut nihil aliud rerum natura sit existimanda, quam Diuinæ mentis opus, & Spiritus sancti salutaris, atque iucunda, comprobatio. Verbo tantum illius uniuersæ rerum formæ consistunt; & ad illius uocem ea, quæ nonerant, accurrunt. Ad hunc igitur modum, uoce, & imperio, illius, impuri homines expiabuntur; & ij, qui in terram depressi erant, excitabuntur, Diuinamq. formam induēt. Multi quidem pietatis hostes, bellum durū, & immane, contra Dei filios cō parabunt; sed eorū labores erunt irriti, & inanes. Cōfringit enim Dominus consilia gentiū, & populorū cogitationes eludit. Quod enim moliuntur,

Exsultate iusti in Domino.

Verba Dominicęli firmati sunt.

Timeat Dominum omnis terra.

Dominus dissipat cō silia gentiū.

Quia rectū est uerbum Domini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

adritum cadit;quod impedire nituntur,felicissi me procedit;&,quo uehementius pugnant,eo Diuina uirtus se clarius ostendit. Consiliũ enim Domini in perpetuũ permanebit. & cogitationes illius,in omni memoria hominũ,exitum,quem ille uelit,inuictissima felicitate consequentur. Nec enim ullis humanis uiribus Diuina potestas infringi,nec ulla hominum calliditate frustrari, umquã poterit. Ineant igitur homines sceleris plena cõsilia;copias cogãt;acies instruant;omnia conentur; ut disciplinæ cælestis lumen exstinguant,& ex hominũ memoria Christi nomen deleant; omnes tamen conatus frustra comparabuntur, & tunc uel maxime Euangelium progredietur, cũ furentius impugnatum exstiterit. Ergo,cũ omnes homines beatę uitæ nimis appetentes sint,& ea cupiditate maximo ducantur,ut omnibus bonis expleti, & cumulati,iucundissime uiuant;& constet,illorum cogitationes esse uanissimas,& spes fallacissimas; efficitur certe,neminem illorum beatum,fore;immo,quo quisque ardentius ad propositum sibi finem omnibus modis enititur, eo turbulentius in miseriam præcipitari. Qui igitur erunt beati? Illi tantum,qui summum Dominũ, uniuersæ naturæ conditorem,& humanę salutis architectum,cuius consilia sempiterna sunt,& nullis opibus retardari possunt,Deum habuerint,& in illius potentia, & fide,omnem spem salutis,& dignitatis,suæ collocauerint. Beatus ille tantum populus erit, quẽ Dominus, ut hereditatis opulentissimæ patrimonium,gratia tua curandum,& tuendum,susciper. Quamuis enim omnium nationum odio flagret, & undique in illum hostes irruant,semper auxilio Domini defensus,& inuictus,permanebit. Nec enim dici potest, Deum, maioribus curis implicitum, res humanas minime curare, & res suorum negligere. De cælo enim oculos in terram conijcit,ut in homines animaduertat, & uideat, quid quisque,pro institutæ uitæ ratione,& studio, mereatur. Nõ, quod ipse mutationem subeat ullam, aut a loco in locum migret;sed,quod,in æternitatis suæ solio locatus, immensa, & infinita, mentis intelligentia,cuncta perueştiget, atque penetret, atque penetret,& habitatores terræ perspiciat. Neque dici potest,aliquid illum ignorare,quod sit in humanis animis penitus abditum,& abstrusum. Ipse namque hominũ corda finxit,& informauit; humani animi recessus omnes explorat, usque adeo, ut nihil ullo modo possit, quamuis intima cogitatione reconditum, oculos Diuinos effugere. Rex igitur non sibi salutem exercitus multitudine cparoãbit, uir fortis,& in armis acerrimus, minime robore suo necis periculum uitabit; frustra parabitur maximus equitatus ad salutem; nemo denique,robore suo nixus,pestem effugiet. Nam omnes opes humanæ, cum sint fragiles,& inanes, & mendacio,atque uanitate,subnixæ,momento temporis euertuntur. At oculus Domini se timentibus,& spem in misericordia sua reponentibus,adijcitur, ut animas eorum a morte liberet,eosq.tempore famis enutriat. Anima nostra Domini opem fidenter exspectabit. Ille namque nobis est in asperis rebus auxilium, & in pugnantum,ne ulla tela in nostrũ corpus adhæresca̅t, sed a nobis longissime repellãtur. Iccirco cor nostrum,præsidio illius cinctum,efferetur summa lætitia non enim mendacio freti, sed nomine Domini cõfirmati sumus,ut opera salutaria moliamur. Cum uero,Domine, spes in te locata neminẽ umquam fefellerit,quid erit nobis impedimento, ne gaudio triũphemus? Impertire nobis misericordiã tuã,quando,illius tantum fiducia nixi,in omni rerum uarietate uitam animo tranquillo ducimus.

Beatæ gẽs, cuius est Dominus Deus eius.

De cælo respexit Dominus.

Non saluatur rex per multam uirtutem.

Benedicam Dominũ in omni tempore. Psal. 33. Apud Heb. 34.

DAuid, necis metu, quam illi Saul omnibus modis inferre conabatur, in aliud se discrimen mortis iniecit. Ad Palæstinos enim se contulit,perẽnes Hebræi generis hostes, quos ipse multis pugnis attriuerat:sed tanta erat Saulis immanitas, ut Dauid se facilius apud hostes uitam tueri confideret,quam apud Regem sibi summa conuictione deuinctum,& quẽ multis,atque magnis beneficijs adstrinxerat. Vnde colligitur,nihil Invidia pestilentius excogitari posse. Omnem enim naturæ coniunctionem dirimit; iuris societatẽ dissoluit; fœderis religionem uiolat;odium acerbũ, & immane,concitat; & fratres denique ad mutuã perniciem sibi ipsis inferendam sollicitat. Cum tamen Dauid fuisset a Palæstinis agnitus,timuit,ne hostes,propter cladium,quas illi intulerat,memoriã,sibi cædem molirentur. Vt igitur periculũ declinaret,stultitiã simulauit,ut hostes eũ, cuius uirtutem metuerant,propter dementiæ speciem,contemnerẽt. Cum ita fuisset,ut demens,ad Palæstinę Regem intromissus,is,ut stultum,expelli ab aula Regia iussit. Fortasse minime decorum existimabat,locũ, quem sapientes apud Regem tenere deberant,a multis imperitis,& amentibus,occupari. Itaque Dauid,ad hunc modum periculo nõ mediocri perfunctus,Deo,cuius ope fuerat ex hostiũ manibus ereptus,in hanc sententiã gratias agit: In omni rerũ uarietate Dãi laudes perpetua laudatione prædicabo;& numquã illius nomen ex animo,& ex ore meo discedet. Secũdę nãque res,a benignitate illius emanãt;adueręt præsidio illius stinẽtur:in omni loco cunctis,qui opem illius,precibus puris,& castis,implorant,præsens adest. Nũquam denique pij homines ab illius auxilio desciscunt. Non igitur diuitijs efferar; non sapientiæ laudes assumam; non robore militari, atque uiribus, insolescam; sed Deo tantum meo gloriabor. Ille mihi thesaurus inexhaustus est, omnium Diuitiarum copia refertus; ille summæ sapientiæ magister; ille robur mihi inuictum, & animi uires elargitur. Quo modo igitur aliunde gloriæ segetem, quam ex illo summo auctore totius dignitatis,& honestatis,adsciscam? mites,atque mansueti,qui sese ad studium pietatis adiunxerint, cum audierint, quo modo fuerim a Domino in periculis defensus, in afflictione subleuatus,ex humilitate ad summum gradum dignitatis euectus, lætabuntur; & communem eam gratiam existimabunt; & sibi aditum ad eiusdem beni-

Benedicam Dominum in omni tẽpore.

Magnificate Dominũ mecum.

benignitatis fructum apertum intuebuntur. O uiri sanctimonia præcellentes, societatem mecum huius tam præclari muneris inite; simulq. Domini nomen laudibus sempiternis extollite.

Fui quidem ab illis ipsis, quos summis beneficijs affeceram, sceleris insimulatus; a meis impie, atque nefarie, proditus; omnibus Regis uiribus, & copijs, ad cædem quæsitus; rerum omnium penuria uexatus; insidijs sæpenumero circumuentus; ex patriæ denique finibus expulsus, in hostium manus incidi: in his malis omnibus Deum precibus, & uotis, exquisiui; & ille me ex omni calamitatis metu, & sollicitudine, liberauit. In illum respicite, & illuminabimini; illiusq. opem implorate, & nullum decus erit animis uestris impressum. numquam enim uos salutari præsidio nudari patietur. me uobis insigne fidei huius exemplum ad imitandum proponite. Hic pauper, omnium præsidio spoliatus, expulsus, ꝓagus, egens, & incommodis multis oppressus, clamauit ad Dominum; & fui continuo ab omnibus ærumnis, ipsius Domini ope præsentissima, liberatus. Erigant animos omnes iusti;neque patiantur ullo modo spem suã debilitari. Intelligant, quanta cura summus Dominus eorum saluti, qui nomen suum timent, & quãta sedulitate, prospiciat. Angeloru enim exercitus circum eos castra locat, qui pietatem unice colunt, & spem firmam in Dei bonitate constituunt. Gustate, & uidete, quam suauis sit Dominus. beatus ille demum uir existimandus est, qui in Dei bonitate omnes spes suas positas habet. O uiri sancti, qui, Dei gratia, & benignitate, hunc statum assecuti fuistis, Deum timete, & nihil uobis umquam deerit, nec ad uitæ tuendæ subsidium, nec ad dignitatis ornamentum. Fieri enim non potest, ut quidquam illis desit, qui sunt cum rerum omnium Domino amoris fœdere copulati. Tyranni, magnis opibus opulenti, & leonina feritate truculenti, de statu conciderunt, &, ad summam inopiam redacti, fame confecti sunt: at, qui, neglectis humanis opibus, Deum inflammato studio quærunt, illiusq. gratiam omnibus uitæ emolumentis anteponũt, omnibus bonis abundabunt. Accedite,filij; (iure filios appello, quos animo patrio complexus sum) & doctrinam meam attentissima consideratione percipite. Non uos cæli, atque terræ, dimensionibus erudiam; non disciplinis, hominum ingenuis excogitatis, institutam; non ea uobis tradam, quæ,sunt plus inanis admirationis, quam solidæ utilitatis, allatura; sed id, quo uerissimæ sapientiæ lumen continetur, nempe timorem Domini. Timor enim Domini extrahit ex animis flagitia; uirtutes inserit; offensionem oblitterat; gratiam acquirit; mortis aciem retundit; uitam æternam dat; mala cuncta propellit; omnia bona confert. Nihil denique mali potest in illis residere, qui uitam timore Domini sancto præfulciunt; nullum bonum deesse illis,quorum oculis iudicia sempiterni iudicis uersantur. Quis est igitur, qui uitam diligit, & cupit dies bonis omnibus affluentes inspicere? omnes certe mortem exhorrent, & uitæ ardentissima cupiditate ducuntur. Omnes igitur hortor, & moneo, ut moribus, atque uita, Domini timorem præseferant. Vnusquisque igitur linguam coerceat, ne malum proferat ullum, aut dolum, & fraudem, machinetur. Nihil est enim lingua nimis effrenata funestius. Ea namque maledicit, & hominibus dignitatem, atque uitam detrahit. Non potest igitur Deum habere propitium, qui lingua ad iniquitatem, & scelus, abutitur. Ab omni deinde maleficio manus contineat, omnesq. suas cogitationes ad hominum caritatem, & beneficentiam, conferat. Summa namque legis in caritatis studio consistit. Pacem postremo diligenter exquirat, eamq. summa cura, & uigilantia, tueatur. Qui enim pacis,quoad licet, appetentes sunt, Diuino officio, & munere, funguntur, & ea de caussa in illius familia, & sobole, numerantur. Qui hæc officia optima fide præstiterit, Deo gratissimus erit, & ita demum uitam deget florentem, atque beatam, & eximia iucunditate refertam. Oculi enim Domini in iustos admodum benigne respiciunt; & illius aures sunt semper ad bonorum clamores excipiendos intentæ. Contra uero, uultus illius est omnibus, qui conflant iniurias, infestissimus; idq. decretum habet, ut eos exscindat, eorumq. memoriam e terris funditus euellat. Iusti uero, cum presi fuerint ærumnis, ad Dominum clamabunt, & erunt, illius ope, e malis omnibus erepti. Maxima igitur spes salutis est iustis ostensa. Quid, si deliquerint in officio? Quid, si prolapsi aliquando fuerint? Quid, si aliquod in se flagitium, & dedecus, admiserint? Numquid ob id erit illis ad Dei benignitatem aditus omnino præclusus? Non certe. Dominus enim præsto est omnibus, quos impuritatis susceptæ ualde pænitet; & animis, dolore, propter uitia, confixis, & suppliciter abiectis, facile ueniam tribuit, & salutem clementissime dat; ita, ut, qui iacent, erigantur; &, qui saucij erant,repente sanentur; &, qui uersabantur in mærore, uoluptatem peccatis amissam recipiant. Sed inquiet fortasse aliquis, hanc sententiam nostram uitæ communis exemplis sæpenumero refelli. Videmus enim, iustos incommodis uexari;cum doloris acerbitate conflictari;& ab impuris homninibus impugnari;cũ interim improbi multis opibus affluant,& in assidua uitæ iucunditate uersentur. Fateor, iustos, multis laboribus, atque doloribus, exerceri, ad multo maiorem uirtutis spectatæ claritatem; ex omnibus tamen illis ipsius Domini manibus eruuntur, ut ampliore deinde gloria cum summa iucunditate circumfluant. Tanta enim cura Dominus iustos, & tanta uigilantia,tuetur, ut ossibus eorum studio non mediocri prospiciat. Vnũ enim ex illis frangi minime patietur. Itaque non languescit eorum uirtus; nulla ex parte robur infringitur; constantia inuicta permanet; in omnibus tormentis, & cruciatibus, pietas uictrix exsultat: ut facile appareat, uirturem Diuinam in illis semper incidere, qui iustitiam totis uiribus amplexantur. At impios malum,

Gustate, & uidete.

Venite filij, audite me.

Oculi Domini supra iustos.

Iuxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde.

Multæ tribulationes iustorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod in eorum uiſceribus inhæret,fœde conficiet; peſtiferoq. leti genere mactabuntur; &, qui iuſtũ odio perſequuntur,ſcelere ſe conſtringent, crucia tu perpetuo uindic ndo. Redimet Dominus a peſte ſempiterna uitam ſeruorum ſuorum; & nemo illorum, qui omnem ſpem ſuam in eo ponũt, & hac fide uitam moderantur, erit in illius iudicio ſceleris damnatus; & ſic tandem fiet, ut iuſti, omni crimine liberi, gloria ſempiterna perfruantur.

Judica, Domine, nocentes me. Pſal. 34. Apud Heb. 35.

CVm Dauid inuidorum odio premeretur, & Saulis armis,ſine ulla cauſſa,peteretur,a Domino poſcit, ut bellum ſuſcipiat: humanis enim opibus non poterat bellum immane, & inexpiabile, profligari. In quo quidem oſtendit, quanta cura Deus iuſtorum ſalutem,atque famam, tueatur, uſque adeo, ut,illorum cauſſa, ipſe, per ſe, contra iuſtorum hoſtes bellum gerat, & iniurias bonis illatas diriſſimis ſupplicijs ulciſcatur; &, quo quiſque maiores in iuſtitiæ ſtudio progreſſus habet, eo acrius illius cauſſa in bellum incumbat, & grauiores pœnas ab hoſtibus piorum repoſcat. Cum igitur nullius hominis ſancti iuſtitia fuerit aliqua ex parte cum Chriſti iuſtitia cõparanda, & a Iudæis fuerit adeo uexatus, & afflictus, ut omnium ſanctorum cruciatus longo interuallo ſuperarit; factum eſt,ut nulla gens um quam fuerit magis ab ope Diuina derelicta; acriore bello uexata; acerbioribus pœnis expoſita; maioribus ſupplicijs afflicta; & diuturniore clade, & uaſtitate, conſumpta; ita tamen,ut manus Domini non ſit a plagis inferendis auerſa, ſed adhuc ad feriendum intenta. Cum igitur Dauid ſimilitudinem Chriſti multis in locis expreſſerit, ſic res illius memoria replicandę ſunt, ut interim de Chriſto multo acrius, & attentius, cogitemus. Dauidis igitur, aut, ut rectius dicam, ipſius Chriſti preces audiamus. Sic autem ait: Pugnam ſuſcipe, Domine, contra illos, qui me crudeliter oppugnant; prœlio contra eos dimica, qui me ſceleſtiſsimo prœlio, & animis infeſtiſsimis, adoriuntur. Non leue bellum eſt, neque mediocri contentione gerendum, ſed acerrimo ſtudio,& totis uiribus, adminiſtrandum. Arripe igitur ſcutum, ut a me hoſtium tela propulſes. Arripe haſtam, ut illis mortiferum uulnus in figas; &,rebus admirandis in armis fortiter editis,inſurge, ut mihi præſentem opem afferas. Effunde fra meam, & cõclude ad uerſus eos. Confundãtur, & reuereantur. ſtringe gladium; illis, qui me perſequuntur, occurre; include illis uiam, qua in me impetum facere conantur; omnibuſq. modis oſtende, te mihi ſalutem attuliſſe. Erubeſcant,& inſigni dedecore maculentur omnes, qui uitam meam petunt: quod fiet,cum fruſtra pugnauerint;cum nihil eorum,quæ conantur,efficient; cum illius gloriam, quam euertere nituntur, ornamentis Diuinis illuſtrari perſpicient. Retrocedant cum ſummo dedecore;fugam ſine fructu quærant,omnes, qui mihi malum inferre moliuntur;ſint inſtar pulueris a uẽto diſſipati; & angelus Domini eos præcipites extũbet. Sit illorum uia circumfuſa denſis tenebris, & nimis lubrica; ita,ut neque,quo tendant,adſpiciant, neque ueſtigium firme in lutulentis locis imprimere queant, & paſsim labantur, & concidant;&,ut furentius in magnitudinem rotius cladis incurrant,angelus Domini eos a tergo mucrone gladij micantis, inſequatur. Iure hæc omnia imprecor illis, qui,ſine ulla cauſſa, in meam perniciem inſidias machinati ſunt, profundamq. foueam,in quam detruſus uita ſpoliarer, exſtruxerunt. Quid enim poſſunt magnitudini tam ſceleſti facinoris obtendere? Me fuiſſe illis perniciem machinatum, qui ab eorum capitibus perniciem, ab hoſtibus illatam, mea uirtute repreſsi? commodis eorum defuiſſe, qui Remp. uniuerſam bonis quampluimis egregie cumulaui? contumelijs ciues meos affeciſſe, quorũ maledicta patientia inuicta ſuſtinui? Itaque mihi,pro beneficijs, innumerabilia maleficia retulerũt. Irruat in principem tanti ſceleris improuiſa calamitas, quam minime cogitarat; & rete, quod mihi intenderat, impediatur;& in peſtem incidat, quam mihi fuerat,abſque ullo meo merito, impie machinatus. Anima uero mea exſultabit in Domino, & ſumma lætitia efferetur,cum fuerit ſalutem,illius gratia, & benignitate, conſecuta. Omnes animi uires,ad laudes tuas celebrandas excitatæ, dicent: Domine, quis tui ſimilis eſt? Homines enim ijs, qui patum poſſunt, aduerſarij ſunt, & ad eorum ſe ſtudium adiungunt, quos uident in Rep. dominari. Itaque pauperes, omni patrocinio deſtituti, potentium rapinæ, & direptioni, relinquuntur. At tu ſubſidio occurris pauperi, & liberas eum ab illius tyrannide, qui multo ualentior eſt; & inopem, & egenum, ab immanitate illius, qui pauperes omni uictu ſpoliat, illorumque tenues opes prædam ſuam putat, clementiſsime liberas. etenim inſurrexerunt in me teſtes, iniquitate, & mendacio, ſubnixi, & ad iniuriam afferendam uiolenti; & me de rebus his, quas penitus ignorabam, quaſi opera mea conflatæ fuiſſent, interrogabant. Pro bonis, quibus illos afficeram, mala reponebant; &, ut omni prorſus auxilio orbaretur anima mea, ſumma contentione laborabant. At ego, cum illi in morbum periculoſum incidiſſent, lugubrem ueſtem, inſitæ ſollicitudinis, atque doloris, indicem, induebar; & uitam ieiunijs afflictabam; & ea, quæ illis a Domino precibus aſsiduis flagitabam, mihi ipſi proueniant: non minus,atque ſi quilibet eorum mihi ualde neceſſarius, atque adeo frater germanus, eſſet, mæſtus incedebam; quaſi in funere matris, abiectus, aſsidue lamentabar. At illi, cum ego paullulum claudicarem, lætitia geſtiebant; &, ut de meo caſu inter ſe gratularentur, conueniebant; conueniebant, & ſe ad illos aggregabant, homines obſcuri, & ignoti, qui me abſentem maledictis omnibus, ſine ulla intermiſsione, lacerabant. Adulatores, & paraſiti, qui uiliſsimo cibo libertatem in turpiſsimam ſeruitutem addixerant, in me dentibus

Iudica, Domine, nocẽtes me,

Quoniam gratis abſconderunt mihi.

Superuacue exprobrauerunt animæ meæ

Veniat illi laqueus, quem ignorat.

Ego autẽ, cum mihi moleſti eſſent.

Cõgregata ſunt ſuper me flagella

Domine, quando reſpicies?

tibus frendebant, & in nomen meum conuicia iaciebant. O Domine,quando tandem reſpicies, educ animam meam ab hominum perditorum maledicentia; eam, quæ eſt omnium ope nudata,& in te ſolum intuetur,a leonum faucibus eripe;ut hoſtes confuſi,& perturbati,contremiſcant. Hac igitur gente perdita,quæ ſeſe a gratia tua ſceleribus abalienauit, prorſus abiecta, aliam gentem ad tuum nomen adiungam; & in maximo hominum fidelium cœtu, tibi gratias immortales agam; & in populo, uiribus Diuinis inſtructo, te laude perpetua celebrabo. Perfice, ne, mendacijs elati, me derideant inimici mei; &, qui ſine cauſſa in me odio furentes inuehuntur, & oculorum nutibus inclusam malitiam oſtentant, ne mihi in cruciatibus inſultent. Nec enim pacem cogitant; ſed in antris, atque latibulis, fraudes ſtruunt; & perturbandæ pacis conſilia inter ſe ſcelerate conſociant. os ſuum contra me nimis impudenter aperiunt, cum proiecta audacia,& impunita maledicentia,conuicia iactant, & cum me utilneribus conſciſſum,& doloribus intolerandis afflictũ,cernant,incredibiliter exſultant, & crudelitatem ſuam ſanguine meo ſatiant; omnibuſq.modis ualde petulanter efferuntur. Euge, euge,inquiunt. Oculi noſtri,quod miſere cupiebamus,adſpexerunt. Cernimus enim,hominẽ,nobis uehementer odioſum,&'inuiſum,acerbiſsimo ſupplicio mactari,& omniũ conuicio derideri,& ſpes eorum,qui ſibi erant opes ingentes de illius benignitate polliciti,prorſus euanuiſſe. Iam non habebimus,qui nobis moleſtus ſit, & cupiditatibus noſtris aduerſetur, & dignitati noſtræ notam impietatis inurat. Vidiſti,Domine,hęc maledicta in nominis tui gloriam a perditis hominibus impudentiſsime coniici: ne igitur taceas;ne ultionẽ differas;ne malum longius ſerpat,& multorum animos cõtagione taeterrimæ peſtis inficiat. Ne te a me procul amoueas; ut intelligant omnes mortales,me fuiſſe ſemper tuis iuſsis ſanctiſsimis obſecutum. Animaduerſionem excita;ad opem conteſtim afferendam euigila;iudicium tuum,Domine,quem unicum mihi Deum, in omni uitæ ratione,ſumma pietate colendum propoſui,mea cauſſa conſtitue,ut,cum fuero, ſententia tua,omni crimine liberatus,ora peſtilentia comprimantur. O Domine, cuius propoſitum mihi ſemper exſtitit, omnes meas actiones iudicij tui examine perpende; &, quam grata tibi fuerit omnis uita mea,ſignis clariſsimis demonſtra, ne inſultent mihi inimici mei. Ne,ſi uiderint cauſſam meam a tuo patrocinio derelictam,cum animis ſuis ſtatuant, ſibi omnia ex animi ſententia proceſsiſſe; & petulanter inſultent,& dicant,Eum tandem, qui erat nobis grauis aduerſarius,& actionibus noſtris infenſus,machinis, & induſtria noſtra confecimus. Erubeſcant,inſigniq.dedecore,& ignominia, deformentur,qui ſupplicio meo delectantur; confuſionem induant,& ignominiam,qui contra me inſolenter inſurgunt. Qui uero iuſtitiam gratis animis amplexantur, meritiſq. meis gratiam tuam conſequuntur,lætis acclamationibus exſultent,& perpetuo dicant, Laudibus ſempiternis efferatur Dominus, qui ſerui ſui ſtatum opibus auxit, & amplificauit,ſuoq. præſidio ſtabiliuit. Lingua uero mea tad tuam iuſtitiam celebrandam meditabitur,& numquam de laude tua conticeſcet.

Vidiſti, Domine, ne ſileas.

Dixit iniuſtus, ut delinquat in ſemetipſo. Pſal. 35. Apud Heb. 36.

ITa uiuunt multi, qui ſe religione adſtrictos eſſe profitentur, ut orationem illorum facile refellat improbitas. Non enim mediocriter peccãt, ut ſit in illis commune aliquod,& uitatum, uitæ flagitium, naturæ imbecillitati condonandum; ſed ita ſe in omne genus libidinis, & immanitatis,proijciunt,ut nullo Dei metu deterreri queãt, quin uitam ſuam omnibus exſecrandis ſceleribus fœde contaminent. Qui enim hominum iudicia nimis anxie reformidant,quo modo nõ multo magis cæleſte uim extimeſcerent,ſi ſtatuiſſent, Deum eſſe, qui res humanas animaduerteret, & omnia,cum ſumma iuris integritate,gubernaret? Sed illud eſt; aut Deum eſſe non credunt, aut ab illo res humanas omnino negligi,atque contemni,ſuſpicantur; &, ea de cauſſa, cum uires colligunt, temere ruunt, & facinora tætra ſuſcipiunt, & eos,qui religione tenentur, ne tyrannidem occupent, aut ſaltem iniuriam conſient, utilitatiſq. ſuæ gratia in ciues ſuos tæterrimi ſint, petulanter irrident,& homines animi puſilli, & anguſti, iudicant. hac autem mente Dauid erat, ut ſtatueret, omnia ſumma ſcelera ab impietate in Deum ad hominum perniciem profluxiſſe. Vt enim uera religio omnes uirtutes gremio ſuo complectitur,ita religionis contemptum omnia infanda flagitia,& ſcelera,conſequuntur. Ait igitur, Sæpe me cum cogito hanc ſententiam eſſe in animis impiorum, qui tætra facinora cum proiecta audacia,& impudentia,moliuntur, inſculptam,Deum non eſſe metuendum, aut quia nullum eſſe putant, qui mundum regat, atque moderetur; aut, ſi eſt,fieri non poſſe ſuſpicantur,cum ſit cæli mouendi curis implicitus, ut res infimas, quæ uerſantur in terris, animaduertat. Quid enim aliud ſuſpicari licet, cum uideamus, illos perpetuo de iniquitate, & iniuria, cogitare? Sibi enim ipſe adulatur impius; ſibi ſapientię laudem arrogat, eo quod multas iniuriæ conflandæ, & multitudinis opprimendæ,rationes excogitet; &,quo ſagacius,rei augendæ, & dominationis comparandæ, gratia, fraudes inuenerit, eo magis nomine ſingularis induſtriæ, & acuminis, inſoleſcit;tantoq. ſtudio ingenium ad omnem malitiam uerſat, ut nihil malle uideatur, quam in odium uniuerſæ plebis irruere. Non enim ſe diligi, ſed timeri, percupit. Illud enim ſimplicis, & ingenuæ, bonitatis; hoc animi fortis, & excelſi, plurimum de imperio cogitantis, opinatur: quorum alterum contemnendum, alterum plurimi faciendum, exiſtimat. Omnia uerba illius ad iniquitatem, & fraudem, conferuntur; officij recti,

Dixit iniuſtus in corde ſuo.

Verba oris eius iniquitas, & dolus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

atque ueræ uirtutis, disciplinã aspernatur, atque repudiat; neque tempore quieti tributo sine cura, & sollicitudine, consistit. Noctem enim in lecto, in iniquitatis meditatione, consumit; per uiã improbitatis, atque peruersitatis, incedit; nullũ impuritatis, & malitiæ facinus exsecratur; & interim, cũ tã multis sceleribus adstrictus sit, ita de Deo male sentit, ut sibi impunitatem polliceri non dubitet. Quantis uero bonis affluant, qui Deum metuunt, & iudicia illius in oculis semper habent, homines perditissimi, propter exsecrandam mentis im-
Domine, in cælo misericordia tua. puritissimæ cæcitatem, prorsus ignorant. Misericordia namque tua, Domine, cælestis naturę altitudinem penetrat, & fides tua ætheriam regionem tranat; ut pios homines in cælum clementer euehas, & eodem facto fidem tuam liberes, cum sedes quietas, in cæli fastigio, pijs paratas fore, promiseris. Numquam enim fides tua a misericordiæ coniunctione secluditur, neque misericordia a fidei sanctitate diuellitur. Iustitia tua tamquã montes altissimi, qui nullis motibus de sede firmissima conuelluntur, stabilitate sempiterna continetur; ita, ut, quamuis homines interdum longe secus opinentur, nemo possit uim illius effugere; iudicia tua in profundissima obscuritate demersa sunt. Nec enim humana ratio caussas cogitatione consequitur, quibus inductos, homines sanctos incommodis afflictari, & facinorosos opibus redundare, permittis; cum tu bonos ærumnis exerceas, ut eos multo amplioribus doniis, & ornamentis, afficias; & improbos, qui propter contumaciam sanari nolunt, & tempore sibi ad pœnitendum cõcesso ad incrementum sceleris abutuntur, in sempiternum supplicium reserues; omniaq. tandem sapientissime, quemadmodum uides tuorum gloriæ conuenire, dispensas. Ecquid enim est, quod sit a fructu tuæ immensæ benignitatis exclusum? Neque enim solum homines alis, atque sustentas, ut eos tandem ad cognitionem tui perducas,
Homines, & iumenta saluabis. uerum & iumentis, eo quod humanis uiribus seruiant, pabula passim fundis; & sic demum omniũ animantium salutem, pro cuiusque ratione, constituis. Non igitur mirandum est, si homines impios toleres, cum etiam illi tuorum gloriæ seruiant, & eorum uirtutem, quos pessime oderunt, perditissimis conatibus illustrent. Illud tamen considerãdum est; cum tu scelestissimos etiam homines saluos esse uelis, eosq. ad te beneficijs, quod fieri potest, allicias; cum brutorum etiam animantium uitam tuearis, quãta erit illa benignitas, qua tuos amplexaberis? Nullis certe uerbis explicari poterit, quanta sit illius summæ benignitatis amplitudo, qua eos, qui tori ex bonitate tua pendent, amplecteris. Vt enim uolucres, de pullorum uita sollicitæ, eos, quantum possint, alis expansis ab accipitris cuiusuis inuolatu præmuniunt; sic tu, extensis, latissimeq. diffusis, clementię tuæ præsidijs, omnes homines, qui sub umbra tuæ benignitatis quiescunt, tutos ab omni hostium incursione conseruas. Neque solum eos inuicto præsidio defendis, sed etiam mirifica spiritus tui iucunditate perfundis. Ab ubertate uanque domus tuæ, perennes aquæ summæ uoluptatis emanant, quibus sancti homines ebrij, sensibus intimis exhilarantur; ad quos tu potu suauissimo reficiendos flumen eximiæ iucũditatis inducis. Tecum enim semper est uitæ sempiternæ fons, cuius haustu, omnium, qui cælesti luce fruuntur, uita continetur. Tu lumen animis nostris præfers, cuius splendore illuminati, lumen tuæ Diuinitatis in dies clarius cernimus. Non enim in uno tantum gradu magnitudo tuæ benignitatis insistit, sed, acceptis iam beneficijs, incrementa quotidie alicuius Diuini muneris asseruntur, & opes, apud animos pios reconditæ, multis accessionibus accumulantur. Sic autem fit, ut illi, quos uera lux illuminauit progressus magnos sæpe faciant, & clariorem in dies notitiam Diuinæ, atque sempiternæ, lucis accipiant. Tribue misericordiam tuam, Domine, omnibus, qui notitia tui sanctissimi nominis instructi sunt; Diuinæq. iustitiæ beneficium cũctis, qui recto animo ad te suppliciter adeunt, impertire. Superbiæ pedem imprimere penes me uestigium minime patiaris; & impiorum manus nullo me pacto de statu meo conuellat; ut illis semper annumerer, quos tu ope tua fulciendos, & ornamentis Diuinis excolendos, in fidem, & patrocinium, recepisti. Hic est bonorum status, quem impij derisione prosequuntur; opibus locuples, præsidio tutus, pace tranquillus, honoribus clarus, uoluptate iucundus; & ad spem cuiusdam Diuinitatis erectus; cum interim impiorum condicio in summa indigentia uersetur; curis assiduis afflicta sit; & metu impendentis calamitatis frequenter exanimetur; & tunc uel maxime ruina illius appareat, cum pietatis fructus amplior exsistit. Tunc enim corruerunt omnes, qui iniquitatis opera moliuntur; tunc aduersi nominis impulsu miserrime conciderunt; tunc omnes spes illorum prorsus incisæ sunt. Numquam enim poterunt exsurgere, & in amissum statum restitui.
Prætende misericordiam tuã.

Noli æmulari in malignantibus, neque. Psal. 36. Apud Heb. 37.

INueterauit apud hominũ uulgus opinio pernicioſa moribus infesta Reip. contra religionis sanctitatem sacrilega, eum nempe, qui magnas opes habet, esse beatum, quamuis scelerum omnium colluuione contaminatus sit, & iniurijs innumerabilibus ciues afficiat. Quod si multi eũ statum non assequuntur, in quo possint ex alienis bonis prædas agere, ut, maximis opibus affluentes, ad tyrannidem adspirent, id fieri putant, quod deficiat eos uel consilium, uel industria, uel animi magnitudo. Quantum tamen sunt in eam sententiam propensi, iudicium declarat, quo eos, qui malis artibus opes summas adepti sunt, admirantur; & homines uigilantes, & industrios, & fortes existimant, honoreq. summo dignissimos. Iustitiam namque animis pusillis, & abiectis, conuenire statuunt, quibus, propter tenuitatem, non licet impunitatem sibi proponere; iniustitiam uero animi acrioris, & altioris, esse credunt, qui possit uel consilio, uel gratia, uel potentia, legum pœnis

nis elabi, & id, quod ui, aut dolis, obtinuit, sine metu, & sollicitudine, possidere. Eum igitur, qui tantum ualet, ut impune in opes alienas inuadat, & ita ad summos honores adscendat, (omnes enim summi Reip. magistratus ad summam pecuniam plerumque deferuntur) uirum magnum, atque plane beatum, arbitrantur. Hanc opinionem in humanis animis penitus insitam, cum in multis alijs locis, tum in hoc, quem in manibus habemus, Dauid conatur euellere. Demonstrat enim, quam multis malis afflicta sit impiorum uita; quantis curis implicita; quantis doloribus intercluſa; quanto denique supplicio crucianda sit. Cõtra uero, quam florentes, atque beati sint, qui nullis commodis, & emolumentis, adduci possunt, ut
Noli æmulari. iuris Diuini præscripta transiliant. Ait igitur: Non ueniat tibi in mentem indignissime pati, te a maleficis hominibus opibus, & potentia, superari; & ita putes esse tibi cum illis assidue decertandum, ut ad eundem honoris gradum, simili studio, & contentione, peruenias; ne ue eos, qui iniquitatis opera moliuntur, æmuleris. Nam, tamquam fenum; celerrime succidentur; &, tamquam uiridis herba, solibus adusta, uiriditatem, atque uires, amittent; ita, ut uel, ui extrinsecus illata, funditus pereant; uel, inuersa temporis condicione, de florente statu repente decidant. Nihil enim malis artibus partum poterit esse diuturnum: nam hominum iuuidia flagrat; & Dei offensionem acerrime concitat; & omnia humana, quæ non sunt ex Diuinis nexa, momento temporis effluunt. Si igitur amplas opes expetis, & honores stabiles adipisci desideras; in Deo omnem spem rerum tuarũ collоca; & in studium sanctorum operum uigilanter incumbe; in telluris tuæ possessione, hoc est, in iustitiæ fructu, stabile domicilium constitue; & animi mentis tuæ diligenter cole; ut omnium uirtutum fruges exares, & fidem enutrias. fides enim otio languescit, & attenuatur; exercitatione uero nutritur, & alitur, & maiores in dies uires acquirit.
Delectare in Domino Oblectare Domini spiritu, qui summis opibus cumulabit animum tuum; neque solum te Diuinis muneribus, atque beneficijs, augebit, sed omnia, quæ ab illo cum fide postulaueris, magnificentissime largietur. Si te uideris curis afflictum, & oneribus oppressum, & difficultatibus implicatum, ita, ut consilium leuandæ sollicitudinis minime consistat, ne desponeas animum, sed refer ad Dominum omnes cogitationes tuas; & fidem in illius bonitate loca; & is omnes difficultates expediet, & tibi uiam salutis, & dignitatis, curabit; ut sine offensione cursum uitæ conficias. Cum fueris ab inuidis criminis insimulatus, dignitatis tuæ patrocinium suscipiet, & in lucem adducet iustitiam tuam; atque perficiet, ut ius tuum sit meridiana luce clarius. Nullo animi motu perturNoli æmulari in eo, qui prosperatur. beris. Sile tantum, &, Domini fiducia nixus, tranquillitate perfruere; & euentum Diuini consilij fidenter exspecta; neque, cum res indignis prospere cadunt, angaris; nec homini, qui fraudibus ad honores obrepsit, inuideas. Iracundiam remitte; indignationem cõtine; noli nimium, cum animaduertis indignos augeri opibus, irasci; neue illius studia, qui uel adulationibus, uel dolis, uel calumnijs, ad honores euectus est, ulla spe similis condicionis adductus, imiteris, ut aliquod maleficium designes. Malefici enim, quamuis opibus, & Principum gratia, floreant, exscindentur; qui uero spem habent in Domino, hereditatis legitimæ possessionem perpetuo retinebunt. Intra breuissimum tempus impij fallax status, & fucatus splendor euanuit; si locum, ubi constiterat, intueri uelis, ne uestigium quidem illius apparebit. At mansueti possidebunt terram; sempiternamq. hereditatem adibunt; & extranquillissimæ pacis fructu, bonorumq. omnium affluentia, summam uoluptatem percipient. Impius exitium iusti cogitatione intima machinatur; dentibus stridet; minas feroces iactat, & pericula extremæ calamitatis intendit. Dominus autem ridet hominis furentis insaniam. Videt enim diem illius, quo, omni spe salutis incisa, miseræ uitę obitu, & cruciatu sempiterno, est scelerum pœnas daturus, appropinquare. Gladiũ distringunt impij; arcum intendũt; ut pauperem, & egenum, mortifero telo cõficiant; & eos, qui integritatis, & iustitiæ, uiam tenent, crudelissime iugulent. At eorum gladius in ipsos conuersus eorũ corda transfiget; & arcus eorum perfringetur. Nec est enim permissum impiis, ut illis malum inferant, qui in Dei præsidio latent; immo, quo pertinacius in eo perseuerant homines perditissimi, ut bonorum statum euertant, & clarius eorum nomen illustrant, & gloriam inuiti multis incrementis amplificant. At inquiet aliquis, fortasse esse nimis indignum, malos diuitiis abundare, bonos autem plerumque tenues opes habere. Hoc qui dixerit, non intelligit, diuitias animo, non arca, contineri; & ita fieri, ut iustus in paruis opibus multo opulentior sit impiis, qui domi pecuniæ ingentes aceruos inuidiose custodiũt. Iusti enim, cum mediocri uictu contenti sint, non magnas opes exquirunt; impij uero, cum nihil illis satis esse possit, indigentia perpetuo cruciantur: magis enim eos torquet id, quod non habent; quam delectet id, quod habent. Deinde, iusti, in suos, & suorum, usus, opes suas conferunt; at impij, ne cumulum aliqua ex parte diruant, opes suas non audent attingere. Itaque non diuitiarum Domini, sed mancipia, sunt. Postremo, cum iusti bonis uerissimis expleti sint, in summa iucunditate uersantur; at impii, cum omnibus bonis animi nudati sint, & corporis commodis, propter infinitam cupiditatem, satiari non possint, &, conscientia sceleris oppressi, animi angore crucietur, nullum solidum fructum ex diuitiis immanibus umquam percipient. Vnde clare perspicitur, quanto ditiores sint iusti pauperes, quam impijs nimis opulenti. Si enim opes ad status defensionem expetuntur, impiorum uires perfringentur; & iustos Dominus ipse tuebitur, & sustentabit. Si ad uitæ propagationem, & posteritatis amplum patrimonium, omni studio, & sollicitudine, comparantur; uita hominum, qui pure, & caste, & integre, actiones moderantur, & numquam a Diuinæ legis imperio deficiunt, gratia Diuina fulcitur, & heredi-
Et adhuc pusillum, & nõ erit peccator.
Melius est modicum iusto.
Quoniam brachia peccatorũ conterentur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hereditas eorum erit sempiterna. Si ad uitæ decus, & elegantiam, abundantia pecuniæ desideratur; iusti nulla umquam dedecoris infamia notabuntur; &, cum Dus iusto iudicio nastitatem rebus humanis intulerit, ab illius ope non erunt derelicti, & in diebus fanis saturabuntur: quod impiis minime continget. Quamuis enim opibus summis oppleti sint, tamen egestate contabescēt; & omnes, qui oderūt Dominum, tamquam adeps agnorum, qui in templo quotidianis flammis absumitur, ad nihilum recident; & tamquā fumus euanescent; & ita euanescent, ut intelligatur, illarum euersionem esse Deo minime ingratum sacrificium. Ea namque & iustitiæ munus administratur, & misericordia bonis tributa clarius splendescit. Sic autem impius eo etiam tempore, quo opibus affluere uidetur, est egentissimus. Mutuo nāque accipit, & non soluit; siue, quia fidem sanctam non habet, & eam seruare nullo modo uult; siue, quia non potest, imperio cupiditatis adstrictus, attrectare pecuniam. Et ita fit, ut, quamuis interdum fidem liberare studeat, ab ea uoluntate, auaritię summæ tyrannide, reuocetur. At iustus ex sua etiam tenuitate in egentes frequenter insumit; & benigne facultates suas illis, quibus est opus, impertit. Sic autem habet caros Dominus omnes iustos, ut illis etiam ualde benigne prospiciat, qui sunt in iustos, eo quod iusti sunt, uoluntate ualde propensi. Qui enim iustos laudant, in terra uiuentium hereditatem sempiternam obtinebunt; qui eos uituperant, exscindentur, ut, a uita sempiterna secluſi, mortis sempiternæ tenebris obruantur. laude namque, & uituperio, bonorum pietas ab impietate distinguitur. Nemo enim potest uere, & ex animo, iustitiam laudare, nisi ipsius iustitiæ elegantiam, & decus, amauerit; nemo similiter eam uituperare conabitur, nisi fuerit iniustitiæ durissimis uinculis adstrictus. Præterea, tanta est Diuinæ probitatis, cum hominibus iustis amicitia, ut omnium etiā rerum sit inter Deum, & pios homines, summa coniunctio. Sic autem fit, ut, qui pios homines laudat, Deum laudet; qui illis maledicit, Deo, pietatis auctori, maledicat. Nec enim iustitia aliunde ad homines, quam a Deo promanat: unde sequitur, eum, qui iustitiam exsecratur, opus Diuinum, omnium clarissimum, exsecrari. A Domino enim uiri magni gressus diriguntur; & illius uia, qui iustitiam amat, Diuina gratia comprobatur. Cum ceciderit, non erit ea ruina grauiter oppressus; quia Dominus illum iacentem confestim excitabit, manuq. sua tuebitur. Puer fui, & consenui; & numquam uidi iustum a Domino derelictum; nec illius posteritatem emendicare panem. Plerumque enim bonorum filij sunt patriæ bonitatis heredes; & ita, cum parentum uestigiis insistant, fieri non potest, ut a Deo deserantur. Vnde colligitur, quam magnum, & amplum, sit uirtutis, & iustitiæ, patrimonium; nempe, quod posteritatem uniuersam egregie locupletet. Sic autem fit, ut iustus misericordia semper utatur; & uel benigne tribuat egenti, uel cum facilitate mutuum det omni a se bono animo postulanti; & genus illius erit a Domino bonis egregie cumulatum. Summa igitur eximiæ felicitatis, Dei coniunctione, & amicitia, continetur. Quam si tueri uis, contine te ab omni maleficio; & iuua omnem, quem poteris, beneficio; & sic demum hereditatem sempiternam adibis. Cum enim Dominus amet iudicium, maleficium debito supplicio uindicabit; &, cum misericordes eximie diligat, beneficia sempiterno premio munerabit. Numquam enim sanctos suos deseret, sed illos perpetuo tuebitur, & conseruabit; impiorumq. genus funditus interibit. Porro autem, cum omnes homines studio immortalitatis incensi rapiātur, & id natura mortalis assequi nulla ratione possit, soli iusti compotes immortalitatis erunt. Terræ namque felicissimæ heredes exsistent; illius commodis æuo sempiterno, cum summa animi tranquillitate, perfruentur. Operæ pretium autem erit, attendere, quę sint in summa hominis iusti cogitationes, quæ uitæ consilia. os illius in uerissimæ sapientiæ meditatione uersatur; & lingua eius iudicium continua oratione pronuntiat. Cum enim id, quod inclusum in animo latet, necessario tandem foras erumpat; & ita semper oratio cum animi habitu, & affectione, consentiat; & iustus in studio legis Diuinæ, qua summa sapientia continetur, assiduus sit, mentemq. gerat Diuinis opibus refertam; necesse est, ut orationem fugiat noxiam, & pestilentem, & importunam, & petulantem, & cum turpitudine, & flagitio, coniunctam; eaq. tantum crebris sermonibus usurpet, quæ ex thesauris insitę sapientiæ depromuntur; omneq. illius sententię ad exactissimam iustitię normam dirigantur. lex enim Domini in illius animo incisa est; & ita fieri nequit, ut illius uestigia, tamquam hominis præcipitis, & deuij, prolabantur. Obseruat impius oculis iustum, ut illi necem machinetur: Dominus tamen hominem, æquitatis gloria præcellentem, minime deseret; nec hominis sceleratissimi manibus opprimi patietur illum, quem summa cura tuendum suscepit. Nec improbitatis calumnia uires ullas habebit. Cum enim iustus, contra ius, & fas, sceleris insimulatus exstiterit, Domini sententia liberabitur. Itaque neque uis, neque dolus, nec ullus denique conatus, in iusti pestem, & pernicię, comparatus, illum exitium, quem perditi homines sperabant, cōsequetur; cum Dominus & uim comprimat; & fraudes eludat; & calumniam refutet. Quid igitur est amplius requirendum illi, qui bene, beateq. uiuendi desiderio tenetur, quam, ut in Dei præsidio delitescat? Vita enim, salus, lux, dignitas, pax, diuitiæ, uoluptates, summa tranquillitas, omniaq. Diuina, atque sempiterna bona, illius gratia continentur. In Domino igitur spem collocā; & in uiam, quam tibi monstrat, ingredere; nec ab ea in alterutram partem declines; & iste in excelso dignitatis gradu locabit, ut hereditatem sempiternę regionis obtineas. Tum demum, cum tu, opibus Diuinis circumfluens, impiorum exitium uideris, quam sint opes iniquitate quęsitę detestandę, & omnes labores pro iustitiæ sanctitate perferendi, longe clarius cernes. Vidi quidem impium robore ualentem, & sic altitudine

Inimici uero Domini mox ut honorificati fuerint.

Mutuabitur peccator, & non soluet.

Apud Dominū gressus hominis

Declina a malo, &.

Os iusti meditabitur sapientiam.

Considerat peccator iustum.

Exspecta Dominum.

popularis dignitatis elatum, ut cum cedri proceritate contenderet, honorum titulis, tamquam frondibus uiridissimis, late diffusis, subiectam planitiem opacantem, ut nihil cogitari posse uideretur illustrius; cum subito omnia conuersa sunt, & omnis illa species decoris, & amplitudinis, ex oculis emigrauit; ut nullam sui memoriam in uita reliquerit. Dicebam igitur, Quo redacta est illa diuitiarum affluentia? illa supremi honoris insolentia? illa stipantium hominum multitudo? Omnia tandem morte deleta, & obliuione sepulta, iacēt. Non locus apparet; non splendoris effigies; non dignitatis Regiæ simulacrum; omnia mors, & puluis iniectus, occupauit. Cum igitur tam fluxa, & inania, sint ista, quæ hominum uulgus admiratur; reliquum est, ut illa cōtemnamus; &, quę nullis umquam sæculis interitura sunt, summo studio, cura, uigilantia, consectemur. Vitę igitur integritatem conserua; splendorem æquitatis intue re; & in posterum aciem mentis intende; ut intelligas, quæ præmia tandem sint uiro iusto constituta. Est enim illi pax, hoc est absoluta bonorū omnium complexio, atque sempiterna felicitas, a Deo proposita. At omnes, qui ab imperio Domini desciuerunt, simul euertentur; & impiorum finis erit sempiternum excidium; at iustorum salus constans, & stabilis, in omni æternitate permanebit, quia non terrenis opibus, sed Diuinis, innititur; nec est ab hominibus, sed a Deo, constituta. Ergo, cum neque Diuina uirtus infringi, neque fides labare umquam possit; sequitur necessario, ut salus quam is amicis suis afferre soler, interire nō possit. Nam, si eo etiam tempore, quo manent in hac uita mortali, morbis innumerabilibus expositā, Diuina tamen uirtute, & robore, firmati sunt, ita, ut ex omnibus ærumnis clarissimam uictoriam consequantur; quid erit existimandum de futura illa pace, qua tandem, cum bonorum omnium copia, perfruentur? Semper enim Deus illos adiuuit, & ex omnibus malis eripuit; eripuit illos ex impiorum manibus; eisq. salutem attulit; quia spem suam non in humano præsidio, sed in Diuino, semper positam habuerunt.

Custodi innocentiam.

Domine, ne in furore tuo arguas me. Psal. 37. Apud Heb. 38.

IN hoc Diuino uiro mirum humanæ imbecillitatis exemplum, cum clarissimo Diuinę clementię testimonio coniunctum, habemus; ut & casum timeamus, &, si lapsi fuerimus, spem salutis non abiiciamus; sed semper illius immensę misericordiæ confidamus, qui numquam animi supplicis, & abiecti, postulata repudiat. Dauid uidit se opera filij perditissimi a suis desertum, regno spoliatum, in fugam compulsum, plagis afflictū, conuiciis prosciſſum, multorumq. derisione, & contumelia, laceratum. Audiuit, Domum suam esse insigni dedecore maculatam; eos, quos multis beneficiis affecerat, hostes in se acerbissimos expertus est; animos subditorum, a quibus fides erat in rebus asperis exspectanda, non perfidia metuenda, sic immutatos esse sensit, ut omnes ferme ab eo, cuius inclinatam fortunam uitebant, deficerent; ad filijq. nomen, cuius florētissimam condicionem admirabantur, se, per summum scelus, adiungerent. Omnia hæc summe dolenda uidebantur. sed nihil eum magis angebat, aut cruciatu grauioris doloris afflictabat, quam peccati conscientia. Recordabatur enim, se adulterio, & cæde innocentibus illata, in offensionem grauissimam sanctissimi numinis incidisse; & iccirco, cum ærumnis omnibus premeretur, multo magis eum causſa doloris, quam dolor ipse, cruciabat. Non tamen spem deponit, neque fidem suam languescere, & attenuari, sinit; sed animi summa constantia, & firmitate, ad Deum preces fundit, cui sacrificium cordis afflicti, & ualde pœnitentis, immolauit. In hac tamen calamitate, quam perferebat, gesit etiam imaginem Christi, non pro peccatis suis, sed pro alienis, quæ tamen, ui caritatis impulsus, ut sua, lamentabatur, acerbissime laborātis. Sic enim, atque adeo multo crudelius, fuit proditus, expulsus, & eiectus, a suis derelictus, a multitudine derisus, hostium contumeliis atrocissime uiolatus, ad summumq. tandem supplicium, cum summa (ut apparebat) ignominia, perductus. Nos tamen imaginem Christi, plagis contusam, & debilitatam, ita uideamus, ut interim, in ea, Christi supplicia contemplemur. Ait enim Dauid: Domine, scio, me multo grauiora supplicia commeruisse: nam fidem, & officium, prodidi; lectum genialem hominis fidelissimi adulterio maculaui; exēploq. meo multis materiam libidinis effrenatæ præbui; necem postremo illi, quem tam indigna iniuria læsi, & comitibus illius, intuli; &, quod multo gratuius est, Maiestatem tuam immensam, cum tam multis a te beneficijs auctus, & ornatus exstitissem, nimis grauiter offendi. Si igitur mecum iure summo agere uelis, non uenia, sed sempiterno cruciatu, dignissimus sum. Sed immensa benignitas tua meum animum iacentem excitat, & facit, ut ad te preces adhibere non dubitem. Neque supplicium recuso; sed, ut debito supplicio modum statuas, enixe contendo. Nam, si iram in me totam, pro criminis ratione, profuderis, & secundum iustissimam indignationem me punire uolueris, non poterit imbecillitas mea tantā uim doloris æquo animo sustinere: siquidem his plagis, quas mihi imposuisti, sic abiectus sum, ut respirare non possim. Sagittæ namque tuæ in animum meum penitus adhęserunt; & manus tua in me, ut, grauiter oppressus, abijcerer, nehementer inuasit. Itaque non humanis telis, sed Diuinis, misserime confixus sum. Nullam sanctitatis, & integritatis, partem ira tua in corpore meo reliquam fecit; & indignatio tua sic me perturbauit, ut nihil in animo aliqua ex parte quietum, & tranquillum, dimiserit. iniquitates enim transfixerunt mentem meam, illarumq. pœnæ multo grauiores, quam sustinere ullo pacto queam, me intolerabili pondere depresserunt. Cum autem non,

Domine, ne in furore tuo.

Non est sanitas in carne mea.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non,simul atque deliqui, sceleris medicinam uul
neri inflicto adhibendam curarem, propter hanc
stultitiam meam factum est,ut ulcera mea tæter-
rimum odorem exhalarent, eo quod purulenta
sanie contabuissent. Non enim continuo ueniam
flagitaui; &, quo magis curatio dilata fuit,eo mi-
hi malum grauius incubuit. Nunc igitur,nimis
afflictatus,nunc mirandum in modum depressus,
nunc lugubri ueste amictus, & atratus,incessi;&
omnibus signis, quo dolore animus meus excru-
ciaretur, ostendi. lumbi namque mei flagitio, &
dedecore,maculati sunt;nihil sanitatis,& integri-
tatis, fuit in corpore meo derelictum. Vitio im-
puritatis eneruatus, uires amisi; nimioq. dolore
fractus, eos eiulatus ex intimis cordis sensibus
emisi, ut essent cum leonis rugitibus conferen-
di. Domine, quæ cupiditas me incensum rapiat,
optime nosti; quo gemitus mei tendant, te mini-
me latet. Omnes enim meæ cogitationes ad
tuam gloriam referuntur; omnes mei gemitus
hanc penitus insitam in animo meo cupidita-
tem testificantur. Pristinum enim statum recu-
perare percupio, ut omnis uita mea in nominis
tui prædicatione consumatur; ut, cuius maiesta-
tem grauissime multis peccatis læsi,gratiam mul
tis pietatis actionibus inire laborem. Quod,
sine ope præsentissima tuæ benignitatis,efficere
nullo modo possum. Nam, quo modo nunc res
est, totus iaceo. Cor meum circumquaque uaga
tur;robur meum a me semigrauit; lumen oculo-
rum meorum a me recessit;amici mei, & necessa-
rij mei,in plaga mea,immobiles,ex aduerso con-
stiterunt; ut satis apparere t, eos nihil dolore mi-
hi imposito commoueri. Quin & proximi mei lon
ge se continuerunt, ne mærorem meum aliquo
solatio subleuarent. Qui uero uitam,& sangui-
nem meum,petunt,ut laqueis intentis me impli-
catum tenerent, elaborabant;qui mala mihi per-
petuo moliuntur, inrer se de mea pernicie coniu-
rationem inierunt; & in meditatione fraudum,&
insidiarum, tota die uersati sunt. At ego, tam-
quam surdus, maledicta auribus accipere recu-
sabam; & os meum, ut conuicia refutarem, non
aperiebam. Omnes igitur iniurias, & oēs calum-
nias,summa patiētia tolerabā; nec ulla indigna-
tione commotus sum, ut eos,qui me adeo crude-
liter insectabantur, ulla uerborum contumelia
perstringerem;&, quasi illis criminibus, quibus
me condemnabant, euictus essem, & nullam ad
refellendum facultatem haberem,& omni dicen-
di ratione qua maledicta obiecta diluerem, om-
nino carerem,ita silui, perinde, atque si nihil au-
ditione percepissem, aut respondere minime po-
tuissem. Tibi enim causam meam reseruaui; firma-
maq.spes me tenet,futurum,ut tu pro me respon
deas, & dignitati meæ iudicio tuo satisfacias; &,
cum in rebus afflictis magnus ex inimicorum
gaudio, & derisione, doloris cumulus accedat,
hanc orationem apud te habui,qua postulabam,
ne lætandi causam in mea calamitate inimicis
meis afferres; qui sic sunt inter se ad mutuam de
aliquo meo casu gratulationem inrenti, ut, qua-
uis pedis mei prolapsione delectati, conueniant,

Domine, anté te om ne desiderium.

Ego autem tamquam surdus.

Quoniã dixi,Ne quando super gaudeant.

ut mihi nimis insolenter insultent: ego enim ad
plagas excipiendas expositus sum; & dolores mi
hi semper imminere perspicio: eos enim me ip-
sum meruisse confiteor, propter crimina, quibus
alligatus sum; eaq. de caussa peccatum meum
me uehementer sollicitum habet. Ex eo namque
dolorum tempestas impendet,quæ mihi subeun-
da est. At inimici mei,qui me,odio flagrantes, fal
lacissimo testimonio persequuntur, & uita fruun
tur,& opibus, atque potentia, florent, & eorum
numerus multiplicatur, & qui malum mihi pro
bono reddunt,in me totis uiribus iuuehuntur, eo
solum nomine, quod uita mea ab eorum mori-
bus,& uita,uehementer abhorreat. Illi enim fla-
gitia,ego puritatem, consector; illi auaritiæ stu-
dent, ego hominum caritate ducor; illi sacrilegi
sunt,ego summa uigilantia, & alacritate, in stu-
dium pietatis incumbo; illi postremo, cum ter-
renis rebus addicti sint, ita mente in terra uersan
tur,ut cælum minime suspiciant; ego iam sic sum
mente in cælo defixus, ut de terra parum cogi-
tandum existimem. Non igitur iniuriis offensi,
(non enim iniuriis a me, sed beneficiis, affecti
sunt,) sed uitæ dissimulatione confusi,atque per-
turbati, in me nimis crudeliter incitantur. Non
igitur me deseras, Domine; neque, cum prope
sint, qui me perdere statuerunt, te procul amo-
ueas: adiumentum mihi festinanter importa: ad
præsidium ferendum accelera, quando in te solo
est remedium meæ uitæ constitutum.

Dixi, Custodiam uias meas. Psal.38. Apud Heb.39.

CVm nihil sit lingua magis mobile, & incita-
tum,&,in quamcumque partem uelis, fle-
xibile;consequenter euenit, ut nihil facilius laba
tur in uitium, & maiore cum periculo delinquat,
nam,ut animus aut iracundia, aut odio,aut inui-
dia, flagret, aut quauis alia eiusmodi perturba-
tione concitetur, reliquæ partes corporis non ea
celeritate motibus animi parum considerati sub-
seruiunt, ut spatium pœnitendi,& consilium cum
maturitate capiendi, præripiant: nec enim ma-
nus, neque pes, neque quidquam aliud, tanta
festinatione imperio temeritatis obtemperat, ut
non aliquod tempus interponi possit,quo melius
saluti consulatur. At lingua repente motibus
turbulentis obsequitur; immoderatius incitata,
proïicitur; & multo furentius elata, in pestem
ruit; iisq. se difficultatibus implicat, e quibus
expediri difficillimum sit. Verbum enim furen-
ter emissum reuocari nequit. Deinde, quod uel
manu,uel armis,uel industria,geritur,non ita la-
te diffunditur, ut uniuersam multitudinem tabe
pestilenti conficiat;at lingua discordias serit;tur-
bas ciet;bella concitat;sectas pestilentes inducit;
resp. de statu conuellit; multas hominum natio-
nes exscindit; contumelias impudentissime in
sanctissimum numen intorquet. Recte igitur Di
uinus ille uir uitæ perfectionem in linguæ mode-
ratione ponit. Perfecti namque uiri munus Ia-

cobus

cobus statuit esse, linguæ frenum injcere. Hac
mente cum præditus esset Dauid,in eo uehemen-
ter elaborauit,ut linguam ita coerceret,ut non so
lum a maledictis abstineret, uerum &, cum iure
posset aliquando asperius conuicia refutare,mal-
let conuicium sustinere, quam aliquod uerbum
immoderatius in eos,a quibus lacessebatur, emit
tere. Itaque, in illa lamentabili fuga, qua sese ab
Absalonis filij scelere propriebat,cum illi Semei,
uir sceleratissimus,multa probra nimis impudēter
ingessisset, non solum os suum a maledicto con-
tinuit, uerum neminem suorum passus est illum
debitis tantæ audaciæ pœnis insectari. In quo qui
dem illum summum mansuetudinis, & humilita-
tis,auctorem, quem mente prospiciebat, secutus
est;qui,cum impiorum hominum oratione,& con
uicio,carperetur, os suum non aperuit. Ait igitur:
Animo ualde obfirmato constitui sic omnes actio
nes meas a linguæ quauis immoderatione con
seruare,ut numquam uerbo delinquerem. Sic igi-
tur os meum cōtinebo,& comprimā,ut, quamuis
impius coram,ut Semei fecit, me multis cōuiciis
stimulet,numquam maledicta reponā. Obmutui
alto silentio; quod effari licebat,compressi; cum
iure possem ius meum tueri,et bona mea comme
morare, uiriq. pestilentissimi maledicentiam ora
tione refellere, silentium tamen orationi præpo-
sui,ne uerbum mihi ullum immoderatum excide
ret, quo non hominis amentiam retunderem, sed
acrius irritarem;& ipse patientiæ mercedem amit
terem. Neque dici potest,ideo me responsum mi-
nime dedisse, quod doloris sensu minime com-
motus essem. Non est enim patientiæ laus, sed
oppressi sensus argumentum, cum nihil dolet
de illatis iniuriis, querimoniam non habere.
Dolebam certe, &, non mediocri motu perturbatus,angebar: æstuabat cor meum in medio pe-
ctoris mei;&,cogitatione sceleris, contra me a fi-
lio meo conflati,ignis exarsit; eoq. redactus sum,
ut me uitæ tæderet, & mortem, tamquam dolo-
rem finem, exoptarem. Non erat autem mihi in
tantis malis mediocre solatium,mortis exspecta-
tio. His curis anxius, sic Deum meum affatus
sum: Domine, ostende mihi ultimum uitæ meæ
terminum,ut, quo spatio dies mei circumscripti
sint,exacte considerem;& intelligam, cum sim na
tura mortalis, non esse mihi in uita adeo breu,
tantisq.malis obsessa, uel diuturnam felicitatem
postulandam, uel de aduerso casu ualde conque-
rendum. Breuissima namque dimensione dies
meos definitos esse uoluisti;& ætas mea in oculis
tuis est pro nihilo reputanda. Omnis enim homo
ipsi uanitati similimus, & cum inani simulacro,
& effigie, comparandus. O uitæ ad speciem flo-
rentis insomnia. O naturæ infinitis erroribus im-
plicatæ ludibria. O cogitationes inanes hominū,
de rebus tam breui spatio consumendis, quasi de
sempiternis, temere cogitantium. Homo etiam,
ampla,& illustri,specie præcellens, tamquam ina
nis imago,oculis obuersatur;& interim uita illius
cum celeritate præterfluit, & in interitum prope-
rat;& tamen ipse, quasi sibi sit exploratum,num-
quam se fore uita spoliandum, inanissimis curis

Dixi. Custodiam uias meas.

Locutus sũ in lingua mea.

Ecce mẽsurabiles posuisti dies meos.

sollicitatur, in opibus augēdis tumultuatur, cum
minime sciat,ad quos patrimonium,tantis curis,
& laboribus, exaggeratum, sit tandem peruentu
rum. Sæpe enim,non suis,sed alienis; non liberis,
sed inimicis;opes,summa cura,studio,& sollicitu-
dine,& cum multorum iniuria,congestæ, deferun
tur. Sic euenit, ut, cum homo a spe futuræ uitæ
deiectus exstiterit, huius etiam miseræ uitæ reli-
quias posteritas illius amittat. Non igitur, cum
tam breue sit huius uitæ curriculum; cum splen-
dor illius angustissimo spatio temporis exstin-
guatur;cum tanta malorum colluuies bona con-
taminet; cum uoluptates omnes dolore eximio
concludantur; cum omnia tandem mors impor-
tuna consumat;quid est, Domine, quod me pos-
sit exspectatione boni alicuius stabilis in hac ui-
ta consolari? Spes certe,quam in tua sempiter-
na benignitate reposui. Cælum enim corruet;
terra conuelletur; omnia, quæ cernimus, incen-
dio deflagrabunt; & clementia numquam inte-
ribit; & fides tua numquam deficiet: ex quo se-
quitur, eos, qui in fide tui sanctissimi nominis
acquiescunt,esse bonis sempiternis, in altera ui-
ta,cum insigni gloria, cumulandos. Reliqua igi-
tur omnia mihi contemnenda sunt; & unum tan-
tum summa uigilantia,studio,contentione,curan
dum,ut gratiam tuam perpetuo retineā, ne meis
flagitiis a coniunctione tua diuellar. Libera me a
peccatis meis; omnes offensiones meas clemen-
tia tua dele;& perfice, ne probrum, mihi a stulto
per summum scelus obiectū,me de dignitatis gra
du deiiciat; sed animi statum constantia summa,
in omni rerum uarietate, conseruem. Sic autem
fiet,ut, cum me stultissimus quisque maledictis
consciderit, id animo æquissimo patiar.quod fe-
ci,cum Semei me conuiciis indignissimis insecta-
tus fuisset.obmutui enim;os non aperui;eas con-
tumelias cum patientia summa pertuli, eo quod
uidi,consilio,& uoluntate tua, permissum aman-
tissimis hominibus fuisse,ut in me maledicta con
icerent. Illam igitur plagam per te mihi,propter
grauitatē a me commissi criminis, inflictam exi-
stimaui,& in ea magnitudinem tuæ benignitatis
agnoui. Ideo enim me contumeliis lacerari uolui
sti, ut seueritate iuris afflictum rursus bonitate re
creares. Aufer a me plagam tuam,Domine: nam
magnitudine cladis, quam in me tua manus in-
uexit,uires meę omnino deficiunt. Dum enim,ut
hominem,cui, propter magnitudinem iniquita-
tis,infensus es,pœnis coerceas, debitas pœnas il-
lius temeritati constituis; quidquid in illo expe-
tendum esse uidebatur,tamquam a tinea,paulla-
tim exeditur,atque conficitur,ita,ut omnis illius
splendor obscuretur,atque prorsus intereat. Vnde
colligitur,omnem hominum uitam in summa ua
nitate uersari. O summam hominum demētiam;
qui tanta confidentia, in tam lubricis,& tam bre
ui interituris rebus,tamquam in sempiternis, in-
sistunt. Audi,Domine,orationem meam; clamo-
rem meum auribus percipe; lacrymas meas non
asperneris;clementiæ tuæ signis clarissimis ofter
de, te minime preces maxima uoce cum multis
lacrymis adhibitas despexisse. Non enim humi

Et núc quę est exspectatio mea?

Ab omnib⁹ iniquitatibus meis.

Amoue a me plagas tuas.

Exaudi orationẽ meã.

defixus

Universidad de Deusto
Biblioteca

defixus sum;non in opibus terrenis summum bonum ponẽdum esse duxi ; non in hac uita sedem, & domicilium,collocaui; sed me ita in conspectu tuo comparaui; ut me in terra hospitem , & peregrinum, quemadmodum fuerunt patres mei, iudicarem,& ad cæleſtem uitam eniterer. Vt igitur de immortali uita , ante quam huius finẽ faciam, liberius cogitare posim ; te suppliciter oro , ut mei puniendi seueritatem remittas; & confirmabo me, atque uites assumam , quibus ad gratiam tuam ineundam fortius , & cõstantius,adspirem.

Exspectans exspectaui Dominum, & intendit mihi. Psal. 39. Apud Heb. 40.

CVm in multis aliis Prophetarum monumentis,tum in Dauidis carminibus,quantę sint tenebræ Iudæorum animis offusæ, clare perspicitur . Consulto enim lucem fugiunt , & tenebras summo studio persequuntur . At Dauid,cum lucem ipsam , quæ illuminat omnem hominem , in mundum,hoc est,in conuentum fidelium uenientem,illustri mente prospiceret,ea uidit,& cecinit, & in scriptis reliquit,quæ Iudæi, quamdiu animũ crassum,& obtusum,& tenebris immersum, gesserint,intueri non poterunt.Dauid in Christo mente defixus est ; illum admiratur ; illum ardenter amat;laudes illius, quantum potest , amplificat; illius denique maiestatem summa pietate ueneratur,cui Iudæi , impio , & sacrilego , sanctissimi nominis deformandi conatu , perpetuo maledicunt.Quo modo igitur fieri potest , ut ad sententiam sanctissimi Regis adspirent ij , qui toti sunt a luce,quæ homini Diuino semper illuxit,auersi? Qui igitur uoluerit Dauidis mentem probe tenere,Rabinorum explicationem exsecretur ; & se, quo ad fieri potest,ad disciplinam Diuini spiritus adiungat, ut in sanctis litteris queat Christi Diuinitatem pura mẽtis acie contueri . Quod quidem in hoc Psalmo clarissime cernere licebit . In hoc enim , sub Dauidis persona , Christus inducitur, antiquam legem infirmans , ut Euangelium , & fidem, constituat. In hanc autem sententiam generis humani liberator , nostræ salutis rationem oratione persequitur : Omnem spem salutis in Deo summa fide constitui, cuius nomen ardentissimis precibus inclamaui;qui,repente,ad misericordiam inflexus,clamorem meum exaudiuit.

Exspectans exspectaui Dominum.

Itaque eduxit me de turbido lacu,horrendis motibus agitato , de loco sordibus ualde lutulentis oppleto;& constituit me in rupe munitissima,ad quam hostes nullis machinis cuadent ; gressusq. meos,ne umquam laberentur , & cælesti disciplina,& inuicto robore,stabiliuit. Nec enim me populi rebellis,atque furentis, inuidia, neque mortis acerbissimæ truculentia , nec inferorum manium uiolentia , de statu detorquere potuerunt. Populum enim merito supplicio contriui; mortis uires exstinxi; inferorum claustra reuelli ; mundi principem spoliaui; uictoriaq. parta,clarissimum triumphum duxi ; & ad dexteram patris summi locatus sum , in quam arcem nulla umquam hostium immanium tela penetrabunt. Præbuit Dominus ori meo materiam noui carminis, ut nouo genere cantici,nouum,& nimis admirandum, beneficium celebrarem,summisq.laudibus Deo nostro uota persoluerem.In profundo namque peccata demersit ; suos in libertatem uindicauit ; & omnibus quietas sedes, cum amplissimo iustitiæ fructu,constituit.Multi uidebunt,(non enim erit claritas tanti splendoris intercluſa, sed ad gentes quamplurimas emanabit)& Domini potentiam uerebuntur;& religionem illius sancte colent;omnemq. spem salutis in Domini benignitate collocabunt . Quo quid felicius esse potest ? Nec enim gentis nobilitas,nec insignis opulẽtia,nec adumbrata religio , nec quidquam aliud in terris est, quod uere felices,atque florentes, efficiat ; sed fides cum caritate inflammato studio in numine Diuino locata.Ille igitur tantum,uir uirtute præcellens,atque beatus,existimandus est , qui , Dei præsidio semper innixus,non principum gratiam sollicite requirit , nec illorum uestigia sectatur, qui uanitate,atque mendacio , se tutos fore confidunt;& iccirco fallaces opes auxilio Diuino longe præponunt. Quod profecto , summe Domine, non fecissent , si mentis aciem in immensitatem tuæ benignitatis intẽtam habuissent: multa nam quæ opera nimis admiranda hominum gratia perfecisti;multo plura in nos beneficia conferre-statuisti;ad quæ, mente,& congitatione, recolenda,non est,qui se confirmare possit.Cum ea prædicare,& recensere , statuo , animus numero tam multiplicis gratiæ, & liberalitatis, obruitur; cum multitudo memoriæ facultatem longissimo interuallo uincat,& superet.Cælum namque,terra, mare, totiusq. mundi decus, & amplitudo,& uniuersæ naturę regiones,tuis erga genus humanum beneficiis refertæ,& cumulatæ sunt.Si in singulis rebus conditis insistere,& uim,sollertiam, & consilium , quo res quælibet condita, & confirmata fuit,recensere uelim;si corporis humani figuram, si mentis acumen, ingenium , indolem, docilitatem, explicare conet ; exitum minime reperiam. Cum uero ratio humana fuisset obscurata flagitiis,&,erroribus perniciosis imbuta,oculos e cælo deiiceret,& monstra in Diuina sede reponeret,legem clementissime tulisti, quæ tenebras discuteret, & notitiam Dei in animis instauraret,& religionem sanciret,quæ iustitiæ imaginem contineret,ut paullatim posset intelligi , quibus sacris esset hominum scelus expiandum . Non tamen hic restitit clementia tua, partim,quia , quod est immensum , & infinitum , terminis definiri non potest;partim,quia lex non in se iustitiam, sed iustitiæ umbram , continebat ; itaque non solum dabat,sed spem salutis ostendebat. Non enim scelerum maculæ animis inustæ , uel brutorum animantium sanguine,uel odorum terrestrium suffimentis,eluuntur; neque tu,sanctissime Domine, hominum peccatis innumerabilibus grauissime offensus,humanis muneribus placari, & a seueritate deduci,potes.Itaq. neque pecudes ad sacrificium

Et immisit in os meum canticum nouum.

Multa fecisti tu , Domine, mirabilia,& cogitationibus tuis nõ est qui similis sit tibi.

Sacrificiũ & oblatio nẽ noluisti.

cium statui uoluisti; neque dona , atque munera, tibi grata esse docuisti.Malam enim de te opinionem homines recipiunt, qui suspicantur , opibus fluxis iustitiam sempiternam deleniri, atque a iuris sanctitate ad indulgentiam sceleris inflecti.

Quod ergo remedium restabat? Vnum certe ; ut ego me tibi in perpetuam seruitutem addicerem , & pro omnium salute meum corpus opponerem . Maiestas enim tua , rebellione ad uindictam incitata , non erat adumbratis sacris , sed obedientia sanctissima , placanda . Cum uero nullus umquam in terris exstitisset, qui sic fuisset lege deuinctus , ut non eam sæpe numero transgrederetur , nulla erat obedientia , quæ posset rebellionem uniuersi generis humani compensare , nisi illius tantum , qui numquam deliquisset ; & ideo non alterius ope indiguisset ad gratiam tuam recuperandam . Præterea , nulla tanta poterant esse sanctorum hominum merita, quæ offensiones tibi per nefarium scelus illatas sanctitatis magnitudine compensarent . In me autem solo uoluisti, propter naturæ Diuinæ coniunctionem , ut esset facultas , & meritum , quo posset humanum genus hoc debito , quo erat obstrictum, liberari ; & , ne in sempiternum supplicium truderetur , a peste , qua miserrime laborabat , abduci . Vt igitur olim hominibus , seruituti perpetuæ mancipatis , aures erant ad postem , iudicum auctoritate , transfixę ; sic tu mihi , iudicio tuo, aures perforatas , hoc est , obedientiam meam tibi semper addictam , esse uoluisti , ut debitum alienum dissoluerem , & uoluntaria seruitute nomini tuo , humana rebellione grauiter offenso , satisfacerem . Non enim sacrificium flammis absumptum tibi cordi fuit; non hostiam piacularem ad scelus expiandum flagitasti . Non enim cædem pecudum , sed interitum nequitiæ , requiris ; non igne , ex lignis aridis facto , sed Diuini amoris incendio , delectaris ; non brutorum animantium sanguine , sed ea obedientia , quæ numquam fuerit leuissima, rebellionis cõtagione maculata,a peccati pudiendi seueritate , ad misericordiam , iis , qui peccauere , tribuendam inflecteris . Hæc cum numquam in terris exstitisset, neque tanta esse potuisset , ut merito suo posset offensionem immensæ Maiestatis oblitterare ; me ipsum obtuli , ut alacritate summa perfectissimum munus obedientiæ maxime salutaris absoluerem . Veni igitur, humanamq. naturam ualde clementer assumpsi, ut , sub humana forma , & specie, delitescens , in tuæ uoluntatis perfunctione labores omnes patienter exciperem ; dolores libenter hauirem ; conuicia sustinerem ; omnesq. corporis , & animi,uires in obediendo contererem;usque eo,dum uitam in cruciatibus pro omnium salute profunderem . Hæc autem obedientia , olim ab hominibus sanctissimis Diuina mente præuisa,tante admirationi fuit , ut omnes eam Diuinis laudibus efferendam susceperint . Itaque omnia , quæ in legis uolumine , siue a Mose, siue ab aliis prophetis,scripta sunt,huc in summa referuntur,ut salutem generis humani , opera mea constituendam, prædicerent;& pro meo in terras aduentu animis acriter incensis uota facerent . Hoc summum Diuinæ bonitatis beneficium fuit ab exordio generis humani patribus a Deo præmonstratum ; hoc sacrificiis,& signis,adumbratum ; hoc litterarum monumentis,ad sempiternam memoriam,conseceratum ; ut nemo sanus umquam posset de tam excellentis muneris amplitudine dubitare . Itaque omnis mea cura,sollicitudo, uigilãtia,in uno studio tota consumitur , ut uoluntati tuæ semper obediam;ut numquam uoluntati meæ morem geram;sed tuę semper obtemperem;ut,dum uoluntati tuę plene satisfaciam , nullam suppliciorum acerbitatem recusem. Hic fuit mihi cibus in omni loco iucundissimus; hæc animi summa iucunditas;hac uoluptate mirifice perfusus sum,quæ in obedientiæ perfectione consistit.In uisceribus autem meis legem tuam inscriptam, & insculptam, perpetuo gessi , ut numquam a sanctionibus illius,aliqua ex parte,desiecterem. Cum autem exploratum haberem , te omnes saluos,& ornatos, & ad speciem tuę claritatis informatos,esse uelle; & id sine ardenti iustitiæ studio nemini contingere posse,(fructus enim sacrificij, quod pro omnibus immolaui , obedientibus tantum, & non imperium recusantibus , promptus , atque paratus est)iustitiæ disciplinam in hominum lucem, & celebritatem magnam,protuli;nihil, quod ad salutarem disciplinam pertineret , omisi ; numquam labia mea ab hominibus instituendis,& erudiendis, subtracta sunt ; multosq. per me , atque per meos , rerum Diuinarum intelligentia diligenter instruxi;quemadmodum tu,Domine,recte nosti. Non abstrusam , & reconditam , tenui penes me iustitiam tuam . Veritatem tuam, & salutẽ tuam, omnibus passim annuntiaui . Non inuidi uniuersitati hominum opes misericordiæ tuæ , atque fidei tuæ ; sed eas omnibus , qui eas intueri cuperent,explicatas,& euolutas , ostendi . Cum enim summa bonitas nullo modo inuidiæ sit affinis;& iccirco, cum omnibus hominibus,quoad fieri potest , diuitias suas communicatas esse cupiat;non poterã ullo modo ad uoluntatem tuam commissum mihi munus administrare , nisi me totum ad homines docendos ita darem,ut neminem,qui uellet de rebus Diuinis instrui,a coniunctione mea repellerem.Tu igitur,Domine,ne cõpressam teneas misericordiam tuam, ut me illius ope destituas.nam omnis salus mea, & uitæ meæ firmamentum , & propugnaculum , in misericordia , atque fide,tua consistit.Innumerabilia nam quę mala me undique circumsistunt ; pœnę iniquitatum,quas mihi subeundas existimaui,tanto me numero consecutę sunt , ut eas dispicere non queam.Nã capillos capitis mei multitudine uincunt,usque adeo,ut cor meũ, propter intolerandi doloris acerbitatem,robore destitutũ sit.Respice, Domine, innocentiã afflictam ; obedientiã malis oppressam, sanctimoniã suppliciis excruciatã,ut me confestim e magnitudine tam indignę cladis eripias;& ad opem mihi afferendam accelera .

In capite libri scriptũ est.

Annuntiaui iustitiam tuam.

Tu autem, Domine,ne lõge facias

Universidad de Deusto
Biblioteca

Contumelia afficiantur,& omni dedecore,ij, qui uitam meam immani odio perſequuntur. Retrocedant,in fugam ſe cum ignominia ſumma dent, qui mihi, qui meis, qui nomini meo, perniciem moliuntur. Pro mercede dedecoris, quod mihi inurere modis omnibus conati ſunt, euertantur funditus omnes, qui in cruciatibus meis mihi nimis petulanter inſultant, &, in crucem intuentes, uerba, immoderatam lætitiam ſignificantia, temere profundunt. Perfice, Domine, ne multi, propoſita Crucis ignominia, conturbati, ſalutis uiam deſerant, aut ſaltem ad ſanctiſſimam religionem profitendam tardiores fiant. Quapropter te oro, & obſecro, ut
Exſultent, & lætentur ſuper te.
gaudio cumulentur, & lætitia efferantur,omnes, qui, meis monitis incenſi, te quærunt; & dicant perpetuo, qui ſalutem a te datam uoluntate gratiſſima proſequuntur, Domini nomen ſempiternis laudibus efferatur. De me uero non eſt quid dicam. Cum enim ſim pauper,& egenus,Dominus eſt, qui de mea ſalute, & dignitate, cogitat: in illo namque habeo,in rebus aduerſis, præſens auxilium, in ſalutis diſcrimine, ſalutare præſidium, conſtitutum. Hoc igitur a te, Domine, ſummo ſtudio contendam, ne opem differas, ſed ſubſidio mihi feſtinanter occurras, ut ſic & gloriæ tuæ,& meorum ſaluti,proſpicias.

Beatus uir, qui intelligit ſuper egenum,& pauperem. Pſal. 40. Apud Heb. 41.

NIhil poterit eſſe gratius Deo, quam Diuinæ bonitatis exemplum. Cum igitur is pauperes non excludat; cum illorum preces clementer audiat;cum eorũ cauſſam ſuſcipiat; cum denique iſ lis Regnum cæleſte ſpondeat; quid poterit a nobis fieri, aut ad dignitatem elegantius, aut ad parandas opes utilius, aut ad uitæ præſidium ſalutarius,quam miſericordiam egentibus impartiri? Si enim miſericordes fuerimus, Dei ſimilitudinẽ operibus ſanctis arripiemus; & ita gratiam illius retinebimus, ut numquam nos uel in penuria, uel in morbo, uel in quouis alio diſcrimine uitæ, deſpiciat. In pænuria igitur bonis explebimur;in morbis ſanitatem recuperabimus; in periculis inuicto præſidio fulciemur;ita,ut ſemper, ex omnium malorum fluctibus emerſi, in ſalutis portũ feliciter inuehamur. Hoc tamen in loco Dauid, quamuis uniuerſe loqui uideatur, unum tamen præcipue pauperem oratione complectitur, qui eſt Chriſtus,qui, cum eſſet rerum omnium Dominus, pro nobis factus eſt egentiſſimus, ut nos illius inopia diuites eſſemus. Omnes enim, qui de illo noctes & dies cogitauerint, & gratiſſimis animis tam admirabilem bonitatem complexi fuerint,& in illius ſe imitationem contulerint,erunt beatiſſimi. Nos igitur in hoc carmine, quemadmodum in precedenti factum eſt,nõ tam illius imaginem, quam Dauid probitatis, & humilitatis, & patientiæ, aliqua ſimilitudine referebat, quam ipſum Chriſtum inopem, & nudatum, & Cruci clauis affixum, cogitemus. Illum igitur in hanc ſententiam loqui ſtatuamus: Beatus erit is, qui inopem illum,pro ſalute humani generis inopia,& mendicitate,laborantem, & ueſte ſpoliatum,omniumq. auxilio,atque ſolatio,deſtitutum, adſpexerit,amauerit, omni ſtudio, & pietate, ita conſectatus fuerit, ut numquam ab illius exemplo,& imitatione, diſcedat. Sic autem in primis me paſcet eſurientem,cum me iuſtitiæ ſuæ pabulo recreauerit. Sic etiam me potabit ſitientem, cum me uitæ ſanctimonia,atque benignitate,refecerit. Similiter etiam nudum ueſtiet, cum caritatis ueſtibus, & ornamentis, apertus exſtiterit. Ad hunc etiam modum me hoſpitio recipiet,cum me toto animo complexus fuerit,& in mente ſua mihi domicilium exſtruxerit, in quo ſane libenter acquieſcam. Nam, quæ alia fuit fames,& ſitis,& nuditas,& peregrinatio, quæ me ualde cruciaret,quam deſiderium ardentiſsimum,quo flagrabam,humani generis alendi, & excolendi, & in quietis iuſtitiæ ſedibus opera mea collocandi? Hoc igitur primum ſtudium erit illius, qui beatus eſſe ſtudet. Ex hoc autem aliud naſcetur, quod in pauperes erit impenſum, ita tamen, ut ſingulis pauperibus alendis, & reficiendis, ſic animatus quiſque ſit, ut exiſtimet, omnia beneficia, quæ nomine meo in pauperes conferuntur, in me ipſum conferri. Sic enim accipiam officium illud pauperi tributum, atque ſi mihi præſtitum fuiſſet. Dominus autem illum cuſtodiet; illi uitam conferet; illum in terra felicem, omnibusq. bonis affluentem, reddet; neque inimicorum manibus,ac uoluntati, tradet. Quod ſi in morbum inciderit, Dominus lecto illius aſſidebit, uimque illius debilitatam ſuſtentabit, atque reficiet, & lectum (ut ægrotis fieri ſolet,ut melius cubent) aſsidue uerſabit, uſque eo, dum omnem morbum admodum ſalutari curatione depellat. cum eſſem ipſe peccati pondere grauatus, (peccati enim pœnã corpore meo ſuſtinebã) dixi,Domine,miſerere mei, quia peccati in te cõmiſsi ſupplicium pendo; illiusq. pœnas, perinde atque ſi meum eſſet,exſoluo. Porro autem inimici mei mihi mala imprecabantur, & dicebant, Quando morietur homo,actionibus noſtris ſemper infenſus? Quando uidebimus nomen illius, ex hominum memoria funditus euulſum? Quod ſi aliquis me ficta ſpecie ſanæ uoluntatis inuiſit, uaniſsima oratione blanditur; corde uero ſcelus nefarie machinatur; deinde foras egreditur, ut, quod reſponſum uerbis inſidioſe concinnatus dederim, ſociis confeſtim enuntiet. Tum omnes inimici mei clamculum inter ſe de pernicie mea conſultant; &, ut in me peſtem,& exitium, machinentur,excogitant. Cum uero exitus,quos optabant,conſecuti ſunt, ut cruciatibus ſummis afflictum, crudeliſsimaq. morte damnatum, uideant, quibus cogitationibus efferuntur? quæ portenta loquuntur? Deus iratus illum acriter inuaſit, ut de illius impietate meritas pœnas ſumat.

Beatus uir qui intelligit.

In die mala liberabit eum Dominus.

Ego dixi. Domine miſerere mei.

Occum-

Occumbet igitur tandem,nec umquam excitari poterit, cum ſemel uita perfunctus exſtiterit.
Si ille tantum ſanctitatis gloria præſtitiſſet,quantum præſeferebat, Deus certe illum minime deſeruiſſet, neque tantis doloribus excruciari ſiuiſſet. Ex eo igitur, quod fuerit Dei ope deſtitutus, & inimicorum uoluntati permiſſus, certiſſime conſtat, illum in fictæ religionis ſpecie ſceleſtiſsimi facinoris immanitatem occultaſſe.
His quidem illi uerbis me ſceleris arguere conabantur. Quin etiam uir familiaris, atque domeſticus, cui ratio admonebat, ut ualde confiderem, qui mecum in menſa,more amici, atque adeo fratris, accumbebat, eiſdemque dapibus utebatur, meisq. diſciplinis alebatur, a fide deſciuit, &, inimicis addictus, in me calcibus inſultauit. Tu, Domine, miſerere mei; excita me ab inferis; & in deſtinato Regiæ Maieſtatis, & amplitudinis, ſolio colloca; ut eis mercedem, tam immani ſceleri debitam, fame, uaſtitate, urbis exciſione, perpetuo exitio, extrema ignominia, rependam. Hoc quidem argumento clariſsimo, perſpiciam, mea ſtudia tibi ſemper gratiſsima fuiſſe, quod inimicum meum de me gloriari, lætitiamq. inſanis uocibus oſtentare, minime paſſus ſis. Tu uero me, propter meæ ſanctitatis, & innocentiæ, magnitudinem, ſalutari præſidio confirmaſti;& ad Maieſtatis tuæ dexteram collocaſti, ut inconſpectu tuo ſempiternum imperium adminiſtrem. Laudibus ſummis, & immortalibus, efferatur Dominus Deus, qui uerum Iſrael ſatu Diuino propagatum, tantis beneficiis auxit, & cumulauit, & in omni ſæculorum æternitate nomen illius ſine ulla intermiſsione celebretur.

Et enim homo pacis meæ.

Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum. Pſ. 41. Apud Heb. 42.

SVmmæ uoluptatis expertes,& ignari ſunt omnes, qui a Dei placitis auerſi ſunt, & corporis blanditias, & lenocinia, perſequuntur. Animus enim hominis iuſti tranquilliſsima pace fruitur; ſplendore Diuino illuſtratur; pulchritudinem Diuinæ mentis intuetur;Deo amore ſummo deuincitur; Diuinis opibus expletur; & ad ſpem firmam gloriæ ſempiternæ, atque Diuinitatis, erigitur. His bonis omnibus carent ij, qui ſe, per ſummum ſcelus,atque dementiam,a Deo, bonorum omnium fonte, diſiũgunt. ſunt enim illorum animi turbulentis motibus de ſtatu conuulſi;tenebris tætris immerſi; a Dei tutela,& patrocinio a paterno derelicti,ſcelerum conſcientia uexati; & iudicii formidine, quamuis eam oppri mere conentur, aſsidue perterriti. Sed, quo maiorem boni uoluptatem ex Diuini ſpiritus familiaritate percipiunt; eo maiore cura, mæſtitia, ſollicitudine, torquentur, cum ab illius iucunditate deſeruntur. Moleſtiſsimum enim eſt, carere bonis,quorum ſuauitatem experiundo guſtauerãs. Ad ſalutem tamen firmius conſti uendam opus eſt, ut noſtræ uitæ parens, & ſalutis auctor, aliquando eam uoluptatem ſubtrahat,uel ut animum, paullo fortaſſe confidentius elatum, ad ſtudium humilitatis erudiat;uel poſtremo ut ſancti hominis patientiam exerceat; ut deinde mentem ad breue tempus afflictam multo maiore ſuauitate perfundat. Hæc autem in ſe Rex ſanctiſsimus Dauid ſæpius expertus eſt, quod operibus ſuis admodum iucunlenter exponit. Nunc enim uoluptatis eximiæ ſignificationem dat; nũc dolet,& angitur; & curis (ut apparet) intabeſcit; rurſus gaudio mirabiliter exſultat,& quodam modo triumphum ducit. Deinde uehementius afflictatur, ut multo pleniore gaudio, & diuturniore uoluptate,cumuletur. Tanta eſt enim, dum hæc uita manet,ſollicitudinis & angoris in ſtatum hominis florentis incurſio, ut neque ſancti homines poſsint ſemper ab illa tuti,& incolumes, omnino permanere. Cum autem Dauid a filio expulſus deſertam ſolitudinem peragraret,& multis curis acerbiſsimis premeretur, nulla tamen hominem ſanctum grauius excruciabat ea, qua ſe ſpiritus iucunditate deſtitutum cernebat: maxime autem, cum memoria recoleret uoluptatem illam, qua erat affectus, cum in Domini tabernaculum ſe conferebat; cum dies feſtos cogitabat; cum hoſtias, quæ uictimæ ſalutaris imaginem continerent, immolabat; cum denique animo uehementer inflammato gratiarum uota perſoluebat. Deſiderio igitur incenſus, & cupiditate priſtinę cõdicionis ſtimulatus,exclamat,inquiẽs: Vt ceruus,ardentiſsima ſiti cruciatus, aquæ fluentis deſiderio ingemiſcit,& fremit; ſic anima mea, cupiditate tui ſpiritus, o Domine, frequenter anhelat, & magnos ex imo pectore gemitus edit. Non opes humanas ſitit anima mea; non exquirit uoluptates inanes; non ambit gloriam popularem; ſed ad cupiditatem tantum Diuini numinis exardeſcit; fruiq. Deo uero, ex quo uita omnium,qui uiuunt,tamquam ex perenni fonte,deriuatur, acerrime concupiſcit. Sic igitur mecum aſsidue loquor: Quando Hieroſolymam reuertar, ut religionem inſtaurem,et faciem Domini in illius domo,quantum in hac uita licet, inſpiciam? Interim uero dapes omnes aſpernor; & cibi etiã iucundiſsimi mihi faſtidio ſunt; & lacrymis tantũ paſcor,quæ ex oculis meis continenter emanant. Neque uicem tãtum meam doleo; uerum & illud me ualde torquet,quod gloria ſanctiſsimi numinis inſdiſcrimẽ apud homines ueniat,qui ex meo a cerbiſsimo caſu multis perſuadere nituntur, a mentis hominis eſſe, religione ſanctiſsima niti; cum credant,me nullum ex pietate fructum tuliſſe,quaſi Deus aut nolit,aut nõ poſsit, ſuis optulari. Hoc enim mihi, quaſi probrũ, dies atque noctes obiiciũt, quod nimia benignitatis Diuinę fiducia ductus ſim; & religionẽ meã iocis petulãtiſsimis inſequuntur. Dicũt enim, Vbi eſt Deus tuus? quẽ tibi fructum attulit iuſtitiæ cultus? quod emolumẽtũ ex ſanctitatis ſtudio cõſecutus es? Quid tibi rerũ humanarũ contemptio profuit? quãto fuiſſet utilius ſtatũ tuũ humanis opibus prẽmunire, quã

Quemadmodum deſiderat ceruus.

Quando ueniam, & apparebo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nimia confidentia opem tibi Diuinam polliceri? Stultum enim est, præsidia, quæ uides, contemnere, ut iis, quæ non uides, statum præsulcias. Hæc recordatus sum. Hæc me hominum oratio discruciat: nam & meis calamitatibus insultat, & nomini tuo labem adspergere conatur. Hac recordatione, Domine, anima mea intra pectus meum in conspectu tuo tota proiicitur, ut te summis conatibus, contento studio, totis uiribus, oret, obsecret, & obtestetur, ut sibi salutare præsidium afferas: quod quidem minime despero, sed dilatio me uehementissime deseruciat. Itaq. his curis ualde sollicitor; & hæc uerba frequenter ex imo pectore fundo. Quando Iordanem transibo, ut, cum sollemnis pompæ celebritate, hominum multitudine circumsæptus, incedam; & ita in Domum Domini gradiamur, cum lætis acclamationibus, cum gratiarum actionibus, cum carminum concinne modulatorum festiuitate? Quare tristis est anima mea. Anima mea, cur ita deiiceris? quid tumultuaris, & me cura molestissima conturbas? excita spem; uires assume; Deo confide. Non enim erunt irrita uota mea. confido enim, futurum, ut, in illius conspectum admissus, pro multiplici salute gratias agam: O Domine, anima quidem mea, curis abiecta, deprimitur. Verum ego huic malo fidei remedium uigilanter adhibebo. Nam, quamuis in uia, quæ trans Iordanem est, uagus inambulem, quamuis in Hermonim monte modico, & ob id satis infirmo uitæ præsidio insistam, numquam tamen memoriam infinitæ tuæ benignitatis abiiciam. Vt in me aquarum immensitas irruat, & eluuio malorum eluuionem excipiat, imbribus maximis, cum horrendo tonitru, & cæli fragore, uocis tuæ imperio demissis, ut inuectam calamitatem alia calamitas repente consequatur, ut omnes fluctus tui in me uiolenter erumpant, semper tamen tuæ clementiæ memoriam conseruabo. In die mandauit Dominus. Dominus enim, dissusis malorum tenebris, die, suæ misericordiæ lucem spargebat; & nocte, carminis, & symphoniæ, lætam mihi materiam suppeditabat, ut uictorias, illius benignitate partas, concinerem; illiusq. fide firmissi me nixus, non ad commenticia numina uita carentia, sed ad Deum uerum, immortali uita præcellentem, quem semper sancte colui, supplices preces adhiberem. Itaque nunc, eo tempore, quo tantis curis, & ærumnis, afflictor, Deum, cuius ope, tamquam rupe munitissima, quam nullis uiribus expugnare possunt hostes mei, maxime confido, huiusmodi uerbis alloquor: Domine, cur mei obliuisceris, atque pateris, ut tamdiu pullatus incedam, dum hostis me modis omnibus afflictat, ossaque mea perfringit? neque solum me capitali odio prosequuntur inimici mei, sed etiam dedecore, & ignominia, deformare nituntur, dum dicunt mihi, Vbi est Deus tuus? At ego, quamuis, pressidi; dilatione, nimis angar, & curæ sanctissimæ interdum animum meum peruagentur; numquam tamen ita spem depono, ut opiner, te mihi auxilio defuturum. Me igitur colligo; spiritum a timore reficio; animam meam ad perferendum his uerbis exhortor: Anima mea, cur ita deiiceris? Quid tumultuaris, & me cura molestissima conturbas? excita spem; uires assume; Deo confide. Non enim erunt irrita uota mea. confido enim, futurum, ut, in illius conspectum admissus, illi, pro salute multiplici, immortales gratias agam.

Iudica me Deus, & discerne causſam meam. Psal. 42. Apud Heb. 43.

CVm calumnia falso rumore dissipatur, sic insidet in animis imperitorum, ut difficillimum negotium sit, eam prorsus euellere. Inuidia namque facit, ut, quemadmodum uirtutis egregiæ fama molestiam multis exhibet; ita insamia delectet eorum animos, qui alicuius insignem gloriam molestissime patiuntur. Sic autem fit, ut bonorum ius, multis in locis oppressum, conticescat, quia omnium aures, ne defensionem bonorum audiant, obstruuntur. Quid igitur tunc erit faciendum, cum homines iudices iniqui sint, & reiici nulla ratione possunt? id, quod hoc in loco facit Dauid, appellare Deum, illiusq. sanctissimo iudicio causſam committere. Cum is igitur esset sibi integritatis, & innocentiæ, conscius, & opera inimicorum, apud multos in suspicionem sceleris, & immanitatis, ueniret, in hanc sententiam orationem ad Deum dirigit: Domine, uides, quam falso sim sceleris insimulatus? quantis calumniis sint ciuium animi in me furenter incitati? quam fallax sit humanum iudicium, & quam libenter homines calumniam comprobent, & quam inuicti innocentiæ patrocinium suscipiant. Cum enim omnem uirtutis excellentiam oderint, illam extinctam cupiunt; & ideo, cum sint ad damnandum summa celeritate præcipites, sunt ad absoluendum tardissimi. Tu igitur iudicio tuo, quam falso mihi crimen intendatur, ostende; causſæ meæ defensionem suscipe; a gente scelerum maculis infecta, & ab homine perditissimo, qui fraudibus, & iniuriis, multitudinem instigat, ut mihi interitum moliatur, eripe me. Non enim mihi quidquam arrogo; iustitiam, & pietatem, & reliquas uirtutes, quibus exultus sum, in beneficiis tuis numero; tibi omnia in acceptis refero; non insolenter efferor; sed me ipsum coram te semper obijcio. Tu enim es fortitudo mea; & in te solo spem salutis, & dignitatis, positam habeo. Confido enim, fore, ut tu beneficia tua firmissimo præsidio tuaris. Cur igitur in hac causſa me dereliquisti? cur pateris, ut, dum hostis me calumniis insequitur, omnibusq. modis pestem, & exitium, machinatur, ego desertus, & atratus, incedam? Emitte lucem tuam, quæ depellat, & discutiat omnem erroris caliginem; emitte ueritatem tuam, ut illis opem celeriter afferas, quos in fidem recepisti. Hæc spes me consolatur; his opibus

Iudica me Deus.

bus sustentor; hæc me præsidia confirmant. Gratiæ namque tuæ splendor, & fidei tuæ constantia, me dirigent, atque deducent in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua, ut in cælesti ciuitate ciuibus beatis annumerer. Accedam ad altare tuum, ut uictimas tibi laudis immolem. O summe Domine, meæ uoluptatis, & lætitiæ, parens. Te enim præsente, animus meus incredibili lætitia cumulatur. cum uero te subtrahis, & me familiaritate tua destituis, sollicitudine, & tristissima cura, conficitur. Cum igitur fuero ope tua præsentissima liberatus, & ad altare tuum intromissus, ad cytharam laudes tuas canam, o Domine, cuius potentiam uereor, cuius bonitatem amo, cuius religionem colo, a cuius studio nullis umquam ærumnis abducar. Anima mea, cur mærore deiiceris? cur tumultuaris, & me sollicitudine tua conturbas? spem habe in Domino: fore enim confido, ut ab omni calamitate ope illius eripiar, & illi gratias agam, qui meam salutem præsidio suo sæpe constituit.

Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam.

Deus auribus nostris audiuimus. Psal. 43. Apud Heb. 44.

POpulus Dei multis interdum malis opprimitur, & hostes uictores insultant, seq. Deo carissimos arbitrantur, eo quod suum imperium augeatur, & uictoriæ multiplicentur. inde diffidentia quædam exoritur, quæ multorum animos sollicitudine non mediocri conturbat. Hærent enim, & dubitant, num religio, qua sunt adstricti, ea sit, qua Deus propitius fieri possit. Non enim sceleribus suis ea mala, quibus uexantur, adscribenda censent; sed ad fortunæ temeritatem, quæ potuisset Diuino consilio coerceri, reuocanda putant. Dum igitur culpam agnoscunt, & peccata commissa aliis longe grauioribus in dies accumulant, ius Diuinum postulat, ut, qui corrigi, & emendari nolunt, exscindantur. In hac tamen communi strage, pietas bonorum longe clarius enitescit: nam doloribus, & cruciatibus, exercentur; & eorum fides de hostium tyrannide, de principum odio, de mortis postremo immanitate, uictoriam illustrem consequitur; & tunc uel maxime uirtus Diuina perspicitur, cum maximi impiorum conatus ad illam infringendam sine ullo fructu comparantur. Interim tamen imperitorum fides languescit, & religio uiolatur, & mala opinio a multis de uerissima sanctitate recipitur. Hoc est autem, quod homines sancti dignissime patiuntur, non quod Diuinum consilium damnent; sed quod Dei gloriam apud multitudinem obscurari, & religionem paullatim in obliuionem uenire, perspiciant. Orant igitur summo studio, & contentione, Deum, ut modum supplicijs imponat; ut res perditas instauret; ut gloriæ suæ consulat; ut nominis sui hostes euertat, & populum suum in splendorem tandem restituat. Dauid igitur, cum Diuina mente præsentiret clades, quæ erant Israeli ab Assyriis, & Aegyptiis, & Chaldæis, & ab aliis hostibus, accipiendæ, Deum orat, & obsecrat, ut seueritatem suam breui termino circumscribat, ne, si tempus tam diræ acerbitatis extra modum prodierit, bonorum etiam salus in discrimen incidat. Hoc tamen erit operæ pretium admonere, Dauidem, non de Iudæis tantum, sed de Christianis etiam, propter studium pietatis afflictis, omni contumelia laceratis, & suppliciis excruciatis, orationem habere. Sanctos igitur inducit, de tantis, & tam atrocibus, iniuriis querimoniam habentes, in hanc sententiam: Domine, auditione percepimus, & maiores nostri commemorando retulerunt, & memoriæ sempiternæ mandauerunt, opus admirandum, quod illorum diebus effecisti. Manus enim tua gentes e sedibus suis exstirpauit; & in earum loca patrum nostrorum plantaria transtulit; ut illic altissimas radices agerent, uberrimosq. fructus in opima tellure profunderent. Multis plagis populos sceleribus horrendis infames attriuisti; eosque tandem expulisti, & eiecisti. Parentes nostri non armis suis sedes illas hostium occupauerunt; non hominum fortium multitudine, & insito robore, salutem consecuti sunt; sed dextera tua inuicta, & brachium sanctum tuum, & splendor uultus tui, eos, quos in gratiam recepisti, uictoriis admirandis illustrauit. Tu idem ipse es rex meus, cuius sanctissimis legibus obtemperabo; tu Deus meus, cuius ope salutari confido: nec est quidquam, quod te inuertere, & immutare, possit; cum tibi sis in omni sæculorum æternitate similimus. Ergo, quemadmodum olim patribus nostris salutem multis in locis attulisti; sic nunc oramus, ut Iacobi propagini salutem afferre digneris. Gratia tua freti, hostes nostros facillime fundere, & fugare, & aduersarios nostros ui, & robore, nominis tui proculcare, poterimus. Nec enim arcu meo nitar, neque gladius meus mihi salutem dabit. Tu solus nos ab hostium nostrorum uiribus, & impetu, tutos, & incolumes, seruauisti; tu inimicos nostros feroces, & infestos, strauisti; adeo, ut dedecore, & ignominia sempiterna, notarentur. Eorum enim conatus fracti sunt; & spes, quæ illis animos afferebat, euanuerunt. Itaque omnibus diebus, non uirtute nostra, sed ope Diuina, gloriabimur; nomenq. tuum laudibus sempiternis efferemus. Quæ igitur tanta nunc rerum mutatio facta est? quæ tam horribilis, & pertimescenda, condicionis antiquæ conuersio? Nos enim deseruisti; & ignominiæ maculis inussisti; neque te ducem, & imperatorem, ut olim, nostris exercitibus præbuisti. Proiicis nos, & hosti terga dare compellis; &, qui nos oderunt, omnia bona nostra sibi impune deripiunt. dedisti nos, tamquam pecora, cædi, in conuiuium destinata; & sedibus exterminatos in uarias gentes, a notitia tui nominis abhorrentes, dispulisti. Vilissimo pretio popu-

Deus auribus nostris audiuimus.

Tu es ipse rex meus.

Nunc autē repulisti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vendidisti populũ tuũ sine pretio: & non fuit multitudo in commutationibus eorum.

lum tuum in seruitutem exteris gentibus addixisti: nec enim labore, neque magnis sumptibus, de nobis victoriam consecuti sunt; paruoque certamine nos sibi seruire compulerunt. Insigne dedecoris exemplum uicinis nostris facti sumus; gentes finitimæ in nos asperis uerbis insiliuntur; maledictis nos, atque derisione, proscindunt; ita, ut nemo sit, qui in tantis calamitatibus nobis aliquid humanitatis impertiat. Apud gentes, in extremæ ignominiæ prouerbio, uersamur; ita, ut, qui uelit in aliquem contumeliam iacere, Israelis nomen usurper, eumq. nobiscum comparet: ut nihil esse uideatur in terris genere nostro contemptius. Nos conuiciis omnibus insequuntur; nobis, capitibus in utramque partem frequenter agitatis, illudunt; nullumq. locum nostri nominis maledictis configendi prætermittunt. Quotidie cerno, me contumelia lacerari; faciesq. mea, uerecundia perturbata, magnitudine ruboris obducitur. Aures meæ, probris, & maledictis, in me coniectis, circũsonant; uoces eorum, qui se pœnas persequi maiorum suorum in nostro supplicio dicunt, audiendi sensus obtundunt. Omnes hæ calamitates in nos inuectæ, & importatæ sunt; cum interim numquam tui obliuiscamur; neque fœderis, & pactionis tuæ sanctitatem uiolemus. Cor enim nostrum non auersum est, ut debitum officium proderet: gressusq. nostri a uia tua non deflexerunt, quamuis fuissemus malis omnibus oppressi, & impediti. In locum enim serpentibus uenenatis infestum nos detrusisti; & densa tetræ mortis caligine circumfusi sumus. Quod si nos obliuio nominis Domini cepisset, aut manus nostræ fuissent in Deos alienos intentæ, ut ab illis opem flagitarẽt, numquid tam scelestum facinus Deum latere potuisset? Non profecto. Ille namque etiam ea, quæ in intimo cordis recessu latent, perscrutatur; & nihil est tantis motibus obstrusum, atque reconditũ, quod non perfectum, atque recognitum habeat. Hæc cogitatio facit, ut numen illius perpetuo uereamur; nihilq. esse possit, quod nos a studio pietatis abducat. Neque solum contumelias, & conuicia, sustinemus; uerum & ad moriendum animis prompti, atque parati sumus; &, propter nominis sui gloriam morti singulis prope diebus addicimur; & pro ouibus ad lanienam perducendis uulgo numeramur. Periculum tamen, Domine, uides, quod multis ex magnitudine tantæ afflictionis intenditur. Excita igitur uim, & potentiam, tuam. Cur enim tantis rebus indormies? Cur, in scelestissimo facinore hominum, qui nos cogere nituntur falsis numibus immolare, coniues? Cur a nobis pestem, per homines, serpentina truculentia præditos, importatam, non auertis? Si ad punienda tuorum flagitia, & gloriam nominis tui clarius illustrandam, opus fuit nos tantis incommodis affligi; utrumque iam perfectum est. Nam flagitiorum uulnera, quæ erant sanabilia, plagis sanata sunt; & iam satis perspectum est, Diuinam uirtutem nullis posse suppliciis infringi. Expergiscere iam tandem aliquando; neque in perpetuum auxilium tuum a nobis remouẽdum censeas. Cur enim faciem tuam tamdiu occultabis, ne gratiæ tuæ splendor in nobis appareat? Cur miseriam, & ærumnam, quam diutissime passi sumus, obliuione conterendam existimabis? Anima enim nostra in terram depressa est; animiq, sensibus intimis, multæ telluris iniectu, sepulti sunt. Non igitur corporum uita tantum in discrimen inducitur; uerum & animis grauissima pericula subeunda sunt, si diutius auxilium distuleris. Exsurge igitur; &, ut spem feras, accelera; nosque, propter clemẽtiæ tuę magnitudinem, e tam misera seruitute in libertatẽ uindica.

Hæc ea uenerunt super nos.

Quoniam propter te mortificamur.

Eructauit cor meum uerbum bonum. Psal. 44. Apud Heb. 45.

HOc carmine Dauid lætitia incredibiliter elatus exsultat; Christi laudes Diuina oratione persequitur; Ecclesię de nuptiis felicissimis gratulatur; Regni sempiterni opes exaggerat; amoris Diuini uim miris uerbis amplificat. Hac igitur oratione nihil grandius, & magnificentius, nihil elegantius, atque iucundius, nihil denique utilius, & salutarius, poterit excogitari. Sed Diuinum dicendi genus humanas laudes minime requirit. Præstat igitur, Diuinum spiritum, qui expectore sanctissimi Regis oracula fundit, audire, quam diutius in admiratione tanti carminis immorari. Hoc tamen est animaduertendum, Dauid & summum poetam fuisse, & summum etiam carminis a se compositi modulatorem. Cũ igitur is carmina sua modulabatur, non erat, cur in operis principio aliud nomen, quam suum, apponeret. Cum uero alii cantores sonum modulabantur, eorum nomina minime silentio supprimenda putabat. Ita autem fiebat, ut aliquando nomen suum tantum, aliquando rursus eorum, qui modos fecerant, nomina referret, & sæpe etiã nomen suum cantorum nominibus adiungeret. Hæc diximus, ut admoneamus eos, qui in Dauidis operibus uersari cupiunt, non esse, cur existiment, hæc Diuina carmina esse ad alios auctores referenda, propterea quod Dauidis nomen adscriptum minime interdum uideant. sed id plerisque satis notum arbitror. Vt igitur id omittam, illud tantum admoneo, nihil hoc in loco triste, nihil lugubre, nihil querulum, nihil aliqua contagione sollicitudinis inquinatum esse; sed flores, & lilia, & amoris Diuini festiuitates, & summi decoris uenustatem, & elegantiam, contineri. Quocirca necesse est, ut lætantibus animis tam dulcis, atque iucundi, carminis sententian audiamus. Sic igitur ait Dauid: Cum animus sit iucundissimis cogitationibus expletus, & Spiritus Diuini dapibus egregie saturatus, necesse profecto est, ut ex cordis abundantia foras redundet, & effluat oratio salutaris, aque iucunda, & inclusis uenis, unde profluit, consona, quæ diuitiarum Diuinarum affluentiam in oculis, & adspectu, constituat. Hæc autem opera mea Regi sempiterno, qui omnia po-

Eructauit cor meum uerbum bonum.

testate

testate summa complectitur, dedico, & consecro; & nihil a me concinnatum esse uolo, quod non ad illius gloriam dirigatur. Quamquam, quid attinet, opera mea nominare, quæ Spiritus sancti cõsilio designata, constituta, omnibusq. numeris perfecta, & absoluta sunt? Ille mentem meam illustrat, ut uideam; ille animum incẽdit, ut cupiam; ille uires suppeditat, ut possim ornamenta tantæ uirtutis exponere. Vt enim calamus in manu scribæ diligẽtis, & expediti, positus, ita litterarum notas exarat, ut sentẽtia minime calamo, sed scribæ, qui calamum uersat, adscribenda sit; ita lingua mea, non quæ sunt ab illa excogitata, sed quæ sunt a Spiritu Diuino, qui me mouet, impellit, & incitat, dictata, diligenter, & expedite, persequitur. Adeste igitur animis; & non orationem meã, sed Diuinam, attentissima consideratione percipite. Materia uero carminis est, summi decoris excellentia, quam in Rege nostro intuens, obstupesco. eam enim, quantum licet, uerbis exprimere conor. Quanta elegantia, & uenustate, præcellis, o Rex inuictissime? Sapientiæ namque tuæ lumen radios latissime diffundit; iustitiæ tuæ splendore omnia circumquaque posita collucent; uirtutis tuæ inuicto præsidio omnes opes tuę muniuntur; moderationis ornatus, & totius animi concinnitas, quæ in te mirabiliter elucet, cæli concentum, & harmoniam, uincit; omnes denique homines, qui pulchritudine mentis excellentes exstiterunt, in quibus nempe Deus imaginem suæ claritatis impresit, a te longissimo interuallo superantur. Illorum namque pulchritudo, a te, tamquam a perenni decoris, & elegantiæ, fonte, hausta, atque delibata fuit. Quid de eloquentię magnitudine dicam? tu enim dicendo iacentes erigis; tu elatos, & confidentes, de statu detorques; & tu mæstos, & afflictos, consolaris; tu mortales ad te, iucunditate orationis, allectas; tu mentes humanas disciplinis Diuinis instituis; tu homines rebus terrenis addictos, studio immortalitatis inflammas. Igné implicas in uisceribus hominum, ita, ut multi nihil malint, quam omnibus terrenis rebus spoliari, ut expediti in cælum facilius euehantur. Neque mirum, si tantum eloquentia uales. Ea namque, qua tam admiranda opera molitis, non humano ingenio, atque disciplinæ, sed Deo tantum qui te opibus Diuinis, & ornamẽtis sempiternis, instruxit, adscribenda est. Excita ergo, uir fortissime, uires tuas; & gladio tuo, quod est uerbũ Dei, super femur apte succingere; ut summum decus, & gloriam, consequare. Nam libidinis immanitatem resecabis, flagitiorum fibras euelles; inimicorum omnium copias fundes; hostis sempiterni tyrannidem delebis; ut regnum moderatione singulari constituas. quod quidem longe diuersa ratione, ab ea, quam homines in regio gradu locati sequi plerumque solent, gubernabis. Illi namque huic uni curę præcipue incumbunt, ut milites cogãt; equitatus parent; tributa imperent; pecuniã coaceruent; statumq. suum, & armorum præsidio, & subditorum metu, præfulciant. Cum enim parum de Reip. salute, & multum de dominatione sua, cogitent; non ut diligantur, sed ut metuantur, elaborant. Sic autem euenit, ut deterrime illis omnia plerumque cadant. Tu uero, gloria uerissima, quæ uirtutum maximarum excellentibus meritis continetur, innixus, Regnum feliciter administrabis. In ueritatis igitur firmitatem inscende, animos subditorum tibi mansuetudine, & lenitate, concilia; iustitiã summo studio conserua; hisq. præsidijs cinctus, dextera tua res admirabiles, & nimis horrendas, bellicis in rebus efficies. Sagittę enim tuæ erunt acutissimæ, & in cordibus hostiũ tuorum figentur; populi sub te sternentur; & omnium tandem nationum imperium continebis; Regumq. tuum erit opibus Diuinis stabilitum. Deus enim uerus es; & iccirco necesse est, ut soliũ Regni tui sempiternũ sit, & infinitis sæculis supremi honoris ornamẽta retineas. Sceptrũ regni tui est sceptrũ iustitiæ, & æquitatis, quam nun. quam uiolari, aut labefactari, aut inflecti, patieris. Dilexisti semper iustitiam; impietatem, quæ est iniquitas summa, odio prosecutus es. Te enim uerum Deum Deus ipse, a quo sine ullo temporis initio genitus es, Regem præposuit: & ita, ut in te legis ritu consecrando non unguentum legis adhiberet; sed animum tuum Spiritus sancti, eodem numine præditi, gratia, & uirtute, perfunderet. Vt enim Christi sanctissimi nomẽ augustissimum obtineres, humanam formam induisti; sub ea unguento lætitiæ tanta copia delibutus exstitisti, ut omnibus dignitatis tuæ consortibus longe, multumq. præcelleres. Quo enim alio nomine gratiam sancti Spiritus appellem, quæ Reges, & Sacerdotes, instituit; quæ mæstitiã pellit; quæ mẽtes exhilarat; quæ animis nitorẽ inducit? Aut, quo uerbo conuenientius hominũ iustorum dignitatẽ exprimã, eo, quo amplitudinis, & gratiæ, societas, qua eos tibi inuiolabili fœdere deuinxisti, significatur? Cũ igitur omnes iusti Diuina quadã ratione, eo quod Diuini Spiritus unctione nitescant, & Reges sint, quia animos Regio imperio moderantur, & numquam a legis æternæ præscriptione recedant; & Sacerdotes sint, quia sacrificia iustitiæ, & laudis, immolant, Deiq. numen rite placandum suscipiunt; Christi iure nominantur. Tantum tamen dignitate, & sanctitate, omnibus antecellis, quantum uerbis explicari non potest. Porro autem omnes humanę naturæ partes, uirtutum Diuinarum odorem suauissimum redolentes, tamquam uestem, odoribus myrrhæ, aloes, & casiæ perfusam, & ex capsa eburnea depromptam, ex uisceribus sanctissimæ Virginis, cælesti candore, & integritate, præcellentis, assumpsisti: quo cultu, & ornatu, mirifice lætatus, incedis. Nõ est igitur mirum, si Virgines undique, tam admiranda suauitate Diuini odoris allectæ, conueniãt, ut, oris tui speciem, & pulchritudinem, propius intuentes, amore tui nominis ardentius inflammentur. Filiæ Regum, hoc est, castæ mentes, sanctorũ hominum disciplinis eruditæ, in ædibus tuis frequentes sunt, ut tibi seruiant; & conspectu tuo iucundissimo frui possint; uxor uero tua, quam tecum tam sancto matrimonij fœdere copulasti, ut nihil habere uelles ab illa seiunctum, ad dexterã tuam sedem Regiam tenet, ornata corona ex auro pu-

Speciosus forma præ filiis hominum.

Propterea unxit te Deus.

Myrra, & gutta.

Accingere gladio tuo.

Astitit Regina a dextris tuis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ro puriſsimo facta, quam illius capiti imponi iuſſiſti. Regia enim eſt Eccleſiæ ſanctæ dignitas; ſpecies cælestis, atque Diuina, quam quælibet anima, ſui prorſus oblita, ut omnem ſuum amorem in Regem ſummum transferat, illius gratia, uel benignitate, conſequitur. Audi igitur, filia (iure enim Filiam appello, quam monitis ſalutaribus inſtituo) diſciplinam, quæ te in cęleſtes ſedes inferet; intende mentis aciem, ut amplitudinem prę mij ſempiterni contempleris; aures uigilanter applica, ut animo orationem Diuini ſpiritus uſurpes. Ne te implices curis, quæ te poſsint ab amore tam admirandæ iucunditatis auertere. Si ita opus fuerit, ne caritas ulla ex parte refrigeſcat, obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui; genus, familiam, & omnia, quæ ſunt in uita cara, atque iucunda, deſere; ut immortales, atque Diuinas, opes ex amore Diuino cõſequaris. Quo enim magis omnia humana præ Chriſti amore contemſperis, eo ſpecies animi tui clarius eniteſcet, & pulchritudo tua maioribus ornamẽtis illuſtrabitur. Veriſsima namque formæ uenuſtas, & pulchritudo, non rerum humanarum ſollicitudine, ſed Diuinarum contemplatione, perficitur. Quo enim diutius mentis Diuinæ pulchritudinem intuebere, eo magis ad illius ſimilitudinem accedes; Diuinæq. formæ decus, & elegantiam, retinebis. Si igitur omnia, quæ tibi ſunt impedimento, quo minus ſpeciem Diuinam perſpicias, repudiaueris, formæ tuę claritas in dies amplificabitur. Sic autem fiet, ut Rex cupiditate tuæ pulchritudinis incendatur: quo quid uel ad uitæ ſuauitatem iucundius, uel ad decoris amplitudinem magnificentius, uel ad ſpem gloriæ ſempiternæ firmius, potest excogitari? Rex enim, cuius matrimonium tenes, ſummus Deus eſt, ita, ut non ſolum ardenter amandus, ſed ſanctiſsima etiam religione colendus, & adorandus, tibi ſit. Omnia igitur ab illo, cũ ſit omnium rerum dominator, polliceri tibi poteris. Tyria Reſp. & nationes, quæ fuerant a Diuinis placitis alienæ, & ſimulaueris immolabant, animis commutatæ, Deum uerum agnoſcent, & ad te cũ muneribus adibunt, & principes etiam populorum ad te preces ſuppliciter adhibebunt. Sed, unde tanti motus exiſtent, aut tam ſubita uitæ conuerſio? Num ex imperio armis latiſsime propagato? Num ex ea forma corporis, quæ pulchritudine nimis admiranda, & ornatu, gemmis, & auro, elegantiſsime perfecto, gentes ad uoluntariam ſeruitutem alliceret? Nullo modo. Regina enim, quæ ſponſa, & filia, Regis habenda eſt, decus, & ornamentum, non foris exſtat, & eminet, ſed intus in animo latet; non eſt in oſtentatione poſitum; ſed in ueriſsima gloria conſtitutum; non corporis ueruſtatem excolit, ſed mentis præſtantiam opibus ſempiternis exornat. Qui tamen, oculis mentis, in ea, quæ ſunt intus abdita, penetrare potuerit, cultũ, & ornatũ, admirabitur. Cernet enim, ueſtibus miro candore fulgentibus aurum puriſſimũ ſummo artificio intextũ, elegantiſsimaq. uarietate diſtinctum; ut in ſumma uitę puritate inſpicere liceat, multiplicis uirtutis, & honeſtatis, excellentiam, Diuino fulgore mirifice collucentem. Hoc ornatu ad Regem introducitur; ut cum illo bonorum omnium ſocietate coniungatur. Eã uero uirginum, quas illas ſibi ſocias, & fidei participes, ad ſciuit, comitatus, & forma, & ornatu, pulcherrimus, animo uehementer incenſo ſequitur: ut te, cęli rectorem, in aula Regia, perpetuo uitę ſtudio, ardentiſsimaq. pietate, proſequatur. Qua uero lętitia, qua mentis exſultatione, qua uoluptate, perfuſæ uirgines ſint, cum ad Regem, incenſæ Regi-
næ monitis, adducuntur, difficillimum eſt dicere. Virgines autem ſunt omnes mentes, quæ ſunt e tenebris emerſæ, ut lucem reſpiciant; e flagitiorũ tyrannide liberatæ ſunt, ut uirtutem, & pietatem, colant; ab immanitate infeſtiſsimi dæmonis ereptæ, ut Spiritus Diuini ſuauitatem ſentiant; a peſte ſempiterna ſeductæ, ut gloriæ ſempiternæ hereditatem adeant. Quo modo igitur non incredibili gaudio triumphabunt, cum, fidei monitis erudita, radijſq. Diuinæ lucis illuſtratæ, perſpexerint, quæ mala uitauerint, & ad quæ bona, adſcitu ſummi Principis, euocatæ ſint? Te igitur, o ſempiterni Regis ſponſa, hortor, & moneo, ut iſto tanto bono perfruaris, & gaudeas. Cum te admonebã, ut memoriatu humanę cogitationis abijceres nõ eo pertinebat conſilium meum, ut opes tibi detraherem; ſed ut multis acceſsionibus amplificarem. pro patribus enim, quos reliquiſti, ſpõſus tuus te, prole ualde multiplicata, remunerabit, & qua principes Diuinis uirtutibus deligentur, qui uniuerſum orbem terrarum imperio ſalutari deuinctum teneant, & ſubditos (quod bonis principibus officium iniunctum eſt) felices, atque beatos, efficiãt. Tuam uero laudem monumentis meis ad ſempiternam memoriam conſecrabo; populi multi dignitatem tuam oratione perpetua celebrabunt; nec ulla conſequens ætas de tuæ uirtutis amplitudine conticeſcet.

Concupiſcet rex decorem.

Omnis gloria eius filię regis.

Adducuntur regi uirgines poſtea.

Pro patribus tuis.

Deus noſter refugium, & uirtus. Pſal. 45. Apud Heb. 46.

CVm præcedenti carmine Dauid Eccleſię matrimonium, cultum, ornatum, dignitatis amplitudinem, & feliciſsimam procreandæ ſobolis rationem, expoſuiſſet, conſequens fuit, ut illius etiam præſidia contra perennes hoſtes exprimeret. Aliter enim, quo maior dignitas eſt, & ſtatus magnificentior, eo magis erat ruina metuenda. Tyranni undique ruũt, ut illam nimis acriter oppugnent; hoſtes innumerabiles inſurgunt; illam obſidione cingunt, & omnes exitus intercludunt; hæretici uenenum ſpargunt, ut multos, qui ſunt in Chriſtiana Rep. cenſi, peſsimo genere leti conficiant. Inferorum manium princeps copias ſuas effundit; tantaq. immanitate bellum contra illam gerit, ut nullam ei partem reſpirandi, & uires reficiendi, concedat. ſanctorum hominum copiæ minuuntur; malum in dies ingraueſcit; furor nihil remittit; immo ſanctitatibus cunctis exitium furibunde minitatur. Quid igitur in tantis ærumnis, & angoribus, erit nobis faciendum? num erit ſpes ſalutis omnino deponenda? Nullo modo, in-

quit

Deus noſter refugium.

quit Dauid. Præſidia enim, quibus circumſæpti ſumus, non ſunt humana, ſed Diuina. Nam & ex maiorũ monumentis, & ex memorię noſtræ quotidianis exemplis, ſatis exploratum, & cognitum, habemus, Deum eſſe nobis in hoſtium concurſu monumentum firmiſsimum; in ipſo prælio uirtutis robur inuictiſsimum; in omni denique diſcrimine ſalutis auxilium ad hoſtium conatus arcendos paratiſsimum. Quid igitur eſſe poterit fide uiua in Dei benignitate locata, uel ad ſtatum animi tuendum in omni rerum aſperitate conſtantius; uel ad peſtem auertendam ſalutarius? Propterea, quamuis terra, motibus horrendis conquaſſata, de ſedibus ſuis conuellatur; & montes in medium maris profundi gurgitem impetu deferantur, & ruant; nos; tamen interitum minime formidabimus. Fremat ipſum mare; fluctus immanes attollat; horrendæ tempeſtates excitentur; montes altiſsimi, motibus tremefacti, horrendum fragorem dent; nos intrepidi permanebimus. O rem miram. Hominem, quo quidem nihil eſt in rerum natura fragilius, eas repente uires ex incenſæ fidei ſtudio conſequi, ut ſit terrarum ſoliditate firmior, & montium ſtabilitate conſtantior? Ruunt uenti; intumeſcit mare; fluctus eijciuntur; ſpiritus, in terræ cauernis incluſi, in anguſtum contrahuntur; qui, dum erumpere contendunt, terrã concutiunt; & montium cacumina labefactant; & tamen homo fide ſtabilitus minime commouetur. Quam cauſſam eſſe huius tantæ firmitatis, in tanta generis infirmitate, dicemus? illam certe fidẽ, acriter, & ardenter, incitatam, quæ Dei gratia nititur, atque confidit. Ex redundantia enim flumi-

Fluminis impetus lætificat.

nis agmine leniſsimo fluentis, riui Diuinæ gratiæ, ad animos hominum fidelium, ſancti Spiritus opera deducuntur, qui Dei ciuitatem mire lætificant. Eſt enim hoc Spiritus ſancti munus, & beneficiũ, amoris Diuini pignus, & firmiſsimum præſentiſsimi numinis argumentum. Cum igitur Deus tabernaculum, in quo ſemper inhabitet, in medio ciuitatis ſuę collocauerit, ut ſuorum preces exaudiret, & eis auxilium, quoties opus eſſet, afferret; non eſt, cur ij, qui ſunt in ciuitatem ſanctam recepti, hoſtium impetus, & minas, extimeſcant. Cum enim Deus in media ciuitate ſtabilem ſedem habeat, ſimul atque ſplendor auroræ tenebras ex ortu ſuo diſcuſſerit, &, oppreſsis flagitijs, iuſtitiæ lumen eluxerit, opem confeſtim afferet, omniaq. bella profligabit. gentes uniuerſæ tumultus excitent; Reges, furore, & amentia, flagrantes, acerrime delectus habeant; &, coniunctis uiribus, in eo uehementer omnes neruos intendant, ut Ieroſolymæ cæleſtis turres, & mœnia, dirnant; uniuerſiſq. ciuibus perniciem machinentur; cum primũ Dei uox intonuerit, arma de manibus elabentur; homines exanimati concidents; & terra, motibus agitata, in ſummam altitudinem deſidebit. Dominus enim, cui omnes exercitus cæleſtes obtemperant, nobiſcum ſemper eſt; pro nobis pugnam capeſſit; ab omnibuſq. nos malis educit, atque ſalutari præſidio confirmat. Vt enim Iacobo, patri noſtro, nullo in loco defuit, ita; numquam a nobis, quamdiu fuerimus ueſtigijs optimi parentis ingreſsi, opem ſuam remouebit. O beneficium excellens, & admirandum, ſempiterniſq. laudibus efferendum. Venite, & uidete, cuncti mortales, obſtupenda facinora, quæ Dominus in terra deſignauit, & ſingulari uirtute confecit. omnibus enim bellis finem impoſuit; & pacem conſtituit, extremis orbis terrarum terminis definitam. Arcus cõfregit; haſtas excidit; currus, & omnia bellica inſtrumenta, combuſsit. Bellum diriſsimum erat inter genus humanum, & numen Diuinum, abſque ulla ſpe compoſitionis, naturæ ui excitatum. Humanum genus legẽ Diuinam perditis conatibus oppugnabat; numen Diuium erat ſceleribus humanis acriter, atque uehementer, infenſum. Erat igitur hominibus ſpes ſalutis inciſa. Hoc tam funeſtum, & exitioſum, certamen uerbi Diuini clementia diremit, cum aduentu ſuo cupiditatis effrenatæ uires exſtinxit; cum immanem, & importunam, peccati tyrannidem deleuit; cum Satanæ ſuperbiſsimum dominatum ſunditus euertit, & ſuſtulit. His autem peſtibus reſectis, facillimum uerbo Diuino, atque ſempiterno, fuit, homines cũ Deo in gratia ponere. Hæc autem eſt illa pax iucunda, & ſalutaris, atque ſempiterna, quam uerbi Diuini in humana forma latentis benignitas terris attulit, ut homines ad honores Diuinos euheret. Vt autem huius pacis utilitas latius euagaretur, commodum fuit, ut alia pax fieret, quæ pacis huius imaginem contineret. Ita factum eſt, ut omnes hominum nationes ad aliquod tempus arma deponerent; ut ſic tandem facilius ad omnes gentes Euangelij diſciplina peruenire. Sic igitur fuit in orbe terrarum otium conſtitutum, ut nulla mẽtio durioris certaminis agitaretur. Quis autem nõ uidet, hanc uniuerſarũ gentium pacem opus Diuinum fuiſſe, cum omnes homines, cupiditate cæci, in mutuam perniciem adeo furenter irruant, ut neque a ſuorum ſanguine manus, dum aliqua ſpecies emolumenti proponitur, abſtinendas eſſe ſtatuant? Quod ſi hæc humana pax argumentũ certiſsimum præſentis numinis obtinebat; quid de illa exiſtimandum eſt, qua mentes humanæ cum mente Diuina amoris fœdere ſempiterno coniungũtur? Quo circa ipſe pacis ſequeſter, & interpres, qui ſe medium inter Deum, & homines, interpoſuit, hoc tam Diuini operis argumento uim ſuæ Diuinitatis oſtendit. Sic enim Iudæorũ genus alloquitur; magniſq. uocibus adhortatur, ne beneficium Diuinum repudient: O homines ſanctiſsima ſtirpe propagati; ſenſum recipite; ſpatium ad cogitandum ſumite; tempus alijs curis uacuum, in ſtudiis Diuinis impendite; ut uideatis, me Deũ uerum eſſe. Cernitis enim, me ab exteris gentibus ſanctiſsime cultum, nomenq. meum ſumma religione celebratum; & dubitatis, quin ego ſim Deus uerus, expreſſaq. ſanctiſsimi Patris imago? Quę enim alia uis homines a uitijs abducere, a uoluptatibus abſtrahere, a ſuperſtitione, qua erãt a teneris annis imbuti, reuocare, niſi Diuina, potuiſſet? Quibus opibus, quibus artibus, quo genere orationis, potuiſſet uniuerſum genus humanum, gratiam, & pacem Dei, a quo hoſtili odio diſſidebat, obtinere, niſi Dei infiniti uis, & auctoritas,

Venite, & uidete opera.

Vacate, & uidete quoniam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritas,interceſsisset. Ne igitur uobis gentes alienæ gloriam hanc uniuersam admirabili fide præripiant, illas imitamini;&, quem illæ colunt, tandem,moniti patrum institutis,& exemplis,agnoscite. Hæc quidem Dominus effatur. Reliquum est igitur,ut illum uereamur;illi gratias agamus; illius auxilio freti, nullo impendentium periculorũ metu perturbemur. Imperator cælestis est ,qui nobiscum semper est: summus Deus est, qui Iacobum,generis nostri parentem, præsidio suo texit; idemq. Dominus nos ab omni malorum tempestate, si mãserimus in uiua fide,liberabit. O admirandũ beneficiũ, in omni æternitate prędicandũ.

Omnes gentes plaudite manibus. Psal.46. Apud Heb.47.

VT serui,libertate; tenebris inclusi, lucis adspectu; ægroti,periculosè laborantes,sanitate;capite dãnati,summi Principis uenia gaudent; ita fuit necesse, ut gentes , cum primum illis lux disciplinæ cælestis illuxit, maximo gaudio triumpharent; & tanto maius gaudium earum esset, quanto acerbius erat,his malis,quæ diximus, uniuersis,quam singulis,affligi,& quanto miserius erat,animarum morbis,qui natura sunt insanabiles,atque sempiterni ; quam corporis morbis,impediri. Erant gentes a studio Diuinæ legis alienę, mancipia turpitudinis,erroribus pestiferis imbutæ,morbis pestilentissimis infectæ,supplicio sempiterno destinandæ. Nam dedecori seruiebant; in sanguine,& cæde,uersabantur;iura Diuina,& humana,uiolabant; relictoq. uero Deo, impurorum hominum,& quadrupedum,& serpentium,simulacris immolabant,cum subito, e tenebris emersæ,& in libertatem uindicatę,Diuinam lucem adspexerunt, &,ueniam consecutæ ; ad hereditatem Regni cælestis euocatæ sunt. Quæ igitur tanta uoluptas animo fingi potest,quæ sit cum tam insoliti gaudij magnitudine comparanda? Nam,quamuis omnes, qui nunc iustitię iucunditate fruũtur , eadem suauitate perfusi sint , tamen id bonum, quod est inusitatum, & præter exspectationẽ euenit,multo uehementius animos afficit, atque propemodum insanire præ gaudio compellit. Gentibus igitur antea exteris, & alienis , deinde Christi gratia domesticis, & coniunctissimis , Dauid hoc in loco maxima uoce gratulatur ; easq. ad festos dies agitandos,quantum potest, incendit. Quod autem hæc non ad Senacheribi casum,nisi sub obscura quadam similitudine,referenda sint, multis argumentis demonstrari potest. Primum enim ea Senacheribi ruina gentes magis attonitæ,& obstupefactæ , quam sanatæ sunt . Deinde Dauid non gentes tantum finitimas,sed uniuersas,in quacũque orbis terrarum parte sedes possideant,ad lætitiam uocauit. Tum ex Assyriorum euersione nullum fructum ad gentes alias , sed ad Iudæos tantum,peruenire cõstat. Postremo, in tyranni illius exitio Deus non tam claris signis , quam in Pharaonis clade,& interitu , præsentiam suam declarauit. At hic nomen Domini sic celebratur,ut nullum illius beneficium antea tributum sit cũ hoc, aliqua ex parte, conferendum. Est enim non Iudæis tantum,sed uniuerso generi humano , tributum;non temporum spatijs definitum,sed immortale, atque sempiternum. Nos igitur Iudæorum cæcitatem detestemur, & Diuinum uirum Christi spiritu concitatum audiamus. Ait igitur: O populi,o gentes uniuersæ, o hominum multitudines,si ue quæ confinia nostrę regionis incolitis,siue quæ in ultimis terris habitatis,plausum date;hymnos in Dei laudem concinite; maximis clamoribus magnitudinem insitę uoluptatis ostendite. Deus enim magnus,& excelsus,cuius numen ualde metuendum est omnibus , qui legitimum imperium recusant , Regnum suum clarioribus multo legibus instituit,& sanxit , & in ultimos terrarum fines dilatauit; ut non esset iam Israelis terminis definitum, sed in omnibus terris populorum salutari obedientia constitutum. Non erit igitur ullum generis,aut condicionis,aut religionis,discrimen; non erit aditus ad salutem gentibus exteris obstructus: qui erant locis disiunctissimi,erunt consensu unius fidei,atque religionis,coniunctissimi. Odium erit funditus sublatum;caritas instituta ; flagitia demersa;uirtutes excitatæ; metus absterſus;spes gloriæ immortalis omnibus ostensa. Nõ pietatis simulacrum,sed pietas ipsa, laudabitur. Ea uero, in quocumque hominum genere fuerit, prẽmium Diuinum, sine ulla dignitatis humanæ distinctione,consequetur. Hæc igitur uobis summæ uoluptatis materia sit, quod, cum essetis antea a nobis discriminati, & a Diuinis promissioni bus exclusi,nunc estis in omnium bonorum societatem conuocati. Altera uero, quod diaboli tyrannidem euersam conspicitis. Vbi enim Deus Regnum possidet,ibi potestas hostis sempiterni,qui cum Dei sanctitate perpetuum bellum gerit , exscinditur. Cum præterea Regis officium sit,Reip. commodis omni studio,& uigilantia , consulere ; tum id multo clarius in Regio Dei munere,& Maiestate,conspicitur. Non enim suum commodum exspectat,cum sit beatissimus;nec ira illius est implacabilis,cum sit clementissimus; nec opes suas cõprimit,cum sit ab inuidia remotissimus. Ergo, quemadmodũ eorũ uita,qui erant tyranni dominatu uehementer oppressi, erat ualde miseranda, ita,qui sub Regis sempiterni imperio uiuunt,consequens est,ut sint omnibus bonis egregie cumulati. Sub imperium, ditionemq. nostram Dominus multos populos,& Regna,subiunxit. Homines enim radijs Diuini splendoris illustrati , uiris sanctissimis,Iacobi sanguine procreatis, quorum doctrina fuerant ad cognitionem Diuini nominis eruditi,libentissime paruerunt;ad illorumq. se pedes suppliciter abiecerunt; eorumq. imperiũ alacriter exsecuti sunt. Hereditatem nostram Dominus auxit, & amplificauit , ornamentisq. Diuinis illustrauit, cum ex omnibus nationibus elegit, quos ad Iacobi gloriam,& nomen,adiungeret. O rem admiratione digniſsimam;ex omnibus hominibus impuris,& flagitiosis, innumerabilem multitudinem,a suis cupiditatibus abstractam,ad Hebræi nominis claritatem peruenisse? & in stirpem sanctorum,

Omnes gentes plaudite manibus.

Subiecit populos nobis.

Elegit nobis hereditatem suã speciem Iacob. quam dilexit.

sanctorum,a qua erat alienissima, penitus insitã , ita coaluisse , ut unum corpus ex utraque gente fieret? Deus,qui in teras delapsus est, ut sacris sanctissimis omnium hominum scelus expiaret , in cælum,omnium bellorum uictor,cum summa angelorum celebritate,& gratulatione , cum maximis lætitiæ uocibus,adscendit , ut pijs hominibus sedes, in quibus omnibus summis bonis æuo sempiterno fruerentur , exstrueret , & impijs bellum, horrendo sono tubæ,denuntiaret. Canite Deo;canite gentes uniuersę; canite,inquam,Regi nostro; canite,qui nullam nationem , siue Solis orientis, siue occidentis Solis,horas incoleret , siue ad austrum,siue ad Septemtrionem,sedes haberet , esse uoluit tantæ felicitatis expertem. Nec enim Deus Iudæorum tantum est Deus. Gentium etiã Deus est,& omnibus,& Iudæis, & gentibus,qui fidem , & officium,minime produnt,ex æquo consulit,&, in Regni sede locatus,ut omnium postulata æqui tate summa,tam Iudæorum,quam gentium aliarum, ad aures admittat;& omnium , qui cum ardenti fide opem illius implorauerint,uitam,& dignitatem,tueatur. Principes gentium,qui fuerant antea a studio sanctissimæ religionis abhorrentes,ardenti studio sese ad nomen summi Dei , quẽ Abraham sancte coluit,applicabunt. Non enim deseret Deus principes terræ, qui rerum publicarum defensionem suscipiunt . Nam , cum omnes saluos,& ornatos,esse uelit, tum uel maxime principes, quorum exemplis incitata multitudo facilime poterit in studium religionis,& pietatis, impelli. In hac igitur gentium conuersione Dei gloria aucta,& amplificata est;&, quo minus spes ulla communis salutis ostendebatur, eo clarius , & magnificentius,amplitudo Diuinæ gratiæ , & benignitatis,innotuit.

Adscendit Deus in iubilo.

Quoniam dii fortes terræ,uehementer eleuati sint.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Psal. 47. Apud Heb. 48.

ILlis,qui in sanctarum litterarum studio uersari cupiunt, duo sunt in primis animaduertenda. Vnum est , impios Iudæorum sensus esse illis uehementer exsecrandos; Alterum,numquã mentis oculos a legis fine,qui Christus est, ullo pacto ejciendos. Quod si fecerint, Christum cernent apud Prophetas figuris expressum, oraculis prænuntiatum , Diuino præconio celebratum , & in sempiterno solio cõstitutum, ut Mundi totius imperium administret. Aliter enim ,si Iudæis aliqua ex parte fuerint addicti,a luce deserentur,& in tenebras incurrent,& nutabunt,atque uacillabunt, nec exitum ullum reperiẽt. Quod quidem in hoc Psalmo facile uideri potest. Si enim sanctæ ciuitatis laudes, quæ hoc in loco continentur,ad terrestrem Hierosolymam transferre uoluerint,impliciti tenebuntur,ita,ut expedire non possint. Primum enim dicitur,Deum esse in ciuitate Dei summis laudibus exornatum. Quęram a Iudæis,quis Deus iste sit , in cuius ciuitate summi honores ad Deum deferantur. Deinde , cum paullo inferius scriptum sit , ciuitatem hanc esse Regis magni, quæram,quis Rex magnus iste sit. Ne autem mihi Dauidis,aut Solomonis,nomen obijciant,ostẽdam,eum ipsum,quem Deum Dauid nominauerat, Regem magnum appellare. Dixit præterea, Hierosolymam esse gaudium uniuersæ terræ. Quãdo,aut quibus terris,gaudio esse potuit? Dum Iudæorum nomen,& imperium, uigebat ? Non certe. imperium enim ciuitatis erat exiguis sane terminis definitum; deinde,erat uicinis gentibus odiosum,& inuisum; longinquis autẽ prorsus ignotum. Non igitur tunc poterat esse gaudio uniuersæ terræ. Postquam uero deletum est, quod gaudium poterat misera ciuitas alienis gentibus afferre, cum ciuibus suis non gaudium , sed mærorem, & ignominiam, & cruciatum sempiternum , intulisset ? Postremo, cum dicitur,ciuitatem esse uirtute Diuina fundatam,& stabilitam,inuictoq. præsidio defensam,ita,ut nullis sæculis euertenda sit;quæram,utrum malint,sanctissimum Prophetam uanitatis esse conuictum ; an potius , omnia hæc esse ad laudes cælestis Hierosolymæ transferenda? Credo,ut est genus hominum religiosum, & elegans,malint uirum Diuinum uanitatis insimulari, quam hoc in loco sensum Diuinum profiteri;partim, quia splendorẽ sanctæ ciuitatis ignorant;partim, quia nequeunt animum in luto demersum erigere, ut cælestia , atque Diuina , suspiciant. quod si ea mente fuerint, ut terrestrem Hierosolymam hic summe laudari contendant, suam impudentiam, cum summa impietate coniunctã, declarabunt. Nam Hierosolymam illam Aethiopes spoliarunt; Aegyptij dominatu oppressam teruerunt; Babylonij funditus euersam flammis absumpserunt. Quid,postquam instaurata fuit? num quid nõ a Græcis capta, omnibusq. ruinis oppressa fuit? Quid de ultimo excidio,a Romanis illato, dicam? Num relictum est aliquod ciuitatis uestigium, aut antiquæ religionis simulacrum ? Ergo, cum utrumque constet , & Hierosolymam terrestrem a Deo,propter infanda scelera,derelictam , & ab hominibus funditus euersam fuisse, & Diuinum spiritum,qui in homine Diuino loquebatur, neminem umquam uana spe salutis in errorem induxisse; necesse profecto est , ut Diuinũ sensum hominis sanctissimi sequamur;&,quo mens illius intendit,quantum fieri poterit, adspiremus. Hierosolyma uero, cum similitudinem obscuram sanctæ ciuitatis habuisset,sic inducitur , ut ex illa ad ueritatem,quam adumbrabat , gradus necessario faciendus sit. Ait igitur uir Diuinus: Deus quidẽ , quamuis propter omnia opera, siue quæ in cælo , siue quæ in terra,designauit,atque perfecit,perpetua laude celebrandus sit , tamen uim sapientiæ, & probitatis,suæ,in ciuitate Domini, quem a sempiterno tempore imagine solida , & expressa , sui splendoris impresit , multo clarius indicauit ; & in monte sancto suo, sempiternæ religioni consecrato,multo clarioribus signis, quanta fuisset benignitate genus humanum complexus,ostendit . In eo enim non legem plenam horroris,& sollicitudinis,in lapideis tãbulis inscriptis,sed benignã, atque

Magnus Dominus, & laudab.

Universidad de Deusto
Biblioteca

atque salutarem, legem in animis sanxit; non mentes metu mortis abiecit, sed adiectas spe uitę immortalis erexit; non adumbratam imaginem religionis ad certum tempus induxit, sed religionem sempiternam, qua peccata omnia delerentur, instituit. Situs est ad aspectū pulcherrimus, & oculis omnium, qui undique, colendæ regionis gratia, conuenirunt, ualde iucundus. Omnes autem regiones ex illo insignem lætitiam, & uoluptatem, percipiunt; quia ad omnes lex illa perlata salutis lumen diffundit. Non est autem in Arabiæ uastitate, in monte Sinai horrido, & inculto, Regis magni, & excelsi, ciuitas exstructa, sed in regione satis fertili, & opima, in Sionis montis amœnitate, ad latera aquilonis, ædificata. Fuit enim habita ratio uenustatis, & elegantiæ, in sublime propositæ; ut omnes, qui ad urbem tenderent, eam, cum non mediocri iucunditate, e longinquo prospicerent: fuit habita etiam securitatis, cum in loco edito, & excelso, fundata fuit, & ea parte, quæ Septemtrionem spectabat, diligentius munita, ut facilius pericula, quæ impendebant ab Aquilone, propulsaret. In ædibus illis ualde magnificis Dominus semper operibus admirandis præsens esse cognoscitur; ut suos ex imminentibus malis eripiat. Reges conueniunt; fœdere coniunguntur; de ciuitatis exitio coniurāt; omnes opes suas comparant, ut illam exscindāt; nomenq. regis æterni ex omni memoria penitus euellant; leges immanes scribuntur; terrores iaciuntur; supplicia excogitantur; illi Diuina, & humana, iura trāsiliunt, ut, quod ratione nō possunt, uiribus coniunctis efficiant. Sed Diuina uirtus, quæ in ciuibus sanctis mirabiliter elucet, de statu conuelli, aut aliqua ex parte labare, non potest. Ipsi tandem tyranni, cum munitiones adspexissent, & Deum esse ciuitatis defensorem intellexissent, & stupore defixi, & formidine conturbati, & in fugam nimis trepide conuersi sunt. Inuasit in illos tremor; dolor acerbissimus, tamquam dolor mulieris parturientis, & abortione conflictatæ, eos intercluserit; ne possent ullo modo, quod cogitatione scelerata conceperant, in lucem edere, & pestem, atque perniciem, in sanctam remp. machinari. Tu enim, Domine, imperia magna deles; tyrannorum insolentiā de statu deturbas; &, perinde, atque Assyrium, perculisti, & abiecisti, atque tandem suorum gladio confecisti, ita omnes tyrannos, qui ciuitatem sanctam sceleratis, atque perditis, conatibus oppugnant, terrore cōturbas; seditione dilaceras; bello interneciuo consumis; ut tandem omnes mortales intelligant, te patrocinium ciuitatis tuæ, quæ est fidelium multitudo, Diuino iure sociata, susceptisse; & iccirco illam oppugnari quidem posse, deleri non posse. Neque mari quidem copiæ, atq. machinæ, importabuntur, quæ possint illius fundamenta subruere. Classes enim Ciliciæ, quæ in nostram perniciem comparantur, tu uehementissima tempestate conteres, atque dissipabis. Quod futurum audiuimus in ciuitate Dei, qui cælitum imperator est. Vidimus in ciuitate, inquam, Dei nostri; opera illius admiranda conspexinus; certiq. sumus, Deum

Fundatur exultatio ne uniuersę terræ mōs Sion.

Deus in domibus eius

In spiritu uehementi.

ita illius fundamenta iecisse, ut opibus florens, & gloria circumfluens, in omni æternitate permaneret. O Diuinum beneficium, atque munus nimis admirandum? Audiuimus, fore, ut Deus filium suum, unctione Spiritus sancti perfusum, in terras mitteret. Illum mortales oculi in terris adspexerunt. Vt lucem suam longe lateq. diffunderet? lucem Diuinam in omnes regiones sparsam conspicimus. Vt salutem, atque libertatem, constitueret? salute, atque libertate, sempiterna perfruimur. Vt nos fratres, & heredes, efficeret? ad spem firmissimam hereditatis Diuinæ Spiritus sancti uocibus excitamur. Omnia denique, quæ, legis fœdere, de salute generis humani pacta fuerant, quæ Diuini uiri prædixerant, quæ designata mysteriis sacrosanctis exstiterant, oculis usurpauimus; mente percepimus; illorumq. fructum animo consecuti sumus. Illā misericordiā tuā insignē, o Domine, ad cuius cupiditatem nostræ mentes exarserant, in medio templi tui sensibus imis experti sumus, cum generis humani liberator, in humana forma Diuinitatem occultans, se tibi pro nobis obtulit, ut debitum, quo eramus obstricti, dissolueret; atque doceret, omnem spem misericordiæ esse in templo sanctissimo, hoc est, in humanæ naturæ, in qua sibi domicilium sempiternum exstruxit, meritis, atque sanctitate, collocandam. Pro tui nominis amplitudine, & excellentis operis, & uehementer admirandi, magnitudine, o summe Domine, laus, & gloria tua, in fines terræ, summa cum celeritate, peruasit; & dextera tua iustitiæ plena, separatis hostibus omnibus, qui cum fide ad cultum tui nominis adiuncti sunt, ipsius iustitiæ munera large, & effuse, donauit. Mons Sion summa opere lætatus est; filię Iudę ingenti gaudio cumulatę fuerunt, cū iudiciorum tuorum sapientiā cognouissent; summam uoluptatem capiebant sanctissimi ciues, cum animaduerterēt, multitudinem prope infinitam, e tanta flagitiorum colluuie, & errorum caligine, liberatam, ad numerum ciuium ex omnibus nationibus aggregari; uidebant neminem excludi; sed omnibus, qui cum incenso studio sanctissimę religionis accederēt, aditum ad sanctam ciuitatem aperiri. Neque generis ullum esse discrimen, sed fidei uiuæ tantum magnitudinem ponderari; & nimium confidentes, intolerando fastu, Hebræi nominis, insolentes expelli, & gentes animis demissas, & abiectas, clementer admitti, & Diuinas opes, quæ erant superbiæ denegatæ, & humilitatem, & moderationem, transferri. Hanc igitur iudiciorum tuorum æquitatem, & infinitam clementiam, considerantes, exsultabant. O ciues beatissimi, qui tam florentis, atque beatæ, ciuitatis iura retinetis, cernite, quam illustris, & ampla sit, & quantis curis uacua, eorum condicio, qui in eam peruenerunt. Circum Sionem ambulate; ciuitatis uniuersę mœnia oculis circumspicite; turres numerate; murorum firmitatem animaduertite; ędium magnificentiam uerbis extollite; ut posteritati uestræ Vrbis amplitudinē, & splendorem, luculentius explicare possitis. Quid enim illi, uel ad uires, & robur, uel ad elegantiam, & ornatum,

Secundum nomen, sua Deus.

Circumdate Sion.

natum, deesse poterit? Num sapientiæ excellentis altitudo? Num uirtutis inuictę magnitudo? Num eloquentiæ ubertas, & amplitudo? Num legis sanctissimæ disciplina? Num caritatis mutuæ uinculum, quo ciues inter se iure sempiterno deuincti sunt? Num postremo animorum tanta puritas, ut in eis Spiritus sanctus habitare dignetur? Nihil horum. Nihil igitur illa magnificentius, nihil fortius, nihil opulentius, nihil purius, & elegantius, excogitari potest. Vt autem ciuitatis laudes in summa complectamur, tam illustris, & opulenta, est, ut hic Deus, qui nos ad speciem suam finxit, & informauit, & in seruitutem hostibus sempiternis adductos in libertatem asseruit, qui, quamuis sit rerum omnium Dominus, singulari quadam ratione Deus noster esse, & nominari, uoluit, eam incolit; in illius medio uersatur; ab illo numquam demigrat; ut nos eruditat; & ad extremum usque spiritum dirigat; ut uitam tandem immortalem, eius benignitate, & gratia, consequamur.

Audite hæc omnes gentes. Psal. 48. Apud Heb. 49.

QVi Hierosolymæ cælestis opes, facultates, ornamenta, præsidia, munitiones, animo secum reputauerit, eos felicissimos iudicabit, qui in illam adscripti fuerint. Si enim diuitiæ expetuntur, ciuitatis huius diuitiæ sunt ingentes, atque sempiternæ; si dignitas optabilis est, horum ciuium dignitas, & amplitudo, ad cælitum dignitatem proxime accedit; si uoluptates exquirendæ sunt, nihil poterit excogitari iustitiæ splendore iucundius; si uitæ tranquillitas est desideranda, non poterunt esse ualde de uita solliciti, qui cælitum præsidio muniuntur; si spes firma alicuius emolumenti, omnium animos cura, & sollicitudine, leuat, omnes ciuitatis sanctissimæ ciues ad spem firmam immortalitatis, auque adeo Diuinitatis, Diuini spiritus instinctu, rapiuntur. Adde, quod, in hac ciuitate, non est, qui possit de inopia sua iure conqueri: opes enim illius, omnibus promptæ, atque paratæ, sunt, qui uoluerint in illarum studio, laborem, & industriam suam, consumere. Quid igitur obstat, quo minus omnes, qui in sanctam ciuitatem sunt admissi, omni studio, industria, uigilantia, contentione, nitantur ad tantas opes comparandas? Cupiditas certe earum rerum, quæ mortales ficta, & inani, specie iucunditatis, atque uoluptatis, alliciunt. Sic autem fit, ut multi, in anissimis imaginibus illusi, quantum sollicitudinis in specie ficta commoditatis impendunt, tantum de uerissimæ felicitatis studio remittant. Eo igitur deducuntur, ut omnis illorum uita in mendacio, & inanitate, uersetur; in somnio uanissimo consumatur; ut mens semper humi defixa sit; ut numquam uera, atque sempiterna, bona suspiciat. Ad hunc autem modum inanissimis curis semper anguntur, cum uel, quod optant, non assequantur, uel, si assequuntur, minime partis opibus expleantur; &, quo plura possident, eo grauiore indigentia crucientur. Accedit ille angor animi, sceleris conscientia assidue cruciati. Difficillimum enim est, sine iniuria pecuniæ acernos domi construere. Iniuriæ uero, metus est comes assiduus, qui perditos homines (uelint, nolint) frequenter exanimat; &, quamuis Diuina contemnere uideantur, non possunt ita maleficiorum recordationem opprimere, quin sæpe furijs agitentur, & iudicij Diuini formidine contremiscant. Vir igitur Diuinus hoc in loco omnes mortales exhortatur; ingentes clamores edit; maximam audientiam facit; pericula uitæ proponit; mendacia humanæ sollicitudinis explanat; & in eo, quantum potest, elaborat, ut homines a studio falacissimo uanitatis abducat; ut sic tandem possint, cum maximo fructu, cupiditate ueritatis ipsius inflammari. Ait igitur: Audite, populi uniuersi; aures intendite; uerbaq. mea attentissima consideratione percipite, omnes, qui Mundi huius interituri sedes incolitis. Neminem uolo a fructu nostræ orationis excludi: ad homines, tam obscuros, & ignotos, quam nobiles, & spectatos, inclamo; tam diuites, quam pauperes, ut, quę sum dicturus, audiant, maximis uocibus obtestor. Nō enim, fabulas meditatus, ad loquendum prodeo; non de rebus inanibus, quę nullum fructum sunt audientibus allaturę, sermonem instituam; sed de rebus amplissimis, de pietatis, & iustitiæ, fructu, de uerissimæ sapientię disciplinis, orationem habiturus sum. Quæ uero sim dicturus, nō a me ipso deprompsi, sed a mente Diuina percepi. Vt enim disciplinam cælestem hauriam, aures mētis meę, quantum licet, uocibus Diuini spiritus accommodo, qui me genere orationis ornato, atque figurato, eaq. ratione composito, ut in animo meo firmiter insideat, frequēter alloquitur. At ego Diuinas opes non inuidiose comprimo, sed eas ad commu nem utilitatem cōfero: itaque carminibus ad cytharam modulatis, ut iucundius possint in audientium mentes influere, res obscuras, & figuris inuolutas, & admirandas, enuntio. Quid est, de quo in rebus aduersis, cum periculum communis uastitatis, & euersionis, impendet, afflictari possum? Mini quitas certe mea, quę me pæne a tergo pœnis insequetur; uestigiaq. mea premet, atque circumdabit, ita, ut respirare non facile sinat. Nihil est enim iniquitate turbulentius; nihil pestilentius; nihil magis omni tempore formidandum. Cum uero calamitas, iudicio Dei inuecta, cōmunibus rebus exitium minitatur, tum uel maxime, quantā uim malorū iniquitas, importet, clare perspicitur. Tūc enim iniquis occurrunt iniuriæ; tunc eorum animos conscientia perterret; tunc acerbissimæ curæ conficiunt. cogitant enim, quæ fecerint, & quę meriti sint, & se nulla ratione iudicio elapsuros esse præsentiunt. Qui igitur sine cura, & sollicitudine, uitam degere cupiunt, opus est, ut iniquitatem odio summo persequantur; & iustitiam modis omnibus amplexentur: aliter enim sempiternum supplicium uitare non poterunt. Qui igitur diuitijs suis confidunt, qui pecuniarum abundantia insolentius efferuntur, delirant, & insaniunt. Cū enim

Audite hęc omnes gentes.

Quique terrigenę, & filij hominū.

Cur timebo in die mala?

Qui confidunt in uirtute sua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei iudicium fuerit constitutum, quid iuuabunt opes? quem fructum feret genus? quod adiumentum amicitiæ humanæ in angustijs importabũt? Quilibet enim tunc æquitate causſæ suæ, non alienis opibus, liberabitur; onus suum quilibet sustinebit; alter alteri subsidio esse non poterit; frater fratrem a peste sempiterna non redimet; nec ullo pacto meritis pœnis addictum, pretio redemptionis persoluto, uindicabit. Non enim tunc Deus ullis piaculis placabitur; uix seipsum poterit quisquam a proposita pœna tueri: omnes enim peccatis impliciti fuerunt, &, si per Diuinam clementiam non steterisset, erant cruciatibus sempiternis obnoxij: tantum abest, ut possit quispiam fratrẽ, aut amicum, a pœnis irrogatis eximere. Rara igitur erit illarum animarum libertas, atque redemptio, quibus mors minime subeunda est; quæ uita felicissima æuo sempiterno perfruentur; quę interitum, & exitium minime formidabunt. Pauci enim sunt, qui considerare uelint, quam fluxæ, & inanes, sunt opes humanæ; quantis casibus, & ruinis, expositæ; & iccirco, earum cupiditate præpediti, a studio pietatis abducuntur. Rari sunt, qui uideant, homines callidos, & astutos, sapientiæ opinione subnixos, emori, quemadmodũ stulti, & imperiti moriuntur, ita, ut nemo ingenij sui acumine uim mortis effugiat. Immo tũc maxime amentia eorum, qui sibi falso sapientiam assumebant, aperte conuincitur. Opes enim, quas tanto studio, & labore, congesserant; quas tanta cura, & sollicitudine, noctes & dies asseruauerant; in quibus parandis, & accumulandis, omnem uitam cõsumpserãt, alienis diripiendas, atque perfruẽdas, cum dolore eximio, relinquẽt. ex ædibus amplis, & magnificis, elati, in tumulos suos inferentur. ita que inanissimæ dignitatis amplitudo, in pulueré redacta, amentiam eorum, qui sibi quodammodo fuerant immortalitatem polliciti, coarguit. Eorũ uero palatia immanibus impensis ædificata, uarij successores, ætate consequente, per uices occupabunt. Sic autem fiet, ut, qui nihil de cęlesti uita cogitabant, sed omnia sua studia in terrestria monumenta conferebant, operamq. enixe dabant, ut memoriam nominis sui, operibus ualde sumptuosis, in terra diutissime propagarent, obliuione sempiterna conterantur. Nec enim homo, terrenis opibus addictus, in honore diuturno uersabitur. Cum enim mentes expers sit, atque iumentorum similis, similiter interibit. Hanc hominum uitam quis non uidebit esse summam demẽtiam? Quis, cum exitum eorum, qui potentia præcellebant, animaduertit, non intelligit, stultitiam summam esse, opibus humanis inflari? omnem enim splendorem mors exscindit; memoriam delet; insolentiam deprimit; honoribus secutim infligit; opes tandem, uel casibus repentinis, uel temporis uetustate, consumit; & tamen homines, exemplis uitæ quotidianis eruditi, minime sensum recipiunt, ut fluxa, & interitura, despiciant, & in studium uirtutis, & immortalitatis, incumbant, atque eorum furorem, & insaniam, detestentur, qui opibus sempiternis uitæ ludibria prætulerunt; & tamen posteritas, eorum nomen, qui tantam extremæ demen-

Et pretium redemptionis animæ suę.

Non uidebit interitũ cum uiderit sapiẽtes morientes.

Hæc uia illorum, sed̃ dalũ ipsis: postea in ore suo complacebunt.

tiæ significationem dederunt, in ore semper habebit, ut facta pessima laudet, & cadẽ summæ iniquitatis uestigia persequatur. O cæcitatem exsecrandam. ut pecora ad lanienam, apud inferos statuti sunt; sempiterna mors illos exedet; cum Diuinæ lucis exortu iusti collustrati fuerint, eos dominatu uehementer oppriment; illorum species, quæ illustris, & ampla, uidebatur, euersa funditus euanescet; in infera regione domicilia semper habebunt. At ego longe secus uitam institui; & iccirco ueniam, & gratiam, consecutus sum. Deus enim animam meam ex orci faucibus, & a miseriæ sempiternæ regione, redemit: misericordia namque sua me clementissime complexus est. O immensam Domini benignitatem, quæ numquam supplicum, quamuis grauissime in uita deliquerint, preces, & uota, repudiat. omnes enim, quos impuritatis susceptæ pœnitet, & animo ualde perculso, & abiecto ueniam petunt, in fidem, & amicitiam, recipit. Hæc monita memoriæ tradite; hęc bonorum exempla sequimini; fœda perditorum hominum consilia detestamini. Si uideris hominem malis artibus pecuniam immanem consecutum, eaq. opulentia domum suam populari nobilitate illustrem reddidisse, ne potentiam illius extimescas. Cum enim impetu mortis oppressus exstiterit, & maximo animi cruciatu a uita discesserit, nihil omnino secũ auferet; opes, & gloriam, relinquet; nudus, inops, ignobilis, turpis, sordibus inquinatus, in conspectu summi iudicis apparebit. Quamdiu in uita manebat, adulatorum laudibus ornabatur; quorum officium est, eorum nomen in cælum efferre, a quibus beneficium aliquod sperant. Nec enim laudem ueræ uirtuti, sed insolentiæ, & amentiæ, tribuendam censent, ut ab hominibus elatis, & inflatis, utilitatem, fraudibus, aucupentur. Hæc igitur gloria, uita functum minime persequetur. Nam adulatores nihil ab illis, quos in uita deluerant, post mortem aucupari iam poterunt. A suis igitur omnino desertus, migrabit ad maiores suos, ut eos, quorum disciplinis, & exemplis, ad iniquitatem institutus fuit, pro positis iniquitati supplicijs, imitetur; & cum illis ita tenebris damnabitur, ut lucem numquam respiciat. Homo enim, cum in honore est, si non sapientia præditus est, qua intelligat, quam breuis, & fallax, sit popularis gloriæ splendor, quam uaria, & commutabilis, sit celebritatis humanæ condicio, iudicio mentis spoliatur, & iumentis simillimus efficitur. itaque nomen illius, & gloriæ, similiter interibit. Apud inferos igitur pœnas cruciatu sempiterno luet, & in hac uita post mortem ita ex hominum memoria excidet, atque si iumentum exstitisset.

Sicut oues in inferno positi sunt. Et dominabuntur eorum iusti mane.

Quia anima eius in uita ipsius benedicetur.

Deus deorũ Dominus locutus est. Psal. 49. Apud Heb. 50.

TAm admirabilis est in sanctis litteris continuatio, & series, rerum Diuinarum, & sic respondent

spondent media primis, ultima mediis, ut nihil aptius, & conuenientius, possit excogitari. Euangelium legi lucem attulit; lex Euangelium non adũbrauit solum, uerum & multis in locis luculenter expressit; interiecti Prophetę, & legis mentem interpretati sunt; & in Euangelium, tanquã in finẽ, omnia retulerunt. Itaque alia ex alijs mirabiliter apta, atque nexa sunt, eoq. uinculo inter se colligata, ut ex omnibus unus sensus, & cõsensio fiat. Paulus opera legis infirmat, & fidem mirifice sancit. Opera legis appellat ea, quæ non iustitiã continebant, sed iustitiam designabant: fidem uero nominat eam, quę non in credendo solum, sed etiam in obediendo, perspicitur. Idem Moses facit, qui corporis circumcisionem non plurimi facit, & animi circumcisionem acriter ample xatur; multisq. in locis ostendit, non in lege, sed in Christi fide, atque Dei gratia, salutem generis humani cõsistere. Omnes uero Prophetæ eandem sententiam persequũtur, & de ea luculentissime differunt. Idẽ facit hoc in loco Dauid. Legẽ enim ea ratione, qua iustitiæ umbram continebat, eleuandam suscipit, ut Euãgelij dignitatem amplificet. Est autẽ animaduertendum, per iudicium, cuius hic apparatus elegantissime describitur, non ultimũ iudicium designari, sed illud, quo princeps mũdi huius expulsus est, & uires illius exciſæ sunt. Est preterea notandum, bis magnum motũ in terris exstitisse. Primus maximum terrorem præbuit hominibus, cum Diuina lex in Sinai promulgata fuit. Mons enim propemodum de sede cõuulsus, & horribili incendio flagrãs, Hebræos exanimabat. Eo igitur metu animis iniecto, conuersio magna facta fuit; & mores hominũ immutati sunt. Ille tamen motus Arabiæ tantum solitudinem horrendo fremitu concussit, reliquas autem nationes minime conquassauit; & mores non ita fuerunt immutati, ut nõ multæ reliquiæ pristinæ impuritatis in animis residerent. Alter autẽ motus Hierosolymis auditus est, cũ in Sione Diuina, atque sempiterna lex promulgata est, & in mentibus impressa Diuinitus, quæ terras uniuersas commouit. & sic hominum mores immutauit, ut nullum uestigiũ antiqui sceleris in illis, qui ad Deum uerum conuersi fuerant, appareret. Hoc Diuinum iudicium, & hũc admirabilem motum, ut Dauid magnificentius describat, ipsum Dei filium, qui legem tulit, de legis ipsius sententia dissentem inducit. Summus, inquit Deus, agminum cælestium imperator, & dominus, orationem uerbis, atque sententijs, grauissimã apud uniuersas gentes habuit; terrã maximis uocibus appellauit. Verborũ sonitus admirandus, a Solis ortu usque ad occasum, cũ incredibili celeritate peruenit. Ex Sione perfectus, & absolutus, pulchritudinis summæ splendor eluxit; & Dominus omnes nationes luce clarissima Diuinæ legis illustrauit. Ea enim lex id præstitit, quod lex in Sinai lata præstare nõ potuit. Vitia namque ex animis euulsit; uirtutum omnium seminaria cõseuit; errores turbulentos eripuit; ueritatis disciplinam tradidit; tenebras expulit; lucẽ induxit; dissidentes animi partes inter se conciliauit; & sic demum factũ est, ut, cum nihil esset animorũ specie ad adspectum deformius, post

Deus deorum Dominus.

acceptam legem, nihil fieri posset elegantius. Ani mus enim, Diuina luce collustratus, & in Diuinã pulchritudinẽ semper intentus, ad illius similitudinẽ in dies magis accedit. Veniet autẽ Deus noster, & non silebit, sed multis signis præsentiam nu minisui declarabit; multas nationes, uitiorũ mor bis oppressas, quæ sanari nolent, euertet; inflãmationem multis gentibus inferet; maximasq. bellorum tempestates excitabit. Neque populo quidẽ suo parcet, eo quod, specie quadã religionis inflatus, studiũ sanctissimæ religionis abijciet. Itaque superne cælum obtestabitur; & terra etiã testimonium denuntiabit, ut cum populo suo disceptet. Conuenite, inquiet, & accedite ad me omnes, qui laboratis, & sanctitatis studio uos teneri perspiciam; & mecũ fœdus de sacrificijs rite procurandis percussum esse contenditis. His quidẽ uerbis in iudicium uocabit omnes, qui se religione adstrictos esse profitentur, ut sensum legis explicet; & illos, qui se iustos arbitrantur, erroris, & amentiæ, conuincat. cęli iustitiam illius annuntiabunt; & sancti homines, in quorum animis Deus sedem sibi cõstituit, iudicium illius comprobabunt. Deus enim iudicium seuere constituit, ut eos, qui fuerint in scelere contumaces, prorsus exscindat. O iudicium sanctissimum, & ualde pertimescendũ. Audi, inquit, o populę, quem mihi singulari quadam ratione legis fœdere deuinxi; & te alloquar. O Israel, aures mihi præbe, ut tecum litem contester. Deus quidẽ, Dominus omniũ, & Deus tuus præcipue sum, quamdiu in fide permanseris. Iam, ex hoc nomine, quo declaratur infinitæ Maiestatis amplitudo, & immensę sapiẽtiæ magnitudo, & probitatis summæ perfectio, potest intelligi facillime, quibus sacris sit scelus expiãdũ, & meę boni tatis offensio lenienda, & gratia meæ benignitatis acquirenda. nõ condẽnabo te crimine neglectę religionis in sacrificijs rite faciẽdis, cum holocausta mihi a te frequenter offerri perspiciã. Sed nõ sunt hæc munera, quibus placandũ numen meum est; nec ista sunt sacra, quæ me possint a seueritate iuris ad misericordiã inflectere. Non accipiam de domo tua iuuencũ, neque de caulis tuis hircos, cum pecoribus tuis non indigeã. Cuncta enim animãtia, quæ uagantur in siluis, mea sunt; bestiæ innumerabiles in mille montibus errant: quæ omnia ad ius meum pertinent, cum penes me sit rerum omnium dominatus. Omnes uolucres, quæ nidos in mõtibus altissimis fingunt, & cõstruunt, mihi notæ sunt, & omnia, quę agrorũ ubertate, & copia, profunduntur, atque nutriũtur, potestate mea cõtinentur. Num taurorũ carnes comedam? aut sanguinem hircorum ebibam? Duplici igitur ratione sunt ineptissimi, qui suspicantur, me sacrificijs huiusmodi uehementer oblectari; uel quia credunt, me egentem nimis esse, cum sim rerum omnium Dominus; uel quia mihi eas uictimas immmolare nituntur, e quibus nullus in me fructus redundat. Fuit quidem tempus, cum fuit commodum istis sacris operam dari, ut pietas, & religio, in animis aliqua ex parte uersaretur, ut homines, quibusdã signis admoniti, attentius de bonitate Diuina cogitarent, & per terrena sacrificia

Deus mani feste ueniet

Et annuntiabunt cæli iustitiam eius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

paullatim ad cælestium cognitionem peruenirēt. Nunc iam omnia cōmutanda sunt;umbræ, interuentu lucis,euanescent;imago ueritati concedet; humana Diuinis locum relinquent: Deus enim non mole corporis,sed infinita mentis uirtute, cō stat. Sacra igitur longe diuerso ritu procuranda sunt. est enim Deus non terrenis suffimentis, sed pura,& casta,mente colendus. Si uis igitur a Deo gratiam inire, illi sacrificium laudis immola; &, cum te uotis obligaueris, & te uoti compotem Diuina benignitate perspexeris, persolue Domino uota tua. Vt enim nihil est ingrati animi crimine scelestius, ita nullum Deo sacrificium offerri poterit grata uoluntate magnificentius. Præterea, qui Diuinorum beneficiorum assidue memoriā recolit, amore illius incenditur, & ita maioribus in dies muneribus augetur. Contra uero,qui beneficiorum Diuinorum prorsus immemor est,par tam gratiam effundit,& effusam uix cum summa difficultate recuperat. Tum illud etiam est tibi diligenter animaduertendum, fidei munus, & officium,in duas partes esse tributum. Vnum est,pro beneficiis acceptis gratias semper agere;alterum, illa,quibus egent homines,firmissima fide postulare. Nihil enim poterit esse tantum,quod ardens, & incitata, fides nō a Diuina clementia consequatur. Cum igitur ærumnis oppressus fueris, clama ad me,& eruam te,& nomen meum pro tua uirili parte insigni gloria cumulabis. Vt enim,qui mihi diffidit, nomini meo opinione sua labē dedecoris adspergit; (aut enim me nolle,aut nō posse, imprecibus,& uotis,occurrere,suspicatur) ita,qui firma fide meam opem flagitat, mihi gloriā tribuit. Et his quidē uerbis Dominus eos erudit, qui pietati quidem operam nauant; sed,in quibus rebus pietas ipsa sita sit, non sapienter animaduertunt. At eorum impietatem, qui scelus integumento ficte sanctitatis occulunt,&,cum sint impurissimi, uirtutem ementiuntur,& se legis doctores existimari uolunt, cum ipsam legem sacrilego conatu perfringant,huiusmodi uerbis insectatur: Quid tibi uenit in mētem, statuta mea ad libidinem tuā interpretari, & ore tuo sacrilego fœderis mei sanctitatem polluere? Adeo ne iuuat, exsecranda scelera tam insigni impudentia cumulare,ut sanctus haberi uelis, cum sis in sanctitatis totius auctorem scelestissimus? tu disciplinam odio semper habuisti;tu uerba mea contempsisti,& abiecisti. Si uidebas furem,ad illius te societatem ualde libenter,atque festinanter,adiungebas;cum adulteris fœdus, ad sceleris fructum aliqua ratione participādum,feriebas;os tuum in omne malum petulantissime proiecisti;lingua tua fraudes machinata est;sedēs,in fratrem maledicta conijciebas; & filio matris tuę notam dedecoris inurebas. Nō repentino animi motu concitabare, ut tantum facinus susciperes;sed cogitatum,& meditatum,scelus ad tuorum perniciem conferebas;ita, ut nullum apud te pondus communio sanguinis, atque propinquitatis,haberet. Hæc quidem feci sti, & tacui;neque,simul atque scelus designasti, tibi debitas pœnas imposui,ut spatium resipiscendi, atque ad officium reuertendi,cōcederem. Tu uero mea clemētia,ad maiorem facinoris impudentiam, furenter abusus es;&, quasi tibi esset flagitiorum impunitas attributa,peccata peccatis accumulabas. Existimasti,homo profligatissime,me tibi esse factis,& omni uita,simillimum, & ideo te perpetuo impunitum fore? Longe te fefellit opinio. Quo enim magis pœna differtur, eo grauior ad rectum iudicium iræ cumulus accedit; & uindictæ seueritas acrius incitatur. Arguam quidem te; & iudicium exercebo; & omnes tuas fraudes oculis tuis obijciam; ut intelligas, quam iuste sint tibi supplicia constituta. Intelligite hæc,qui Dei immemores estis; & cauete, ne similiter in clades sempiternas incidatis. Nā, si uos indignatio mea corripuerit,nemo erit, qui uos possit eruere. Hæc orationis summa sit,ut intelligatis, nō admissum flagitium legis antiquæ sacris expiandum; sed fide,e qua nascitur uitæ conuersio, Dei numen esse placandum;neque uelle me sanguine quadrupedum coli,sed laudis uictimis honorari; neque esse mihi curæ de legis cærimonijs sollemni ritu sanciendis; sed de iustitiæ muneribus cum puritate summa perfungendis. Et,quia hoc ab humana imbecillitate prætari minime potest, is, qui uolet suum scelus agnoscere, & ad me supplex accedere,gratia mea,quod natura sua non poterat, assequetur. Ego namque illi uiam rectam monstrabo,qua ad salutem,Dei summi patris, benignitate constitutam, sine errore illo perueniat.

Immola Deo sacrificiū laudis

Intelligite hæc,qui obliuiscimini.

Peccatori autem dixit Deus.

Miserere mei Deus, secundū magnam misericordiam tuam.
Psal. 50. Apud Heb. 51.

HOminum sanctorum lapsus, atque ruina, est imbecillitatis humanæ solatiū, sollicitudinis alleuamentum,spei robur, atque firmamentum, gloriæ Diuinæ lumen clarissimum in oculis hominum constitutū. Cum enim eos,qui ex altissimo gradu conciderunt, erectos, & in antiquam dignitatem restitutos, animaduertimus, Dei bonitatem admiramur, illius immensam benignitatem laudibus summis celebramus; atque plane percipimus, eos, qui funditus pereunt, sua culpa, & non Dei inclementia, in miseriam sempiternam incidisse: clementia enim Diuina, omnibus prompta,atque parata est,qui scelus agnoscunt, & ueniam petunt, &, a lutulentis sordibus emersi, in iustitiæ uiam ingrediuntur. Nunquam enim aditus ad Diuinæ benignitatis immensitatem ijs, quos ualde pœnitet impuritatis,& qui ad studium pietatis inflammatis animis reuertuntur, intercluſus fuit. Huius autem immensæ probitatis argumentum Dauidis casus fit missimum fuisse constat. Cum enim ab infima condicione in Regiam dignitatem adscitus fuisset; tantis donis,atque muneribus, a Deo cumulatus exstitit,ut omnes eiusdem memoriæ principes longissimo interuallo uinceret; & antiquioribus etiam,qui gloria rerū gestarum florueranr,antecelleret. fuit enim opibus,& imperio,florentissimus,

mus, Diuinis uirtutibus ornatissimus, uictoriarū amplitudine clarissimus; & tamen, libidine cæcus,nomen suum adulterio commaculauit,& tanti sceleris medicinam ab alio scelere multo grauiore popoſcit. Nam uirum,quem tam insigni iniuria deformauit, cum multis alijs innocentibus crudeliter interemit, ne turpitudo sui dedecoris emineret.fuit igitur adulter,& homicida, pietatis simulator, & omnibus simul se libidinis, immanitatis, extremæ iniustitiæ, criminibus alligauit. Et,quod multo grauius erat, cum ad uindicanda facinora in sede Regia locatus esset,pessimo facinoris exemplo poterat subditos ad omne scelus designandum impellere, nisi tantum dolorem ex peccato suo percepisset,& cum tam præclara oratione,cum admiranda cōuersione, ueniam fuisset assecutus. In hanc igitur sententiam Deum affatus est. Misericordia tua, Domine, satis illustris, & ampla est. ea namque alit,& cōtinet uniuersa; sed tunc multo clarius eminet,cum rebus miseris, atque perditis,adhibetur. Peccato uero nihil est miserius. Animum enim lacerat,& conficit,&, quod est malorū omnium maximum,illum a te bonorū omnium fonte,diuellit. Quid igitur erit existimādum,cum peccatū fuerit sceleris granitate maximum,& exemplo maxime perniciosum,ab eo cōmissum, quem oportebat aliorum peccata coercere? Is autē ego sum,qui tantum, & tam scelestū facinus susceperi, quantū oratione consequi non possum. Quid ergo faciam? Spem sanitatis abijciam? Nullo modo. Misericordia enim tua nullis terminis definitur,cum immensa sit,& omnibus proposita,qui illā suppliciter efflagitauerint. Ad te ipsū igitur,cuius Maiestatem grauissime læsi,cōfugio, ut,secundum amplitudinem misericordiæ tuæ,mihi ueniā tribuas. Maxima namque miseria maximam misericordiā requirit. Et,quia uno facto multiplex scelus admisi,& misericordia tua nullo numero continetur,te suppliciter oro, & obsecro, ut omnia crimina mea deleas. Multa sunt in lege pia cula,multę, & frequentes lustrationes, & lauacra ad speciē gubernationis institutа. Sed sordes animi,non corporeis aquis eluuntur. nō est tanta uis in lege,ut inustas menti maculas abstergat: intelligo,plane ualetudinis afflictæ medicinam,non esse a legis Sacerdotio,sed a Sacerdotio sempiterno requirendam. Te igitur,quem non solum ut uerū Deum ueneror,sed iā ut Sacerdotem sanctissimū admiror,oro,ut in me penitus abluendo, & expurgando,Sacerdotis officio perfungaris, & me a sordibus iniquitatis educas; omniaq. peccata mea prorsus diluenda suscipias. Quibus meritis tātos spiritus assumo,ut a te id petere audeam,cum sim supplicio sempiterno dignissimus? Nullis profecto. sed,misericordia tua solū nixus, id summo studio,& cōtentione,postulare minime desistam. Ea namque parata est omnibus, qui de scelere suo facillime confitentur,& clementiam Diuinam fidēter implorant. Quod uero ad hūc statum attinet, scelera mea,quanta sint, clare cerno,& peccatum meum,hostem acerrimum,ex aduerso constitutū, perspicio,quod me pungit, & lacerat, & stimulis urget,ut respirare nō sinat. Multa quidem animū meū in mei criminis recordatione sollicitant. Cogito enim, per me fuisse matrimonij fidē uiolatā, homini fideli dedecus inustū,meis ciuibus, quorū salutem tueri præsidio meo debuissem, uitam per summum scelus ereptam: sed nihil æque me conturbat, atque bonitas tua nimis grauiter offensa. Tanti enim pōderis est infinitæ Maiestatis offensio,ut omnes iniurię, quæ in homines conferūtur, si sine bonitatis tuę contēptione inferri potuisset, cū hoc pietatis crimine collatę pro nihilo ducēdæ fuisset. Hoc igitur in omni peccato maxime dolēdum est,quod sit Maiestas tua indignissime uiolata. Hoc igitur,me grauiter afflictat,quod contra te solū,& contra tuæ Maiestatis amplitudinē, in me grauissimum scelus admiserim. Tuam enim legē trāsgressus sum; tuam benignitatē sceleratissime contempsi; tuo sanctissimo nomini conuiciū feci; ita,ut,quasi te solū grauissime lęserim, assidue lamenter. Verum,quo grauius facinus meū fuit,eo clarius tuæ misericordiæ decus innotescet,& cum ampliore gloria litē obtinebis contra eos, qui cū proiecta audacia te nimiæ seueritatis, atque adeo crudelitatis,insimulant, quoties iudicio tuo nocētes homines, quibus antea benigne cōsulebas,euertis. Clemētia enim seueritatē omni calūnia liberat. Cū igitur perspectū fuerit,te mihi, homini tātis sceleribus inquinato,& infecto,misericordiā tribuisse,exploratū omnibus erit, eos,qui a te deserti sunt,propria contumacia cōcisisse. Nā certe, si suū scelus agnouissent,&,ad te cōuersi,ueniā humiliter,atque demisse,postulassent,eam consecuti facillime fuissent. Nihil est enim clementię tuę magis contrarium,quam animi duri,& intractabilis, insolentia. Cum igitur mihi ueniam dederis, & tā insigni benignitatis exēplo demonstraueris, nihil esse tibi magis propriū,quam oppressos malis miserari,gloriam tuam illustrabis;& audaciam eorū, qui tibi notam crudelitatis affingunt,apertissime conuinces. Prætera imbecillitas animi minuere uidetur aliqua ex parte sceleris commissi grauitatem. Implicata enim est in natura libido, legi Diuinæ contraria,quæ urget, & instat, & inclinat ad peccandum,cui non facile repugnatur. Hanc labē nascendo contraxi;&, cum me mater mea concepit,parentes mei hanc in me uoluntatem ad peccandum propensam transmiserunt;ita,ut minime mirandum sit, cum peccati hereditatem adierim, me esse peccatis infectum. Quamquam non excuso peccatum,quod non naturæ uitiis, sed gratię tuę magnitudine,reprimere potuissem. Etenim ueritas seruile iugū a ceruice depellit; & peccati tyrannidē delet;& eorum, qui lumine ueritatis illustrati sunt,libertatem mire constituit. Hanc igitur ueritatem,hanc cęlestem disciplinā,quæ tibi maxime cordi semper est,ut per eam homines a magnitudine sempiternæ calamitatis eripias, mihi tradidisti; & in præcordijs meis arcana sapientiæ tuæ ab humana cognitione remotissima impressisti;ad notitiamq.illius summę benignitatis,qua es salutē gentibus uniuersis allaturus, instruxisti. Magnum igitur beneficia tua,tam ampla præsertim,& tantum præcipui amoris argumentum continentia, ad commissi sceleris atrocitatem, pon-

Amplius lauma me ab.

Miserere mei Deus.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum

Ecce enim ueritatē dilexisti.

Quoniā iniquitatem meam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dus attulerunt. Cum tamen probitas tua partibus infinitis improbitatem meam superet, fac, ut beneficia tua tuearis; neque permittas, ut immensa benignitas humano scelere præpedita sit, quo minus me, quem tantis opibus, atque præsidijs, ornatum esse uoluisti, iacentem, & afflictũ, erigas, & tam pestifero morbo grauatum in sanitatem restituas. Maxima tamen me spes tenet, fore, ut clementia tua in sanitatem restituat; &, ut hac fide fortius, & uehementius, erigar, Sacerdotij tui religio, atque sanctitas, efficit: neque enim tam me terret Diuinitas tua, quam humanitas futura consolatur. Lepra quidem malum est deformitate horridum, odore tætrum, contagione periculosum, &, cum grauius in statum corporis incũbit, insanabile. Non igitur sine caussa lex omnes leprosos ab hominum multitudine segregauit, ne tam horribilis contagio ciues uniuersos inficeret. Quod si aliquis sanitatem recuperaret, statuisti, Domine, ut iudicium receptæ sanitatis ad Sacerdotes pertineret. Qui quidem, si uident malum esse depulsum, passerem oblatum iugulant; sanguinem aquis admiscent; hyssopum aquis illis sanguine tinctis madefaciunt; hominem, quem sanũ iudicant, adspergunt; nec eum post illum diem ab aliorum cœtu segregari permittunt. Ah, quanto est lepra mea, ea, quam lex, discessu, & secretione, damnat, infestior? Illa enim, corpus tætris maculis inficit; hæc, totum animum fœde contaminat: illa, odore homines alienat; hæc, cælites procul arcet: illam homines fugiunt; huic est ira tui numinis uehementer infesta: illa postremo uitam non eripit; hęc animum uita repente spoliat. Quo igitur me conferam? Ad legis Sacerdotes? Non profecto. Illi enim corporis lepram minime curant; tantum abest, ut animo, ulceribus grauissimis, atque maxime purulentis, infecto, salutarem medicinam adhibeant. Ad te igitur tantum, o summe Sacerdos, qui te medium inter patrem, & humanum genus, interponis, accedam: ut hyssopo, hoc est, uerbo tuo, in lauacro pretiosi sanguinis, & aquæ salutaris, immerso, me adspergas, ut continuo munder, & niuis candorem sanctitatis tuæ meritis, atque uirtute, recipiam. Quoties a te peccato impeditus, ut nullis uitæ muneribus fungi queã. Sensus enim opprimuntur; uires debilitantur; cor molestissimis curis implicatur; nullaq. pars animi mei immunis ab ægritudine pestilente relinquitur. At, si me totum sacrorum tuorum sanctitate lustraueris, omnia, quæ lapsa, & strata, fuerãt, instaurabuntur. Aures meæ, quæ erant obstrusæ penitus, & audire non poterant, uerba tua, gaudij, atque lętitiæ, plena, percipient; ossa confracta reficientur; & uires amissas recuperabunt. Auerte faciem tuam a peccatis meis; ne iram tuam in me concitent: iniquitates meas dele; ne te ad uindictam prouocent: totum me muta, & inuerte; ut nihil ex homine ueiusto, qui terreni parentis imaginem gerit, in animo meo uideatur; sed excellentis formę nouitas in mente mea ad effigiem tuæ iustitiæ, atque sanctitatis, manibus tuis instauretur; & nouum iustitiæ spiritum in meis uisceribus insculpe; ut omnes deinde meæ cogitationes, & actiones, & studia, ad tui nominis gloriam dirigãtur. Ad hæc autem tam Diuina munera caro, & sanguis, non adspirat; in Diuinis opibus acquirendis humana ratio frustra contendit; in ueræ uirtutis studio hominis industria sine fructu consumitur. Hęc omnia sancti Spiritus opera sunt. Si igitur ope illius orbati fuerimus, omnium flagitiorũ in nobis stirpes continuo pullulabunt. Ne igitur nos a facie tua propellas, neque Spiritum sanctũ tuum nobis eripias; ut animi labes aspernemur; & in iustitiæ, atque pietatis, studium alacriter incumbamus. Quãdiu spiritus tuus in animo meo insidebat, gaudio triumphabam; lætitia efferebar; mens mea in perpetua iucunditate uersabatur. Postquam uero spiritus tuus, peccatis meis offensus, abscesit, curę, & sollicitudines, in statum meũ inuaserunt; ingens cõtinuo tristitia animũ meum depresit; mæror assiduus, sordesq. lugubres, quibus angoribus afflictarer, indicabant. Hanc igitur lætitiam, quam per meum scelus amisi, tu mihi, benignitate tua nimis admiranda, restitue; & spiritu, nõ seruitutis, sed adoptionis, mentem meã confirma; ut non timore discrucier, sed magnitudine amoris inflammer; & te, Dominum meum, maximis uocibus Patrem appellem. Hunc autem statum uiri principis assecutus, recipio fore, ut homines nocentes ad disciplinam iustitiæ, & æquitatis, erudiam; & multi, qui uiam iustitiæ deseruerant, meis monitis, & exemplis, ad te conuertantur. Cæde quidem me fœde contaminauit; & innocentis hominis sanguine cruentaui; & tanti facinoris maculę in animum meum adhæserunt, ut nullis humanis piaculis deleri umquam possint. Tu, qui solus potes, eas omnes absterge, Domine, qui solus meus Deus es, & auctor salutis meæ, ut tum demum, cum summa lætitia, & iucunditate, iustitiæ tuę laudes oratione mea celebrandas suscipiam. Duplici namque ratione in me sanando iustitiæ tuę sanctitatem mirabiliter illustrabis. Nam & tum maxime uim tuæ iustitiæ demonstras, cum ex nocentibus, & flagitiosis, iustos, atque sanctos, efficis; &, cum in me tanta beneficia congesseris, ostendes, quam iusto iudicio eos, qui corrigi, & emendari, & ueniam petere, noluerunt, persecutus sis. Quamdiu sceleris conscientia conturbor, impeditam linguam gero; mutus, & elinguis, sum. Tacet enim animus; languescit industria; spiritus obtunditur; non est ardor ullus; non spiritus; non uigilantia. Præterea, quo tandem modo fieri potest, ut sermone impuro, & contaminato, summæ, & infinitæ, puritatis laudes, sine audaciæ crimine, referantur? Si uero tu, Domine, me crimine omni liberaueris, tum demũ lingua mea, uinculis expedita, copiose, & ornate, laudes tuas enuntiabit. Sed dicet aliquis, Quo modo est Diui næ æquitati consentaneum, ut, sine ullis piaculis, in maximo crimine, animaduersio, atque supplicium, alicui condonetur? Non sine piaculis, tu, Domine, peccatis ignoscis; sed illa piacula respuis, quæ non sunt Maiestati tuæ decora; & illis placaris, quæ sunt cum benignitate tua ualde congruẽtia. legis sacrificium aspernaris: non igitur sacrificio

Asperges me hyssopo

Ne proijcias me a facie tua.

Auditui meo dabis gaudium.

Domine, labia mea aperies.

Quoniã si uoluisses sacrificium.

cio legis innitar: holocaustum similiter tibi gratum non est. Quod igitur sacrificium offeram? Illud profecto, quod acceptissimum fore confido. Sacrificium Domino gratum est, spiritus dolore fractus. cor enim stratum, & acerbitate fletus abiectum, Domine, numquam in uita despicies. Hanc igitur hostiam tibi pro meis peccatis immolo; animum tibi, mærore perculsum, & infractum, suppliciter offero; his sacris, quæ dolorem, quo sum uehementer afflictus, indicant, operatus, ueniam me impetraturum confido. Quando erit illud tempus, quo sacrorum institutio commutabitur; & pro terrestri Hierosolyma, ciuitas cælestis, atque Diuina, fundabitur; & mons Sion templo sempiterno consecrabitur; & muri Hierosolymæ cælestis exstruentur? Tunc demum, antiquis sacrificiis ablatis, iustitiæ sacrificia gratiam tuam consequentur; numen tuum, amoris, & perfectissimæ caritatis, incendio, ualde propitium fiet; tum in altare non sanguis quadrupedum, sed labiorum uituli, hoc est, piæ sanctorum hominum preces, inferentur.

Benigne fac Domine.

Quid gloriaris in malitia. Psal. 51. Apud Heb. 52.

EXtremum malorum omnium est, de scelere gloriari. Eos enim, qui uel cupiditate, uel odio, uel inuidia, uel spe, uel metu, aliquod facinus aggrediuntur, cum primus motus ille resident, qui ad facinus patrandum instigabat, plerumque sceleris susceptiualde penitet, &, quantum possunt, facinus occultant. Qui uero gloriandum statuunt, quod est turpitudine tęterrimum, & immanitate truculentissimum, se iam totius humanitatis expertes esse, demonstrant. Cum igitur Doeg Idumęus nomen Achimelechi, Sacerdotis summi, ad Saulem detulisset, quod Dauidem hospitio recepisset, quod illius gratia Deum consuluisset, eo tempore, quo Dauid Saulem, ne ab illo occideretur, fugiebat, deinde Saulis iussu Achimelechum cum multis aliis sacerdotibus interemisset; illud tam immane facinus, quasi rem admodum præclaram gessisset, passim prædicaret; Dauid in eius impietatem, atque dirum scelus, in uehitur. Ait igitur, Quid gloriaris in scelere, o uir, qui, opibus, & gratia, potens, tantũ tibi arrogas, & assumis, ut nullum casum extimescas, & meis rebus tantum diffidis, ut arbitreris esse iam mihi omnem spem salutis, & melioris condicionis, abiiciendam? quasi clementia Dei, qua sola nitor, atque confido, prorsus interierit. Atqui misericordia Domini stabilis, atque sempiterna, est: quo fit, ut, qui in præsidio illius omnes salutis, & uitæ, rationes collocatas habent, numquam possint illius ope destitui. Tu uero fraudes lingua tua machinaris; &, quasi nouacula nimis acuta, maledictis innocentes prosecindis; & per summam calumniam, & fraudem, immeritis plagas imponis. Improbitatem bonitati prætulisti; mendacium, & uanitatem, libenter amplexus, orationem ueritatis, atque iustitiæ, repulisti. O dirissimum scelus, eterno supplicio uindicandum. Verbis, atque factis, ad euersionem inferendam paratus semper exstitisti; lingua tua fraudes capitales in tuorum ciuium perniciem contulisti. Verum Deus te radicitus euellet, nec ex scelestissimi trunci fibris fraudis, & improbitatis, stolones ullis umquam temporibus enascantur; tollet te funditus; expellet te de tabernaculo tuo; & radicem tuam de terra uiuentium conuellet; ut, bonis omnibus euersus, extorris, & egens, uageris, atque demum sceleris, & amentiæ, debitas pœnas exsoluas. O admirabilem iudicis sanctissimi seueritatem; quam iusto iudicio sceleratissimos homines, qui nomine astutissimæ improbitatis insolescunt, peruertis? Vide bunt iusti, & Domini iudicia uerebuntur, & perditissimi hominis amentiam irridebunt, atque dicent: Ecce uir insipiens, qui numquam spem salutis in Diuino præsidio collocandam existimauit; sed in diuitiis tantũ suis, & in fraudibus, & in malitiosa calliditate, omnia præsidia uitæ constituit. Quam subito superbia corruit; confidentia inanis obmutuit; opes euersæ sunt? dedecora tantum furoris, & amentiæ, permanent, ut hostem Diuini, & humani iuris scelerũ pœnę assidue persequantur. Hunc quidem exitum habebunt hominis malitiosi, sibiq. prefidentis, opes, iniuriis, ut ipse quidem rebatur, egregie stabilitæ. At ego, qui, nõ opibus malitiose comparatis, non humana potentia, non principum gratia, nixus umquam fui, sed omnia mea præsidia in Domini tantum clementia collocaui, statumq. meum hac fide, & pietate, stabiliui, quamuis omnes hostes undique in me furenter inuehantur, numquam de statu deiiciar; sed, tamquam olea uirens, frondibus late diffusis, amœna, & fructu perutilis, atque iucunda, in domo Dei, cum dignitate, uersabor. Omnem siquidem meæ salutis, atque dignitatis, spem in Dei misericordia fixi, & locaui; & cunctas opes meas hac fide firmaui, a qua numquam deficiã. Non ero umquam immemor, & ingratus; numquam beneficia tua ex mente excident, & elabentur; gratias tibi semper agam, & misericordiam tuam perpetuo celebrabo; omnesq. spes meæ in nomine tuo repositæ semper erunt. quod quidem nomen in oculis sanctorum tuorum est iucundissimum uitæ subsidium, amplissimum hereditatis patrimonium, totius laboris alleuamentum, honoris, & dignitatis, ornamentum; ita, ut nihil sit sanctis hominibus præterea requirendum.

Dilexisti omnia uerba præcipitationis.

Propterea Deus destruet te.

Ego autem sicut oliua fructif.

Quid gloriaris in malitia.

Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Psal. 52. Apud Heb. 53.

COnstans, & firmum iudicium uitam omnem gubernat. inde adeo fit, ut, pro iudicij ratione, quam quilibet in uita sequitur, uitam instituat. Qui enim summum bonum in uoluptate ponit, uoluptatem omnibus corporis, & animi, uiribus amplexatur; qui dignitatem ardenter expetit, uitam dignitatis gratia in discrimen inijcit;

qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui nmis sitienter pecuniam appetit,ad pecuniarum amplificationem omnes actiones,& cogitationes,conferendas existimat. &, ne reliqua omnia studia persequamur, (esset enim infinitum) hoc certe constat,curas,& sollicitudines, quibus quilibet angitur, in quam potissimum sententiam quisque discedat,indicare. Ex quo sequitur, ut, quamuis multi se Dei metu contineri dicant, & pietatem artificiose simulent, si sceleribus immanibus se contaminauerint, si in omni genere libidinis,& impuritatis,& immanitatis,cum proiecta audacia,nagati fuerint,eos liqueat (ut Paulus ait) factis negare, quod oratione profitentur. Non est enim credibile, ut, qui Deum putat esse omnia prouidentem,& animaduertentem, ut omnibus,pro cuiusque merito, premiũ,uel pœnam, constituat,tanta impudentia Diuina iura uiolet, & in omni genere flagitiorum, & scelerum,uoluetur.non loquor de communibus erratis,quibus imbecillitas humana,quæ uix in uia adeo lubrica & periculosa,potest uestigium ponere, quin prolabatur,subiecta est.De his criminibus loquimur, quæ sunt turpitudine nefanda,immanitate tęterrima,&,quod est omnium miserrimum, contumacia ad extremum nimis obfirmata. Hanc esse Dauidis sententiam, ut eos, qui hac mente sunt, arbitretur esse totius religionis expertes,hoc carmen facile declarat. Ait enim: Hæc secum animo reputat insipiens,& hanc sententiam tenet, ut Deum non esse statuat. Hac igitur impiorum hominum sententia constituta, Deiq. timore sublato, nullum tantum malum potest animo fingi, quod ab eis non facile suscipiatur. Animos namque suos omni scelere contaminauerunt;exsecrãda facinora furenter ediderunt; omnes actiones, & studia,in iniquitate consumpserunt: non est denique inter illos, qui aliquid boni moliatur, & opus uerę uirtutis efficiat. Dominus e cælo despicit;ut diligenter animaduertat, ecquis sit in hominibus,qui sapiat;qui intelligat,omnem sapientiæ disciplinam Dei cognitione contineri, omnem tuendæ uitæ, & dignitatis, rationem in Dei benignitate consistere;qui Deum quærat,ut illius ope,& præsidio,muniatur. Omnes isti a uia deflexerant;omnes fœde contabuerant; non fuit inter illos,qui boni quidquam designaret;ne unus quidem repertus est,qui aliquod bonum opus efficeret. Num tandem aliquando sapient? inquit Dominus. Num aliquando tandem intelligent,uitæ beatæ,atque florentis,officium, ij, qui tyrannidę exercent; qui populum meum, perinde atque si cibus esset,indomita cupiditate deuorant,iustitiæ muneribus,& non iniuriis,cõtineri? Non uident, non sentiunt, nullo modo mente percipiunt, sine Dei præsentis ope nullum fore in rebus humanis firmum uitæ subsidium. Itaque Deum non inuocant;nec, ut gratiam illius acquirant, elaborant. Itaque,cum tibi opes facillimas comparauerint,uitamq. uanitatis,& inanitatis, auxilio stabiliendam susceperint,agitantur,& fluctuant,& nulla in certa sede consistunt. Cum autem primum aliqua inanis species rei metuendæ eorum oculis obuersatur, animis trepidant; & ingenti pauore concutiuntur. Quamuis enim iudicia contemserint,tamen,post conflatum scelus,illorum formidine perterriti, sæpe de omni statu detorquentur, & ante supplicium,quod illi est subeũdum, quod sibi sit euenturũ,animis,anticipato dolore,præsagiunt. Tu uero,qui iustitiam omnibus uitæ emolumentis anteponis, & Dei solius præsidio niteris, nullo modo hominum perditorum furorem, & insaniam, pertimescas, quamuis te obsessum teneant,& omnibus machinis oppugnent. Deus enim eorum uires perfringet; omnes q. illorum opes dissipabit. Recte igitur eos uituperas, eorumq. mores,& officia,detestaris,quos Deus contemnit,& despicit, omnibusq. modis infectatur. perfectæ enim pietatis officium est, illos parui pendere,quos Deus auersatur;& illos magnificere,quos Deus gratia & fauore, complectitur. O diem illum lætissimum, atque iucundissimum, quem uidere,& cuius luce frui, ardentiss ime cupio;cum Deus ipse ueniet, & Israeli salutem afferet,populumq. suum,non Aegyptiorum,non Assyriorum,non Chaldæorũ, dominatu oppressum, sed tyrannide infestissimi dæmonis afflictum, & flagitiorum intolerando pondere depressum, in sempiternam libertatem uindicabit. O beatos oculos,qui Dei filium,mira, & stupenda, facinora,in suorum salute constituenda, feliciter edentem,intuebuntur. O beatas aures,quæ uerba illius Diuina percipient,cuius uirtute inimicorum præsidia concident,ut boni, e dominis superbissimis liberati, muneribus amplissimis egregie cumulentur. Tum demum Iacob gaudium summum ex tanto bono percipiet; & illius posteritas, magis fidei exemplo, & imitatione, quam feminis, & generis, ratione, ab illo propagata, miris modis exsultabit. Tunc enim multo clarius apparebit, quibus in rebus sit uitæ beatæ ratio collocanda.

Dixit insipiens.

Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem.

Deus in nomine tuo saluũ me fac. Psal.53. Apud Heb.54.

OMnia sunt illis, a quibus Regis animus est alienus, infesta. Typhæi fuerant, Dauidis opera, atque uirtute, ab hostibus liberati; & tamen,cum Dauid,Saulem fugiens, apud eos latiraret;ut Regi gratificarentur,illum, cuius beneficio uita, atque libertate, fruebantur, Sauli prodiderunt,nuntiantes,apud se in occulto latere. Fuit igitur coactus inde demigrare,& festinanter aufugere,antequam,proditorum opera, in Saulis manus peueniret. Nihil igitur erat illi tutum;nihil insidijs uacuum;nihil cura,& sollicitudine,liberum. Restabat illud unicum miseriarum omnium perfugium,quo firmatus omnes insidias contemnebat. Cum igitur,ope Diuina, sceleratissimorum hominum fraudes effugisset, in hanc sententiam Deo supplices preces adhibuit: Domine, non uirtute mea fretus,sed gratia tua nixus,a te peto,ut, propter nominis tui gloriam, meam salutem ab hostium immanitate tuearis;&,potentia tua,caussam meam ab illorum, qui rerum potiuntur, calumnia

Deus in nomine tuo saluum me fac.

lumnia defendas. Tu enim innocentiæ meę testis es;& tamen,propter hostis potentiam,ius meum oppressum est;& hostis, calumnia, uictrix exsultat, eo quod nomini meo falsum crimen proditionis affinxerit. Audi,Domine preces meas; & orationem oris mei attentissima auditione considera. Homines,ab omni studio pietatis, & humanitatis,alieni,in me furenter insurgunt;&,cum multum potentia,& opibus,excellant,sanguinem, & uitam meam petunt;& a tanto scelere,nullo modo,tui sanctissimi numinis metu,deterrentur. Nec enim cogitant, a te omnium facta perspici,& officiorum momenta perpendi,ut innocentiam protegas,& scelus debita ultione persequaris. O immanem audaciam eorum, qui a tanto facinore, nulla Diuini iudicij formidine, reuocantur. Verum frustra in tanto scelere laborabunt. Ecce enim Deus est adiutor meus, & animam meam patrocinio, & ope sua tuendam suscepit. Itaque malum,quod in me impie,& nefarie, machinantur,tuo iudicio, Domine, in hostes meos recidet; &,ut fidei tuæ satisfacias, qua te mihi uindicem salutis,& iniuriarum ultorem,fore promisisti,eos, qui contra legem tuam mihi pestem comparant, prorsus exscinde. Cum uero,tuæ gratiæ, atque benignitatis,amplitudine,spiritum libertatis,& adoptionis,consecutus sim, non ancipiti metu districtus,sed amore tuæ Maiestatis inflammatus, sacrificia uoluntaria perpetuæ laudis offeram nomini tuo,cuius uirtute salutem,& dignitatem,& incolumitatem,retineo. Per illud,ex omnibus ęrumnis, & angoribus, ereptus sum; illius ut, hostes meos depressos,& stratos,adspexi.

Ecce enim Deus adiuuat me.

Exaudi Deus orationem meam. Psal.54. Apud Heb.55.

QVæ materia fuerit huius querimoniæ, quæ hoc carmine continetur,incertum est. Hoc plane constat,insignem sollicitudinis,& angoris, acerbitatem fuisse. Erat enim Dauid ab amicis nefarie proditus,ab illis,quos non mediocribus beneficiis affecerat, oppugnatus, ad cædem postremo quęsitus, omnibus denique malis circumuentus;siue hoc tempore Saulis,siue Absalonis,acciderit. Quam anxius autem, & quam sollicitus, fuerit,ipse declarat, inquiens: Auribus percipe, Domine,orationem meam; & ne repudies postulatum meum. Attente ius meum considera,& preces meas exaudi, quas uides a me tam acri contentione fundi. consideratione calamitatis abijcior,atque lamentor,& non mediocri animi motu conturbor. Inimicus minas iacit, atque terrores denuntiat;homo impius, & in scelere obstinatus, exitium comparat: qui ad illum sunt adiuncti, per summi sceleris iniuriam,& iniquitatem,dirissimum bellum moliuntur,ut me totis uiribus oppugnent. Cor meum intra me nimio pauore concutitur; & mortis formidines in meam perniciem nimis acriter,atque uehementer, incumbunt. In me timor,& tremor,inuadunt; & formidines ingentes me circumuallant;ita,ut,acerbissimis curis confectus,occumbam. Non iam de resistendo laboro;non,ut manu mea tantum scelus ulciscar, animo meditor; sed, ut fuga me a tantis malis propiam,alas non accipitris ad perniciem inferendam, sed columbæ ad periculum declinandũ, mihi dari percupio. Sic enim perpeti uolatu hinc semigrarem, & in longinquas terras aufugerem, & in uasta tandem, atque deserta, solitudine consisterem,ne tantam uim malorum oculis usurparem. O rem perditã,maximaq. mæroris acerbitate deplorandam. Celeritatem certe,quantum fieri poterit,mcitabo, ut malorum omnium tempestatem,atque procellam,& turbines immanes, effugiam. Magnum quidem malum in populorum discordia constitutum est. ea namque remp. dissipat, & nationes uniuersas partium contentio ne dilacerat. Sed multo grauius malum est in scelerum consensione positum. Itaque,cum ciuitates, propter scelerum magnitudinem, discordia plectis, debitum supplicium hominibus profligatis,atque perditis,irrogas;interim non mediocres partes clementiæ susci pis, cum grauioris sceleris materiam detrahis. Te igitur, Domine, quantum possum,oro,ut improbitatem conficias, ut hominum (quemadmodum in Babelis euersione fecisti)linguas diuidas, ne facinus scelerata consensione ad summum perueniat. Vidi namque in ciuitate ius oppressum; uim erectam; tyrannidem constitutam;& homines litibus, nullum exitum habentibus, implicatos. Hæc quidem mala dies atque noctes urbem circumsident, & per muros impune gradiuntur; & in illius medio iniquitas, & iniuriæ conflandæ sollicitudo, dominatur. Improbitas curiam,& forum, occupauit;& a platea, in quam homines,negotij gerendi causa, conueniunt,nec usura,neque dolus,abscedit. Quid autem de scelere, quo sum oppressus, edisseram? Si enim inimicus apertus mihi tam grauem iniuriã intulisset, æquiore animo pertulissem; si, qui mihi inimicitiam indixisset, in meam perniciem uim comparauisset, illius conatum tempore repressissem. Sed insidias hominis latenter inimici, qui amicitiam simulat,nemo facile pręcauebit. At tu, homo, consiliorum meorum socius, ad cuius me ducium libenter applicabam, cuius consuetudine,& familiaritate,fruebar,cum quo arcana mea cum iucunditate conferebam, cum quo in domo Dei coniunctissime uixi,in me,quod minime erat sperandum,tæterrimus exstitisti. Quod igitur tantum scelus esse potuit, ut sit aliqua ex parte cum hac tam insigni perfidia conferendum? fidē enim, & officium,prodidisti;amicitię sanctitatem impie polluisti;dolos,& insidias, ad innocentis euersionem summo studio comparauisti; multaq. simul scelera uno facto designasti; nec ab illo te metus Dei ullo modo reuocauit. Non erit (ut fortasse suspicaris) tantum,atque tam atrox,facinus impunitum. Apparebit enim uindicta; & debita supplicia tibi,& sociis tuis,cum seueritate constituet. Repentina mors,o Domine, ab illis meritas pœnas exigat;&,quemadmodum illi, qui in sanctos tuos impudenter, & contumaciter, inuecti sunt, horrendo terrę desidentis hiatu cõsumpti repente sunt;

Præcipita Domine,& diuide linguas eorũ.

Quoniam si inimicus meus male dixisset.

Exaudi Deus orationem meam

Contristatus sum in exercitatione mea.

Veniat mors super illos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt;ita isti,qui in eodem scelere uersantur,a terra subito deuorẽtur, & uiui in inferam regionem detrudantur.Non enim sanabilis est eorum morbus.Nam eorum sedes,& domicilia,sunt omni genere scelerum contaminata,& infecta; animosq. gerunt pestiléte tabe corruptos,& lutulentissimis flagitiis inquinatos; & illi quidem, qui in scelere perseuerãt,leti pessimo genere peribunt. At ego, quem illi malis omnibus opprimere conati sunt, solus,& inops,& proditus, & in omnes simul calamitates impulsus,eripiar. fidem enim non deseram, & ad Dominum clamabo, qui mihi salutem conferet.Nec enim illum orare,& obsecrare,cum magna animi contentione desistam. Cum Sol in occasum precipitauerit,& cum mane rursus exortus fuerit, & cum meridie clarior lux illius exstiterit, omni denique tempore, siue spes attenuari uideatur,siue signis lætioribus erigatur,idem semper ero.Nam de illius benignitate perpetuo cogitabo,& spiritum meum languentem excitabo, & uim mihi ipse acriter inferam,ut oratio, qua opẽ illius imploraturus sum, sit ardens,& incitata; & ita fore confido,ut ipse uocem meam ex audiat. Animam meam, multis gratiæ illius opibus locupletatam,extra belli periculum collocabit;quamuis sint nimis multi ij,qui contra me bellum perpetuo gerunt. Audiet, inquam, & aduersarios meos de omni statu deiiciet, Dominus, cuius solium est sempiternum.O summam,& in omni sæculorum æternitate prædicandam,sanctissimi iudicis æquitatem, cum illos euerterit, & afflixerit, omnibus q. pœnis insectatus fuerit.nemo iure poterit de nimia seueritate sanctissimi numinis conqueri,cum intellexerit,quam duri, & pertinaces, in scelere suscepto perstiterint.Immutari enim,& conuerti,nullo pacto uoluerunt, nec ullo Dei metu a facinore destiterunt.Sceleris princeps,& auctor,manum in necessarios suos, quibus erat adstrictus,scelestissime comparauit,& amicitię sanctissimum fœdus audacissime perfregit. Qui autem illi homina dederunt, orationem suam butyro molliorem fraudulenter efficiunt:cum interim animo bellum nefarium meditentur. Verba quidem blandiora sunt oleo; facta uero sunt ancipites gladij,quibus homines,nihil hostile suspicantes,uno ictu conficiant. Magna quidem sunt pericula,bonis,ab hominibus sceleratis, intenta. Verum,qui iustitiam,& pietatem, coluerint,& in Domino spem collocatam semper habuerint,omnia pericula propulsabunt.Te igitur, quicumque pietatis studio teneris,admoneo,ut neminem eorum,qui tibi perniciem inferre conantur, extimescas.Committe Deo omnes curas,& cogitationes tuas; & ipse te enutriet; neque umquam permittet,ut iustus,opera perditorum hominum,de statu conuellatur.Tu,Domine,impios,& sceleratos, in putcum exitij sempiterni detrudes; & uiri homicidæ,& fraudulenti, ne dimidiato quidem dierum suorum numero perfruentur. Tẽpore enim, quo sibi longiorem uitam polliciti fuerint,&,inanissimis cogitationibus inflati, multa secum animo designauerint;& opera, & longinquum tempus, uanissima cogitatione mentis exstruxerint; excisi, funditus interibunt; &, e terris radicitus euulsi, ad ærerna supplicia trudentur. Ego uero, summe Domine, spem, in omni rerum uarietate, in te, singulari uitæ meæ præsidio, firmissimam collocabo.

Ego autem ad Deũ clamaui.

Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo. Psal.55. Apud Heb. 56.

DAuid,suorum manus,& insidias, fugiens,in hostium manus incidit; homines alienos, quos multis plagis contuderat, atque debilitarat, in se clementiores expertus est, quam suos, quibus salutem contulerat. Cum tamen in Palęstinorum potestate esset,in hanc sententiam, more suo,Dei misericordiam suppliciter implorauit. Cernis,Domine,quanto odio, & immanitate,me uexet,& insectetur,& affligat homo ille,quem tot ies ab imminenti clade,ope tua,liberaui? Totos dies bellum comparat aduersum me, nec aliquid de tanta crudelitate remittit.Tu igitur, qui solus es mihi salutare uitæ præsidium, misericordia tua me tuendum suscipe. Hostes enim mei,ut me perdant, & affligant, summis uiribus eniituntur; & perpetuo contra me bellum dirum, & exitiosum, (o Rex excelse,)moliuntur. Sed, quo plura mihi ad formidinem proposita fuerint, eo firmius bonitati tuæ confidam. Verbo Domini, quo mihi spem salutis ostendit,gloriabor: in illo, cuius neque potentia frangi, neque fides labefieri potest, spem collocatam habeo:& iccirco nihil,quod caro in meum exitium machinetur,extimescam. Perpetuo uerba mea calumniantur;&, quod pura mente loquor, in pessimam partem rapiunt; omnesq. eorum cogitationes,& studia, in meam perniciem conferuntur.Insidias intendũt;se fraudulenter occultant; gressus meos obseruant; ut, quacumque ratione possint,uitam mihi (ut concupierunt)eripiant. Malitia,& iniquitate, confidunt;& a fraude,& iniuria,sibi salutem requirendam statuunt. At tu, Domine,cum sis improbis semper infensus, populos uniuersos, qui peruersa mente sunt, ira tua de statu detorques, atque funditus euertis. Tu igitur crebras expulsiones, quibus sæpe uagari compellor,numeratas habes; lacrymas meas fine fructu profundi minime permittis; omnia, quæ contra ius,& fas,ab inimicis meis perpetior,in libro tuo, ad sempiternam memoriam, consignata sunt. Inimici mei,cladibus afflicti, se in fugam dabunt, cum inuocauero te. certus enim sum, fore, ut Deus meus patrocinium meę uitæ suscipiat. Non meis uiribus innitar; non ullis meis meritis insolescam; non ingenio,aut artibus ullis,extollar; sed uerbo tantum Domini,& fide,quam in Dei benignitate firme locatam semper habeo,gloriabor. Hæc me fides fulcit;hęc mihi metum demit;hęc me curis omnibus leuat; hæc denique hostium uictorem efficiet. Cum enim firmissimo Dei præsidio nitar, quid homines contra uitam,& statum meum,molian-

Miserere mei Deus, quoniam.

Multi bellantes aduersum me ab altitudine diei timebo.

Tota ista uerba maledicũtur.

Deus, uitæ meæ auxiliator tibi.

tur,

tur,non laboro. Omnes enim conatus hominum contra Diuinum præsidium comparati, erũt inanes,& irriti. A te solum auxilium postulaui; tibi soli Deo meo uota nuncupaui; quæ cum celebri gratiarum actione persoluam. Tu enim animam meam ab interitu redemisti;tu pedes meos,ne periculose laberentur,perfulcisti; ut possim in Maiestatis tuæ conspectu lætus incedere, & splendore lucis, qua sancti homines,qui soli uera uita fruuntur,illustrati sunt,illuminari.

Miserere mei Deus, miserere mei. Psal. 56. Apud Heb. 57.

PErstat in eadem querimonia Dauid, cum nihil apud Saulem,nec innocentia,neque meritis,neque fide,proficeret. Tantus enim furor, ex inuidia natus, Regem miserum exagitabat, ut, quamuis cerneret,se non semel occidi potuisse ab eo, cui cędem inferebat, nihilominus in scelesto facinore perseueraret.Dauid igitur, quemadmodum Saul nihil ex instituto scelere remittebat,ita ab orationis studio minime discedebat, & contra humanum furorem Diuinum præsidium comparabat. Sic igitur Deum affatur: Domine,uides, quantis opibus oppugnor ab eo, quem ipse, tam sæpe,cũ summo uitæ periculo,conseruaui. Cũ uero,in tantis difficultatibus, omnium præsidio destitutus sim;(omnes enim nefas habent,eum,quẽ Rex odio persequitur, aliqua ex parte subleuare) reliquum est, ut in arcem illam munitissimam, quæ misericordia tua continetur, summa fide confugiam. Miserere igitur mei, Domine, miserere mei,quando non aliis opibus,atque præsidiis,innititur anima mea;&,sicut aues, cum inuolatum milui,aut accipitris,aut aquilæ,pertimescunt,sub matrum alis occuluntur; ita & confido fore, ut præsidio tui nominis occulter, usque eo,dum tyrannis importuna pertranseat. Ad Deum altissimum clamabo;ad Dominum,qui me beneficentiæ suæ donis egregie cumulauit, supplices preces adhibebo.Mittet de cælo præsidium,quo salutem meam tuebitur;& hostem,qui, ut meam uitam,& sanguinem,petat,meamq. gloriam omnibus modis obscuret, contendit,infigni dedecore, ignominiaque,perturbabit.O immensam Dei benignitatem,quæ numquam eos, qui in te semper intuentur, ope salutari destituis.Misit Deus in auxilium meum misericordiam suam, cum fide sua coniunctam. Misericordiam quidem appello, quia, cum nemini obligatus sit, omnibus tamen, qui opem illius implorant, admodum clementer opitulatur; fidem uero nomino illã promissi constantiam,qua iis,quos sibi fœdere deuinxit,præsidium (ut pollicitus ante fuerat) celeriter importat.Itaque, cum me e tantis ærumnis eduxerit, & misericordiæ simul,& datę fidei,egregie satisfacit. Anima mea, inter leones,furore, & immanitate, flagrantes,præsidio tuo cincta, iacebit. Quid Leones appello? immo belluæ truculentæ, leonibus multo ferociores,appellandę sunt. Nihil est enim, in omni genere ferarum,hominibus impiis,& sceleratis,infestius.Dentes enim eorum, sunt hastarum cuspides,& sagittæ:linguę eorum,est gladius acutus. sermonibus enim suis mortiferum uulnus infligunt; & corpora simul, & animas, sæpe transuerberant, & strages bonorum frequenter edunt;nihilq. est in terris, quod tantam pestem, quanta a linguæ calumnia, atque maledicentia, bonis impendet,auertat.Sed, quo plura pericula sunt bonis intenta, eo clarius gloria tua, cum eis in rebus omnibus desperatis opem attuleris,illustrabitur. Quo circa a re cõtendere non desistam, ut tui nominis amplitudini,atque maiestati, pro spicias:quod quidem perficies, si iis,qui in te solo habent omnia uitæ præsidia constituta, subsidio, in rebus asperis,& afflictis,occurreris. Facigitur, ut nominis tui laudes supra cælum efferantur; & gloria tua in terra omnium prædicatione celebretur.Ex me autem poterit exemplum sumi,quo iuris tui æquitas in omnium sermone uersetur.Rete intenderunt inimici pedibus meis; hostis inflexit (quoad potuit) animam meam, ut in rete decideret: nam me blandis uerbis alliciebat, ut sibi uitam meam crederem; foueam ante me in magnã altitudinem depresserat,ut in eam detruderer. At ipsi in illius medium præcipites acti sunt. O uim Diuini iuris admirãdam:qua fit,ut malum, quod impii in bonorum pernicié moliuntur,ipsi potissimũ subeant;& laqueis, quos aliis struxerant, impediti,& alligati,teneantur. Sed, quid nã est hoc, quo tam subito me immutari, & exoriri,sentio? Video enim, animum meum uirtute spiritus uehementius afflari,mentemq. meam uiribus Diuinis incitari, ut Christum, Regem sempiternum, cogitem,calumniis uexatum,longe grauius, quã ego sim,impiorum dentibus uulneratum, & supplicio denique atrocissimo mactatum,e faucibus deinde mortis, & ex inferorum tenebris, excitatum,ut,hostis sempiterni tyrannide deleta, mortisq. immanitate superata, clarissimũ triumphũ agat;& omnibus,qui in illum respiciunt, aditum ad gloriam sempiternam aperiat.Quo quidem solatio quid poterit esse uel ad leuandam magnitu dinem angoris,& sollicitudinis, efficacius; uel ad confirmandam spem salutis,& gloriæ, uehementius? Ego recusem inire cum Domino meo laboris,atque doloris,societatẽ?Ego dubitem de sempiternæ felicitatis statu; cum illum uideam esse sanguine sanctissimo Domini fraudatum,& illius præclarissima uictoria constitutum?Deleo ex animo curas omnes,uires mentis excito,ut me comparem ad tam Diuinum beneficium attentissime considerandum.Paratum est cor meum,Domine, ad audiendum cæleſtem disciplinam, qua me spiritu tuo illustrãdum suscepisti:paratum etiam est ad tam excellẽs, atque Diuinum,beneficium, & carminibus,& omni genere cantus, & harmoniæ iucundissimæ,concinendum.Exsurge a mortuis, o summi patris gloria, cuius nomine, & beneficio,meum decus, & gloria,continetur. O nablium,o cythara,o instrumenta musica,uos,quantum possum,exhortor,ut mihi prẽsto sitis. Nulli sensus,

Et altare super cælos Deus.

Paratũ cor meũ Deus.

Misit Deus misericordiam suam. Eripuit animã meam de mediocatulorum leonum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sensus, nulli cantus, nulla symphonia, poterit cupiditati tanti muneris celebrandi, qua sum mirabiliter inflammatus, aliquo modo satisfacere. Sed longum est; & amor dilationem non patitur; & spes afflictum animum consolatur; & spei fructus, in longinquum tempus reseruatus, eundem animum rursus afflictat. Auroram igitur, iucundissimam tantę lucis prænuntiam, crebris monitis, & precibus, excitabo, ut exoriatur. Cum uero hoc immortale beneficium non sit Iudæis tantum afferendum, sed cum gentium omnium uniuersitate cõmunicandum, hunc tam lætum nuntium, o Domine, populis externis afferam; nomẽ tuum apud gentium multitudinem laudibus perpetuis, quæ ad illarum intelligentiam perueniãt, extollam. Misericordia enim tua cæli fastigia penetrat; & fides tua ætheriam regionem facile tranat; ita, ut nostræ salutis auctorem ad dexteram tuam collocet, nobisq. omnibus, qui ductum, & imperium, illius sequimur, uiam ad cęlestes sedes obtinendas egregie muniat. Vehere super cælestem regionem, o Domine; o generis humani liberator, euehere; & in terras uniuersas tui nominis, & gloriæ, splendorem diffunde.

Si uere utique iustitiam loquimini. Psal. 57. Apud Heb. 58.

CVm Reges aliquid sceleris meditantur, mirum est, quam multi sese ad illorum cupiditatem, & immanitatem, accommodent; quanto studio illos, quibus Principes infensos animaduertunt, insectentur; quam alacres sint iniuriæ, & credulitatis, administri. Silent tunc leges; humanitatis nulla cura est; metus Dei obmutescit; omnia denique in illorum perniciem, quibus Reges irati sunt, summa alacritate comparantur. Hoc est autem, quod hoc in loco Dauid maximo probro, & crimini, dandum censet omnibus, quos Reges in consilium adhibent: qui, si Principes officij admonere uoluissent, a multis flagitiis eos auertere potuissent. Nunc uero, cum, iustitię, & ueritatis, immemores, adulandi, & assentandi, cupidissimi sint, nullum tantum scelus in se Reges admittere statuent, cuius ipsi non se auctores, & adiutores, atque ministros, præbeant. In hoc igitur hominum genus pestilentissimum. Da uid inuehitur; & eorum scelera, qui iura omnia ad cupiditatem, & libidinem, transferunt, grauissima oratione uituperat. Ait enim: Num, o uiri, muneris splendore nobilissimi, ex hominum multitudine delecti, ut Reges consilio iuuetis, & remp. iuris æquabilitate deuinctam teneatis, officio uestro fungimini? Num iuris sanctitatem cupiditati, & ambitioni, præponitis? Num ueritatem omnibus emolumentis mẽdacio, & adulatione, quæfitis, anteferendam existimatis? Num in iudicando nihil omnino potentium gratiæ, aut offensioni, conceditis, sed omnia ad exactissimum iustitiæ pondus, & examen, dirigitis? Non prorsus. Immo, cordis intimo recessu scelus machinamini; in terra, iniuriam, & uim, manibus intentatis; & non, quid ius postulet, sed quod uobis emolumentũ ex facto proueniat, impura mente perpenditis. O rem perditam & miseram? quibus hominibus remp. commissam uidemus? impietate cęci, insitam libidinem sectantur; a Deo abalienati sunc; mentis errorem turbulentissimum a primo cõceptu, & a matris utero, contraxerunt; mendacium perpetuo loquuntur. Sed inquiet fortasse aliquis: Non singulare aliquod, sed commune, uitium profers: omnes enim nascimur ea labe pestiferę contagionis infecti, ut ad flagitium, & mendacium, naturę deprauatę uitio, propensi simus. Verum. Sed religio, & fides eorum, qui sanari cupiunt, & naturæ morbos curat, & inflicta uulnera sanat. Qui autem aspernantur, atque repudiant, Deiq. iudicia non timent, nõ modo a naturę morbis emergere nequeunt; uerum & innatas libidines summa contentione augent, & cumulant. Venenum, quod ore cõpressum tenẽt, ut, quos uelint perdere, oratione contaminata, atque pestilenti, conficiant, est serpentis mortifero ueneno simillimum. Et, perinde atque aspides aures obstruunt, ne, sapientis incantatoris carminibus, a naturę seritate, & truculentia, ad mansuetudinem inflecti possint; ita & isti aures ueritati sponte sua claudunt; legis disciplinam audire nolunt; Diuinum imperiũ recusant; monitoribus infestissimi sunt; nullo denique modo uolunt de ratione officij, atque uirtutis, edoceri. O Domine sanctissime, maledicentiam hominum perditorum debita ultione comprime; dentes eorum in ore perfringe; molares leonum (neque enim minus calumniæ sceleris, & impietatis, quam leonum morsus, metuendæ sunt) euelle, ne maledicta longius ad multorum pestem, atque perniciem, serpant. Vires eorum diffluant, ut aquæ, quæ sponte, atque natura sua, nemine impellente, dilabuntur. Cum eiacula ri uolent, tam languidi fiant ictus, ut eorum sagittæ perfractæ uideantur. Vt limax incessus tarditate colliquescit, sic & illi conatu minime progrediantur; sed in dies eorum actiones, & studia, languescãt. Vt, abortione, mulieris fetus, antequam Solem uideat, exstinguitur; sic & isti, priusquam conata perficiant, euertãtur. Vt homines edaces, atque famelici, non exspectant, dum carnes elixæ perfecte sint, sed, antequam lebetes, subiectirham ni flammæ, uim totam percipiant, semicrudas deuorant, & absumunt; sic ira Diuina eos improuiso turbine, atque procella, dispersedet, atque dissipabit. At iustus lætabitur, & exsultabit, cum uindictam adspiciet; manusq. suas impiorum sangui ne lauabit. Iustitiæ namque munus est, operibus Diuinis oblectari, & gloriam Domini ardenter expetere. Cum igitur Deus in eos, qui misericordiam ingrate reiiciunt, & ad extremum in scelere perseuerant, seueritatis suæ exempla constituit, necesse est, ut fidem, qui Dei misericordiam assidua prædicatione celebrant, seueritatem, læti, similiter adspiciant: qua uident, illa Dei nomen debitis laudibus illustrari. Tunc enim homines,

Etenim in corde iniquitates.

Furor illis secundum similitudinem serpentis.

Ad nihilũ deuenient tamquam aqua decurrens.

Super cecidit ignis, & non uiderunt solem. Priusquam intelligerẽt spinæ uestræ rhamnum.

Si uere utique iustitiã loquimini.

Dei

Dei metu perterriri, se colligunt, & a flagitiis abstinendum esse statuunt. Dicit enim quilibet, Nõ est certe hominis iusti condicio (ut uulgus suspicatur) miserabiliter afflicta. Non est illius caussa deserta. Est enim fructus boni operis, & præmium iustitiæ constitutum. Est enim Deus, qui omnia uidet, & res humanas iuste, atque sapienter, examinat, ut iustos tueatur, & impios, atque sceleratos, debitis pœnis excruciet.

Eripe me de inimicis meis Deus meus. Psal. 58. Apud Heb. 59.

1. Reg. 19. ODium Saulis erat implacabile. Nec enim Dauidis bonitas id mitigabat; neque Dei metus hominem, in magnitudine acerbitatis obstinatum, a tam immani scelere deterrebat. Cum igitur intellexisset, Dauidem domi esse, domum obseruari iussit, ne Dauid exitium uitare ullo modo posset. Ab uxore tamen per fenestram demissus, euasit. Cum tamen omnia (ut æquum erat) ad Diuinam clemẽtiam retulisset, in hanc sententiam ad Deum orationem habuit: Libera me, Domine mi, ab inimicis meis; suscipe mee salutis, atque uitæ, patrocinium, contra eos, qui in me totis uiribus inuehuntur. Nec enim iure me, sed odio, persequuntur. nullum facinus designaui; nullum in me scelus admisi; immo omnia officia mea in illos egregie constiterunt. Inuidia igitur, & immanitate, flagrantes, in tam insigne crudelitatis crimen impelluntur. Libera igitur me ab illis, qui in iuriam, & iniquitatem, scelestissime conflant; & ab hominibus profligatis, & multum in sanguine, & cæde, uersatis, erue me. Homines, qui multum opibus, & gratia, possunt, animæ meæ insidias intendunt, nullo meo scelere, nullo peccato, prouocati; quemadmodum tu testis es, o Domine. Cum illos numquam læserim, numquam aliquid animo designauerim, quo merito possent a me alienatos animos habere, in me tamen incurrunt; de mea pernicie consultant; omnibusq. modis se comparant, ut mihi exitium machinentur. Exsurge igitur, ut mihi opem afferas; & in tam grauem iniuriam animaduertas. Non alias opes habeo; non copiis cinctus sum; nemo me, uel gratia, uel fide, subleuandum suscipit. Omnia mihi, præter te, sunt acriter infesta. Tu igitur, o summe agminis cælestis imperator, quẽ solum Israel sanctissimum Deum habet, cuius solius præsidio uitam muniendam putat, expergiscere, ut, iudicio constituto, tantum scelus in gentibus his uindicandum suscipias; neque illis, qui non per imbecillitatem, & inscitiam, labuntur, sed per summam iniquitatem, & malitiam, scelestissimum facinus aggrediuntur, ignoscas. Vt cogitatum, & meditatum, scelus exsequantur, elaborant; ad uesperum reuertuntur; tenebras noctis obseruant; ut canes oblatrant, & uestigia cum fremitu persequuntur, ut mihi fugam intercludant; ciuitatem sedulo circumcursant; ex insiti sceleris feritate uerba fundunt; clamculum inter se loquuntur; labiis suis gladios in meum interitum uibrant; neque putant, ullo modo sermones suos exaudiri, cum nimis tenebris, & sceleris consensioni, confidant. At tu, qui omnia specularis, & inspicis, & occultos impiorum homine sermones auribus usurpas, (nullum enim secretum te latet,) eorum conatus irridebis, in omnes q. gentes iram tuam effundes. Irridebis quidem eos, cum perficies, ut, quo uehementius pietatem oppugnauerint, eo clarior pietatis splendor oriatur; & ipsi recusantes, & inuiti, iustitiæ gloriæ seruiant. Iræ uero tuæ uim in apertum proferes, cum gentes uniuersas, quæ Christo fuerint aduersatæ, deleueris; & huius quidem iudicij nunc in me exemplum statues, cum perfeceris, ut omnes inimicorum conatus ad nihilum recidant, & eos, qui sine caussa mihi perniciem moliuntur, excideris. Per me quidem hosti repugnare non potero. Illius igitur potentiam, atque Regias opes, tibi debilitandas, ne mihi noceant, reseruo; non meritis meis, sed benignitate tua, fretus; quandoquidem semper me ex omnibus ærumnis eduxisti, & ad honores summos euexisti, Domine, misericordia tua, cum hostes mihi exitium parauerint, ne cogitata perficiant, anteuertat; &, quod illis exopto, facias, ut aliquando perspiciam. non interitum eorum uidere cupio, sed uitam diuturnam, cum tremore, & angore, coniunctam: ut similitudo quædam futuræ calamitatis, quæ gentem impiam affliget, in rebus meis cerni facillime possit. Cum enim gentem sceleratam, & impiam, quæ Christum tuum perditissimis conatibus oppugnabit, ulcisci statues, non eam internecione delebis, ne memoria tam sceleris, quam diræ ultionis, exstinguatur; sed diutissime illius miseram uitam propagabis, ut populus tuus eam uideat uagam, & exsulem, semper trementem, & horrentem, nulla incerta fede consistentem, omnium conuiciis, & ruinis, expositam, usque eo, dum scelus suum agnoscat, & ad ueresimæ religionis studium conuertatur. Sic ego nunc fore confido, ut non moriantur hostes mei, ne memoria tanti facinoris excidat a mente populi mei; ut omnes intelligant, quam diræ pœnæ eos exagitent, qui tanto odio eum, quem tu tanta benignitate complecteris, insequuntur. Exturba, nomine tuo, gentem in tam nefando scelere contumacem, & dissice illam, o summe custos, atque defensor, salutis nostræ. Crimine impudentissimi sermonis alligentur; confessione sceleris, cuius eos minime pudet, capiantur omnes, qui ueritati nefarium bellum indicunt; & nimis superbe, & insolenter, sanctitatem arrogant; cum in sanctitatis auctorem maledicta coniiciant; & eundem, quem uereri, quem colere, quem amare, debuissent, exsecrantur; & mendacia, ut gloriã illius obscurent, ore sacrilego proferre nõ dubitant. Confice illos; confice indignatione tua; nullo in loco cõsistant, ut, tãtis pœnis uexati, & cruciati tandẽ resipiscãt;

Et tu Domine deridebis eos.

Fortitudinẽ meã ad te custodiã.

Deus ostendit mihi suos per inimicos meos.

Exsurge in occursum meum.

Conuertentur ad uesperam.

Delictum oris eorum sermonem labiorum ipsorum.

Et de exsecratione, & mẽdacio annuntiabuntur. In cõsumatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& intelligant,te,quē illi tanto odio perſequũtur, eſſe Deum uerum, & nō Iacobi tantū Dominum, ſed etiam in gētibus,uſque ad ultimos terrę fines, latiſsime dominari;ut omnibus,tam Iudæis, quā exteris gentibus, qui ad tuum nomen adiungi uoluerint,ſalutem afferas.O infinitam clementiam, quæ nullum genus hominum,modo fidem ſancte colat,a communione Diuini ſtatus, atque ſempiternæ felicitatis, excludit. Et tamen ſunt homines ſanctorum patrum ſanguine propagati, qui immenſitatem Diuinæ benignitatis exagitent;& maledictis omnibus auctorem communis ſalutis inſectentur; illiusq. nomen exſtinctum cupiant? Ad ueſperum ſcelus iterant; tenebras perſequuntur; ut canes, oblatrant, & ciuitatem, ſine ullo fructu, circumcurſant. Varie diſcurrunt, & huc & illuc temere uagantur, ut animos cibo reficiant; literas ſanctas conſulent;magiſtris impuriſsimis operam dabunt;numquam tamen ueriſsimi cibi ſuauitatem guſtare poterunt:& ita demum euenier, ut, fame confecti, in contumelias erumpant. At ego potentiam tuam carmine perpetuo, atque cantu iucundiſsimo, celebrabo; & bene mane ad laudes miſericordiæ tuæ egregie concinendas exſurgam; quia tu me, ærumnis depreſſum,atque demerſum,extuliſti;& totius ſollicitudinis,& angoris,ſingulare perfugium mihi in rebus aduerſis exſtitiſti.O robur animi mei, tibi pſallam, quia tu Deus meus es, & liberator meus; & omne meæ uitæ præſidium, atque firmamentum, eſt in tua miſericordia conſtitutum,

Conuertentur ad ueſperam.

Ipſi diſpergantur ad manducandum.

Deus repuliſti nos. Pſal. 59. Apud Heb. 60.

MAximis uno tempore bellis Dauid oppugnatus fuerat;quibus cum uideretur difficillimum repugnare,neceſſe erat, uniuerſum Regnum magnis motibus agitari, & multis difficultatibus implicari;maxime uero,cum in principio hoſtes magnam uaſtitatem Hebræorum rebus intuliſſent, &, ſucceſsibus elati, de totius regionis euerſione cogitaſſent. Cum igitur gens eſſet nimis afflicta,& prope modum ſpem ſalutis abieciſſet, Deus,rebus in ſummum diſcrimen adductis, opem attulit;& uictoriam inſignem Dauidi conceſsit. Nam & Meſopotamiæ exercitum magna belli contentione ſuperauit; & Syriæ Regem ſimiliter prœlio maximo deuicit; & Idumæos ita repreſsit, ut non mediocrem ſtragem ederet. Rebus igitur proſpere geſtis, more ſuo, uir ſanctus Deo gratias agit, qui populum afflixerat,& afflictum erexerat, & uulnera, quæ intulerat, remedio ualde ſalutari ſanauerat. Hoc tamen in loco illum cura ualde grauis afflixit. Proſpexit enim, mente Diuinitus illuſtrata, plagam, qua Iudæi erant, propter ſcelus immaniſsimum,funditus euertendi, & in diuerſas orbis terrarum regiones,cum inſigni dedecore, & ignominia, diſpellendi. Hunc tamen caſum, & ruinam, ſpe ſalutis, per Chriſtum rurſus inſtaurandæ, mirifice conſolatur. Multas ſibi interim uictorias pollicetur. Animus tamen illius multo magis erat in Chriſti uictorias, quam in ſuas, intentus. Eſt tamen intelligendum, quo genere orationis prophetæ ſoliti ſint Chriſti uictorias explicare. Nomine enim earum gentium, quæ Iudæis erant olim nimis acriter infeſtæ, hoſtes Chriſti ſempiternos intelligunt. Inquit igitur: Domine, tu nos expuliſti, & eieciſti, & diris calamitatibus afflixiſti; &, quam iratus nobis eſſes, plagis atrociſsimis oſtendiſti. Quid ergo? Num ira tua in nos ſine fine deſcuiet? Non certe, ſi ſcelus admiſſum deteſtati fuerimus: quod quidem tandem faciemus. Faciem igitur tuam, quæ a nobis erat auerſa, ad nos iterum conuerte. quamdiu nos reſpexeris, omnia nobis læta, & felicia, contingent;ſi uero oculos a nobis deiceris, in res diras, exitioſas, & in extremum dedecus, incurremus. Tu terram iſtam motibus horrendis conquaſſaſti; tu ſoliditatem illius ita conuelliſti, ut multis in locis uehementiſsime perfracta dehiſceret. Quis tantum damnum reſarciet? Quis tam inſignem iacturam reficiet? Nemo eſt in terris, qui poſsit ſtatum perditæ, & afflictæ, gentis in priſtinum ſplendorem reſtituere. Ille ſolus, qui tantam uim malorum in nos, propter diriſsimum ſcelus, inuexit, poteſt, quod eſt ereptum, reddere. Miſericordia tantum Diuina compenſat, quod eſt ſeueritate Diuini iuris ablatum. Tu igitur, Domine, qui terram tantis plagis contudiſti, eam ſana; &, quæ ſunt oppreſſa ruinis, magnitudine benignitatis inſtaura. Duriſsima calamitatis exempla populo tuo demonſtraſti. Vidit enim innumerabilia ſuorum funera; uidit,ciues partim ferro conciſo, partim fame, confectos;uidit, ciuitatem, & antiquitate nobilitatis, & ſtudio religionis, florentiſsimam, exſcindi; uidit, templum ſanctiſsimum, quod omnium mortalium animos ſui admiratione commouebat, inflammari.Hæc omnia diriſsima ſupplicia fuerunt Hebræorum nationi conſtituta, niſi aliud multo grauius miſeris hominibus acceſsiſſet,quod omnem ſpem ſalutis incideret. Poculum enim uini, mortifero ueneno grauiſsimi ſoporis infecti, illis porrexiſti;quo ebrij uacillarent, & nutarent, oppreſsisq. ſenſibus paſsim conciderent. Quæ enim adſpiciunt,minime uident;quæ audiunt, minime percipiunt; in meridiana luce tenebris oppleti ſunt;erroribus turbulentis imbuti, ita gradiũtur, ut omnem uiam ſalutis ignorent; &, quo magis, ut ſalui fiant, omnibus modis enituntur, eo furentius in peſtem ante oculos poſitam ruant. Cum enim cæleſtem diſciplinam aſpernati fuerint, iuſto Dei iudicio in funeſtiſsimas tenebras inciderunt. Sed non omnes eodem genere procreati eandem cladem ſubierunt. Illis enim, qui numen tuum metuunt, ſignum ſuſtuliſti, quod ſequerentur,ſub quo militarent,per quod, ſtudio ueritatis innixi, uictores euaderent. O ſalutarem Euangelij diſciplinam,quę ſuperbiam,& inſolẽtiam,deprimis;& humiles in altiſsimo gradu conſti-

Deus repuliſti nos.

Oſtendiſti populo tuo dura.

Dediſti metuentibus te ſignificationem.

conſtituis;& humanæ mentis imbecillitatem Diuina uirtute corroboras.Hoc igitur ſigno, imperatorisq. ſummi ductu,eos,qui tibi cari ſunt,ab omni calamitate liberabis; & dextera tua ſalutem tuis conferes; & audies me, faciesque tanti boni participem.Sic autem fiet,ut, in communi rerum omnium uaſtitate, reliquię per fidē ſalutem aſſequantur,eo quod ſe ad ductum, & imperium, ſummi imperatoris applicabunt; & numquam ab illius ſigno diſcedent.Quid eſt de uniuerſa poſteritate dicendum? Num illius ſalus eſt omnino deſperanda?Minime,inquam. Dominus in templo ſancto ſuo,quod non eſt hominum operis ędificatum, ſed Maieſtatis ipſius ſempiternæ manibus perfectum,& abſolutum,hæc effatus eſt:Bellorum omnium uictor, exſultabo, & poſſeſsiones hoſtibus ereptas ad eorum fructum,qui ſub meo ſigno militauerint,transferam. Diuidam agrum, qui pertinet ad Sichem;uallem tabernaculorum, ut in eo conſtitui colonia poſsit, dimetiar. Trans Iordanem ſignum inferam: Galaad, adſtrictus fidei teſtimonio, mihi ſeruiet; ſimiliter & Manaſſe, aliarum rerum omnium oblitus, ſe. ſe ad meum nomen ardenter adiunget; Ephraim, uiribus amplificatis, mei exercitus principem inuicto robore conſtipabit. Penes Iudam legis ferendæ,& imperij adminiſtrandi, poteſtas, & auctoritas, ſumma conſiſtet. Ex ſtirpe enim illius rex ſempiternus orietur. Moab erit puritatis adminiſter;&,ſancti patris exemplo,hoſpitalitatem ſectabitur.Idumeæ inſolentiam pedibus conculcabo,ut imperium accipiat.O Paleſtina, quæ tanto ſtudio bellum contra Iudæam comparabas,ſic immutaberis, & eo mentis ardore mihi miniſtrabis, ut maximis uocibus, quanto gaudio ex tam felici ſeruiendi condicione triumphes, omnibus demonſtratura ſis. Et his quidem uerbis Dominus futurum oſtendit,ut uniuerſa Iudæorum poſteritas tandem reſipiſcat, & ſimul cum gentibus ſummum Deum,cum ſumma fide,& animo uehementer inflammato, ueneretur. Hæc igitur ſpes me in omni diſcrimine ſuſtentat, & in omni calamitate conſolatur. Interim tamen ad officium meum pertinet,populum mihi commiſſum armis tueri; & illis, qui contra Hieroſolymam bellum acerrime comparant, ſumma contentione repugnare. Ex omnibus autem hoſtibus, qui contra Dei populum arma ſumunt, nulli ſunt capitaliores,quam Idumæi,quos neque ſanguinis communio, (ſunt enim Iſaaci, patris noſtri, ſatu progeniti,)neque uicinitatis ius, quod eos ad beneuolentiam allicere debuiſſet, impedire poteſt, quo minus de nobis acerbiſsime cogitent. Et nunc, cum armis potentiſsimorum hoſtium premeremur,ut nos ancipiti bello diſtrictos opprimerent, in fines noſtros furenter inuaſerunt. O, quam cupio, ne ſimile facinus in poſterum deſignent, in illorum urbem munitiſsimam uictricibus armis inuadere? Quam uellem, continuata uictoria in Idumæam progredi, & illius factũ comprimere. Sed, quo præſidio, & cuius ductu, & auxilio,hoc, quod iam dudum animo molior, effectum cernam? Tuo certe, Domine, qui nos, ut peccatis noſtris debitam pœnam irrogares,expuliſti;& exercitibus noſtris præſentem opem mihi me contuliſti; & iccirco fuimus ab hoſtibus aliquando ſuperati. Cum iam igitur pœnas dederimus,nobis non mediocribus malis afflictatis auxilium afferes.Non ab exteris regibus,& nationibus,auxilium umquam poſtulabo,quorum fides fluxa eſt, & poteſtas imbecilla, & ea de cauſſa ſalus,quam oſtendunt,inanis:Domini tantum igitur fide nixus, uictoriam inſignem conſequar; & ipſe hoſtes noſtros proculcabit.

Deus locutus eſt in loco ſancto ſuo.

Moab olla ſpei meæ.

Mihi alienigenæ ſubditi ſunt.

Quis deducet me in ciuitatem munitam?

Nonne tu Deus, qui repuliſti nos.

Exaudi Deus deprecationẽ meam. Pſal. 60. Apud Heb. 61.

MIrus homo fuit hic Diuinus uir. Metus cum multis in locis urgebat;& ſpes numquam deficiebat. Pericula illi frequenter imminebãt; & fides nullo tempore claudicabat; ita,ut eſſent illi optanda pericula,quibus fidē exerceret; & ſępius Dei miſericordiã imploraret.Quo enim acrius eũ hoſtes inſectabantur,eo frequentius colloquio Diuino fruebatur,& prȩterea numquã animus illius a Chriſti ſtudio,& contẽplatione,diſcedebat. Sic autem hoc in loco apud Deum agit: Audi, Domine,clamorem meum, & mentem in uim meæ orationis intende.Quocumque in loco ſim, quãuis in ultimas terras me ablegatum, & a templo tuo longinquo ſpatio diſiunctum uideam, quoties animum curis oppreſſum, & conturbatum, geſſero, ad te fidenter inclamabo. ſemper enim præſens es, ut illis, qui in fide tui ſanctiſsimi nominis acquieſcunt, occurras. Vires deficiunt, & conſilium minime conſiſtit; cum pericula, quæ circumſiſtunt, longe maiora ſint, quam ut ſuſtineri humana uirtute,& induſtria, poſsint.Tu igitur me in eam munitionem duc, ad quam per me adſpirare nequeo,& in qua extra hoſtium mortifera tela confidam. Tu enim es ſpes mea, quæ ſemper innitar; tu arx mea munitiſsima, in quam me recipiam, quoties hoſtes in me impetum fecerint. Habitabo in tabernaculo tuo ſæculis infinitis;ſub alarum tuarum integumento, atque patrocinio, quietus,animo conſtanti,permanebo. O tabernaculum immobile, fixum, atque ſempiternum, in quo Deus non adumbrate, ſed uere,ſemper habitabit;quam firmã ſpem iis, qui ad tuum nomen adiuncti ſunt,& in atrio tuo uerſantur,immortalitatis oſtendis?Cum enim uerus Deus ſis, uota mea clementiſsime ſuſcepiſti; & me,& omnes,qui nomen tuũ ſancte,atque religioſe,metuunt,ut Dei filios,& fratres tuos,atque coheredes,in ſocietatem ſempiternæ hereditatis adſciuiſti.O ſumme Pater, dies huius Regis ſanctiſſimi,quẽ populo tuo prȩfeciſti,ut cælo,atque terræ iura deſcriberet, omniaq. imperio contineret, in perpetuum propagabis; anniq. illius nullis generationibus, aut ætatibus, erunt definiti. In conſpectu Dei ſedem,atque maieſtatem, ampliſsimam retinebit;ſoliumq. illius erit miſericordia,& fide,circumſæptũ,ut cũ ſumma benignitate conſulat oĩbus,qui in illũ ſemper intuentur;&

Exaudi Deus deprecationem meam.

Inhabitabo in tabernaculo tuo.

Dies ſuper dies regis adijcies.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum summa fide promissa conficiat. Sic igitur in laudem nominis tui perpetuo psallam; singulis diebus, uotorum omnium reus, uota persoluam.

Non ne Deo subiecta erit anima mea? Psal. 61. Apud Heb. 62.

MOre suo, Dauid, periculis circumuentus, de hominum improbitate conqueritur, &, quamuis principio insidias extimescat, fide tamē in Deo locata, timorem omittit, & animo confirmatur, ita, ut cuncta, quæ sibi ad timorem proponuntur, animo alto, & excelso, despiciat. Ait igitur, Multa me certe sollicitant; multa clamare, & uociferari, compellunt: Verum anima mea, cum Diuinam misericordiam, qua salutem fuit sępe numero consecuta, recordatur, quiescit, & silet, & pace tranquilla perfruitur. Nam certe Deus est mihi rupes editissima; est salutis meę custodia munitissima; est denique dignitatis meæ uindex acerrimus: numquam igitur multum inimicorum meorum machinis commouebor. Quousque tandem in hunc uirum, quem Deus tuendum, & ornandū, suscepit, furenter irruitis, o homines mētis expertes; & non intelligitis, uos ipsos uobis necē moliri? Vt enim paries, quamuis nimis altus esse uideatur, cum rimas agit, atque procumbit, leuissimo impulsu diiicitur; totaq. domus eadem ruina collabitur; &, quemadmodum maceria, qua horti sæpiuntur, cū non sit cæmentis firme constructa, cum primum incipit impelli, diruitur; ita & uos, quamuis alta cogitetis, & uestro præsidio rempᵘ cingi statuatis, cum tamen neque sitis Diuino robore firmati, neque caritatis cæmento deuincti, repente corruetis. Omnes enim uires, quæ contra Dei consilium colliguntur, nimis imbecillæ sunt, & illius rectissimo iudicio facillime conteruntur, atque dissipantur. Quid est autē, quod tantopere homines instigat ad uirum, a quo nullam iniuriā acceperunt, omnibus modis opprimendum? Inuidia certe, qua nihil est in hominum uita pestilentius. Ne igitur illi honores eximij deferantur, laborant, & solliciti sunt; omnesq. machinas adhibent, quibus illum non opibus tantum euertant, sed etiam uita spolient. Ne igitur ad honores regios euehatur, consilium ineunt, ut illum præcipitem eiiciant; & in eam rem mēdacia studiose concinnant; ore interim blandiuntur, intima uero cogitatione maledictis eundem configunt. O dirum impietatis exemplum. Tempus enim illud prospicio, quo gentis Hebręæ principes, inuidia flagrantes, de Christi pernicie coniurabunt; & blandis uerbis insitum scelus occultabunt; & secreto consilia contra illum, plenissima sceleris, & immanitatis, inibunt. Ad hoc igitur exemplum me inuidia circumueniri plane uideo. Tu uero, anima mea, ne metu trepides; ne te tristibus curis afflictes; in Dei tui benignitate cōquiesce. In illo namque habeo spes oēs uitæ constitutas. Ille namque est mihi roboris inuicti præsidium; salutis immobile firmamentum; dignitatis decus, & ornamentum. Cum nihil in me sit, quod non sit ab illo tributum, & illius ope, & gratia, defensum; nihil est, quod possit me de statu meo conuellere. In Deo est salus mea, & dignitas mea; in Deo est fortitudinis meę robur munitissimum, spei meæ constantia, & stabilimentum. O mortales, adeste animis; & orationē meā summa consideratione percipite. fluxa, & caduca, cōtemnite; in Deo tantum spem uestrā reponite; in conspectu illius ex intimo corde preces uestras effundite. In illo namque omnis spes nostra est firmissima fide collocanda. O immēsam benignitatē, quę numquā humiliū preces aspernata es. At hoium multitudo uanitas est; at nobilitatis amplitudo mendaciū est. Si in unam libręˢ lancē fuerint hoium cogitationes impositæ, in alteram autē uanitatis, ipsius inanitas, fiet, ut uanitas ipsa præponderet. Nolite igitur, homines, in calumnia spem uitæ reponere: nolite rapinis inaniter inflari: si opes affluxerint, nolite in illis mentem defigere. oīa namque labuntur, & fluunt, & momento temporis euanescunt, & grauissimi doloris materiā plerumque relinquunt. In bona sempiterna respicite; opes immortales exquirite; ludibria uitæ contēnite; Dei uerbo, qui neque fallere, neque mutari, umquam poterit, animi statū cōfirmate. Semel enim loquitur Deus. Non est. n. incōstans, uarius, & cōmutabilis: quidquid enim promisit, efficiet. Duo hęc ab illo percepi, quę nūquam ex animo meo elabentur. Vnū est, quod sit potestate infinita prędituˢ; Alterum, quod sit ad benigne faciendum paratissimus. Ergo, cū neque potestas illius infringi, neque misericordia exhauriri possit, efficitur, ut ille solus dare salutē possit oibus, qui uerbis, & promissis, illius innituntur, & hac fide uitā instituunt. Ergo, ut, qui se Deo uigente fide commiserunt, sunt sapientissimi; ita, &, qui, præsidiis humanis elati, uerum prędium neglexerunt, sunt inanissimi. Vtrisque autem tu, iudex sanctissime, pro meritis operum, uel præmium æternum, uel perpetuum supplicium, constitues.

Nō ne Deo subiecta erit anima mea?

Quousque irruetis in hominem?

Verūtamē pretiū meū cogitauerunt repellere.

Sperate in eo omnis congregatio populi.

Verūtamē uani filii hominum.

Semel locutus est Deus.

Deus Deus meus, ad te de luce uigilo. Ps. 62. Apud Heb. 63.

VTrum magis miseranda, an appetenda, fuerit hominis sancti condicio, cum Saulem fugeret, a multis fortasse dubitabitur. Nam, si labores illius, & sollicitudines, animo recolamus, uix quidquam poterit excogitari magis afflictum. Erat enim falso testimonio circumuentus; proditionis insimulatus; in acerbissimum exsilium pulsus; domo, liberis, familia, carebat; fame, siti, æstu, frigore, omnium rerum inopia, laborabat; capiti illius erat diebus prope singulis periculum crudelissimæ necis intentum, cuius uitandæ gratia uastam, & horridam, solitudinem incolere cogebatur. Hęc certe erant satis odiosa, & aspera, perpessuq. difficilia. Cōtra uero, qui uiderit spiritū, quo agebatur, in operibus suis spirantem, intelliget, illū eo, ipso tēpore, quo tantis incōmodis uexabatur, in cęlo, cum summa iucūditate, uersatū fuisse.

Deus Deus meus ad te de luce uigilo.

In terra, deserta, inuia, & inaquosa

Sicut adipe, & pinguedine repleatur.

Quoniam melior est misericordia tua superuitas.

Ex

Ex quo perspicuum est, non miserabilem fuisse statum illius, sed ualde florētem, atque plane beatum. fides enim timores expellebat, spes curis omnibus animum leuabat, uirtus in dies augebatur: mens illius erat iucundissima familiaritate Diuinę mentis implicita. Quāmuis autem in principio alicuius acerbitatis angeretur, tamen in fine, uoluptate Diuina perfusus, exsultabat. Hunc autem uiri Diuini spiritum cum in multis aliis locis, tum in hoc carmine, quod in deserta, & inculta solitudine composuit, intueri licebit. In hanc enim sententiam Deum alloquitur: Summe Domine, Deus meus es tu. Neque enim effrenatam cupiditatem, neque noxiam uoluptatem, neque popularem celebritatem, neque Deum ali quem commenticium, ueneror. Te solum, ut Dominum, metuo; ut parentem, diligo; ut summum bonorum omnium, exopto; & in te denique solo omnia presidia uitę constituo. Hoc studio concitatus, nō segniter ad te cū precibus adeo; sed primo diluculo ad Maiestatē tuam oratione mea placandā accelero. Anima mea spiritus tui ardentissima siti flagrat; quemadmodū & corpus meum in terra nimis arida, & aquarum copia destituta, siti maxima cruciatur; & opem tuam nimis anxie requirit. Verum hoc me in hac uastitate consolatur, quod mentem meam in templi tui sanctitate, & in sacrorum religione, defixam habeo; neque minus in hac solitudine tuæ Maiestatis amplitudinē contemplor, neque minus attente potentiæ tuæ uires, & misericordiæ decus, & gloriā, me intueri puto, quā si in eodem templo, in uictimis immolandis, operam, & studium omne, consumerem. Quāuis enim uita omnibus cara sit, multo tamen est misericordia tua melior, atque iucundior, ipsa uita. Hæc enim uita termino coercetur; misericordia tua nullo termino definitur. Et hęc uita multis curis, & laboribus, afflictatur; misericordia aūt tua omnes labores tolerabiles, atque iucūdos efficit. Postremo, corporis uita, interuētu mortis, quæ semper impendet, exstinguitur; at uita, quæ misericordia tua continetur, nullis sæculis interibit. Ergo, cū sim ipse misericordię tuę compos, labia mea te perpetua laudatione celebrabunt. Te per oēm uitam laudibus efferam, & in nomen tuum manus meas intendā. Nam & beneficiorum tuorum memoriam perpetuo cōseruabo; &, cum me malis circumuallatum uidero, nō aliam spem fla gitabo. Vt autē corpus, suauibus epulis satiatū, pingueſcit; sic & anima mea, spiritus tui dapibus expleta, adipe gratissima, & aruina iucūdissima, redundabit; tantoq. gaudio cumulabitur, ut in lætissimas uoces, & acclamationes, erumpat, & omne mei oris officium, & munus, in laudem nominis tui dirigatur. Male mihi sit, si non, etiam cum, ut corpus a labore reficiam, in lecto decumbo, non tui recordor; & in destinatis temporis nocturni uigiliis memoriam tuorum beneficiorum recolo, ut de te semper mediter, nullumq. tēpus fine huius officij perfunctione effluere sinam. Numquā enim mihi auxilio tuo defuisti; &, quoties periculum ab hostibus intendebatur, sub prę fidio alarum tuarum incredibiliter exsultabam. Cum enim essem ope Diuina circūsæptus, perditos hominum conatus pro nihilo reputabam; & eorum ruinas irridebam. Tecum anima mea conglutinata est; & dextera tua me susteˢtauit, ne concideręˢ. Omnes igitur isti, qui moliuntur interitum animæ meæ, in terræ profundam uoraginem deprimentur; gladiorum acie concidentur; in uulpium pabulum insepulti relinquentur. Consentaneum namque erit, ut, qui se ad uulpium exemplum, & imitationem, conferebant, a uulpibus exedantur. Decretum enim sanctissimi tui numinis est, ut, qui uexant calumniis innocentes, & iustos fraudibus insectantur, dispereant, & iusti præsidio tuo defensi glorientur. Quemadmodum ego, periculis omnibus, ope tua, perfunctus, exsultabo, & nomini tuo gratias agam. Ille tamen Rex summus, & excelsus, cuius ego imaginem gero, præcipue lætabitur, & exsultabit, cum, morte deuicta, inferorum repagulis conuulsis, animis piorum hominum e tenebris emissis, in cęlum uictor adscendet, & triumphum clarissimum ducet. Hostes uero illius ferrum, & flamma, uorabit, & fames, & inopia, summa conficiet. Omnes, qui per nomen Regis æterni iurabunt, nūmenq. illius sanctissimum uerebuntur, omni laude florebunt: os enim eorum, qui obscuritatem splendori Maiestatis illius afferre, & gloriam mendaciis impudentissimis inquinare, & peruertere, conati fuerint, comprimetur; &, ueritatis tandem luce redargutum, silebit.

Ipsi uero in uanū quæsierunt animam meam.

Exaudi Deus orationem meam. Psal. 63. Apud Heb. 64.

QVo acrius uir Diuinus hostium calumniis urgebatur, eo instantius opem a Deo flagitabat; & sic eueniebat, ut mens illius diebus singulis in cęlum altius euolaret. Vnde colligitur, quam felix sit bonorum status, quorum nempe uirtutibus inimici repugnantes, & inuiti, subseruiunt. Ait igitur: Audi, Domine, uocem meam, ex intima meditatione cordis emissam; & libera uitam meam a terrore, quem hostis mihi, cum insigni minarum acerbitate, denuntiat. In occulto me colloca, ne mihi secreta maleficorum hominū de mea pernicie consultatio nocere possit; & ne tumultus perditorum ciuium inexitium meum uiolenter erumpat. Consilium initur; facinus comparatur; sceleris ministri deliguntur; turba nefaria concitur, ut in innocentis uitam per summum scelus insurgat. linguas, ut gladios, exacuunt; uerba, sceleris plena, tamquam sagittas ueneno mortifero tinctas, emittunt, ut occulte uirum integrum inopinato transfigant; laqueos latenter iniiciunt; & tantū malitiæ suæ confidunt, ut arbitrentur, id, quod astutissime designant, quod scelestissime moliuntur, quod crudelissime conantur, ani maduerti non posse. Dum enim oculos hominum uitent, de animaduersione Diuina minime laborant. Comminiscuntur fraudes; quod est consultum, & deliberatum, nimis diligenter occulunt; in eoq. operam, & industriam, consumunt, ut, etiam

Exaudi Deus orationem meam

Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod in uiri mẽte latet & in profundo cordis abſconditur, explorate cognoſcant, ut omni fraude bonis conſilia uitæ præripiant. Itaque, cum ſint omni diritate tæterrimi, impunitatem ſibi exinſigni malitia, & calliditate, pollicẽtur. At Deus illos ſagittis ſuis improuiſo conficiet; & repentinis plagis excruciabit. Eorum linguæ illos ipſos, qui tam dirum facinus oratione conflabant, ruinis opprimẽt; & exitio erunt eis, qui peſtem, & exitium, in innocentem hominem comparabant, quod Dei iudicium animaduerſum homines eximio terrore commouebit. Videbunt enim omnes homines, ad nihilũ recidiſſe nocendi conatus; eorum caſum, & ruinam, qui ſcelus machinabantur, ſpectabunt; opus Dñi, cum magnitudine æquitatis, & ſeueritatis, editum, enuntiabunt; & ex Diuinis operibus, quanto ſtudio ſit pietas, atque iuſtitia, colenda; & quanto odio ſit ſceleris, & iniquitatis, audacia repellenda, ſapienter intelligent. Lætabitur iuſtus in Dei gloria; ſpẽ omnem ſalutis in illo tantum reponet; & omnes, qui recto ſunt animo, gaudio triumphabunt.

Et infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum

Te decet hymnus Deus in Sion. Pſal. 64. Apud Heb. 65.

PLerumque fit, ut, qui ſunt in rebus aduerſis religioſi, in ſecundis ſtudium religionis abijciant: quod Dauid minime ſibi faciendum iudicat. Vt enim cũ periculis obſidetur, opem Domini fidenter implorat; ita, periculis liberatus, in Dei laudibus enuntiandis occupatur; & clementiam illius oratione ualde memori, atque grata, proſequitur. In hoc autem carmine, præter gratias, quas agit, Chriſti diſciplinam, gentium conuerſionem, ſalutem generis humani conſtitutam, opes, quibus erat afficiendi, & cumulandi, Hieroſolymæ cæleſtis ciues explanat, omnemq. Euangelij fecunditatem luculentiſsimis uerbis exaggerat. In hanc igitur ſententiam, quod conceptum mente tenebat, aperit: Cum imminent pericula, & hoſtes exitium ferro, & flãma, minitantur, tumultuoſe diſcurritur, & uoces, maximi timoris indices, uulgo iaciuntur; & paſsim ab omnibus nimis ſollicite trepidatur. At, cum eſt a bellis otium, & animus a ſollicitudine conquieſcit, nullæ uoces ciuium audiuntur, quæ dent aliquod timoris indicium. Itaque, ut clamores metus ſignificationem dant; ita ſilentium continet conſtantiæ, atque tranquillitatis, argumentum. Hæc cum ita ſint, nos, cuius præſidio ſilebimus? cuius fiducia, in rebus etiam ualde metuendis, animi quiete perfruemur? Tua, Domine, qui numquam tuorum poſtulata repudias. Ope igitur tua fulti, a motibus turbulentis immunes ſumus; laudesq. tuas in Sione celebramus; atque uota, quæ magna cum ſpe fuerant nuncupata, magna cum fide perſoluimus. Neque enim opes tuæ, clementiſsime Domine, qui pias preces ſemper audis, promptæ, atque paratæ, ſunt illis tãtum, qui ſunt Iſraelis ſatu editi, & patris ſancti ueſtigiis inſiſtunt; ſed omnibus gentibus, atque nationibus, quæ eandem fidem, & religionem, fuerint imitatæ; & tibi orationes ſuas ſacrandas ſtatuerint. Ex omnibus enim terrarum finibus multi mortales ad te cum hoſtiis, atque muneribus, adibunt. Iniquitates quidem me pondere intolerabili depreſſerunt: itaque neque ego, neque quiſquam alius poterat peccati tyrannidi, & immanitati, repugnare: uerum tu, omne, quod fuerat ſceleribus noſtris uiolatum, ſanctiſsimis ſacris expiabis, & omnia crimina noſtra delebis. O beatum illum, quem elegeris; quem Euangelij diſciplinis inſtruxeris; quem tibi amore deuinxeris. Habitabit enim in atriis tuis; explebitur bonis domus tuæ; & ſempiterni templi tui ſanctitatem participabit, ut in ciuiũ tuorum cœtu, cum eximia iucunditate, uerſetur. O ſumme Domine, ſalutis noſtræ parens, & auctor, quam horribilia iuſtitiæ exempla in oculis noſtris edidiſti? Hoſtem enim generis humani e ſolio ſuo detruſiſti; & profligatum in fugam compuliſti; peccata noſtra in profundũ demerſiſti, ut animos noſtros iuſtitiæ muneribus ampliſsimis exornares: & hoc tam Diuinum beneficium non Hebræorum tantum nationi detuliſti, ſed omnes gentes, abſque ullogeneris, aut condicionis, diſcrimine, ad illius communionem adſciuiſti; ut ita ad ultimas terras, & maris extremi longinquitatem, gratia tua perueniret; ut nulla eſſet natio tã a terminis noſtris diſiuncta, quę non hoc cæleſtis iuſtitiæ munere frueretur. His autem tantis bonis ſtabilitatem dabit is, qui, inuicto robore ſuccinctus, montes firmat, qui profecto ruerent, & in medium, maris impetu, deferrentur, niſi Dei benignitate, & prouidentia, corroborati fuiſſent. Idem Dominus maris horribilem fremitum coercet; & immanes fluctus cõpeſcit; & populorum tumultus, & inſanias, comprimit: ut, quãuis uel principum imperium, uel popularis amentia, in homines ſanctos inſurgere conetur, tandem comprimatur; & illorum dignitati ſeruiat, quos totis uiribus impugnabat. Rebus, & ſignis, nimis admirandis, commoti, qui terrarum fines incolunt, ueri Dei numẽ uerebuntur; & ſic demum orientis, & occidentis, Solis plagas tam inſigni lætitia cumulabis, ut omnes, ſpiritu tuo concitati, in clamores ſummæ iucunditatis erumpant. Tu terram benigne reſpicies; tu illi, largis imbribus ſuperne demiſsis, fecunditatem induces; tu eã frugum copia, & ubertate, locupletabis; atque perficies, ut ex ſeminibus iuſtitiæ lętiſsimi fructus oriantur. Aquæ ductus Domini, per quem riui in ſata deducuntur, mirifice redundabunt; gratię tuę frumentum illis, qui ad tuum nomen adiuncti ſunt, large ſuppeditabis: quandoquidem non alia eſt in uita fertilitas, niſi ea, quã benignitate tua conſtituis. Telluris ſulcos irrigas; glebas duras frangis; aſperam terrę ſuperficiẽ imbribus emollis; germen illius, benignitate tua, pullulare cõpellis; totũ annũ uertentẽ bonis tuis cumulas; ſuperni currus tui pinguedinẽ perpetuo terris inſtillant. Habitacula deſertæ, & incultæ, telluris aquis perennibus ſtillabũt; uireſcẽt colles, & lętiſsimis graminibus accingentur. Veſtiẽtur cãpi gregibus; obducẽtur ualles frumento. Animi igitur tam culti, & nitidi, tantis gratiæ Diuinæ frugibus redundantes, & tam Diuinis opibus affluentes, exſultabũt; Diuinaſq. laudes perpetuo cantu, & ſymphonia, celebrabunt.

Te decet hymnus Deus in Siõ

Ad te omnis caro uenit.

Verba iniquorum.

Mirabile in æquitate.

Spes omnibũ terræ.

Turbabuntur gentes.

Visitasti terram.

Flumẽ Dei repletũ eſt aquis.

Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius. Pſal. 65. Apud Heb. 66.

HOc carmine celebratur libertas, non illa, qua populus Hebræus fuit a Babylonis dominatu liberatus, ſed qua genus humanum fuit per Chriſtum e poteſtate dæmonis ereptum. Aliter enim non erat, cur tantopere ciuitas uniuerſa eo tempore lætaretur, cum non omnino ſeruitutis iugũ depulſiſſet: adhuc enim Perſis ſeruiebat; & præterea libertatis illius ſpecies nõ fuit ualde diuturna: nam, ſub Græcorum imperium ſubiuncta, multis ab illis incommodis, & cruciatibus, afflicta fuit; poſtremo non erat peccati importuna tyrannide liberata. Qui autem peccatum facit, ſeruus eſt peccati. adhuc igitur Iudæorum Reſp. in ſeruitute miſerrima uerſabatur, quamuis ſibi libertatis inani nomine blandiretur. Poſtremo, cur omnes gentes ad lætitiæ ſummæ ſocietatem, & communionem, uocarentur, cum illa aſsimulata libertas ad gentium fructum minime pertineret. At in hoc carmine cernimus, uniuerſas terras ad gaudium participandum maximis uocibus excitari. Vnde colligitur, hanc libertatem, quam Dauid hoc in loco celebrat, eam eſſe, quam Chriſtus humano generi uniuerſo, ſine ullo diſcrimine, contulit. Anguſtos igitur Iudæorum ſenſus contemnentes, Chriſti famulum fideliſsimum, & Diuinę mẽtis interpretem ſapientiſsimum, audiamus, omnibus hominibus, populis, regnis, nationibus, de cõmuni ſalute gratulantem, & liberatoris noſtri laudes harmonia iucundiſsima concinentem. Aite- nim: O gentes uniuerſæ, quę orbem terrarum colitis, animis exſultate; dies feſtos agitate; maximis uocibus Dei laudes canite. Canite, inquã, gloriam nominis eius; neque uobis ipſis, ſed illius gratiæ, & benignitati, gloriam, & laudem, tribuite. In opera Diuina aciem mentis intendite; & admiramini, atque dicite illi, quam horribilis, & metuenda eſt tuæ uirtutis amplitudo. Vi namque roboris tui factum eſt, ut capitales hoſtes nominis tui, qui cum lege tua cõtinenter bellum gerebãt, fidem datam dominis, quibus libentiſsime ſeruiebant, fallerent, & ad te tranſirent, ut ſub imperio tuo militarent; omnemq. uitam in cultu nominis tui conſumerent. A libidine defecerunt; a uoluptate noxia profugerunt; principum ſcelerata imperia contempſerunt, ut tibi ſoli ſeruirent; te ſolum metuerent; te amore ſummo diligerent; & pro nominis tui gloria nulla pericula recuſarent. Non Iudæi tantum, in ſtudio legis enutriti, & oraculis Prophetarum ad ſpẽ ſalutis erecti, ſed gentes uniuerſæ, Diuinæ legis ignaræ, ſceleribus infinitis affines, ſacris exſecrandis alligatæ, ad te ſubito conuerſæ, tuum nomen adorabunt; te perpetuo cantabunt; nomini tuo, carminibus egregie modulatis, laudes conſecrabunt. O rem nimis admirandam: gentes flagitijs infames, dominatu cupiditatis oppreſſas, falſa, & infanda, religione corruptas, morbis inſanabilibus impeditas, ſic ad cupiditatem ueriſsimæ religionis exarſiſſe, ut nullis neque minis, neque cruciamentis, potuerint a ſui liberatoris coniunctione diuelli? Sic immutatam fuiſſe in multis generis humani naturam, ut crucem uoluptatibus, contumelias honoribus, mortẽ uitæ, prætulerint? Venite omnes, & uidete opera Domini; & conſiderate, quam ſtupenda ſunt illius ſtudia in hominum ſalute procuranda. Mare diſſecuit, ita, ut, partibus utrimque, ui magna, coercitis, in profundo gurgite arida terræ facies apparet, per quam Hebręi uiam inirent, & Aegyptiorum manus effugerẽt; qui, cum Hebræos per eandem uiam inſequi uellent, fluctibus rurſus in ſuũ locum reductis, obruti ſunt. Similiter in Iordane uiam aperuit, qua fideles homines, ſicco pede, cũ ſumma iucunditate, traijcerent. Quibus quidem oſtentis declaratum fuit, nihil fore, quod pietatis, & iuſtitiæ, curſum impediret. Occurrat mare; exſurgat fluctus; opponantur flumina; & omnia denique bellorum pericula capitibus eorum, qui pietati operam nauant, immineant; nihil erit tantis molibus obſtructum, quod non facile diſturbent; nihil tantis machinis intercluſum, quod nõ inuicta uirtute perrumpant; uſque eo, dum, quo tendunt, cum gloria ſumma perueniant. Ducem enim, & imperatorem, habent, Mundi totius dominatorem, qui omnia ſummo imperio, & uirtute, complectitur; cuius oculi gẽtibus adiecti ſunt, ut eas a peſte ſempiterna ſeducat, ornamẽtiſq. Diuinis afficiat. Qui uero imperiũ Dñi recuſauerint, & religioni ſanctiſsimæ aduerſati fuerint, de ſtatu ſuo concident, & funditus interibunt. O iudicium Domini in omni memoria prædicandum, quanta ſeueritate eos exſcindit, qui ſunt ſanctiſsimis iuſtitiæ diſciplinis infeſti. O populi, qui hucuſque fuiſtis hoſpites, & peregrini, nunc uero iura ciuitatis ſempiternę retinetis, Deum noſtrum, qui uos tantis muneribss ornauit, celebrate; atque perficite, ut uox ueſtra, quæ laudes eius contineat, ubique circumſonet. Animis enim noſtris uitam dat, & tãfirmo præſidio ſtatum noſtrum fide nixum corroborat, ut non facile labi poſsint pedes noſtri, ſed in ueſtigio firmi permaneant. Hoc autem maxime in rebus nimis aduerſis perſpicitur. Cũ enim cuncta ex animi ſententia cõtingunt, exigua laus eſt, fidem tueri. Illud demum eſt magni, & excelſi, animi, in ſummis malorum omnium tempeſtatibus, atque procellis, conſtantiam retinere, nec a recta mente, ullis hoſtium conatibus, dimoueri. At, tu, Domine, nos, ut fidem noſtram exerceres, multis laboribus attriuiſti; & perinde, atque conflatura purgatur argentum, nos compluribus incommodis afflixiſti; in perditorum hominum laqueos induxiſti; lumbos noſtros grauiſsimis onerib⁹ oppreſsiſti; tyrannos immanes capitibus noſtris impoſuiſti: aquam profundam ſæpe traiecimus; per omnes flammas currere coacti ſumus; omnibus denique acerbitatibus circumſeſsi fuimus;

Iubilate Deo omnis terra.

Venite, & uidete opera Dei.

Dicite Deo quã terribilia ſunt opera tua, Domine?

Qui dominatur in uirtute ſua in æternum.

Qui exaſperant, non exaltentur in ſemetipſis.

Qui poſuit animã meã ad uitam.

Quoniam probaſti nos Deus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus;atque tandem, gratia tua, ex omnibus his malis emersi,in animi requietem, & oblectamentum,inducti sumus.Ingrediar in domum tuã,Domine,cum holocaustis,hoc est, cum animo uehementissimi amoris ardoribus inflammato,ut,uoti damnatus, munera promissa dissolnã, fidemq. meam cum debita religione liberem. Cum enim essem in summas angustias adductus, oratione mea uota sanctissime uoui; uerbisq. meis animum meum religione constrinxi, quam absque scelere nefario,& impuro, negligere non possum. Holocausta opimarũ hostiarum offeram tibi;arietum sanguinem ad altare fundam; renes, atque iecur, sacris flammis adolebo; boues cum hircis immolabo. O summæ Maiestatis amplitudinem, quam parum a nobis huiusmodi sacrificia requiris;sed ea tantum flagitas,quæ sacris istis obscure designantur.Exigis amoris incendium;exigis uitę puritatem;exigis obedientię sanctitatem; interitum nequitię cõcupiscis;non pecudum sanguine placaris; sed agni illius immaculati sangui ne,pro generis humani salute profuso,iram remittis.Omnes,qui Deum timetis,accedite; & explicabo uobis,quanta beneficia is in animam meam contulerit.Opem illius oris mei summis clamoribus implorauí;&,cum mihi opem,ut flagitauerã, intulisset,lingua, ut laudes illius in cælum efferrẽ, enixus sum. Vobis hoc exemplum illius summæ benignitatis propositum esse uolui, ne umquam animis concidatis; sed in omnibus calamitosis tẽporibus,cum summa fide,manus in cælum intendatis,ut auxilium ab illo summo Domino, qui nũ quam humilium preces aspernatur, consequamini.Hoc tamen uos admonitos esse uolo, ut,si ullis exaudiri, iniquitatem detestemini; iustitiam, quãtum in uobis fuerit,amplexemini; & iniurias omnes acerrimo odio persequamini. Cum enim Deus odio summo persequatur iniquitatem, fieri nullo modo poterit,ut illis aliquid amoris, & benignitatis,impertiat, qui crimine iniquitatis alligati sunt.Etenim,quamdiu ad Deum supplex accedo, hoc in primis excogito, ut omnem iniquitatis labem a me longissime repellam;cum certũ habeam meã orationem minime Deo gratam fore,quamdiu aliquid iniquum,& iniustum,mente, & cogitatione,designauero. At Dominus exaudiuit me,atque uoci precationis meæ aures satis attentas præbuit. Nomen Domini in omni sæculorum æternitate laudibus summis ab omnibus efferatur,qui me orationis fructu non destituit;neque misericordiam a me remouit, sed opibus illius animam meam egregie cumulauit.

Holocausta medulla ta offeram tibi.

Venite, audite,& narrabo.

Iniquitatẽ si adspexi in corde meo.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, &c. Psal.66. Apud Heb.67.

COnuersionem gentium prædixit Dauid; improborum odia, & immanitates, expositi; dolores,qui erant illis hauriendi,qui Christianam disciplinam profitentur,explanauit; Euangelij uictoriam luculentissime persecutus est; & cælestis doctrinæ celeritatem,quæ ultimos terrarum fines peruagata est,minime prætermisit. Verum, cum Iudæos maxima ex parte tardiores esse uideret ad tantum beneficium gratis animis accipiendũ, subuniuersi populi persona,Deum obsecrat,ut Idæos eodem splendore lucis Diuinæ collustret, quo gentes illustrauerat. Ait igitur:Deus misereatur nostri, & ne patiatur nos diutius somno torpescere,& mentis cæcitate damnari. Promisit illi quidem patribus nostris, ut ex illorũ semine proueniret,qui genus humanum dira exsecratione deuinctum exsecratione liberaret,& omnibus nationibus benediceret,hoc est,eas bonis summis, atque sempiternis, expleret.hoc igitur precamur,ut nobis benedicat, neque patiatur filios sanctorum patrum fieri promissæ felicitatis expertes. Id autem fiet,si mentis nostræ tenebras dispulerit,animisq. nostris gratiæ suæ lumẽ porrexerit,ut mysteria,quæ in lege Diuina latent, puris oculis intueri,& patris gloriam contemplari,possimus. O Diuinæ mentis altitudo, quam mirabiles opes sapiẽtiæ,& benignitatis, antiqui fœderis integumentis occuluntur?Hoc tandem uelamine detracto, uidebimus,& admirabimur; & gentes ipsas, quæ antea nos æmulatione pungebant, quodammodo prolapsas excitabimus;terrã(ut in principio nostri generis principes effecerunt) doctrina pietatis illustrabimus:omnibusq.gentibus uiam tuam monstrabimus,ut omnes a te salutem consequantur.Laudabunt te populi omnes.Nec erit tunc ulla natio,quæ tuum detrectet imperium. Credentes autem populi,& fide uitam moderantes,inexplicabili gaudio, & lætitia, triumphabunt; quoniam iudicabis populos æquitate mirabili; & in terra te ducem præbebis, ut omnes in gloriam immortalem clementissime perducas. O admirandum benignitatis immensæ testimonium. Summus ipse Deus,summiq. patris imago, ut salutare iudicium exerceat, in terris uersabitur; in humana specie latebit; animos humanos impuritatis arguet; amentiæ conuincet; peccata damnabit; iustitiam constituet; ut homines, a tenebris ad lucem traducti,suam miseriam simul cum clementia Diuina perspiciant; ut pristinas sordes odio persequantur,seq. totos ad ductum,& imperium,summi imperatoris adiungant. Laudabunt te populi,;Domine; laudabunt te populi omnes. Nec erit ulla natio, quæ tuum detrectet imperium. Terra enim germinabit; Diuinumq. fructum proferet; & mortales oculi Dei filium humana forma uestitum intuebuntur. Tunc numen immensum, atque sempiternum, unum & idem natura, personarum ratione distinctum, omnibus gentibus innotescet. Benedicat nobis Deus pater, a quo cuncta bona proueniunt; benedicat & filius, per quem omnia fiunt; bendeicat & Spiritus sanctus,cuius gratia, & benignitate, omnia Diuina munera continentur; omnesq. terræ fines Deum metuant, & ament, & in gratia illius acquiescant.

Deus misereatur nostri.

Vt cognoscamus in terra uiam tuam.

Confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructũ suũ.

Exsur-

Exsurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Psal. 67. Apud Heb.68.

REs priscis temporibus Diuino præsidio gestæ futuras adumbrabant; & iccirco Prophetæ,quoties in memoriam antiquitatis incurrunt, futurumq. beneficium, opera Christi conferendum,portendunt,ad Christum repente tota mente rapiuntur;illius clementiam, atque uirtutem, admirantur; &,consideratione tantæ dignitatis, quantam per illum consecuti sumus, exsultant. At, quid clarius opera nostræ salutis expresserit, quam illud Hebræorum iter, quo ex Aegypti finibus demigrarunt,ut,numinis ductu, terram, sibi a Deo promissam,peterent,haud facile reperitur. Omnes enim,qui cælum petunt, in uia sunt, &,a potestate immanissimæ tyrannidis egressi,eo cõtendunt, quo Diuini spiritus admonitu dirigunfur.Multa tamen obstant, quemadmodũ & olim multa Hebræos,exire ex Aegypto cupientes, impediebant. Pharao tunc gentem ui summa retinebat: hic Satanas exitum maximis conatibus intercludit: uerum, quemadmodum olim omnia impedimenta Dei præsentis ope sublata sunt, ita & nunc omnes hostium conatus Christi auxilio franguntur. Tunc Aegypti imperium fuit multis plagis afflictum;nunc uero pietatis inimici multis uulneribus sauciati. Tunc Pharao cum uniuerso exercitu in profundo demersus est; nunc Mundi princeps, cum peccatis omnibus, taeterrimæ mortis uoragine consumptus. Moses tunc itineris dux erat; nunc Christi spiritus in uiam deducit.Quid referam panem e cælo demissum? aquã e saxo durissimo, ictu uirgę unius,eductam? legẽ in lapideas tabulas Dei ipsius manibus incisam? Nam est obscurum,per hæc, omnia Christi munera,& beneficia, designata fuisse? Ille namque est uerus panis,e cælo delapsus,ut Mundum,impetu mortis abiectum,uera,atque sempiterna, uita resciceret:gratia illius est aqua salutaris,quæ sitim restinguit, & animum de uia defessum mirifice recreat;ille legem æternam in cordibus humanis inscribit,ut de illa noctes,& dies cogitent, nec ab illius studio ulla ratione seiungamur. Sed,quid plura persequar;cum cõstet,omnem illam uiam mysterijs admirabilibus redundasse? Ergo Dauid,cũ de Christo clarissimam orationem institueret, atque uideret,illius peregrinationem fuisse antiqua peregrinatione luculenter assimulatam, ita præterita futuris intexit, & cum Diuinis humana cõiungit, ut doceat, ex humanis rebus similitudines assumere, quibus facilius Diuinarum cognitionem capiamus. Illud autem intelligendum est,tanta cura,& uigilantia,Deum eos,quos in fidem recepit,tueri, ut nullatenus ab eorum custodia discedat. & ea de caussa, cum illi peregrinantur,Deus ipse peregrinari dicitur;cum quiescunt, quiescere;cum pugnant, prœliari; cum denique nihil sine ope illius moliri audeant, omnia, quæ cogitant,quæ designant,quę moliuntur,& faciũt, ad Deum iure,atque merito, referuntur. Hac autem de caussa Deus dicitur peregrinari,castrametari,antecedere,subsequi,& alia multa, quibus significatur, actiones illius a suorum salute nõ fuisse diiunctas. Huius autem carminis sensus huc in summa refertur;ut uir Diuinus Deum oret; ut omnia, quæ fuerunt olim figuris, & imaginibus, prænũtiata, per Christũ,rebus uerissimis,& maxime admirandis,perficiãtur.Nępe,ut hostes sempiternos exterreat; ut suos hostium spolijs locupletet; lapsos reficiat; & in sedibus tandem quietis, host est,in iustitiæ fructu,constituat. Ait igitur:Cũ Israel olim ab Aegyptijs intolerabili dominatu premeretur;& diutissime tributis immanibus, & operis nullum exitum habentibus, & filiorum infantium nece,uexaretur; Deus dormire,& in sceleribus impiorum hominum conniuere,uidebatur; cum interim illeres suorum minime negligeret. Itaque,cum fuit opportunum, exsurrexit, ut hostes plagis multis affligeret; & Israelem in libertatem uindicaret. Hoc autem multo clarius fiet,cũ tempus ipsius ueritatis expressæ signis admirandis aduenerit. Exsurget enim Deus; hostes illius sempiterni dissipabũtur; & omnes qui illum odio habent,ne uultum irati subeant,se in fugam repẽte dabunt. Quemadmodum fumus a uento dispelliturdispelles eos,Domine;&,ut cera,prope ignẽ, liquefacta,diffunditur;sic impij, aduentu Diuinæ Maiestatis,interibunt.Iusti uero lætabũtur in aduentu Domini,& exsultabunt;&, animis incredibiliter exhilaratis,in uoluptate summa uersabuntur.Id enim,quod ardenter optauerant, quod uehementer a Deo contenderant, quod ab exordio generis humani omnes sancti homines uidere cõcupierant,oculis suis adspicient.Canite Domino; nomen illius hymnis,& canticis,celebrate;munite uiam illi,qui,ut olim,cum Israel Arabiæ deserta peragrabat,ipse præcedebat, sic nunc per uastã Mundi huius solitudinem uehitur.Nam,quamuis Diuinitas illius in humana forma,& specie, delitescat,uerus Deus est,& hoc est illius nomẽ in omni temporum æternitate prædicandum. Non immerito igitur in illius conspectu sancti homines, magnitudine lætitiæ,atque iucunditatis, efferentur;& in curanda uia,fide,& humilitate,& ardenti pietatis studio, certatim elaborabunt. Non tyrannum exspectamus,qui opes tenuiorum hominum suam prędam putet;cuius omne studium in augendis,& cumulandis,opibus, per summũ scelus,& iniuriam,consumatur;sed Regem, iustitiæ, libertatis,& clementiæ, laude præcellentem. Est enim pupillorum pater, uiduarum patronus, & uindex,Dominus,& omnium, qui numen illius fiderter implorant, singulare, & inuictum, præsidium. Iccirco enim in humana natura sibi stabilẽ sedem,atque domicilium,collocauit,ut ex tam sacrati templi religione, & sanctitate, facilius omnium fidelium preces exaudiret.O Domine,quãdo,egressus ex Aegypto,populum tuum admirabili clementia antecedebas,& per desertam solitudinem iter faciebas, quam egregiam significationem præsentis uirtutis tuæ illi multitudini dedisti?quam admirandis signis futura beneficia prę-

monstrauisti?

Exsurgat Deus,& dissipẽtur inimici eius.

Cantate Deo. psalmum dicite nomini eius:iter facite ei.

Exsultate in conspectu eius.

Deus in loco sancto suo.

Deus,cũ egredereris in conspectu populi tui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

monſtrauiſti? Terra enim, magnis motibus treme facta, fremitus horrendos edebat; cælum imbribus, atque procellis, cum fragore demiſsis, ruere uidebatur; omnis natura in conſpectu tuo trepidabat; quin etiam mons ipſe Sinai, legis Diuinæ religioni conſecratus, frequenti tonitru, fulgure, & incendio, propemodum de ſede conuulſus eſt in ſummi Domini conſpectu; in quo clare cernebatur, illum uerum Deum eſſe, quem Iſrael colit, & non illum quem nationes, a Dei placitis alienæ, mentis ſt ore, & exſecranda cæcitate, uenerãtur. Et hæc quidem omnia fuerunt ad timorem propoſita. timor enim coercet temeritatem; refrenat libidinem; & eſt non mediocre pietatis, & iuſtitiæ, fundamentum. Sed opus erat, ne multitudo deficeret, ut clementiæ munera ſine mora populũ ſollicitudine leuarent. Animus enim afflictus neceſſarij ſubſidij dilationem non patitur. Cum igitur populus eſſet omnium rerum penuria confectus, & ultra modum debilitatus, liberalitatis, & magnificentiæ, pluuiã e cælo demiſiſti, Domine, qua hereditatem tuam, populum nempe tuum, quem ſingulari prouidentia tuendum ſuſcepiſti, ualde laborantem reficeres, & uiribus egregie confirmares. Nec enim illi cæleſtis panis defuit; neque ullis denique commodis ad uitam ſine moleſtia degendã caruit; cum tu illi omnia ſatis abunde ſuppeditares, ut, omni cura ſolutus, munera infinitæ probitatis agnoſceret; & intelligeret, non in humana industria, ſed in Diuina beneficentia, eſſe uitæ præſidia collocanda. Nec enim tantum uiris magnis, qui uirtutis altitudine tibi erant cariſsimi, conſultum eſſe uoluiſti; uerum & hominibus imperitis, qui non erãt tantum in uirtutis ſtudio progreſsi, ut eſſent pro hominibus habendi, ſed in iumentis numerandi, ut bonorum uſibus ſeruirent, bonitatis tuæ munera clementer impertitus es, ut afflictam multitudinem tuã opportuno ſubſidio ſubleuares. At hæc omnia multo magnificentius, cum aduenieris, ipſe præſtabis. Nam & panem cæleſtẽ, quo paſcuntur angeli, tuis comedendum appones; ut uitam in perpetuum feliciſsime propagare poſsint; & gratiæ tuæ perennitate recreati, nullas hoſtium minas extimeſcent; &, ſimiliter atque illis temporibus effeciſti, materiam dabis mulieribus egregie pſallentibus, ut magni exercitus uictoriam, inſigni ſuauitate iucundiſsimi concentus, enuntient. Reges quidem olim, qui in domũ tuam furenter inuadebant, quamuis eſſent maximis exercitibus ſtipati, fuſi, fugatiq. ſunt; ipſius q. domus pulchritudo, hoc eſt, ſanctorum hominum cœtus, quem ueriſsimæ uirtutis cultus, & religionis ſanctitas, exornabat, qui erant ipſius templi cuſtodiæ præpoſiti, inſigni victoria parta, inter ſe ſpolia diuidebant. Hæc autem multo clarius fient, cum tu, Domine, per te terras luſtraueris, humanumq. genus Diuina luce compleueris. Mulieres enim, & homines etiam non multum a muliebri imbecillitate diſtantes, repente per ſpiritum tuũ uires aſſument, quibus, harmonia iucundiſsima, uictoriam exercitus tui, non numero, ſed uirtute, maximi, celebrent, qua orbem terrarum, tyrannide immaniſsimi, atque potentiſsimi, hoſtis oppreſſum, maximis uiribus, & omni uigilantia, & calliditate, munitum, expugnabunt, & ſub tuum imperium ſubiungent, ita, ut nemo poſsit magnitudini tam excellentis uirtutis obſiſtere. Inferorum principes, magnis exercitibus circumſepti, uictorijs inſolenter elati, fundatiſsimo imperio confidẽtes, ſe in fugam dabunt; dabunt quidem ſe in effuſam fugam præcipites, & uictoriam imbelli multitudini, cum ſummo dedecore, & ignominia, concedent. Homines enim, neque natalibus clari, neque opibus opulẽti, neque diſciplinis eruditi, nec gratia potentes, imperium libidinis, impietatis, immanitatis, principum potentia munitum, temporis diuturnitate confirmatum, dæmonis artificio, & ſumma totius orbi ui, corroboratum, euertent, & ſpolia magna capient, quibus, cum egregia laude, locupletati, triumphent. At, fructus huius tam claræ uictoriæ quam illuſtris futurus ſit, animis ipſi uobiſcum reputate. Si iacuceritis inter ollas, atra uitiorum fuligine cõſperſi, ex taetra, & obſcura, ſeruitute, libidinis, & immanitatis, erepti, & in triumphum ducti, ut deinceps angelorũ imperatori ſeruiatis, pennis ad ſimilitudinem columbi, & argentei candoris obducti, & aureis alis erecti, mente, & cogitatione, in cæleſtes ſedes euolabitis. Nam omnia Chriſti gratia commutabuntur. ignaui inuictum robur aſſument; qui in ſordibus uolutati fuerant, ornamentis Diuinis excolentur; qui humi repebant, alis miro fulgore collucentibus, ad cælum adſpirabunt. Cum Reges, iudicio Diuino, propter ſcelus in cæleſtem Remp. conceptum, diſcordes exſtiterint; tu, Domine, eos, inaniſsimis cogitationibus inflatos, denſis nimbus obrues, ut, conglaciati frigoribus, euertantur. At mons, in quo Dei ciuitas ædificata eſt, perinde, atque mons Baſan, fertilis, & opimus eſt; & collibus undique munitus eſt, ita, ut neque fame ad deditionem compelli, neque uiribus expugnari, poſsit: effert enim fruges; pabula profundit; pecora multa nutrit; omnia, quibus indiget hominũ uita, abũde ſuppeditat; eſt præterea tã multis uictus præſidijs, & tantis munitionibus circumuallatus, ut nullis opibus queat aliqua ex parte labare. Nihil enim poteſt Eccleſia Chriſti uel abundantius, uel munitius, excogitari. Quid igitur uobis in mentem uenit, o montes editi, tantis inuidiæ ſtimulis incitari, ut contra montem Domini copias perpetuo comparetis? Vos appello, principes, qui eſtis in ſummo, & excelſo, gradu dignitatis, & imperij, locati, quæ uos amentia uexat, ut montem Domini perditis conatibus oppugnetis? Num iniurijs laceſsiti fuiſtis? Non prorſus. Mons enim Domini non eſt peſtilens, ſed beneficus, atque ſalutaris. Num imperium, eo ſuperato, amplificare contenditis? Summus uos furor exagitat, ſi fieri poſſe exiſtimatis, ut is uiribus humanis expugnetur. Hunc enim montem Deus amore ſummo cõplectitur; hunc ornatum, & amplificatum, uidere cupit; hunc poſtremo delegit, in quo ſibi ſempiternam ſedem, & domicilium, conſtrueret. Quid igitur uos illius immenſæ potentię repugnabitis? Vos in illum, bellum odio peſtifero imbutum comparabitis?

Pluuiã uoluntariam ſegregabis, Deus.

Animalia tua habitabunt in ea.

Dũ diſcrepant cæleſtes Reges inter eam.

Mons Dei mons pinguis, mons coagulatus.

Dabis uirtutem euãgelizãtibus

Rex uirtutum dilecti dilecti.

Et ſpeciei domus diuidere ſpolia

Mons in quo beneplacitũ eſt.

bitis? Vobis ex tam infando ſcelere uictoriam polliceri audebitis? qua ſpe? quae exercitus inuicti fiducia? bellici currus Domini ſunt innumerabiles; multis angelorum millibus circumſeptus eſt. Vt autem quondam in Sinai, cum legem dabat, & in tabernaculo fœderis, cum præſentiam ſuam declarabat, in medio exercitu uerſabatur; ſic in Sione cæleſti, & cum legẽ ſalutarem ſanxerit, & cum ſpiritus ſui gratiam diffuderit, ita ſtatum ſuæ Reip. moderabitur, ut numquã ab illa diſcedat. O ſumme cęlitum imperator, in infimum terræ baratrũ te demiſiſti, ut inferorum clauſtra conuelleres, & tenebris incluſos educeres, & humani generis hoſtem ſempiternum exſpoliares; & ſic tandem, in cælum, omnium bellorum uictor, manubijs onuſtus, adſcendiſti; eos, qui captiui detinebantur, beli iure captos, ut tuæ gloriæ ſeruirent, in triumphũ duxiſti; & dona a patre ſummo, quę hominibus diſtribueres, conſecutus es, ut, Spiritus ſancti muneribus ornati, & cumulati, facinora in Eccleſiæ totius utilitatem Diuinæ uirtutis efficerent; tantaq. ui orbem terrarum commouiſti, ut multos, etiam ex illis, qui in te Deum habitare cum inſigni contumacia negabant, fidem tibi dare, & ſe ad nomẽ tuum adiungere, ſpiritus impulſu commoueres. Summus Dominus diebus ſingulis omnium laude celebretur, qui tam multis nos beneficijs onerat; &, cum ſit omnipotens Deus, neque ullo modo rebus humanis indigeat, ſe tamẽ noſtræ ſalutis auctorem, tã admirandis operibus, tã multis in locis, indicauit. Quis tantę probitatis excellentiã dignis laudibus efferre dicẽdo poterit? Deus noſter, Deus, auctor, & effector, noſtręſalutis eſt; Dei, atq. Dñi, noſtri uirtute, mortis immanitas foras expellitur. Transfiget certe Deus caput hoſtiũ ſuorũ, & capillatum uerticẽ eorũ, qui in ſcelere perſeuerãt. Satanæ enim imperiũ delebit; tyrannorũ potentiã perſtringet, atque diſsipabit; & omnia dignitatis ornamenta, quibus ſpiritus ingentes aſſumebant, illis eripiet; eoſq. dedecore omni cumulabit. Dixit fore, ut numquam ſuos ope ſua deſtitueret. Vt, inquit, cum Rex Baſſan nimis ferox, & infeſtus, populum meum armis aggreſſus eſt, Rex ipſe, cum uniuerſo exercitu, conciſus eſt; & populus meus, ope mea, uictor, cum inſigni gloria, redijt; ita, quoties ij, qui in populo meo cenſi fuerint, & ſub meo ſigno militauerint, ab hoſtibus nominis mei fuerint oppugnati, cæſis hoſtibus, cum hominum admiratione, reuertẽtur. Et, perinde, atque Iſraelem ex profundo maris gurgite, hoſtibus, qui eum inſequebantur, obrutis, & omnino deletis, ſaluum, & incolumen, eduxi; ita e periculis omnibus, eos, qui in mea fide, & patrocinio, latent, cum hoſtium ſtrage maxima, liberabo. Sic autem hoſtes tuos conteram, ut pedes tui, ueſtigijs in hoſtium ſanguine altius impreſsis, ſanguineo colore rubeſcant; & canes tui, eodem ſanguine ſatiati, & infecti, diſcedant. Et his quidem uerbis Dominus populo ſuo ex omnibus bellis clariſsimam uictoriã pollicetur. Quam admirabilia ſunt opera tua, Domine? quam illuſtris, & ampla, eſt miſericordia tua, erga illos, qui tibi confidunt, numenq. tuum debita fide, & pietate, proſequuntur? Viam, in medijs fluctibus, hominibus, quos in fidem receperas, aperuiſti; illiſq. te ducem itineris præbuiſti. Viderunt ingreſſus tuos, o Domine; oculis deſpexerunt ingreſſus Dei mei, dum in arca fœderis, in qua erat ſanctitatis exemplum, & Diuini præſidij ſimulacrum, cum ſollemni pompa uehereturcã tores præcedebant; ij, qui muſica inſtrumenta pulſabant, ſequebantur; in medio uirgines tympanis ad numerum aptiſsime concinebant. Nullus denique ordo erat, qui laudes nominis tui ſilẽtio ſuprimendas exiſtimaret; immo erat omnibus inſitum, nefarium ſcelus eſſe, non omnem uitam in gloria tua celebranda conſumere. Quod tunc in ſimilitudine futuri beneficij geſtũ eſt, multo fiet illuſtrius, & magnificentius, cum tu, ut humanis oculis uideri poſsis, humanam formam indues, & populum tuum antecedes, ut omnes, qui ſalutem aſſequi uolent, ueſtigia tua perſequantur. In te inſtituentur; tuis ueſtigijs inſiſtent; a uia, quam mõ ſtraueris, in alteram partem minime declinabunt. Teuiri artificio præcellentes ſummis laudibus ornabunt; te mediocres, & infimi, laudabunt; te uirgines puris, & incorruptis, mentibus iucundiſsime canent: non ſexus, non ætas, non nationis ullius condicio, huius tam præclari muneris expers erit. Omnes enim nationes undique ad nomen tuum prædicandum, animo uehementer inflammato, conuenient. Vos igitur adhortor, & moneo, qui ex Iſraelis fonte profluxiſtis, ut in cœtibus ueſtris Dominum Deum noſtrum, quem ceritis ab omnibus nationibus ſanctiſsime coli, laudibus honoretis, & hoc tam grato ſacrificio uobis Maieſtatem illius propitiam faciatis. Quod quidem in principio præclariſsime fiet, cum ex Iſraelis ſtirpe deligẽdi ſint Eccleſiarum principes, qui orbem terrarum moderentur, & ad notitiam numinis ſempiterni, & Iudæos, & gentes externas, erudiant. Ex tribu enim Beniamin, ſi ad gentis numerum reſpicias, exigua, atque propemodum inuulgus ignota, ſummus Princeps exſiſtet, qui Mũdum ad cognitionẽ doctrinæ cæleſtis inſtituat; ſimiliter ex tribu Iuda maximi principes orientur. Principes etiã, Zabulonis ſatu editi; & principes Nephtalini ſanguine procreati, multis præbũt. O Iſrael, ne adſcribas laudibus, & meritis, tuis robur tuũ. Beneficiũ Dei tui eſt: munus illius eſt tibi clementiſsime donatũ. Ille eſt, qui te robore ſuo fulcit, qui ſpiritu ſuo cõfirmat; illius uirtute, & nõ uiribus tuis, uictorias inſignes cõſequeris. O Dñe, cõfirma uirtute tua inuicta opus, quod in functione noſtræ ſalutis edidiſti, ut numquam, quod ſtabiliendum ſuſcepiſti, hoſtium conatibus dilabatur. Ex tempore templi tui ſempiterni, quod in ciuitate cæleſti Hieruſalem, hoc eſt, in Eccleſia tua, dedicaſti, Religio, multo ſanctius inſtaurata, orbẽ terrarum commouebit, ita, ut maximi Reges, & Principes, tibi munera, uenerabundi, atque ſupplices, offerant. Tu uero, pro iure tuo, munera, quę non ſunt Diuinæ Maieſtatis, repudia; legis ſacra cõtemne, ut noui fœderis ſacrificia tibi rite fiant. Quadrupedes ad uictimas aſpernare; odores ad antiqua ſuffimenta hullam uim ſolidæ, & expreſſæ, religionis habere doce; uitulorum multitudinem,

Currus Dei decem millibus multiplex.

Adſcẽdiſti in altum, cepiſti captiuitatem.

Etenim nõ credentes.

Benedictus Dominus die quotidie.

Deus noſter Deus ſaluos faciendi.

Dixit Dominus, Ex Baſſan conuertam.

Viderũt ingreſſus tuos Deus.

In Eccleſiis benedicite Deo Domino.

Ibi Beniamin adoleſcentulus.

Mãda Deus uirtuti tuæ.

A templo tuo in Hieruſalem.

Increpa feras arundinis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem,populorum curribus subiunctam,ad hostias immolandas detestare;eos, qui se cum argenteis fragmẽtis abijciunt,ut numẽ tuum, ritu legis,ad misericordiam inflectant, frustra laborare demonstra.fac,ut intelligãt, te nõ huiusmodi sacrificijs, sed misericordia,placear:gentes immanes, qui bella comparant,&,quantum possunt, in hominũ genus pestem,atque perniciem,machinantur,dispersas.Perfice,ut intelligant omnes mortales, nihil tibi cordi futurum, quod non sit ex ardenti in Deũ pietate,& ex hominum caritate, profectũ. Itaque nouo sacerdotio,noua religione,nouo fœdere, constituto,antiquis cerimonijs abrogatis,& impedimentis omnibus,quæ gentes ab Israelis commercio,& cõiunctione,dirimebant, disiectis,ex omnibus gentibus repente confluet ingens multitudo, quæ summa pietate Deo gratos honores instituat; Aegypti principes aduenient; Aethiopes accelerabunt;ut manus suas in Deum suppliciter intendant.Regna terræ,hymnis,& canticis, nomen Domini celebrate;Dei misericordiam canite, per quam fuistis e sempiternis tenebris erepta.O beneficentiæ Diuinæ largitatem,quæ tam late diffusa est, ut ad ultimos terræ fines, intra breue temporis spatium,admirabili cursu,peruenirent.Hymnos in gloriam illius modulamini, qui,supra cælestis regionis fastigium inuectus, minime res humanas negligit. Cum enim earum magis oblitus uidebatur,ecce tibi uox illius intonuit, cuius uocis tanta uis exstitit,ut mundum inuerteret,& immutaret,& a pernicie turbulentissimi erroris abstractum ad uerissimę religionis studium repente traduceret. Hoc quidem fieri uirtute humana nõ poterat.Nec enim tantas uires habet uel potestas hominum,uel gratiã, uel eloquẽtia,ut possit flagitia penitus exstirpare; errores funditus euellere; ad uitę contemptionẽ mortales adducere;animos cupiditate uitæ cælestis inflãmare; & perficere denique,ut ea,quæ sunt oculis subiecta, despiciãt;& eorum desiderio,quæ uideri non possunt,mirabiliter incendantur.Hanc igitur uim,qua mores omnium hominum,praua institutione corruptos,falsis opinionibus infectos,& lege, & consuetudine, & tẽporis antiquitate,in magnitudine sceleris obfirmatos,euellitis,nullo modo hominibus tribuatis,sed illi summo Domino,qui Israelem, hoc est, hominum fideliũ cœtum,beneficijs auget; cuius gloria,& fortitudo,in cælo uehementer eminet,& excellit.Terribils es,Domine,in tabernaculo sempiterno:hostes enim fundis,& fugas; & facis, ut, excruciati supplicijs, numen tuum extimescant. Clementissimus es in Israelem, quẽ præsidio tueris,muneribus ornas,& ad communionem Diuini status inuitas. Ipse Dominus est, qui uirtute fulcit,& uiribus confirmat, populum suum. Nomen igitur Dei in omni æternitate prædicetur.

Dissipa gentes quæ bella uolunt.

Venient legati ex Aegypto.

Ecce dabit uoci suę uocem uirtutis.

Saluum me fac Deus. Psal. 68. Apud Heb. 69.

HOc propositum fuit Prophetis omnibus, (quemadmodum Petrus ait)ut antecedentes Christi optimi maximi cruciatus,& consequẽtes laudes,atque triumphum,describerent.Danid in primis hoc munus fuit luculentissime persecutus.Quis enim Christi supplicia,querimonias, & gemitus,uehementius, & cum maiore doloris sensu,& acerbitate,desleuit?Quis in illius exsurrectione,& Diuina uita,& triumpho clarissimo, iucundius exsultauit? Itaque,ut apparet, hæc erat illi in rebus afflictis alleuatio;in secundis uitæ sempiternæ commentatio;in omni denique loco illa ingis, & assidua,Christi præmeditatio mentem illius iacentem erigebat,erectam efferebat,elatam in superas sedes euehebat,ut in cælo frequẽtissime uersaretur.Et,quamuis ea,quæ litteris mandabat, aliqua ex parte subobscura similitudine ad se pertinere perspiceret, cum tamẽ illius animus esset ad futuras Christi actiones acriter, atque uehementer,intentus,ea dicit, quæ nullo modo, nisi ad unũ Christum, referenda sunt. Quod quidem in hoc Psalmo clare perspicitur.Quamuis enim ille multis incommodis fuerit afflictus, & iniurias sibi illatas iure lamentaretur, in Christum tamen respiciens,non suas ærumnas, sed Christi supplicia, deplorat.Sic igitur Christum lamentantem inducit:Accelera,Domine;ut salutem mihi,in tam insigni calamitate,conferas; & e mortis ipsius fauci bus me clementer eripias. Nam torrentis, imbribus uehementer amplificati, cursus in me fertur tanto impetu,ut uita mea in extremo discrimine cõstituta sit.In profundo luto defixus sum,in quo firme uestigium stabilire non possum; in aquam ualde profundam delatus sum; & me propemodũ obrutum undis esse conspicio; opem uehementer implorando defessus sum. Guttur meum clamoribus ex imo pectore profusis exaruit; oculi mei, in auxilium,quod petebant,intenti, defecerunt. Cum ergo non in hominibus, sed in Dei mei clementia, spem collocatam habeam, inimici mei multitudine superant capillos capitis mei;sine ullo merito meo,me odio nimis acerbo persequuntur;hostes mei,mendacio,& calumnia, nixi, contra me uiribus aucti sunt;quæ non rapui,exsoluere compellor; ita, ut nõ pro peccatis meis,sed pro alienis, acerbissimas pœnas, & supplicia intoleranda,sustineam.Domine,sic,uid insipienter, & temere,designaui,si in me flagitium aliquod admisi,si criminibus supplicio dignis alligatus sum, tu id explorate cognitum habes: te igitur innocentiæ,& puritatis,meę testem inuoco,ut decus meũ, falso testimonio uanitatis deformatum, testimonio tuo uerissimo,atque sanctissimo,tuearis.Perfice,ne crucis ignominia eos ab ardẽti studio pietatis auertat, qui in te spem salutis positam habent, o Domine,cui exercitus cælestes obtemperant, & penes quem est rerum omnium summa potestas;ita,ut facillimum tibi sit,illis,qui tibi toto pectore seruiunt, opitulari;te oro,ne permittas,o Israelis inuictum præsidium,ut,qui te unum quærunt,dedecoris infamia maculentur. Si enim ope tua nudati fuerint, si in rebus asperis derelicti;erunt mortalibus cunctis ludibrio,quasi homines mentis expertes,qui,rebus alijs neglectis,a te solo subsidium fuerint sibi in ærumna polliciti.

Saluum me fac Deus.

Clamauit.

Deus tu scis insipientiam meã.

Non erubescant.

Non cõfundantur.

Eripe me de luto.

Exaudi me Domine.

Quoniam propter te sustinui

quod

quod quidẽ eueniet,si tu mihi nõ opportune subsidium attuleris. Quis enim te ardẽtius expetiuit? sanctius coluit? diligẽtius sectatus umquam fuit? Propter nominis tui gloriam contumeliam sustinui;& facies mea summũ dedecus, & ignominiã, subiuit. Alienus factus sum cum fratribus meis;& filij matris meę,eadem stirpe progeniti,& eisdem Reip.sanctæ disciplinis instituti, contumelia mei cruciatus offensi,abalienati sunt. Acerrimũ enim studium domus tuæ me exedit,& conficit;contumelię,quas perditi homines in Maiestatem tuam intorquent,in me redundarunt.Indignissime nãque patior,legem tuam proculcari;religionem neglegi;iustitiam opprimi; Ecclesiæ sanctitatem uiolari;mores hominũ inquinatos, atque peruersos, adspicere;&,quod est omnium grauissimum,indignissima conuicia nomini tuo fieri. Quasi enim aut res humanas non cures, aut scelus ulcisci nõ possis,aut muneribus a uindicta deducaris, ita te uel negligẽtię,uel imbecillitatis,uel iniquitatis,in simulant;&,cũ iudicia tua minime uereatur,in nomẽ tuũ maledictis omnibus inuehũtur.Hęc igitur scelerum offensio me uehementer excruciat;hanc iustissimam indignationem pati nequeo; hæc me sollicitudo ad supplicium trudit; & omnes denique contumelias mihi subeundas esse puto, ut illatas nomini tuo contumelias oblitterem; ut ita gloriæ tuæ caritas eluceſcat.Hac cura stimulatus, assiduo fletu,atque ieiunio,animam meam uehementer afflixi. quod fuit mihi, ut maximum probrum,ab inimicis obiectum,cum lugubrem uestẽ induerem,in iustissimi mœroris indicium: illi me dente maledico corrodebant;& nomen meũ,prouerbij uice,ad exemplum dementissimę temeritatis,usurpabant. De me fabulãtur,qui ad portam, in multitudinis cõuentum,de more ueniunt;& in conuiuijs,qui se uino intemperanter ingurgitant, me carminibus,& cantilenis,petulantissimis irridենt; & in omni denique loco me maledictis acerbissime conscindunt.At ego,in tantis angoribus, unum habeo totius mœroris,& acerbitatis,alleuamentum;quod est in oratione,qua a te opem enixe contendere non desisto,constitutum. Tempus enim ad benigne faciendũ est ualde opportunũ. Scelus enim hostium iam ad summũ peruenit,ita, ut nõ sit diutius tolerandum,cum facinoris,& truculẽtię,magnitudo uindictam flagitet,& dolores, quos pro alienis peccaris haurio,tanti sint, ut nullus ad eos cumulus possit accedere. Audi igitur me,Domine,secundum tuæ clementiæ,& benignitatis,amplitudinem,cuius officiũ est,maximo dolori maxima uirtute succurrere;&, secundũ tuæ fidei constantiã,quæ te admonere debebit, ne promissũ auxilium differas,& salutẽ cõfestim afferas illis,qui sunt tibi fœdere sacro deuincti,libera me, ne in lutulẽtẽ foãue deprimar;ne,undarũ impetu cõtortus,& solida palude demersus,intereã; eripe me de inimicis meis,ne,aquarũ uerticibus absorptus,in profundũ aluei gurgitẽ detrudar. Non me differat aquę uehementissimæ fluẽtis impetus;ne me conficiat fluminis profunda uorago;ne ue imi gurgitis angustiæ exitũ intercludant.Hoc,in summa,te uehementer oro, ne inimici mei,scelere, & amentia,flagrantes, qui neruos oẽs ad mei nominis memoriã funditus euertendã intendunt,conata perficiant.Te igitur,quantũ possum,oro,& obsecro,ut me audias;opẽ tuam flagito;misericordiã suppliciter imploro;quæ tã salutaris, & benefica, est,ut totius calamitatis memoriam tollat;ita, ut eos,qui miserijs erãt impliciti,florẽtes, atque beatos,efficiat.Tuũ præsidium flagito;opem tuam uehemẽtissime requiro;& clementiam tuã supplex obtestor;ut,secundum beneficiorum tuorũ multitudinem,qua miseros,& afflictos,consolaris,me respicias;& a malis; quibus sum misertime circumuentus,educas. Nõ auertas faciẽ tuam ab hoc seruo tuo:maxime enim me premit angustia.quocirca a te maiorẽ in modum peto,ne auxilium differendum,& procrastinandũ,existimes. Animę meæ presentẽ siste;illam sine mora redime;ne hostes, ut uictores,insultẽt,ad me liberãdũ accelera. Quibus cõuicijs exagiter, quibus cõtumelijs lacerer, quibus ignominiæ maculis inurar ab hostibus meis,tu,Dñe,nosti:nam hostiũ perditissimi conatus,te inspectante,cõparantur. Opprobrium afflictat cor meum;dolore intolerando discrucior; spectaui,an esset,qui doloris mei sensu moueretur;& neminẽ uidi;qui mihi solatiũ dare conaretur,& neminẽ inueni;in cibum fel mihi porrexerunt,&,cũ sitirem,acetum mihi ad bibendũ obtulerunt.Sceleris igitur,& immanitatis, atrocitate, omnẽ sibi aditum ad misericordiã præcluserunt; cũ salutis auctorem tã acerbo odio persecuti sint,ut nullis illius supplicijs expleri, & satiari, possent.Iuri igitur Diuino consentaneum est, ut, qui a se misericordiam repulere,iram Diuinam subeant, diriſq; supplicijs in perpetuum acerrime torqueantur. Primum quidem,mensæ eorum, e qua dapes exquisitas se sumpturos esse confidunt, laqueus extentus sit, quo alligati teneantur, ut se expedire non possint. Mensa quidem est Scripturæ sanctæ disciplina,quam illi tantum percipiunt, qui pura mente sunt, & spendore Diuinæ lucis illustrantur; reliqui uero, quos impietas excæcauit, tantum abest,ut ex illius studio fructum percipiant, ut potius uenenum hauriant, quo miseris modis intabescant.Ad libidinem enim suam, atque nefarium scelus,oracula Diuina interpretari, & tætras tenebras clarissimis rebus obducere, conantur. Tæterrimi igitur facinoris pœnas luent, & laqueis irretiti tenebuntur, ut inde præcipites in perpetuum cruciatum eijciantur. Obscurentur oculi eorum, ne uideant; & dorsum eorum intolerandis oneribus deprimatur. Semper in tenebris, & mentis exsecranda cæcitate,uersentur, & ita sint sempiternæ seruitutis uinculis adstricti,& immanibus tributis oppressi,ut numquam libere respirent. Effunde in illos iram tuam;nec ullo pacto uim tuæ indignationis effugiant. Templo,& sacris ædificijs,quibus niti,& cõfidere,uidebãtur,extrema uastitas inferatur; & domus,quas incolebant,quasi tabernacula diruãtur, & uniuersa denique ciuitas ab habitatoribus deseratur.Nõ sit ultra religio,neque sacerdotiũ,nec Resp.nec ullũ denique legis priscę uestigiũ,neque splendoris antiqui monumentum.Illũ enim,Domine,quẽ tu percussisti,

Quoniam zelus domus tuæ comedit me.

Et operui in ieiunio animã meã.

Ego uero orationem meam ad te Domine.

Intẽde animæ meæ.

Et sustinui qui, contrã staretur.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.

Fiat habitatio eorũ deserta.

Quoniam quẽ tu percussisti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

percussisti,cuius eo tempore condicio erat magis humanitate subleuãda,quam doloris additamento grauius affligenda,persecuti sunt;& mihi,infli-ctis a te uulneribus,petulantissimis uerbis insultarunt.Scelus eorũ (ut euenit ijs,qui in uiã redire nolunt,& ab ope tua deserũtur) scelerũ accessione cumuletur;& iustitię tuę, quæ numinis tui gratia cõtinetur, participes numquam fiant. deleantur e libro uiuentiũ; & in iustorum cœtu minime cen seantur.At me,inopia conflictatũ,& doloribus op pressum,misericordia tua,Dñe,subleuabit;& in al tissimo gradu constituet. Cum igitur e tenebris emersus,& a mortuis excitatus,fuero,nomen Dñi carminibus,& canticis,laudabo; & gratiarũ confessione illius decus,& gloriam, in cælum efferã. Quod quidem munus illi oblatum erit longe gra tissimũ,& multo magis acceptum,quam si bouẽ, aut tenerrimũ uitulum,cuius cornua, & ungues, recenter eminerent,in sacrificium obtulissem.Cũ enim legis sacrificium aspernetur, gratiarũ sacrifi cium requirit. &,quo beneficium amplius,& ma gnificentius,est,eo laudis sacrificium est illi iucundius. Cũ ergo nullum umquam beneficium amplius,& maius,exstiterit;cõsequens est,ut mea laus,in maximo omnium beneficio tributa,maxi me omnibus sanctitatibus antecellat.Humiles,& afflicti,in me intuẽtes,omni cura,& sollicitudine, leuabuntur;& gaudio mirifice triumphabũt.Animis exsultate,omnes, qui Deum quæritis.animi namque uestri,gratiæ Diuinæ compotes, sempiterna uita perfruẽtur.Audit enim pauperes Dñs, & uictos suos a tenebris educet,ut in cælitum gloria,& iucunditate,uersetur.Cælestis regio Domini laudem celebret;terra in gloriam illius læta uoce circumsonet; maria omnia, cum animantibus,quæ in aquis natant,& in profundo uolutantur, exsultent. Dominus enim salutem afferet Sioni cęlesti;& Iudeæ ciuitates ędificabit;& homines fideles in illis habitabunt; & ius sempiternæ ciuitatis obtinebunt.Posteri eorum, qui Domino seruiunt, in hereditariam illius possessionem uenient;&,qui diligunt nomen eius,quocũque gene re illi sint, & quacũque ex regione sint adsciti, in ea sedes stabiles, atque sempiternas, habebunt.

Ego sum pauper, & dolens.

Laudabo nomen Dei cum cãtico

Et placebit Deo super uitulum.

Videãt pauperes,& lętentur.

Quoniam Deus saluã faciet Sion

Deus, in adiutorium meum intende. Psal.69. Apud Heb.70.

DAuid,similiter atque in carmine precedenti fecit,ita in hoc sibi auxilium in uitæ discrimine petit,ut mẽtem a Christi supplicio minime remoueat, & diras non tam suis inimicis, quam illius hostibus,imprecetur. Domine, inquit,uim tui numinis excita, ut me ab inimicis meis, qui me circumsessum tenent,eripias;&,ut uitam meã salutari præsidio confirmes, celeritatem susci pe: nec enim est dissimulandum facinus, sed cũ festi natione coercendũ, ne,sceleris exemplo, multos mortales inficiat:neque periculum,in quo uersor, negligendũ, ne prius hostes uoti compotes fiant, quam subsidium afferatur.Perturbati, atque confusi,discedant,& ignominia deformentur,oẽs;qui animæ meæ interitum moliuntur;metu perterriti,cũ insigni dedecore fugiant, qui summo studio, & contentione,mihi mala comparant.In pœnam contumeliarũ, quas imponere mihi conati sunt, dedecoris extremi cõtumelias patiantur,qui mihi in ærumnis insultant. &,quoties me afflictũ ad spiciunt,inter se,cũ effrenata uerborũ petulantia, de meo incõmodo gratulantur. lætitia efferantur in nominis tui gloriam, & insigni gaudio cumulentur,qui te quęrunt, &, præsidio tuo defensi, & muneribus tuis exornati, gratias agant tibi, qui nõ aliunde,quam a te,salutem expetunt,& Christum tuum,in quo salus generis humani cõsistit, incensis animis amplectũtur.Vides me uehemenTer afflictum,uides ab omnibus rebus inopẽ, humanoq. auxilio prorsus orbatum. Propera igitur; celeritatem incita;auxiliũ tuum festinanter affer; ut per te ipsum me liberes, & in loco tutissimo constituas, ne ad meã perniciem hostium scelus euadat.O Domine,te mihi auxilio minime defuturum confido:sed, cum neque humana imbecillitas,neque Diuinæ gloriæ cupiditas, dilationem pati queat,te uehemẽter etiam atque etiam oro, & obsecro,ne præsidium tuum res ulla remoretur.

Ego mendicus, & pauper sum.

In te Domine speraui, non confundar in æternum. Psal. 70. Apud Heb. 71.

EAndem materiam,& eadem mente, persequitur uir Diuinus,quam in precedenti Psalmo tractauit. quare minime necesse est lectorem de argumento illius admonere.Domine,inquit,semper in clementia tua spem firmã habui, quę num quam me fallet;& iccirco ignominiam temeritatis,quæ confidentiam inanem consequitur, minime reformido. Ignominia enim notabuntur illi, qui uanitate,& mendaco, nituntur, non illi, qui fiducia gratiæ tuæ muniuntur. iustitia tua libera me, cum uideas uitam meam calumniis, & iniquitate, circumueniri: a perditorum hominum fraudibus,& insidiis,eripe me: aures tuas ad preces meas accommoda, ut me saluum, & incolumem, contra inimicorum meorum conatu,sefficias. Fsto mihi rupes,natura,& præsidio,munitissima,in quam me tuto recipiam. Nam ideo salutis meæ custodiam angelis tuis commisisti, quia te mihi semper & arcem in expugnabilem,& castellum inuictissimo præsidio cinctum, præbuisti. Ex impij manu, quam contra me sceleratissime comparauit,erue me: contra opes hominis inuictissimi,& delatoris acerbissimi, animum meum auxilio tuo protege; illiusq. impetum a me procul expelle. Tu enim, Domine, es spes mea, & Deus meus,& iam inde a primis annis uitæ meæ robur, atque firmamentum. Quin etiam in utero matris meę misericordia tua sustentatus sum; & inde numinis tui beneficio in lucẽ editus fui. quocirca semper laudes tuę in ore meo uersabuntur; & numquam de tua erga me beneficẽtia conticescã. Vitæ dissimilitudo, & rarissimę uirtutis exemplum,

In te Domine speraui.

Esto mihi in Deũ protectorem.

Quoniam tu es patientia mea.

Tamquam prodigium factus sum multis.

exemplum, multis admirationem commouebat, & tantum odium ex inuidia concitabat, ut me, tamquam monstrum, atque prodigium, insectarentur uerum tu,Domine(quemadmodum spera ui) me contra inimicos meos firmissimo præsidio muniuisti.Os meum laudibus tuis plenum sit, & perpetuo gloriam tuam concelebret. Quod fiet, cum uidero,multos, disciplinis meis admonitos, libidines,& flagitia,repellere,& in studium pietatis ardenter incũbere,eorumq. operibus admiran dis nominis tui sãctissimi decus amplificari. Hoc autem est iuuentutis meæ robur;hic florentis ætatis uigor;hoc gloriæ militaris ornamentum. At,cũ senuero,hoc est, cum progressu tẽporis fides paullatim defecerit,& ardor animorũ refrixerit, & pietatis uires attenuatæ fuerint,ne proijcias me, Domine,ne ue Ecclesiam tuam funditus euerti,& interire,permittas.Nec enim solũ,quamdiu in mortali uita manent,consiliũ ineunt inimici mei, qui perpetuo animo meo insidias intendunt, & in eo maxima contentione laborant,ut me crudeli morte cõficiant,nomenq. meum e terris exterminẽt, sed etiam post mortem meam cogitationem hanc totis animi uiribus amplectentur,ut memoriã nominis mei radicitus euellant, & studium uerissimæ pietatis exstinguant. Dicunt enim, Deus illũ deseruit;hostibus illius fauet; illius uires debilitat;hostibus uictoriam concedit;illius autem opes exhaurit:quod est odij nõ mediocris argumentũ. Illum igitur acerrimo bello persequimini;illũ capite,acerbissimoq.dominatu,comprimite; cũ nemo sit iam,qui eũ e manibus uestris extorqueat. Itaque non me solum falso sceleris accusant, uerũ & de tua fide male sentiunt,cum fore suspicantur. ut eum, quem tu tantis muneribus,& ornamẽtis, excoluisti,ad tãtos honores euexisti,& tecum fœdere amoris sempiterno coniunxisti, ope tua nudes,& sempiterni hostis immanitati peruertendũ, & spoliandum,permittas.Magnum est hoc malũ; ingens discrimẽ; facinus immane,nec ullo modo tolerandum.Nõ igitur,o summe Domine, a me te procul amoueas;sed ad ferendum auxiliũ appropera.Dedecore summo cumulẽtur,exitio calamitoso consumantur,hostes animæ meæ, qui pietati aduersantur;qui religionem oppugnant; qui uirtuti interitum,perditissimo conatu,moliuntur;cõtumelia,& ignominia,deformẽtur,qui mala in stum meum,hoc est,in cælestẽ disciplinã,inuehere, & importare,conantur.Nec enim,quod cupiũt,ullo modo perficient;immo, quo uehementius pietatẽ impugnauerint, eo magis efflorescet,& multo clarius splẽdore Diuino collucebit.Illi uero perturbati, & turpitudinis sempiternæ maculis insti,meritas pœnas exsoluent.At ego numquam aspe,in tua gratia,& benignitate,posita,decidã;sed, recentibus in dies beneficijs auctus, ad antiquas laudes quotidie recẽtes adijciam, & gloriam tuã perẽni præconio celebrabo. Os meum annuntiabit iustitię tuæ donum;quod in animos eorũ, qui te fide incensa colunt,cõgessisti;& salutem, quam illis,quos muneribus Diuinis ornasti,large,atque munifice,contulisti; numerum beneficiorum tuorum minime recensere,præ multitudine eorũ, pos

Introibo in potẽtiã Domini.

Et usque in senectam, & senium.

Quãtas ostendisti mihi.

Multiplicasti magnificentiã tuã.

Ne proijcias me in tempore senectutis.

Quia dixerunt inimici mei mihi

Ego autem semper spe rabo.

Quoniam non cognoui literaturam.

Deus ne elongeris a me.

Deus iudicium tuum Regi da. Psal.71. Apud Heb.72.

QVi dubitat, an Dauidis mens, & cogitatio, in Christo defixa sit, hunc Psalmum attentissima cõsideratione legat;& ita omnem dubitationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem relinquet,& Diuinos huius ſanctiſsimi uiri ſenſus admirabitur. At Pſalmus Salomonis inſcribitur. Verum. Geſsit enim Salomon, ſapientiæ magnitudine, diuitiarum affluẽtia, pacis tranquillitate, Chriſti, Regis æterni, ſubobſcuram imaginem, & ſimilitudinẽ; & ea de cauſſa Chriſto nomẽ illius accõmodatur, quemadmodũ & Dauidis nomen apud Prophetas impoſitũ Chriſto ſæpe conſpicimus. Aliter enim, quo tãdem modo ſe Iudæi, aut illi, qui Iudæos ſequuntur, expedient? Quãdo enim fuit Salomoni Dei iudicium tributũ, ita, ut non ſecundum teſtes, & conuenta, & cognitionẽ, ſenſibus uſurpatam, ſed ſecundum ueritatis ipſius conſtantiam, mente perceptam, iudicaret? quãdo tanta felicitate imperium propagauit, ut illud eſſet ultimis terris definitum? deinde, quæ fuit illa iuſtitiæ tempore Salomonis ubertas, & affluẽtia, quæ populum expleret, ad ipſum uero Regẽ minime peruenireť? Dei enim religionẽ, in qua ſumma iuſtitię conſiſtit, per effrenatam libidinem, impie, atque nefarie uiolauit. Quid illud de Regni floren tis ęternitate, quo modo in Salomonis regnũ quadrat, exiguo ſan e tẽporis ſpatio terminatũ? poſtremo, quod additum eſt, oẽs nationes per illum fore exſecratione liberandas, qua tandem ratione in Salomonem conueniet? Num peccati uires eliſit? Num Satanæ imperium deleuit? Num falſam religionem ſuſtulit, ut ueram in terris uniuerſis iuſtituereť? Num Dei bonitatem grauiter offenſam uniuerſo generi humano placauit; ut ita demum iuſtitiæ Diuinam formam in mentibus humanis inſculpereť? Non fuit ea uis Salomoni; non ea imperij maieſtas; nõ ea uirtutis amplitudo; non ea denique poteſtas attributa, ut opera Diuina, atq. ſempiterna, moliretur. Ecce magis, (inquit Rex ille ſempiteruus) quam Salomon hic. Ad illum igitur aium referamus; illius potentiam admiremur; illius clementiam amemus; & laudes Regni florentiſsimi (quod Dauid hoc carmine fecit) oratione perſequamur. Ait enim: Dñe, uides, quã fallax ſit hominũ iudiciũ. Exſulat enim ueritas; hominum potentium gratia dominatur; munera rectam mentem eripiunt; &, quamuis aliquis ſit, qui recte iudicare uelit, munere ſuo perfungi non poteſt; cũ illius iudicium e ſenſibus oriatur; ſenſibus autem oẽs inſidię, perditorum hoĩum fraudibus, intendantur. Nihil eſt in uita purũ; nihil ſimplex; nihil integrũ; nihil non dolis infinitis obnoxium. Quod ergo remedium tantis malis adhiberi poteritť? Vnum certe, cuius dilationem ferre nõ poſſumus. Veniat tandem Rex ille ſummus, cuius ſpes animos noſtros erigit, & eoſdem, interpoſita tanti boni mora, uehementer affligit. Da iudicium tuum Regi huic ſanctiſsimo; & iuſtitiæ ſanctitatẽ cum Regis filio, (ex me enim, quem Regẽ effeciſti, temporibus conſilio tuo definitis orietur) perfecte communica. Nemo illum in iudicando decipiet; quia non ſenſus, qui ſępiſsime falluntur, in conſilijs adhibebit; ſed ſecundum ueritatẽ, quam Diuina mente percipiet, ſententiã feret. Ius dicet populo tuo, cũ iuſtitiæ integritate; & cauſſam pauperibus tuis, iniquo iudicio oppreſsis, adiudicabit. Montes ferẽt pacẽ populo, & colles iuſtitiam producent. Immanitas enim, & odiũ omnino cõpreſſum, ſilebit; hoĩum caritas excitabitur; pietas exſtincta reuiuiſcet; lætiſsimę fruges iuſtitiæ paſſim oriẽtur, uſque adeo, ut montes etiã horridi, & inculti, fructus uberrimos iuſtitię profundãt. Iuris æquabilitate, pauperes populi, cõtra ius, afflictos ſubleuabit; pauperũ filiis, omni præſidio deſtitutis, ſalutẽ dabit; & calumniatorem ſeuero iudicio peruertet. Oẽs enim, qui ſibi nihil attribuunt, qui ſe corã amplitudine tuę Maieſtatis abiiciunt, & in te ſolo oẽm ſpem ſalutis poſitã habent, e calũnijs eripiet; & calũniæ auctorẽ, tenebrarumq. principẽ, cuius officium eſt, hoĩbus ſanctis falſum crimen intendere, præcipitẽ exturbabit. Inſtaurata per illũ religio nullis finibus arcebitur: erit enim ſempiterna. Qui enim nomen illi dederint, quam diu Sol cęlum cõuerſione ſuą luſtrauerit, & quam diu Luna nocturnã caliginem ſplẽdore ſuo diſpulerit, nomen tuũ uerebuntur, & ſacra tua caſta, & pura, mente cõficient. Vt pluuia, in detonſum prati demiſſa, tellurẽ ipſam, uiriditate nudatã, lætiſſimo rurſus gramine ueſtit; & peinde atque imbres effuſi aridã terrę facię emolliunt, & fecunditatem aruis inducunt; ita illius gratia, in animos, flagitiorum ſolibus exuſtos, diffuſa, eos irrigabit; ex illiſq. lætiſsima iuſtitię pabula, uberrimasq. fruges uirtutis excellẽtis, eliciet. In diebus illius, hoc eſt, quamdiu ipſius Regis ęterni ſplendor Diuinus in mẽtibus humanis illuxerit, iuſtus quilibet germinabit, atque ſalutarem fructũ in communem utilitatem proferet. Cũ uero hæc iuſtitia, quam Rex hic maximus terris allaturus eſt, ſempiterna futura ſit; & cũ pax opus iuſtitiæ ſit; neceſſario cõſequetur, ut pacis illius affluentia ſit etiam ſempiterna. Vt igitur Luna deficiat, illius pax ſemper in omni ſęculorum æternitate inuiolata permanebit. Aius enim hominis iuſti nullo ſeruili metu belli illius conturbabitur, quo Deus in hominum ſcelus inuehitur; cum ſcelus ſit in hominis iuſti mente, Spiritus ſancti gratia, deletũ; & iuſtus ipſe ſit cũ ipſo rerum omnium Dño, amoris ardentiſſimi fœdere inuiolabili, copulatus. Imperium illius ad utriuſque maris oras latiſsime ptinebit, & deinde, orientẽ ſolem uerſus, a magno flumine ad extremos terrę fines erit extẽſum. Gentes etiã immanes, & efferatę, ſeſe ſupplices in cõſpectu illius abiicient; & hoſtes, malis edomiti, corã illo ſtrati, procũbent, ut puluerẽ lingere cõpellãtur. Reges, qui Tarſũ, & terras, quę ad Septẽtriones ſpectãt, in ditione tenent, & qui uerſus Occidentẽ ſolem inſulis, & ciuitatibus, quas populorũ fluctus circũcingunt, dñantur, & qui ad auſtrũ Arabiam, & Aethiopiã, imperio cõplectuntur, illi munera deferent; & reliqui etiã Reges illis finitimi imperata tributa perſoluẽt. Omnes denique Reges numini illius ſupplicabũt; & cunctæ nationes illi ſeruiẽt, & leges illius libẽter accipient. Iuſtitiæ namque ſplendore, & clemẽtiæ magnitudine, cũctos ad ſe mortales alliciet. Eripiet enim pauperẽ ab eo, qui non iure, ſed clamore, & conuicio, diſceptat, ut ſit in humanis iudicijs; & inopis deſerti, ab omniũq. patrocinio derelicti, cauſſam ſuſcipiet. Homini tenui, & egenti, miſericordiam tribuet; & animas

Deus iudicium tuum regi da.

Suſcipiant montes pacẽ populo.

Regis Tharſis & inſulæ.

Quam bonus Iſrael Deus ijs, qui recto ſunt corde. Pſal. 72. Apud Heb. 73.

EAedem cogitationes hominum mentes, non tamen eadẽ ratione, peruagantur. Sunt enim multæ curæ, & ſollicitudines, quæ bonorum fidem oppugnant, non tamen ſuperant, ſed uirtutem tã tum exercent; ut eorum fides ex ipſa pugna clariorem uictoriam conſequatur: improbi uero minime cum ijſdem curis decertandum exiſtimant, ſed ſponte ſua, uicti, ſuccumbunt; &, quocumque illos ratio, captoſa, atque fallax, impellit, eo facillime deferuntur. Ex omnibus autem prauis cogitationibus, quæ communem uitam perturbant, nulla capitalior eſt ea, quæ cenſet, iuſtitiam eſſe noxiam iuſtis ipſis, qui uirtutis, & pietatis, officium omnibus emolumentis anteponunt: quod quidem ſtatuunt eſſe uel animi imbecilli, uel amentis, argumentum. Imbecilli quidem, quod nõ audeant, iudiciorum metu, rem per ſummum nefas augere, aut per uim, & iniuriã, ad honores aſpirare; amentis uero, quod non intelligant, ſtultũ nimis eſſe, religione officij alicuius impediri, quo minus principem locum, uel uiribus, uel dolis, obtineat. Viri igitur præſtantis eſſe iudicant, cũ primum in iuriæ conflandæ facultas offertur, eã confeſtim arripere, qua poſsint ad opes immanes peruenire, atque in Rep. dominari. Nec enim iniquitate opes exquirere, ſed impunitatem aſſequi non poſſe, in flagitio ponunt. Nec illum uirum magnũ eſſe putant, qui manus a maleficio continet, ſed qui maleficia impune ſuſcipit. Et hoc quo argumento probant? quod omnes ferme uiri, in rebus publicis illuſtres, & clari, qui in ſumma gloria uixerunt, & qui poſt mortem memoriam ſui nominis immortalem reliquerunt, fraudibus, & iniurijs, ad ſummum imperium peruenerint; quod ij, qui, ſummo ſtudio iuſtitiã colũt, in ſumma inopia uerſentur, iniurijs infinitis obnoxij; cõtra uero, illi, qui cũ primũ poſſunt, per ſummũ ſcelus opes amplificant, potẽtia, & gratia, floreant, & omnia, quæ uolunt, facillime conſequantur. Quod ſi religionẽ obijcias, & iudicij Diuini metum denunties, irridենt. Deũ enim res humanas curare, non putant; & religionis metum, hominibus tantũ imperitis iniectũ, eos tam imbecillos reddere, ut ſe loco cõmouere non audeant; cũ interim ſapientes, & animo magno prediti, nihil omnino cõmodis ſuis anteferendũ exiſtiment; cũ uideant, eos, qui religionem ſpernũt, opibus ſummis affluere; qui uero nimis religioſi ſunt, cũ inopia ſumma cõflictari. Vnde colligũt, iuſtitiã eſſe pernicioſam ipſis iuſtis; iniuriã uero illis, qui ea callide, & ſapienter, utũtur, maxime ſalutarẽ. Hanc igitur ſententiã tã amentem, tam ſceleratam, & impiã, multorum animis inſitam, cuellendã ſuſcipit hoc carmine uir Diuinus; & oſtẽdit, nihil eſſe poſſe iuſtitia, neque ad utilitatẽ melius, nec ad cuſtodiã uitę ſecurius, neque ad nominis claritatẽ magnificentius. Sic igitur inquit: Profecto magnus eſt iuſtitiæ fructus; utilitas ingẽs, atq. ſempiterna; decus excellens, atq. plane

Et honorabile nomẽ eorum coram illo.

Et uiuet, & dabitur ei de auro Arabiæ.

Et erit firmamẽtum in terra.

Sit nomen eius benedictum.

Benedictus Dominus Deus Iſrael.

Defecerũt laudes.

Et permanebit cum Sole. & ante Lunam.

Deſcendet ſicut pluuia in uellus.

Orietur in diebus eius iuſtitia.

Quam bonus Iſrael Deus ijs, qui recto ſunt corde

Universidad de Deusto
Biblioteca

Diuinum. nam Deus omnipotens, & clementia infinita preditus, Israeli, qui uere hoc nomen usurpat, & pura, & integra, mente sanctissimum nomen ueneratur, benigne consulit; illum beneficiis ornat; illius statum inuicto præsidio confirmat. Quid igitur deesse poterit illi, cui summa bonitas plurimum sue benignitatis impertit? Atque fuit tempus, cum ego ancipiti cura distinebar; & propemodum pedes mei in tam lubrica cogitatione prolapsi conciderunt, & gressus mei sic sunt curis impulsi, ut resistendi locum minime reperirent. Aemulatione enim commotus indignabar, cum animaduerterem, insipientes opibus affluere, & impios in pace summa, & in tranquilla felicitate, uersari. Nec enim sunt uariis morbis, qui mortem accelerant, impediti. Nam firma, & robusta, ualetudine sunt; sunt plerumque a laboribus, quibus reliqui homines afflictantur, immunes; plagæ, quibus alij cæduntur, & debilitantur, minime illos attingunt. Rebus igitur ad eorum uoluntatem fluentibus inflati, superbiæ uestitum induunt; &, intolerando fastu, & insolentia, præcipites, efferuntur; scelus, per uim, & audaciam, ita conflant, ut iudicium minime pertimescant. Præ nimia pinguedine, oculi eorum prominent, ut, ob tutu nimis truci, populares despiciant. Multa, quæ secum, inani quodam animi motu, finxerant, immani conatu transgrediuntur. Quidquid enim concupiscūt, spe inanissima deuorant; &, cū nullo rerum successu contenti esse possint; cum id, quod sperabant, assequuntur, ulterius, insana cupiditate, properant; ut, recenti diuitiarum accessione, eas, quas domi diligenter asseruabant, amplificent. Sibi ingeniū, & acumen, arrogant; proborum hoīum simplicitatem irrident; in perniciē proximi mendacium cōcinant; neque satis habent grauissimam molestiam hominibus exhibere, nisi etiam in excelsum Deum conuicia iactent. Ore enim sacrilego, & contaminato, maledicta in cælum conferunt; &, contemptione numinis obdurati, linguam suam in terra facillime uersant, ut, quacumque ratione possint, pestem in ciues suos nefarie machinentur. Iccirco populus Domini, quem impij factis, atque dictis, incendunt, in hanc eandem cogitationem uenit, cum multis ærumnis se afflictari uideat; eoq. reducitur, ut dubitet interdum, an Deus, quæ gerantur in terris, animaduertat. Dicunt igitur homines, quos impiorum felicitas angit, Numquid Deus adspicit hæc? Num est apud Deum excelsum rerum humanarum cognitio? En (inquit eorum quilibet) homines isti, scelere inquinatissimi, & in ciues suos tæterrimi, bonis omnibus affluunt, & mundi huius tranquillissima pace potiuntur, & immanes opes habent, quibus sceleſtiora in dies facinora moliantur. Frustra igitur animi puritatem summo studio conseruaui; sine fructu ab omni maleficio manus meas continui; in eoq. uitam omnem consumpsi, ut, nullo emolumento mihi proposito, a iustitiæ uia declinarem. At me, pro uirtutis præmio, plagis quotidie cæsum, & afflictū, sentio; &, quoties Sol exoritur, toties pœnarum acerbitate coerceor. Dum hęc mecum agito,

Mei autem pæne moti sunt pedes.

Quia non est respect⁹ morti eorū

Transierūt in affectum cordis.

Et sui flagellatus tota die.

Si dicebā, Narrabo sic.

& tam perditorum hominum bona, quam proborum mala, recenseo; parum abest, quin opiner, o sapientissime Domine, filiorum tuorum nationem in errore summo uersari, quod uirtutis officium diuitiarum cupiditati prætulerit. Difficillimum est, dicere, quantum hæc cogitatio in multis studium pietatis exstinxerit, & a iustitiæ muneribus auocauerit. Quin & ipse, curis anxius, ingentes labores excepi, ut huius Diuini consilij rationem inquirerem, in qua quidem perueſtiganda multis laboribus, & difficultatibus, implicabar. exitum enim non reperiebam, cum neque consilium summæ sapientiæ, quæ neque falli, neque labi, potest, reprehendere fas esset; nec, cur Deus tanta mala in terris, cum tanto ruinæ periculo, fieri permitteret, intelligere possem. Verum, cum me collegissem, ut in aditum templi, hoc est, in arcana Diuinæ sapientiæ, penetrarem, consequentia mente prospexi; & uidi, quam ærumnosi, & infelices, sint impij, quamuis opibus summis, & gloria populari, circumfluant. Primum enim eos in periculoso, & lubrico, loco constituisti, ut anxij metu trepident; ut ancipites casus exhorreant; ut semper sint, cum insigni animi cruciatu, de suo statu, atque uita, solliciti. Non enim sunt adeo amentes, ut non intelligant, quam fluxa, & inania, sint illa præsidia, quibus se communiunt; & ita, quamuis multa sibi omni studio parauerint, in nullis tamen animo tranquillo conquiescunt. Semper igitur horrent, & trepidant, & motibus turbulentissimis agitantur. Deinde, cum magis opibus, & potentia, præcellere uidentur, eos, quasi repentino turbine, conuellis, & horrenda uastitate, consumis. Quam subita clade funditus euersi sunt, confecti sunt, consumpti sunt, & quantum terroris, casu, atque ruina sua, multis mortalibus attulerunt? Postremo, memoria eorum confestim effluet, & omnino delebitur. Vt enim usum nocturnum, cum is, cui in somnis apparebat, expergiscitur, euanescit; sic in ciuitate, eorum imago, quæ ficta specie dignitatis hominibus illudebat, tuo iudicio repente ex oculis abscedet; omnisq. memoria illius, quem tu despicies, interibit; itaque omnis splendor impuri hominis obruetur; dignitas obscurabitur; nomen in obliuionem ueniet; illa tantum dignitas erit firma, & stabilis, atque sempiterna, qua tu omnes bonos, qui habuerint in te uitæ præsidia constituta, amplitudine gratiæ tuæ cumulabis. & tamen a principio, cum id non assequerer, animus meus indignissime patiebatur hominum improborum florentem condicionem; renesq. mei erant acerbi tatis offensione, quasi acutissima sagitta, transfixi. mentis expers eram; Diuinum sensum minime expiabam; instar iumenti, in conspectu tuæ Maiestatis apparebam. Non quidem, ut a fide desicerem, aut existimarem, aliquid a te, sine summa ratione, mente, cōsilio, designari; sed, quod iudicij tui rationem nullo modo perciperem. Quamuis igitur assequi mente non possem, tecum tamen eram; a te minime discedebam; & in te fidem meā firmissime locabam; quia tu dextera tua me clementissime apprehensum confirmabas. Consilio

Velut somniū surgentium.

Ideo conuertetur populus meus hic.

Quia instīmatum est cor meum.

Vt iumentum factus sū apud te.

tuo me in uiam diriges, & tandem in gloriā perduces. Quis igitur non impiorum exitum perhorresceret? Quis bonitatis fructum non ardentissime concupiscet? Quis non uidet, quanta benignitate Dominus eos, qui rectum animum gerunt, omni tempore protegat, & quam Diuina præmia illis constituat? Te igitur unum uolo; te uehementer expeto; te ardenter amo; in te unum omnia mea uota, atque desideria, conferuntur. Quid enim mihi aliud est in cælo, quod intueri, consectari, quo frui, desiderem? & quid est in terra, quod, ad te adiunctus, non expetendum iudicem? Itaque nihil mihi erit in cælo sine tuo consortio iucundum, nihil in terra in coniunctione tuæ benignitatis acerbum. caro mea, & cor meum, absumitur; cordis mei robur paullatim exstinguitur. at hereditas mea, quæ tota Dei bonitate continetur, qui sedes sempiternas in cælo suis exstruxit, in perpetuum permanebit. Omnes, qui se a te procul amouent, interibunt; omnes disperdes, qui a te deficiunt, fidemq. suam proditione, & incesto flagitio, scelerate contaminant. Ambiant alij honores; exquirant uoluptates; curent ardenti cupiditate diuitias; bonum uero meum, cuius desiderio flagro, est, cum Deo meo amore summo conglutinari, omnemq. spem in Domino meo reponere, ut omnibus opera tua, o sempiterne uitę, atque salutis, meæ parens, annuntiem.

Quid enim mihi est in cælo?

Vt quid Deus repulisti in finem. Psal. 73. Apud Heb. 74.

ADmirabilis est hominum Diuinorum dignitas, & amplitudo, nempe, quos Deus consiliorum suorum participes faciat, &, quæ sunt euentura, illis multo ante prenuntiet. Sic autem fit, ut de rebus futuris, quasi de transactis, edisserant; &, quemadmodum bonorum explicatione lætantur, ita malorum præmeditatione lugent, & de gentis suæ strage, & exitio, conqueruntur. Non qudem, quod Dei seueritatem aliqua ratione criminentur: sciunt enim, nihil esse magis bonitatis immensæ, quam miseris, & afflictis, subuenire. Cum uero homines in scelere pertinaces minime uolunt de scelere suo confiteri; sed peccata peccatorum accessione cumulant; & perfidiæ immani nomen religionis obtendunt; & in sceleſtissimo facinore gloriantur; piorum uirtus afflicta uindictam flagitat; & Diuini iuris integritas, & constantia, necessario debitum supplicium sumit. Quorsum igitur adhibentur sanctorum hominum, in communi rerum euersione, & uastitate, querimoniæ? Vt humanitatis, atque doloris, sensus, qui eorum animos afflictat, explicetur, non ut clementissimo Domino nimiæ seueritatis crimen inferatur. Cum igitur uir Diuinus mente Diuina prospiceret exitium, uastitatem, & inflammationem, quæ erat Hierosolymis afferenda, patriæ ruinam acerbe luget; & ruinæ causam multo acerbius lamentatur. In hanc igitur sententiam, cladem patriæ deplorat. Sępe quidem, Domine, nos pro peccatis nostris afflixisti, & dominatu alienarum gentium grauiter oppressisti; uerum tamen opem tandem afferebas; &, cum insigni nominis tui gloria, populum tuum in libertatem, cum hostium interitu, uindicabas. nunc uero sic euersi sumus, ut nulla nobis spes salutis ostendatur. Quid igitur fiet? In perpetuum nos ope tua destitues? Sine fine, Maiestatis tuę, acriter iratæ, flamma, & incendium, oues, tuæ curæ, & uigilantię, commissas, & pascuis tuis enutritas, populabitur? Sic antiquę misericordię tuę monumenta exstingui, atque deleri, patieris? Tuere beneficia tua, Domine; & ne sic irę indulgeas, ut non etiam nominis tui glorię, atque sanctitati, prospicias. Recordare, quanta in nos olim munera, & dignitatis ornamenta, congesseris. Tu namque populum hunc tibi in peculium delegisti, quem singulari ope defenderes; tu illum e seruitute durissima redemisti; & in eo, quem, ut hereditatis ualde fructuosæ patrimonium, antea colebas, Regni leges, & iura, sanxisti; tu sacerdotium in illo, tu sacra, & cęrimonias, instituisti; tu denique templum, in quo habitares, in hoc tam celebri Sionis monte, opere mirabili, constru xisti. In quem finem, quæso? ut illum euersum, excisum, & inflammatū, & omnia tuæ clementiæ, atque sanctitatis, uestigia cineribus obruta, uideremus? Exsurge, Domine; & ingressus tui celeritatem incita; tam immane scelus ulciscere; interitu sempiterno hostem importunum, qui non modo uiolauit, atque profanum fecit, templum tuum, sed etiam diriſsimis flammis exusit, excrucia. In conuentibus tuis, qui ad celebritatem tui sanctissimi nominis agebantur, hostes tui rugitus, tamquam leones, ediderunt; monumentis tuis excisis, signa sua, ut clarissimę uictoriæ signa, posuerunt; ille apud hostes ualde clarus, & nobilis, habetur, qui, perinde atq. si densam siluam securibus exscinderet, populi tui magnā stragem edit, & obuios immanissime trucidat. Et nunc templi sculpturas partim bipennis crebris ictibus, partim malleis, demoliuntur, & commiuunt. In sanctitatis tuę aditum faces incensas coniecerunt; nominis tui sedem, & domicilium, fœdissimis factis, & immanissima cędę, polluerunt. Hoc secum statutum, atque deliberatum, habent, ut omnia in nobis euertendis crudelitatis exempla constituant. Omnes ædes sacras Domini in terra, horribili uastitate perdita, in quas homines, Dei celebrandi caussia, conueniebant, flammis absumpserunt. Nullo sensu humanitatis, nullo Dei metu, a tanti facinoris atrocitate, aliqua ex parte, reuocati sunt. Signa, quibus olim opem tuam minime defuturam nuntiabas, non uidimus; Prophetam, qui se contra irę tuę impetum pro nobis opponat, & iram tuam arcere conetur, non habemus; nemo est inter nos, qui finem huius tantę calamitatis uideat. Quousque tandem, Domine, hostis furor inualescet? Quo fine contumelię, & maledicta, quę in nomen tuum impudentissime iaciunt, coercebuntur? Si miserabilis casus, quo ruimus, te minime flectit; at gloria nominis tui, tantis hostium conuiciis indignissime deformata, te ad tantum facinus acerrime uindicandum sollicitet. Cur manum tuam a debitis supplicis

Memento congregationis tuæ.

Redemisti uirgā hereditatis tuæ

Leua manū tuas in superbias.

Posuerunt signa sua, signa: & non cognouerūt sicut in exitu super summum.

Signa nostra non uidimus.

Vt quid auertis manum tuam.

Vt quid Deus repulisti in finem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pliciis seuere repetendis auertis ? Id ne decet decus illud antiquum, tanta hominum admiratione celebratum, ut dexteram tuam, e medio pectoris tui extractam, perpetuo cõtineas, ne in hostes desęuiat ? Non erat olim hæc mens tua ; non uoluntas; non studium ; ut hostibus nostris ignosceres, & nos auxilio tuo nudares. Deus summus, Deus autẽ rex noster. & Rex meus, es tu, qui me tuis legibus, & imperio, artissime deuinctum tenes ; ille idem ipse es, qui tam multis in locis olim in oculis hominum salutem tuis mirabiliter attulisti. Tu uiribus inuictis mare diuisisti; tu capita draconum, qui populum tuum uestigiis insequebantur, contriuisti; tu ceti illius immanissimi caput, qui, ut tuos crudelissime deuoraret, accelerabat, perfregisti, & fluctibus eiectum ferarum multitudini, quæ solitudinem desertam incolunt, comedendum tradidisti; tu e rupe, ictu uirgæ discissa, fonte, atque adeo fluuium, eduxisti; & contra, cum id populi necessitas efflagitabat, fluuios, ne transitum impediret, exsiccasti: tuaest dies; tua est nox; tu tenebras, lucis exortu, discussisti; tu Solem, qui splendore suo mundum compleret, effecisti, ne sit nobis lucis nouæ claritas, quamuis in tenebris uersemur, omnino desperanda; tu omnes orbis terrarum nationes terminis distinxisti, ut ad iuris moderationẽ cunctos mortales erudires ; & admoneres, nefas esse, fines assignatos, aliena diripiendi gratia, transilire: æstatem, & hiemem, tu finxisti; ut, quod erat æstu consumptum, hiemis humiditate resarcires; &, quod erat frigoris tristitia contractum, uerni caloris aduentu lætificares. Omnia igitur potestate infinita complecteris; admirabili sapientia moderaris; rerum uicissitudines, & uarietates, ordine summo constituis; ita, ut facile e tenebris lucem, & ex aduersa tempestate tranquillitatem, elicias. Cum igitur posis & tenebras, quibus sumis immersi, dispellere, & fluctus, quibus exagitamur, refrenare, a te obnixe contendimus, ut nos luce tua collustres ; & immanes nationum fluctus, qui in nos furenter incursant, misericordia tua compescas, ne rerum omnium naufragium faciamus. Memoresto huius. Hæc recordare; & animaduerte, quam temere, & impudenter, hostis immanis Maiestati sempiternæ conuicium fecerit ; & populus amentissimus Ne tradas bestiis animas confitentes. nomen tuum maledictis confixerit. Sed inquies, tam scelestum, & immane, facinus Israelis exstitisse, ut sit illius nomen extremo exitio, & uastitate, delendum. Recte. Sed, quid reliquiis facies, quę non fuerunt societate eiusdem criminis alligatæ? etiam ne has hostium crudelitati cruciandas, & dilacerandas, relinques? &, qui certis finibus regiones uniuersas discriminas, non modum tandem aliquando piorum hominum cruciamentis, & tyrannorum immanitati, constitues ? Ne tradas, Domine, truculentæ belluæ uitam Ecclesiæ tuæ, quæ, turturis instar, ingemiscit, nec hostes a se, aliter, quam mansuetudine, atque fide in te posita, repellit; & cœtum pauperum tuorum ne tam diu obliuiscaris; neque studium illius summa cura, & uigilantia, tuendi prorsus abiicias; in sanctissimum illud fœdus respice, quo genus humanum tibi fide inuiolabili deuinxisti. In omnibus enim fere regionibus acerrimum bellum contra nominis tui gloriam geritur ; gladij exacuuntur ; cruces defiguntur; supplicia excogitantur ; qui te sectari student, ubique tenebris includuntur; & habitaculis, tyrannorũ importuna uiolentia, ad terrorem sanctissimæ religionis, ædificatis, immanissime coercentur. Ne afficiatur ignominia pauper. quod eueniet, si tu illi opem minime in rebus aduersis attuleris; si illum, assiduo conuicio uerberatum, in angoris extremitate despexeris. Perficies tandem, Domine, ut pauper, & mendicus, ope tua liberatus, nomen tuum laudibus in cælum extollat. Causa tua agitur ; nomen tuum in discrimen incurrit; multi mortales a te deficient, & de tua potentia, atque fide, dubitabunt, si non eos, qui pro nominis tui gloria conuicia multa sustinent, & eximia cruciamenta patiuntur, opportuno auxilio subleueueris. Surge igitur, Domine; & causam tuam suscipe: conuicium, tibi ab hoste importuno quotidie factum, in memoriam redige, ut debitum supplicium sceleri infando statuas. Ne ueniant apud te in obliuionem hostium petulantissimæ uoces, quibus nomen tuum male dictis omnibus insectantur, nec furorem suum aliqua ex parte remittunt ; immo tumultus, quos excitant, in dies magis turbulentos efficiunt.

Quia regnti sunt, qui obscurati sunt.

Confitebimur tibi Deus confitebimur. Psal. 74. Apud Heb. 75.

HOc quidem carmine nõ luctus, sed insignis lætitia, describitur. Deus enim inducitur, hominum piorum cœtum, ad dies festos sollemni ritu peragendos, inuitans. Minas enim proponit; iudicium denuntiat; hostium interitum prædicit; bonorum gloriam insignem fore demonstrat. Propheta igitur Deo summas gratias agit de tantis beneficiis, quanta in uniuersum genus humanum contulit; Deus uero omnia suis fausta, & læta, & felicia, pollicetur. Sic autem Propheta sententiam suam instituit. Te perpetuis laudibus efferemus, Domine; te perpetuis laudibus efferemus; &, qui propius ad cognitionem tui nominis accesserit, ore pleniore, grandiore orationis ornatu, mirabilia numinis tui opera recensebunt. Quid ad hæc Deus ipse respondet ? Si multis, inquit, uisus sum diutius subsidium differre, quam meorum preces, & uota, flagitabant; imbecillitas humana eos in errore uersari compellebat. At Diuinum iudicium non semper ad piorum hominum desiderium, sed semper ad eorum salutem, dirigitur. Erat autem illorũ pietas laboribus exercenda; erant in multis, flagitiorum maculę, pœnis impositis, abstergenda; erant improbi, iustorum gratia, tolerandi, ut eorum gloriæ seruirent. At, cum opus meum, propter quod offensionem dissimulaui, perfectum, & absolutum, fuerit, opportunum tempus erit, ut rectum iudicium cum debita seueritate constituam: terra labetur, & diffluet; illius cultores fusi, similiter interibunt; illi tamen,

Confitebimur tibi Deus.

Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.

Liquefacta est terra.

tamen, qui mea gratia nituntur, ut cælum ruat, & terra in medium mare deferatur, statum suum Diuina constantia retinebunt. Ego enim terræ, quam illi possessuri sunt, columnas stabiliui. O rem nimis admirandam. Cælum, atque terra, & omnia, quæ cæli ambitu coercentur, corruent; nihilque erit in terris tanta soliditate firmatum, quod non sit funditus euertendum : soli uero iusti, cum sint uerbi Diuini satu generati, in communi uastitate, & exitio, erunt ab omni clade, parentis optimi sempiterno præsidio, liberati. Sed ad Dixi iniquis. Dei ipsius orationem reuertamur. Num homines, inquit, iniusti lamentari iure poterunt, quod fuerint a me repentinis cladibus oppressi? Nullo modo. Nam illos & naturæ operibus, & legis institutis, & sanctorum hominum disciplinis, & mei etiam spiritus impulsu, frequenter admonui, ut in uiam iustitiæ redirent ; at illi monita mea contempserunt. Amentibus dixi, Amentiam detestamini ; impiis dixi, Nolitote insolenter extolli; ne Regiam istam potentiam inaniter efferatis; nec, opibus inanissimis inflati, uerba, quæ insitam contumaciam, & inclusum scelus, ostentent, ex ore uestro excidere patiamini. Non Quia neq. ab oriente enim erit iudicium humanum, ut eludendum exi stimetis ; sed Diuinum, quod neque muneribus corrumpi, neque fraudibus obscurari, ullo modo potest. Neque enim ab ortu Solis, neque ab occasu, neque ab aliqua solitudine, quæ uel ad Septemtriones, uel ad Austrum, pertineat, patronum adhibere poteritis, qui uos a seueritate iudicis eripiat. Deus enim iudex est. Nihil igitur hominum gratiæ largietur. Vnusquisque, meritis suis, iudicium subibit. Hic quidem ab eo deprimetur, ut in miseriæ sempiternæ regionem detrudatur; alius uero euehetur, ut in cælo sanctorum gloria perfruatur. Iræ namque Diuinæ calix est in ipsius Dei manu positus; merum est uehementissimum; uas uero plenissimum ; ex eo singulis, in Et inclinauit ex hoc in hoc. potionẽ, quantumuis inuitis, & recusantibus, infundetur. Ex eo autem omnes impij, qui in terris dominantur, ebibere compellentur, ita, ut liquor, etiam turbidus, e fœcibus exprimatur, quẽ nimis dolenter exhauriant. Pœna enim, Diuino iudicio constituta, neque uitabitur, nec imminuetur. Itaq. impiorum regiam potentiam, & robur, infringam; iustorum uero robur in sublime collocabo, ornamentisq. Diuinis afficiam.

Notus in Iudæa Deus. Psal. 75. Apud Heb. 76.

IN Dauidis persona, qui Christi imaginem referebat, Christi uictoria, & pax summa, terris concessa, describitur. Hostes enim perdidit, & afflixit; bellum dirissimum profligauit ; pacem, quæ superat omnem sensum, dedit, &, quod est consequens, (ex pace enim bona cuncta proueniunt) animos suorum bonis Diuinis egregie cumulauit. &, quia ex Dei cognitione uera felicitas ortum habet; quemadmodũ illius ignoratione malorum omnium seminarium continetur, inde carminis huius initium ducitur. inquit enim: Notus est in Iudæa, hoc est, in hominum fidelium natione, Dominus; & nominis illius amplitudo ab illo Israele, qui sanctorum patrum uestigiis ingreditur, summa fide, atque pietate, celebratur. Cum sibi tabernaculum, non operis hominum ædificatum, sed Diuino consilio designatum, exstruxit, in quo semper habitaret, pacem consiliauit, & in Sione sedem sempiternam delegit, ut numquam ab Ecclesiæ suæ coniunctione demigraret: ibi confregit sagittas, & arcum, & scutum, & gladium. O nimis admirandam pacis felicissimæ rationem. Si assiduus animi cruciatus erat detestabilis ; si turbulenti motus, qui statum illius perturbant, exsecrandi; si mentis seruitus, quę se libidini, & impuritati, constringendam dediderat, lugubri eiulatu, & acerbissimo fletu, dignissima ; quid poterat excogitari felicius, quam, furiis omnibus, quę mentem exagitabant, &, obiectis ex scelerũ conscientia monstris, exanimabant, omnino liberari, & pace ualde tranquilla potiri? Si erat funestum, & exitiosum, cum Deo bellum gerere, illiusq. numine perterreri, & in perpetuum cruciatum, iudicio sanctissimo, præcipitem dari ; quid beatius, quam ipsi summo Domino conciliari, & optimo parenti, sempiterno amoris fœdere, deuinciri ? Hac autem pace beatissima potiuntur, qui, Christi beneficio, in studium summi patris, animis acriter inflammatis, incitantur. Sed inquiet aliquis: Num sic erunt omni bellorum cura, & sollicitudine, liberati, ut nullam omnino hostium incursionem metuant ? Erunt illi quidem ab hostibus frequenter oppugnati ; ita tamen oppugnabuntur, ut ex omnibus bellis tanta facilitate uictoriam consequantur, ut bellum non sit appellandum bellum, sed immortalis gloriæ seges ; sed perpetui dedecoris instrumentum; sed iter ad Diuinitatem expeditissimum. Quibus autem opibus poterit sibi quilibet iustus tam insigne decus, & gloriam, polliceri? Non suis certe; sed tuis, Domine. Nomen enim tuum multo est dignitate clarius, & robore ualentius, & splendore magnificentius, quam omnes tyranni, qui, potentia sua freti, bellum, capitali odio imbutum, contra nominis tui decus, & gloriam, moliuntur. Vt igitur omnes summo consensu ad tuorum perniciem conspirent, facillime eos fundes; &, quam sit eorum spes inanis, illorum exitu exitiali, demonstrabis. Homines superbi, & opibus insolentes, exspoliati sunt; grauissimo somno consopiti sunt ; se ditissimos esse somniabant, cum, subito expergefacti, se nudos, & inanes, conspexere. Cum primum hostes a te increpiti fuissent, o summe cælitum imperator, quem Iacob sanctissimum Deum semper habuit, & currus, & equi, sopore mortifero uehementer oppressi, conciderunt. Quem igitur metuemus? cuius minas formidabimus, si te patronum, & uindicem, habuerimus? Tui solius nomen est horribile, & pertimescendum, cum solus possis, quid quid uidetur uel dignitate præstans, uel robore munitum, solo uoluntatis tuæ nutu, repente demoliri. Cum igitur ira tua paullo uehementius exarserit ; quis tandem poterit in conspectu Maiestatis

Not° in Iudæa Deus.

Et factus est in pace locus eius.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.

Dormierũt somnũ suũ

Ab increpatione tua Deº Iacob.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ieſtatis tuæ conſiſtere? Cum e cælo iudicij tui ſignificationem dediſſes,terra, formidine perterrita,conquieuit;& tumultus frequenter excitati repreſsi confeſtim ſunt,cum tu exſurgeres, ut conſtitueres iudicium, & in illos animaduerteres,qui fuerant tuis acriter infeſti,& pauperes, per ſummam iniuriam,pro gloria tui nominis, afflictos, eriperes,& conſeruares. O ſummi iudicis æquitatem, quam iuſte ſupplicium tandem irrogat omnibus, qui religionis puriſsimæ ſanctitatem perditiſsimis conatibus oppugnant, uſque adeo, ut maxima etiam imperia huius tam ſceleſti facinoris cauſſa deleantur.Humanus enim furor in gloriam nominis tui redundabit.nam, cum tyranni, iudicio tuo peruerſi,corruerint,& oēs,qui tibi adherſantur, debitas pœnas horrendo exitio pependerint,multi mortales intelligent nominis tui ſanctitatem;&,ad te conuerſi,tibi nomina,ſumma fide,dabunt; & eos,qui fuerint a uaſtitate, quam ira tua hominibus infert,relicti,tu,ſpiritus tui ſub fidio,præcinges,ut tibi,ardenti ſtudio,& alacritate,ſeruiendum exiſtiment.Vouete,& uota perſoluite Domino, Deo ueſtro,omnes, qui circumcirca,ut illi miniſtretis,in templo uerſamini; & omnipotenti Domino munera ueſtra deferte,qui ſolus eſt metuendus, & cum pauore eximio colendus.Is enim ſpiritus principum coercebit, & regibus terræ formidinem,& terrorem, incutiet.

Quoniam cogitatio hominis cōfitebitur.

Et reliquiæ cogitationis.

Voce mea ad Dominum clamaui. Pſal.76. Apud Heb.77.

AFflictā condicionē populi, in ſummas angustias adducti, mente proſpiciens uir Diuinus,more ſuo luget,& acerbiſsime lamētatur. caritas. n. facit,ut bonū, quo ſancti hoſtes fruuntur, nō ſit illis omni ex parte iucundum,cum ſuorum ruinam,& interitum,recordantur. Ait igitur: Ad Dominum,quoties curis afflictor,inclamo;& uocibus maximis opem illius imploro; & fore confido,ut is preces meas exaudiat. Die igitur, cum me graues ærumnæ circumſiſterent, & acerbiſsimis curis premerer, Dominum meum toto pectore quæſiui; mea tamen plaga ſanie diffluebat, & nihil de dolore remittebat;animaq. mea omne ſolatium recuſabat. Non enim calamitatem meā, (ea namque me magnitudine Diuinæ benignitatis alleuatum ſentiebam) ſed commune gentis exitium,cui remedium adhibere non poteram,lugubri querimonia deplorabam. Qui enim opem Diuinam contumaciter, & obſtinate, repudiat, ope Diuina non ſanabitur,ita,ut ſit ſalus illius deſperanda. Cum igitur animo mecū agitarem gentis mee,propter obſtinatæ perfidiæ ſcelus, exitiū; & intelligerem, uulnus illi penitus inflictum curari,quamdiu in eo errore perſiſteret,minime poſſe;lacrymis profuſis, quantus animo meo dolor inflictus eſſet,indicabam.O rem miſeram,perpetuis lamentis,& acerbiſsima querella, deplorandam. Palpebras oculorum meorum ita deſtinabas,ut ſomnum minime caperem;ſic eram ſtupore mentis attonitus, ut loqui non poſſem. Quæ fuerunt olim geſta,cogitatione repetebam;& prima ſæcula memoria replicabam; quæ quidem uulnus acriore doloris ſenſu refricabant. Recordabar carminum meorum,quibus nocte beneficia maioribus noſtris attributa canebam;& interim uehementer dolebam,& angebar,cum mente proſpicerem,poſteritatem eſſe maxima ex parte ab ope Diuina deſerendam. Mente igitur in grauiſsima cura defixus,hærebam;& ſpiritu meo miſerię terminum diligenter inueſtigabam. Sic autem dicebam: Numquid in perpetuum remouebit opem ſuam Dominus? Numquam ad eam mentem redibit,ut uelit,populum, gratiæ deſtitutione perditum,& afflictum,in gratiam recipere? Num miſericordiæ Diuinæ fons exhauſtus eſt,& promiſſa illius ad ſęcula uentura minime pertinebunt? Fieri ne poteſt, ut recidat ad nihilum fidei Diuinæ conſtantia?&, cum inſitum in Diuina probitate ſit ſummæ benignitatis ſtudium, eueniet aliqua tandem ratione, ut is miſericordię prorſus immemor ſit?& tantum poterit apud illum offenſionis recordatio,ut opes clementię ſuæ perpetuo comprimendas arbitretur? O rem expliſ catu difficillimam. Nam, ſi Dei miſericordia nullis finibus arcetur;ſi fides illius inuerti, aut labi, non poteſt; ſi beneficia ſua in populum ſempiterna fore promiſit;eam certe fidem,quam dedit, ſine ulla dubitatione liberabit. Cum uero tam diu turnam ſeruitutē; & exſilium, cum tanta malorum colluuie,& acerbitate, coniunctum, mente conſidero, facinoris atrocitatem, quæ miſericordiam immenſam tamdiu tenet, quo minus aliquid benignitatis ſemini Iſraelis impertiat, animo perhorreſco; & propemodum ſpem ſalutis abiicio. Hæc me ægritudo debilitat. Reſpito tamen, quoties mentem reuoco ad annos, quibus olim Deus excelſus dexteram ſuam, ut ſuos tueretur, in hoſtium euerſione, cum inſigni gloria,uerſabat.Repeto igitur aſsidue memoria,quæ opera Dominus ipſe deſignauerit;&, quam admirandas res quondam effecerit,ipſe mecum, cum iucunditate,commemoro.Hæc meditor; hæc tota mente recolo:opera tua, & ſtudia tua, cogitatione complector. Hæc me ad ſpem tuæ benignitatis excitant, ne de futura gentis miſeræ ſalute ſpem omnino deponam. O Deus ſumme, in adito ſanctitatis locatus, iter ita ſemper habuiſti, ut numquam eorum poſtulata,qui tibi humiliter ſupplicabant,repudiares. Quis igitur Deus eſt tecum, uel benignitatis amplitudine, uel potentiæ magnitudine, comparandus? Tuis enim,in precibus,& uotis,occurris;& illorū hoſtes euertis. Tu Deus es,operum admirabilium effector,qui multis,modis populo tuo magnitudinem tui roboris, atque inuictæ uirtutis,oſtendis. Brachij tui potētia,populum tuum,Iacobi ſangnine procreatum, & Ioſephi magnificentia nutritum, (quorū unus natura,alter beneficio generis uniuerſi, pater exſtitit)a duriſsima ſeruitute redemiſti,& ſtupendis actionibus illi futuram libertatem prænuntiaſti. Te, Domine, per medium mare gradientē, aquæ diſpertitæ conſpexerunt; ita, ut etiam gurgites profundi contremiſcerent. Tu enim idem ipſe es, qui, tua ſponte demiſſus, in Tartara inferam regionem

Vóce mea ad Dominū

Memor fui Dei & delectatus sū.

Anticipauerunt uigilias oculi mei.

Numquid in ęternum.

Et dixi. Nūc cœpi hæc mutatio dexteræ Excelſi.

Deus in ſancto uia tua.

Viderunt te aquę.

gionem ingenti formidine conturbas, & hoſtium copias tua uirtute proſternis, &,emerſus inde cū illuſtri uictoria,ſpolijſq.opimis ornatus, gloriam tuam,noui facinoris exemplo,uehementer amplificas.Id igitur tunc ſignis expreſſum eſſe uoluiſti, quod erat a te longe mirabilius opportuno tēpore faciendum. Nubes ingentem uim aquarum demiſerunt;ſuperæ regiones horrendas uoces ediderunt;fulmina uehementer emiſſa terrorem eximium præbuerunt; ſonitus tonitrui tui,in ætherio orbe,cum horrendo fragore,perſonabat; fulgura frequenter in omnium oculis emicabant; terra, maximis motibus conquaſſata, cum fremitu ingenti, contremuit. Cum per medium profundi maris incederes, & impetus aquarum eſsent uehementiſsimi,ueſtigia tua notari,& animaduerti, non poterant. Conſilia namque tua ſunt ab oculis hominum remota;ita,ut ope tua iuuari,quam rationes operum tuorum perſcrutari,ſit longe facilius. Cum tanta ſit numinis tui maieſtas, cum tam inſignis potentia,cum tantis,& tam metuendis,rebus mundi principes,& tenebrarum rectores,exterreas;paſtoris tamen officio,cum clementia nimis admiranda, perfungeris. itaque populum,tamquam gregem,per medias aquas,Moſis, & Aaronis,opera,perduxiſti,ut paſcuis uberrimis aleretur.His igitur antiquitatis exemplis,in ſpem firmam uenio ſalutis;quam tandem,ut paſtor uigilantiſsimus,afferes his ouibus tuis, quæ te aliquando libentiſsime ſequentur,& in paſcuis tuis, cum iucunditate ſumma,uerſabuntur.

Multitudo ſonitus aquarum.

Attendite populę meus legem meam. Pſal. 77. Apud Heb.78.

MAgnam exſpectationem mouet hoc carmine Propheta, & audientia, quam facere conatur,(uniuerſum enim populum ad audiendū inuitat)& magnitudine rerum, quas ſe dicturum pollicetur; quam prouerbiorum, & ænigmatum, nominibus luculenter exaggerat. Eſt enim Prouerbium,breuis, & acuta,ſententia, ad uitam ſapienter inſtituendā perutilis; eſt etiam Aenigma, ſententiæ illuſtris integumentum,quo res Diuinę humanis uelaminibus occuluntur.Cum enim humanus animus, propter mentis imbecillitatem, res Diuinas intueri non poſsit,neceſſario fuerunt ſimilitudines quædam a terrenis rebus ſumptæ, quibus homines, tamquam adminiculis, erecti, paullatim ad intelligentiam rerum cæleſtium perueniret. Vt enim, qui ſubito e tenebris emerſit, & oculorum aciem in ſolis aduerſos radios intendit,excæcatur;ita,qui, ex diuturna conſuetudine rerum humanarum abductus, repente uelit Diuina conſpicere,tenebris obruetur.Et,quemadmodum (ut in eadem ſimilitudine commoremur,) oportet, primum quidem ſubobſcura luce frui, paullatim deinde ad clarius lumen accedere, & oculis etiam manum, aut aliquid aliud,opponere,priuſquam adſpectum in Solem tranſferamus; ita ad mentis ſecuritatem neceſſarium eſt, figuris, & imaginibus,aſſueſcere,prius quam ipſius ſummę ueritatis ſplendorem,per ſe,ſublatis omnibus inuolucris, adſpicere conemur.Non enim infimi, neque mediocris quidē,ſed præſtantis, atque perfecti,hominis eſt, acerrime Diuina contemplari, & prima diſciplinæ rudimenta contemnere. Hac igitur de cauſſa Chriſtus,cum apud populum age bat,parabolis utebatur; & nihil,quod ad multitudinis ſalutem pertineret, abſque ſimilitudinibus, a rebus corporeis aſſumptis,efferebat. Et in patria ſua(ut eſt apud Marcum) Diuinę ſapientię theſauros non explicabat; ſed ea tantum publice dicebat,quæ poterant aliqua ratione a multis intelligi. Quin etiam(ut in Ioanne legimus) diſcipulis ſuis ait,Multa habeo uobis loqui;ſed non poteſtis portare modo.Quorſum hęc tam multa,dicet aliquis? Vt intelligatur,quo pertinet carminis huius initiū. Ait enim uir Diuinus,ſe de rebus altiſsimis orationem,multis quidem dicendi luminibus illuſtratam,ſed multis etiam myſteriorum obſcuritatibus inuolutam,habiturum. Quo mōdo;cum oratio nihil aliud,quam hiſtoriam ſatis notam,& acrem communis impietatis,& ſceleris,reprehenſionem, cōtineat?Quia omnia illis(ut Paulus ait) in figura, & ſimilitudine, contingebant, & ſunt ſcripta propter nos, in quos fines ſæculorum deuenerunt.Nam peregrinatio illa,uitæ noſtræ,quę peregrinatio quædam eſt, ſimilitudinem referebat;& nubes,quæ præibat,ut ſolis ardorem defenderet,& ſplendor ille nocturnus, qui uiam monſtrabat, ductum Diuini Spiritus adumbrabat.
Quid manna ſignificaret, quid aquę perennes e ſilice profluentes portenderent,uulgatius eſt,quā ut hoc in loco explicatione ullius indigeat. Alia multa tunc Iſraeli euenerunt, quæ myſterio rerū Diuinarum minime uacabant; quæ ad nos, quibus ueritas,quæ tunc latebat, explicata eſt, non incommode conferuntur, ut ſanctorum illorum, qui populum ducebant,fidem ſequamur; & ſceleſus eorum,qui erant in Deum,a quo tanta beneficia accipiebant, ingrati, deteſtemur; ne ſimus (ut Paulus inquit)malorum appetentes;ne Diuinos honores falſis numinibus habeamus;ne acceptam Diuinæ gratię puritatem tætra libidine polluamus; ne Chriſti nomen ſanctiſsimum noſtræ diffidentia uiolemus;ne imperium nefarie,& impie, recuſemus, & in imperatoris noſtri ductum conuicia iaciamus.Quo enim beneficia nobis attributa clariora,& ampliora,ſunt, eo ingrati animi crimen ſceleſtius erit,& multo acriore ſupplicio uindicandum. Quod autem ad hunc locum attinet,ſatis eſſe dictum puto,ut,quid ſit Parabola,& Aenigma,clarius intelligatur. Reliquum eſt igitur,ut ipſum Dominum, cuius ſpiritus erat in pectus Diuini hominis incluſus, loquentem, & cum populo ſuo acriter expoſtulantem, audiamus. Ait igitur: Audi, populę mi, non humanos mores,uarie fluctuantes,& rerum publicarum inſtituta,cæcis opinionibus ſtabilita; ſed legem Domini,ſanctitate puriſsimam,& uſu maxime ſalutarem, qua te ſibi ſacroſancto fœdere copulauit; eaq. pactione deuinxit, ut tu ſalutis tuę auctorem,

Paul. Ad Cor. 1. c. 10

Paul. ibidē.

Attendite populę meę

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem, & debito religionis cultu, & operibus sanctis, agnosceres; & ille tibi perpetuo benignitate sua prospiceret; & a te semper hostium impetum presidio suo propulsaret. Erigite aures, omnes, qui in populo Domini censi estis, ut oris mei uerba nimis attente percipiatis. Os meum uobis oratio nem, splendidis ornamentis excultam, proferet; & a uestræ libertatis exordio antiquitatis memoriam replicabit; ut de rebus obscuris, & in signis occulte latentibus, edisserat. Non sumus affines inuidiæ; non Diuina beneficia silentio comprimenda ducimus: Quæ audiuimus, quæ explorate cognouimus, quæ sancti patres nostri nobis tradiderunt, minime celamus; sed ad eorum fructum, & utilitatem, qui ex illis orti sunt, & uniuersi generis, & seminis sancti, posteritatem summa fide conferimus, ita, ut Domini laudes enuntiemus, & uirtutis inuictæ facinora, operaq. nimis admiranda, quæ fecit, incensa fide, & inuiolata puritate, referamus. Primum quidem, cum essent densæ tenebræ mentibus humanis offusæ; cum ratio esset oppressa flagitiis; cum homines, a cognitione sempiterni numinis abstracti, in summa uirtutis, & officij, ignoratione uersarentur; cum pro Deo portenta colerent, & in Diuina sede commenticia numina collocarent; Deus, genus, Iacobi, quem Israelis etiam nomine decorauit, satu propagatum, sane clementer elegit, apud cuius mentem ueritatis testimonium perhiberet, & quem lege sanctissima deuinciret, ut illius disciplinis eruditum Dei notitiam, quæ erat propemodum exstincta, reciperet; & deinde filios suos ad eandem sapientis uerissimæ rationem instrueret, ut ad uniuersam posteritatem tantum, atque tam Diuinum, munus, quasi hereditatis legitimę patrimonium, continuata successione peruenirent. Cum autem reliqui mortales, qui cultum ingenij requirebant, nō ad uirtutis usum, & functionem, sed ad acuminis ostentationem, artibus humanis incumberent, nō fuit Deo propositum, cum legem dabat, ut populus ingenium uenditarent, sed ut totius uitę cursum ad legis ipsius sanctitatem dirigeret. Ideo igitur legem tulit, ut populus, qui ea tenebatur, in Dei ipsius numine spem suam poneret; & Diuina beneficia memori, atque grata, mente prosequeretur; & omnibus præceptis illius diligenter obediret. Admonuit illum præterea, ne maiorum suorum uestigia sectaretur, qui a Deo desciuerant, & imperium Domini, cum insigni perfidia, & rebellione, detrectauerant. Fuerat enim natio dementia præceps, corde peruersa, perfidiæ scelere detestanda, nempe, quæ numquam animum ad cultum Diuini nominis inducere uoluisset. Eo igitur omnia legis instituta pertinebant, ut uniuersa Israelis posteritas, sanctionibus Diuinis adstricta, præsidio Diuino muniretur, & ita facillime a se cuncta hostium tela propellerent. Quod quidem longe secus euenit. Nam tribus Ephraim, quæ hominum multitudine, & robore, illa memoria, reliquis antecellebat; quę sagittis, & iaculis, hostes facillime configebat; in bello, contra Palęstinos inito, turpissime uicta, sese, ne internecione deleretur, effusa fuga proripuit. Fuit ingens illa plaga, &

Non sunt occultata a filiis eorū.

Suscitauit testimonium in Iacob.

Vt ponant in Deo spē suam.

Filii Ephrē intendentes, & mittentes arcum. 1. Reg. c. 4.

genti summum dedecus inustum; & arca Diuini fœderis in triumphum ducta; & sanctitas religionis afflicta; multisq. modis exitus illius pugnæ funestissimus. Cui igitur erat illa tam dira calamitas assignanda? Timidæ, & delicatæ, iuuentutis? imperatoris ignaui socordiæ? militari hostiū disciplinę? Non prorsus: sed iudicio Diuino, quod gentem, Diuini fœderis oblitam, robore, & industria, spoliauit, ut hosti uictoriam, cum ignominia insigni, cōcederet. Nec enim fœdus seruauerat, & & legi parere noluerat: opera namq. Dūi, quæ partim uiderat, partim audierat, uolūtaria obliuione contriuit. Vt autem ab illo tēpore initium repetamus, quo gens hæc Aegyptum incolebat, mirandum nimis est, quę opera in eorum hominum oculis a Deo in aruis Soanensibus effecta sint. Deinde, post nastitatem, Aegyptiorum opibus illatā, ut suos per medios fluctus incolumes traduceret, mare dissecuit, ut aquæ hinc & inde in acerui cōstructa tenerentur, ne in populum, quem Dominus ipse tuendum susceperat, incurrarent. Cum solitudo, in qua homines illi uersabantur, esset nimis horrida, & inculta, & uiam, qua illis erat ingrediendum, penitus ignorarent, Deus se uiæ ducem præbuit. Nam die, nube, qua æstum solis arceret, inuectus, anteibat; & nocte, lucis splendore caligi nem dissipabat. Eoq. signo, quam salutaris esset Spiritus sancti ductus omnibus, qui sese ad illius studium applicarent, ostendebat. Cum ardentissima siti cruciarentur, e duris silicibus, ictu mysticæ uirgę discissis, aquę perennes tanta copia profluxerunt, ut non modo omnium sitim facile sederent, sed etiam e superficie telluris, solibus perustæ, iucundam oculis uiriditatem elicerent. Miram Diuini spiritus affluentiam. E petra, Diuini iudicij uirga percussa, riuos eduxit, & aquæ, instar fluminis, subito proruperunt. Et tamen homines, immemores, & ingrati, neque tantis signis ad moniti, fuerunt a solita perfidia deterriti; immo ad antiqua delicta non mediocrem peccatorum cumulum addiderunt; & in illā etiam uastitate, in qua cernere poterant, se non alia ratione posse, quam Dei clementia, sustentari, excelsum Deum in se petulantissimis dictis irritabant; eoq. permissiæ deducti sunt, ut cordibus suis numinis immensi potentiam in dubium uocarent, & ut tentare contenderent, an Deus omnia, quæ uellet, posset efficere. Itaq. cibos importuna oratione petebant. Nec enim eos ingluuies tātum, sed etiam diffidentia, sollicitabat, ut ad libidinem suam eas dapes, quibus minime indigebant, assidue flagitandas statuerent. His igitur uerbis sunt in sanctissimum Dei numen inuecti: Num poterit Deus apponere cibos populo suo in deserta solitudine? Potentiā quidem illius fatemur aquā ad bibendū suppeditare potuisse. Percussit enim petrā; aquę repente dimanarūt; flumina uolūtate illius labuntur, & profluunt. Num ideo uerum est, hoc ultra fines posse progredi, ut panem, & carnes etiam, populo suo largiatur? Audiit hęc Dominus, & acriter incensus est; & ignis excitatus inflammationem intulit genti, Iacobi stirpe progenitæ; & numinis ira in Israelem inuasit. Non enim Deo fidem

Coram patribus eorum fecit mirabilia.

Et apposuerunt adhuc peccare ei.

Ideo audiuit Dominus, & distulit.

Interrupit petram in Eremo.

fidem habuerunt, nec in opibus illius spem salutis ponere noluerunt. Neque, cum cibos importune flagitarent, cibis indigebant, cū iucundissimis cibis alerētur. Deus enim superne nubes imperio suo, ut assignato munere fungerentur, induxit; & cæli portas reserauit; ut inde dapes iucundissimæ in terrā decíderent. Man igitur, admirandus profecto cibus, & alterius cibi, multo magis admirādi, formam, & specię, similitudine referens, a Deo, instar pluuiæ, ut populus comederet, in terram demissus est. Itaque frumentum cęleste fuit hominibus, Diuina munificentia, & largitate, donatū; uiro autem cuilibet concessum fuit, ut angelorū panē comederet, & dapibus Diuinis expleretur. Et tamē, cū improbitas humana opes cęlestes aspernetur, atque Diuina fastidiat, quamuis cibus ille omnē in se suauitatem contineret, erat ingrato populo nimis insulsus. Corrupti nāque sensus, gustū uerissimæ dulcedinis, & iucunditatis, habere non possunt. Hac igitur de caussa carnes, cōuicio flagitabant. Erat quidē impudens, & ingrata, postulatio; & tamen uoti compotes exstiterunt. Facit hoc quidē sæpe Dominus, ut eos, qui nolunt se moderationi Diuinæ cōmittere, consiliumq. suum magis sibi salutare, quam Dei patrocinium, fore confidunt, postulati concessione, puniat; ut cū fuerint id, quod postulant, assecuti, & nullū ex eo fructū, sed potius molestiam, & acerbitatem, exceperint, intelligant plane, tantam esse humanę mentis imbecillitatem, ut neque, quid sit a Deo petendum, statuere possit. Cum igitur Hebræi carnes importune flagitarent, Deus, carnium multitudine, eorum amentiam corripuit. Eurum igitur in cælo in contrariam partem impulit; & in castra Africum uentum incitauit; carnes, instar pluuiæ, tam multæ ad homines inuectæ sunt, ut essent numero cū puluere comparandæ; & uolucres penatæ cum litoris arena conferendæ. In media castra decíderunt; & circū tabernacula uolitabant; ut quilibet posset, quam multas uellet, ad comedendum capere. Comederunt igitur, & satiati sunt; quod uehementer appetierant, abunde consecuti. Verum, quamuis esset eorū cupiditati egregie satisfactū, nihilominus in scelere instituto perstiterunt; ita, ut neque gratias agerent Deo; neque firmam fidē in eo locandam esse statuerent; & adhuc illius potentiam angustis sane terminis definirent. Hanc illorum perfidiā Diuina uindicta declarauit; quæ quidem non ita uehementer exarsisset, si illi scelus admissum detestari uoluissent. Adhuc enim in ore tam exquisitas ab illis epulas habebant, cum repente ira Domini in illos impetum fecit; ita, ut non in multitudinem tātum, uerum & in eos, qui erant opibus, & existimatione, principes, & qui uiribus, & robore animi, procellebant, desæuiret; & multos ex illis funere diro prosterneret; & tamen neque, tantis plagis exterriti, a peccato destiterūt; neque fidem Dei operibus admirandis habendā esse statuerunt. Ergo, cum neque beneficijs ad fidem allici, neque pœnis a perfidia reuocari, uoluisse sent. Dei iudicio, dies illorum in uanitate consumpti sunt; eorumq. anni fuere multis molestiis, & angoribus, implicati; cum Diuina plaga recens erat, & dolor animum lacerabat, & mortis metus homines stimulabat, conuersi, Deum quærebant, ad illumq. diluculo cum precibus adibant. Tunc demum illis in mentem ueniebat, Deum esse inuictum salutis, & uitæ, præsidiū; praecellentissimoq. illius numine, qui eos a seruitute redemerat, statūs sui robur, atque firmamentum, contineri. Attamen ea conuersio uera non erat, sed doloribus expressa, atque ad tempus accommodata. Deo enim sermone blandiri, & assentari, quodāmodo nitebantur, & oratione pietatem simulabant; cū eorum mens apud Deum recta non esset, sed a fœderis fide, & religione, prorsus aliena. Flagitiis enim, quæ lex seuere coercebat, erant penitus addicti. Verum, cum Dominus misericors sit, eorū scelus expiabat, & nō eos (ut erant meriti) funditus euertebat; iramq. suam sępenumero retrahebat; neque omnē indignationis suæ uim in eos, a quibus erat offensus, incitabat. Nā imbecillitatis humanæ rationem in memoriam redigebat; & hominis naturam (si corpus spectetur) esse carnem, qua nihil esse potest in uniuersa natura fragilius; si uero animā respicias, eam, cū e corpore excesserit, naturā sua in amissam uitę condicionem reuocari non posse. At, quoties Deū in se in illa solitudine cōcitauerūt? Quoties irā illius in horrida uastitate prouocarunt? cum ad tempus fidē colerent, breui spatio temporis interiecto, retrocedebant, & uim Diuinæ uirtutis in dubium reuocabant. Denique, an posset omnia promissa conficere, tantundē existimabant; potentięq. illius certos fines circūscribendos esse censebant; non recordabantur, quanta ui, & quam insigni potentia, tempore, quo erāt innumerabilibus ærumnis afflicti, eos redemisset. Admirandis enim signis præsentiam suam in Aegypto declarauit; multisq. portentis agri Soanensis cultores exterruit; fluuios eorum in sangui nem uertit, ut nemo aquam ex illis ad bibendum haurire posset; ut perspicuum fieret, uim sua naturalem, atque salutarem, iudicio Diuino in eorum perniciem, qui cum Diuina benignitate pugnant, immutari. Multiplicis, atque uarii, insecti copiā in eos immisit, quæ illos, illorumq. fruges, corroderet; & ranas, quæ homines, in uanissimis disciplinis inflatos, molestissima garrulitate consi cerent; omniaq. tandem odore contaminarent. Segetes eorum bruco deuastandas tradidit; &, quod multis laboribus, & sedulitate summa, cōseuerāt, locustarum uis, atque multitudo, consumpsit. Vineas grādine disperdidit, atque dissipauit; & sycomoros eorū, glaciei durissimæ coniectu, perfregit. Iumenta eorū, ui grandinis, absumpta sunt; & pecora eorū, fulminibus icta, perierunt. Atque principio quidem leuiores eis plagas imposuit, ut, malis eruditi, officio parere condiscerent; uerum, cū illi in scelere obstinati nimis essent; & non modo nihil de contumacia remitterent, sed eam multis scelerum accessionibus amplificarent; effudit, in illos iracundiæ suæ uim, indignationis acri moniam, offensionis uindictam; illosq. longe grauioribus ęrūnis, & angoribus, oppressit; angelosq. ultionis suæ ministros adhibuit, quibus regionis uastitatē, & interitum, commisit. Qui enim bonos

Pluit illis manna.

Adhuc esca eorum.

Et occidit pingues eorum.

Et defecerunt in uanitate dies eorum.

Ipse autem cit misericors.

Et conuersi sunt, & tentauerūt Deum.

Misitin eos iram indignationis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuentur,& præsidio salutari communiant,sunt impiorum tortores acerrimi;legisq. Diuinæ contemptores malis omnibus sine ulla clementia uexãt, supplicioq. durissimo persequuntur. Hoc igitur munus Deus,terræ durissima calamitate peruertendæ,angelis suis cõmisit;iræ suæ uiam muniuit, qua,sine ullo impedimento, interitum cunctis celeriter afferret. Mortis impetũ ab illis minime reprimendum censuit;immo uitã eorum pestis immanitati dedidit; oẽs eorũ filios, natu maximos, in quibus spes nominis,& posteritatis subsidium, & patrimonij sollicitudo,cõsistebat, interemit,in tabernaculis,in quibus Chami,e cuius stirpe ducebant originẽ,memoria uigebat. Consentaneum enim Diuino iuri fuit,ut,qui principẽ generis impietate,& impudẽtia, sequebantur,& aliquid semper ad parentum scelus addiderant,ne impietatis exemplũ ultra procederet,exscinderẽtur. Populũ uero suum,tamquã oues,sine tumultu ullo,traduxit;&,tamquã gregem,in solitudinẽ egit;ut in liberis pascuis uersaretur,cum securitate a pastore uigilantissimo ducti sunt,ita,ut nullus metus impẽderet;& illorũ hostes in profundo demersit. Deduxit eos in regionẽ,quã sanctitati suæ consecrauit;& in montẽ hunc,quẽ dextera sua ceperat, saluos,& incolumes,cũ insigni nominis gloria, perduxit. In eorum cõspectu gentes expulit,& eiecit, & in relictis agris, quos hoïes Diuinæ religionis ignari possederant, certa funiũ dimensione diuisis,hereditatẽ suis attribuit,& in tabernaculis gẽtium,quę fuerũt,numine illius,auitis opibus spoliatæ,tribus Israelis,ut in legitimo,& hereditario, patrimonio, collocauit. His quidẽ beneficiis fuit populus hic a Deo cumulatus; & his dignitatis, ornamentis excultus;ut semper benignitatis Diuinę memoriã summa fide retineret;operamq. enixe daret, ne umquã in Dei offensionẽ incurreret. Quod quidẽ tantum abfuit,ut homines ingrati facere uellent,ut potius oïbus se flagitiis, cum maxima Diuini numini offensa,contaminarent. Primum enim de Dei potentia,& fide,dubitarunt,illiusq. Maiestatẽ excelsam irritauerunt,& illius pacta minime seruauerunt. Auersi sunt a religione; defecerunt a fide; pessima maiorum exẽpla consectati sunt;ad similitudinem arcus fallacis inuersi, eo, quo intendebant, nullo studio, & industria,peruenerunt. Vt enim arcus,nec aptus ad lineã,neque scienter intentus, locum minime configit,sed semper aberrat;ita, qui minime lege Diuina diriguntur,numquã id,quod cupiunt, assequentur. Dum enim pacem cupiunt,bellis obruũtur;dũ victoriam expetunt, ab hoste cõciduntur; dum opes alienas exquirunt, propriis spoliãtur; dum postremo ad beatã uitam adspirant, sese in sempiternam miseriã furibũde proiiciunt. Quod illis tunc uel maxime euenichat,cũ religioni operam nauabant. Cum enim Dei numen placare conabantur, tũ uel maxime illius in se offensionem acriter incitabant. Illum enim, aris in collibus, contra sanctionẽ legis,exstructis,stimulabant;& per simulacrorũ suorum cultum æmulatione sollicitabant,& ad uindictam uehementer acuebãt. Audiit hæc Dominus, & grauiter commotus est,

Vtq; fecit semitã iræ tuæ.

Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti:primitias omnis laboris eorum.

Et auertẽrũt se,& nõ seruauerũt

In iram cõcitauerunt eum in collibus suis.

& Israelem ualde cõtempsit, & curã tuendi illius abiecit. Deseruit tabernaculum Silo, tabernaculum,quod inter homines excitauerat,ut in eo cõsideret: Gentis Hebrææ robur in seruitutem addixit;& populi gloriam, quæ fœderis arca continebatur, hostium manibus auferri, & asportari, permisit. Populum suum hostium gladio trucidandum reliquit; & contra hereditatem suam(sic enim Israelis posteritatẽ appellabat) nimis acriter incensus est. Iuuenes absumpsit ignis; uirgines,illis desponsæ,laudibus nuptialibus caruerunt. Sacerdotes in ea pugna gladio concisi sunt; & uiduæ casum uirorum minime defleuerunt, eo quod subito fuissent dolore tam diræ, & improuisæ,calamitatis exstinctę. Egregium Diuinæ seueritatis exemplum:ut intelligerent oẽs, qui sacris operantur,nullum fructũ afferre religionẽ, si neglectum fuerit pietatis,& caritatis,studium. Nec enim templum iuuabit eos,quorum scelere,& flagitio, uiolatur; neque sacrificia salutem afferent illis,qui libidini,& cupiditati,frequẽter immolãt; neque uota eos a peste seducent, qui sponte sua uitiorum pestibus addicti sunt. In illa igitur tam insigni calamitate Dominus dormire uidebatur, cũ,subito experrectus, tamquã uir egregie fortis, qui uino cõpositus exsiterat, ouans incessit,& in hostes alacriter inuectus est;quorũ auersas partes ulceribꝰ grauissimis uehemẽter afflixit,eosq. ignominia sẽpiterna deformauit. Noluit Iosephi genꝰ tabernaculi sede deiceps,ut ante fecerat, honestare;illoq. tã insigni decore Ephraini tribũ indignissimã iudicauit; eamq. gloriã ad Iudæ tribũ transferre cõstituit,ut in Sionis mõte, quẽ elegerat,collocaretur,ad futurę salutis indicium,& sacratioris fœderis sacramentũ. In eo,tamquã ædes Regias, & excelsas,templũ suæ sanctitatis exstruxit,instar fundamenti terrę,summa firmitate stabilitũ,ut sẽpiterni tẽpli mysterium designaret. Elegit Dauid seruum suum, quem ex ouium caulis eduxit, ut deinde non fetas oues sectaretur, sed Iacobi progeniẽ,cum debita cura,& sedulitate, pasceret, & Israelem, quem Dominus sibi in hereditatem delegerat, iustitiæ pabulis enutriret. Pauit eos cum egregia mentis integritate; & prudentissimis actionibus illos in rectam uiam deduxit, ita, ut summi pastoris officia, & actiones, exprimeret.

Iuuenes eorum comedit ignis.

Et ædificauit sicut unicornium sanctificiũ suũ.

Deus, uenerunt gentes in hereditatem tuam. Psal. 78. Apud Heb. 79.

NE quisquam posset in rerum Diuinarum signis confidere,ut memoriam ueritatis expressæ signis abiiceret,fuit a Deo permissum,non solum,ut uiolatæ religionis pœnas expeteret, sed etiam,ut homines, a corporeis rebus abstractos, ad Diuinarum considerationem traduceret, ut impij homines,occupato templo, cultũ antiquæ religionis interrumperent. Prophera hoc in loco non uastitatem,quæ iam præterierat,eo tempore, quo

quo arca fœderis in potestatem hostium peruenit, oratione commemorat, sed futuram mente Diuina prænuntiat,& ita de sanctitatis interitu lamentatur, atque si ipse præsens tantis calamitatibus interesset. Sed, quærendam est, cum post Dauidis memoriam ter fuerit Hierosolymis uastitas illata, quæ fuit illa, de cuius magnitudine hoc in loco admodum flebili oratione conqueritur. Non fuit illa certe, quam intulerunt Babylonij. Non enim deplorat templi excisionem, & inflammationem, sed gentis suæ tantum cædem, & uiolatam, atque fœde pollutam, templi sanctitatem,& funestissimum urbis excidium. Quid ergo? Num de illa cladis extremę diritate, quæ per Romanos inuecta fuit? Multo minus. Nam tunc templum non modo uiolatum, & inquinatum,multorumq. ciuium sanguine funestatum,a ciuibus ipsis crudelissime fuit;uerum & ab hostibus Iudaici nominis funditus euersum,& inflammatum, & tanta immanitate deletum, ut nullum illius uestigium remaneret. Prꝛterea in Vrbis defensione nõ sancti homines sanguinẽ patriæ largiti sunt; sed scelestissimi interitu funestissimo pœnas infandi facinoris exsoluerunt. Quod si huius uastitatis querimonia, nec ad Babylonios, nec ad Romanos, ullo modo pertinet, necessario sequitur,ut ad Antiochi tempus refereda sit, quo templum nõ fuit euersum, sed multis factis fœdissimis inquinatũ,& quo multi sancti homines pro religionis sanctitate clarissimã mortem oppetierunt. Hæc pluribus,quam multis fortasse necessarium uidebitnr, disseruimus ut Iudaicã perfidiã, quæ ex hoc loco sibi ueniã in tanto scelere pollicetur,repellamus. Multi namque hęc omnia ad ultimum templi excidium referenda putant,in quo innumerabilem sanctorum multitudinẽ occisam fuisse contendunt. Quam casti,quam,sancti, quã benefici, & salutares,ciues exstiterint illi, qui urbem a Romanis defendere nitebantur,Iosephum interrogent,qui Iudæus erat,& bello interfuit, & magna ex parte in illius initio præfuit; & intelligent,nihil potuisse illis scelestius,& immanius, & truculentius,excogitari. Sed,quid in mentem uenit uiro Diuino,hic potissimum illatam ab Antiocho cladem lamentari,& eã, quam Babylonij intulerunt,omittere? Quia Babylonij imperij tantũ amplificandi gratia dimicabant: Antiochus uero omnes animi neruos in religionis interitum contendebat;ita,ut Antichristi futurum scelus impietate sua portenderet. Ea autẽ causa fuit,cur multi uiri sancti sanguinem suum Antiochi memoria pro religione profunderent,quod Nabuchodonosoris tempore accidisse non legimus. Alibi tamen eam cladem a Babylonijs acceptam deflet, tamquam patriæ totius exitium;hic uero eam,quam Antiochus cladem intulit,ut religionis mortiferã plagam,acerbe luget. Ait igitur: Domine,gentes, sine ullo respectu,ad tuæ Maiestatis amplitudinẽ, in populum tuum,quem, ut hereditatem luculentã,tuẽdum,singulari præsidio,suscepisti, armis furenter inuaserunt;templum tuum,sanctissime dicatũ,mysterijsq. factatissimis,& summa cęrimoniarum religione,consecratum,fœdissime polluerunt;multasq. sanctæ ciuitatis ædes disturbarunt, & in aceruos lapidum urbis ædificia redegerunt. Cadauera seruorũ tuorum insepulta in auium escam lacerando reliquerunt, & carnes sanctorum tuorũ bestijs terræ laniandas,& comedendas,proiecerunt;Vrbis ambitum,eorũ sanguine,pro gloria tui nominis effuso,repleuerunt;nemo interim erat,qui eos,uel propter cadauerũ multitudinem, uel propter odium,quod contra illos conceperãt, uel propter tyrannorũ formidinẽ,sepultura affice re uellet. Ad hoc tantum malũ ignominię summũ dedecus accedebat. Vicinis enim nostris ludibrio fuimus;& gentes circũquaque finitimę nos amarissimo risu,& oï cõtumelia,petulãtissime lacerabãt. Quæ quidẽ conuicia in grauissimã offensionẽ sanctissimi nominis tui redundabant. Nã,quasi tu aut non potuisses illis,qui in te omnem spem salutis ponunt,opitulari;aut fidẽ tuis datã neglexisses;ita eos, qui in præsidio tui numinis acquieuerant,ut amentes,irridebant. Et tu hæc pateris, Dñe? & tã indigna conuicia,tuo nomini facta, diu tius tolerabis? Tã ferox,& infesta,erit erga nos ira tua,ut te tãdiu a uindicta de hostibus tui nominis sumenda remoretur. Quousque tandẽ in nos exardescet indignatio tua? & lesi numinis offensio quã diu nos ignis incendio populabitur? Effunde irã tuam in gentes,quę sunt tuæ probitatis,atque sanctitatis,ignaræ,& in regna,quę nomen tuũ non inuocant, neque celsitudinẽ tuam religione debita uenerantur. Iacobi enim genus absumpserunt,& dirissimã uastitatem illius sedibus intulerunt. Ne contineas memoria pristinas iniquitates nostras, quibus in grauẽ offensionem tui numinis incidimus,quarũ conscientia assidue pungimur,atque uulneramur. Festina,ut maculas criminis a nobis suscepti clemẽter eluas;miserationesq. tuæ nobis celeriter accurrãt. In dies enim labimur, & deficimus,& miseris modis attenuamur. Fer opẽ nobis, Dñe,nostrę salutis auctor;propter nominis tui gloriã libera nos; & ne sit tibi quidquam impedimẽto,quo minus auxilium confestim afferas; nostrũ scelus sanctissimis sacris expia, propter nominis tui claritatem. Non meritis nostris innitimur, cũ multis flagitijs cooperti simus;sed fide tuæ benignitatis ad spem salutis excitamur, cum interim studiũ nominis tui nos uehementi cura sollicitet. Cũ enim ope tua nudamur,id tibi a gentibus alienis,ut probrum,obijcitur,tamquam uel nequeas opitulari,cum uelis,quod est infirmitatis indiciũ; uel nolis,cum facile possis;quod est illis perfidiæ, & immanitatis,argumentum. Cur dicent gentes, Vbi est Deus eorum? Si Deus, quem isti colunt, Deus uerus est,& omnipotens,ut asserunt; & immensa bonitate præditus,ut affirmant; cur eos in tantis ærumnis uersari finit? cur illis,ubi primũ in clamant,nõ occurrit? cur eos,tã intolerandis calamitatibus oppressos,non subleuat? Hęc omnia in te maledicta iaciuntur; nomen tuũ indigno cõuicio uituperant. Cõsule igitur decori tuo,& causã glorię tuę suscipe. Innotescat gẽtibus,quę a sacris tuis abhorrẽt,in oculis nostris suppliciũ, quod sũmis in ultionẽ sanguinis seruorũ tuorũ,qui est per sũmã sceleris immanitatẽ ab hostibꝰ tuis effusus.

Vsquequo Domine irasceris.

Dus, uenerunt gentes

Innotescat in nationibus coram oculis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Inferatur in conſpectum tuum gemitus eorum, qui ferro deuincti,& in tenebras incluſi, detinentur;& brachij tui robore reliquos illos, qui morti ſint iliter,tyrannorum ſententia, deſtinati ſunt, in lucem,atque libertatem,uindica.ne progrediatur ultra furor illorum;& uicinorum noſtrorum ſcelus pœnis longe grauioribus illis,quas nobis irro gare ſolebant,ulciſcere;& contumelias,quas in te nimis impudenter intorſerãt,ſummo dedecore,& ignominia, atque poſtremo contumelia ſempiter na,repẽde.Nos uero,qui cenſi in Rep.tua ſumus, & in populo a te ſingulari patrocinio defenſo nu meramur,&,ut oues paſcui tui lętiſsimi,a te,paſto re uigilãtiſsimo,cuſtodimur,in perpetuũ nominis tui gloriã cõfitebimur,laudesq. tuas enũtiabim⁹.

Qui regis Iſrael,intende. Pſal.79. Apud Heb. 80.

HOc Pſalmo populi uniuerſi calamitates, & ærumnę,deſcribuntur, & miſericordia ſup pliciter efflagitatur;uniuerſus cœtus allegoria nõ inuenuſta Vineę nomine deſignatur;tyranni, qui omnem illius ſtatum perturbabant, & in fines eo rum ferociter irruebant, Ferarum immaniũ uoca bulo ſignificantur;poſtremo ſumma orationis ad ſpem ſalutis, quam Chriſtus erat perditis rebus allaturus,incenſa fide dirigitur.Sic autẽ Deũ allo quitur:O Paſtor optime,atque uigilantiſsme,qui tanta cura,& ſollicitudine,Iſraelẽ paſcendum,& a ferarum truculentia cuſtodiendum,ſuſcepiſti, ne remittas ſtudium tã admirandę caritatis;ne deſe ras officium, ſine quo ſalutẽ tueri non poſſumus; aures tuas intende;neque poſtulata noſtra repu dies. Age, tamquã gregem,populum uniuerſum, Ioſephi olim cura,& patrocinio,ſuſtentatũ,& eo ſi gno excitatũ ad ſpem alterius Ioſephi, cuius opi bus eſt humanũ genus alendũ,atque tandẽ Iſrael omni diſcrimine liberandus.qui ſedes in arca fœ deris ſuper Cherubim,ut intelligatur tuæ Maieſta tis ſolium numquã a ſapientiæ ſempiternæ fundaměto,atque ſtabilitate,dimouendũ;lumine tuo mentes illuſtra;ut,quemadmodũ olim,admirandi luminis ſplendore,tuis,in noćturnis tenebris,uiã, qua erat illis ingrediendũ, oſtẽdebas,ita & nunc, quod ſit nobis iter ineundũ, explorate cognoſcamus, ne a ſalutis uia in alterutram partẽ, erroris opinione,declinemus;& olim quidẽ,cum Arabię deſerta peragrabas, ſic erat uniuerſus populus in ordines diſtributus, ut tribus Ephraim,& Benia min, & Manaſſes,agmen poſtremũ clauderẽt; ut nũquam poſſent oculos, cum illos antecederes,a magnificentiæ tuæ ſplẽdore deiicere. Nunc igitur ſimiliter effice, ut te ſemper in oculis habeamus; numquam ab adſpectu numinis tui diuellamur; numquam pedẽ mouere, abſque ductu tui ſpiri tus,audeamus. Quod ſi tantũ beneficium adepti fuerimus,erimus profecto, & numero multiplica ti,& in bellis,dextera tuę uirtutis, inuicti;ioiumq. rerum humanarũ prorſus immemores, in te ſolo oẽm ſpem ſalutis fixam,& locatam, ſemper habe bimus.Hoc igitur a te petimus,hoc ſupplici prece contendimus, ut te ductorem nobis prębeas, roburq. tuæ poteſtatis excites, & aduenias, ut nobis ſalutẽ conferas.Es tu quidem iure, atque merito,a nobis auerſus. in officio enim noſtro ſæpe deliquimus; grauiterq. numẽ tuũ flagitiis noſtris offendimus. Cũ igitur iniquitates noſtræ coniunctionem hanc,quę nobis tecũ erat,importune diremerint;iniquitates ipſas dele; & nobis ueniam tribue,ut nobis,a te,clementia tua, conuerſis,om nes opes amiſſas reſtituas;lucemq. tuam,a nobis procul amotam,redde, ut ſalui eſſe poſsimus. Vt enim miſeria ſempiterna tenebris, ita ſempiterna ſalus,atque felicitas,tuæ benignitatis lumine con tinetur.O ſumme Domine, cæleſtis exercitus imperator fortiſsime, cum & clementia tua nullis terminis definita ſit & poteſtas immenſa nullis hominum conatibus impediri poſsit; quid eſſe in cauſſa dicemus, cur a nobis tamdiu præſidia tua remoueris?Scelera certe noſtra,quibus te a nobis abalienatum eſſe conſpicimus, cauſſam noſtris calamitatibus attulerunt.Quamdiu igitur in nos ira tua flagrabit?Quamdiu preces noſtras aſper nabere?Cum hoc interrogo, illud quæro, quam diu noſtrum crimen,atque ſcelus,tantas uires ha bebit,ut bonitati tuæ impedimento ſit, quo mi nus nobis benigne proſpicias. Ad noſtras enim clades uix aliquid addi poſſe uidetur. Cibi loco a te ſletu acerbiſsimo paſcimur: potus uice uas la crymis oppletũ ſimiliter exhaurire compellimur. Tanta enim eſt acerbitas uitæ noſtræ,ut ea in lu ctu cõſumenda ſit.Per te ſumus perpetuæ cõtenti oni,& litigio,noſtrę uicinitatis expoſiti;& hoſtes noſtri in nos dictis amariſsimis inuehuntur: me rito noſtro,cũ ſimus a tuis placitis auerſi,cunctis morlalibus ludibrio ſumus. Dñe, cæleſtis exerci tus imperator,penes quẽ eſt rerum ſumma pote ſtas, conuerte nos ad te; & præſer lucẽ tuam no nobis,ut ſalui ſimus. Aliter enim ſemper in mæro re,& in acerbiſsima ſeruitute, uerſabimur. Non, quid egerimus,ſed quas actiones tu noſtra cauſſa ſuſceperis,recordare;ut in nobis tuendis,& cõſer uandis,non meritis noſtris, ſed beneficiis tuis,& cõſtantiæ benignitatis tuę,proſpicias.Vineam ex Aegypto in Syriam tranſtuliſti;gentes impias,ut illam cũ maiore fructu conſereres,expuliſti.Cum enim gentes illę fuiſſent moribus efferatæ, & ne fandis ſceleribus inquinatæ,noluiſti,ut ex earum contagio uinea tua uitiorum ſilua, & flagitiorum aſperitate,uaſtaretur.Illam igitur ſumma diligen tiã perpurgaſti;ſtirpes radicitus extraxiſti;itaq.al tiſsimas radices egit, & illius propagine in dies multiplicata terra repleta eſt; umbra illius mon tes operiebat; & proceritas ramorum illius ce dros Libani ſuperabat. Palmites ſuos Solis occa ſum uerſus ad mare protulit; & ad ortum uſque ad Euphratem fluuium propagines extẽdit. Erat igitur principibus admiranda; hoſtibus metuen da; magnitudine imperij latiſsima; & fructuum ubertate florentiſsima. Nihil enim erat a te in ea colenda prętermiſsũ. Minime igitur mirũ erat,ſtu ctus illius miris acceſsionib⁹ amplificari. At, poſt quã te ab illius cultu remouiſti,uix quidquã pote rit infelicius inueniri. Cur illius ſępimẽtũ diſſipaſ ti? Cur

ti? Cur maceriam diruiſti? Cur eam omni cuſto dia nudatam reliquiſti, ut illam uiatores omnes, qui uellent, impune diſcerperent? Apri exſiluis in eam impetum ferunt, illamq. deuaſtant;agreſtes, & immanes,belluæ depaſcuntur; nullus hoſtis exoritur; nullus tyrannus exſurgit, qui eam non conculcet,& proterat,& ſumã truculentia,& diritate,conficiat. O cæleſtis exercitus dominator,te,quantum poſſum,oro,& obſecro,ut faciem tuam in nos benigne conuertas;de cælo in nos re ſpicias,ut miſerandum ſtatum, in quo uerſamur, attendas;& uineam iſtam inſtaurandam,& renouandam,benignitate tua ſuſcipias, locum offendes uaſtitate conſumptum, monumenta deleta, ædes exciſas, & terram calamitatibus omnibus, atque extremis ruinis,oppreſſam. quæ omnią tibi refarcienda ſunt;ne memoria tuæ clementiæ apud uineam iſtam prorſus intereat. Recordare, quod tu illam dextera tua conſeuiſti,& opera filij tui diligentiſsime culta,& munita,in gloriam tuã fuit,exuſta fuit,regio funditus exciſa fuit, homines,in te ſceleſtiſsimi,ira tui nominis euerſi ſunt. Nam luci tenebras prætulerunt; beneficium Diuinũ nimis ingrate,& impie,reſpuerunt;in ipſum ſalutis auctorem furenter irruerunt. quocirca, cum maximum omnium ſcelus ſuſcepiſſent, merito fuerunt maximo ſupplicio conſumpti. Sed modum iræ ſtatue;ipſum uirum,quem ad dexteram tuam collocaſti, & cui imperium rerum omnium conceſiſti, qui licet numen in ſe Diuinum uere contineat, homo tamen uerus eſt, manibus tuis excita;omne, & impelle,ut ſe mediũ interponat,pœnaſq. nobis debitas ipſe luat; & noſtrũ ſcelus expiet;noſtroſq. animos in gratiã reſtituat; & ſic,tandem,meritis illius, crimine omni liberati, conſtantes in fide permanebimus; officium numquã deſeremus; a te uitã recipiemus;nomen tuũ, ipſius Chriſti ſanctitate nixi, fidenter inuocabimus. O Sanctiſsime Deus,atque præcellẽtiſsime, cui cæleſtes exercitus ad nutũ præſto ſunt,conuer te nos; præſer fucem tuam nobis ut ſalui ſimus.

Deus uirtutum cõuertere.

Super filiũ hominis, quem confirma.

Fiat manus tua ſuperiorum dexteræ tuæ.

Eſxultate Deo adiutori noſtro. Pſal.80. Apud Heb.81.

HVmanę miſerię principium in obliuione cõſiſtit.Cũ enim mens humana, Diuinis muneribus,atque beneficijs,alligata,non aſsidue ſecum repetit,e quantis ærumnis,& calamitatibus, erepta fuerit, & quibus miſerijs erat circumuenta,quantis deinde bonis a Deo cumulata ſit;alias res agit: deinde ſtudium remittit, & ardorem refrigerat; beinpe ſenſim labitur, atque tandem a cælo (ut ita dicam) concidit, & in terram deprimitur. Quo autẽ altior erat ſtatus illius eo eſt ruina maior, atque funeſtior. Fuit enim in beneficiũ ſolito maius ingrata. Ingrati uero animi crimen Diuinæ gratiæ reſtitutione interdum plectitur;illam uero deſtitutionẽ innumerabilia flagitia conſequuntur.Nam, ſimul atque fuerit denegatum auxilium efficax, quod flagitia coercebat, tamquam immanes belluæ,impetu furibundo turbãtur,& ruunt;& tanto uiolentius ad perniciem erũpunt,quanto erant frenata;uehementius.Quid eſt autem aliud,quod uitiorum feritates frenet,& cõtineat,niſi gratia Diuina?Illa igitur amota, deteſtabilis animorum perturbatio ſequitur,atque ſœda confuſio. At obliuio eſt illa,quæ gratiam,qua uiuimus,expellit. Vnde ſequitur,fieri nihil poſſe obliuione peſtilentius. Eſt enim uenenum quoddam tacitum, quod in principio non ualde grauem ſenſum acerbitatis efficit.ſed paullatim animi uires exhaurit,atque conſumit.Ne autem hoc tantũ malum in ſenſus humanos irreperet,& uim pietatis paullatim exſtingueret,feſti dies inſtituti ſunt, & ludi ſanctiſsimi ſollemni ritu celebrati, ut homines,in multitudinis ſummæ conuentu,beneficia Diuina recolerent; &,cum inſigni lætitia, & celebritate,laudes Diuinas concinerent;ne nm quam ex eorum animis cogitatio Diuinæ benignitatis elaberetur.Hoc eſt autem,quod facit hoc in loco Propheta. omnes enim, ad diem feſtum, cum ſummis lætitiæ ſignis, agitandum, in hanc ſententiam adhortatur: In Dei, roboris noſtri, laudem lætiſsimas uoces effundite; in Domini noſtri, quem pater noſter Iacob Deum ſanctiſsimum ſemper habuit,laudem,& gloriam, ingẽtes clamores,ad ſummę uoluptatis indicium, edite. Vocem,quantum poteſtis, intẽdite;iucundiſsima harmonia concinite; tympanum pulſate; cithara pſallite;& iucũde ad harmoniam,cum teſtudine, modos efficite.In initio huius nouę Lunę tuba clãgite.Eſt enim ſollemne ſacrum,ad præteriti beneficij memoriam,& ad futuri ſacramentũ Sic enim lex ſanxit: ſic iudicium Domini,quem Iacob ſumma fide ueneratus eſt,ut quotannis fieret,decreto conſtituit;cuius beneficio cum animi requiete ſertiles agros poſsidebant.Pro monumento, & teſtimonio,in Ioſeph, hoc eſt,in uniuerſa Iſraelis multitudine, hunc diem ſollemni cultu celebrandum eſſe conſtituit,cum ex Aegypto populus emigraret,ut in terrã,quã non nouerat,& in gentẽ,cuius ſermonẽ minime tenebat,peruenireț. Itaque neceſſe erat,ut illis eſſemus infeſti,cũ quibus neqne oratio noſtra,neq. uita,cõgrueret, & ipſi uiciſsim uehementer a nobis odio capitali diſsiderẽt.Sed, quid erat in illa celebritate cogitandũ, ut cantus eſſent Deo gratiſsimi? Erat memoria repetendũ ſummũ illud libertatis,admiranda ratione partæ, beneficium,quo fuerant ab impotenti tyrannide, Dei manu,liberati. Sic enim ipſe ſanctiſsimus noſtræ libertatis uindex inquit:Humeros populi ab oneribus intolerandis ſubtraxi;& eorum manus, quæ operibus luteis duriſsimo imperio ſemper in cumbere cogebantur, eduxi, ut deinceps honeſtiſſimis ſtudijs liberam operam nauarent. Cum grauiter oppreſſus, o populę, & in anguſtias adductus eſſes, ad me clamaſti, & erui te; preces tuas exaudiui, cum tenebris Maieſtas mea eſſet, ne humanis oculis cerneretur, incluſa, & tamen horrendo tonitru me præſentem tuis uotis eſſe ſignificarem. Quam parum eſſes in fide progreſſus,ad aquas contentionis expertus ſum. O miſeram gentis tarditatem? O anguſtiſsimæ fidei ſatis grande argumentum? Cum Aegypti

Exſultate Deo adiutori noſtro

Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud.

Diuertit ab oneribus dorſum eius.

In tribulatione inuocaſti me.

Universidad de Deusto
Biblioteca

naſtitatem oculis adſpexiſſes; cum in communibus tenebris lucem tibi Diuinitus oblatam uidiſſes; cum hoſtium ſtragem editam Diuina manu ſenſibus uſurpaſſes; cum terram, flumina, aerem, cælum, mare, imperio mei numinis obedire ſenſiſſes; cum mea prouidentia liberatus, defenſus, & altus, & ſuſtentatus eſſes; an poſſem tibi aquas in ſolitudine largiri, turpiſsime dubitaſti. Imbecillitatis in fide recordatio ſit igitur tibi fidelis animi prouiſio, ne poſthac cum uitę periculo uacilles. Audi, populemi, & conteſtabor te. Iſrael, ſi audieris me, non erit tibi Deus aliunde adſcitus, ad funeſtiſsimum tuæ ſalutis exitium: Nec ullo modo alienis numinibus, commenticia, atque fallaci, religione dedicatis, honores Diuinos inſtitues; nec illis aliqua condicione humiliter, atque demiſſe, ſupplicabis. Quem enim fructum ex illis accepiſti, ut, eorum gratia, tuæ præſtãtiæ, atque dignitatis, oblitus, te ad ſimulacrorum pedes abiicias? ego ſolus ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti. me igitur ſolum cole; mihi ſoli gratias age; & in me ſolo præſidia uitæ conſtitue. quod ſi feceris, nihil erit tantum, quod de me non facile conſequaris. Magna quædam ſpecta; os in petendo dilata; preces, & uota, multiplica: ſi, quæ ſunt tibi cũ Deo pacta, ſeruaueris, non erit ab eo tibi denegatũ quod ſaluti tuæ proficuum ipſe iudicauerit. At populus meus, quem ego tam ſingulari præſidio texi, & tantis opibus, & ornamentis, auxi, & quem poſtremo ad fructum Diuini ſtatus inuitaui; uocem meam non audiuit; & Iſrael, ſui nominis oblitus, imperium meum, contra datam fidem, nefarie recuſauit. Cum igitur moderationem meam contempſiſſet, & a me, per ſummum ſcelus, & amentiam, deſciuiſſet, & ſuam effrenatam cupiditatem multo magis ſibi ſalutarem fore, quam legis meę conſilium, ſtatuiſſet, eũ ſuæ ipſius libidini gubernandum permiſi, ut, experiundo, cognoſceret, quam aſperum, & acerbum, eſſet id, quod ſuaue, & iucundum, fuerat opinatus. Pungit enim, & lacerat, atque diſcerpit, unumquemque ſua libido, ſi non fuerit effrenata; a rectaq. uia tranſuerſum deducit; erroribusq. turbulentis imbuit; atque tandem in ſempiternam miſeriam detrudit. Hac igitur pœna illi, qui ſeſe contumaciter a moderatione mea remouerunt, afficiuntur, ut ſuam cupiditatem ſequantur, & ſtudiis ſuis inaniſsimis obtemperent.

Et non audiuit populus meus.

Si populus meus me audiſſet.

Si populus meus me audire uoluiſſet; ſi Iſrael uias meas minime deſeruiſſet; quam feliciter illi omnia proceſsiſſent? Hoſtes illius facillime in eius poteſtatem redegiſſem; & manum meam, qua nunc eundem Iſraelem contundo, atque debilito, ad hoſtes illius funditus euertendos profecto retuliſſem. Cum uero monita mea negligunt, & in inſtituto ſcelere perſiſtunt, deſeruntur, & eorum ſedes ab exteris gentibus occupantur. Quod ſi, qui Dominum oderunt, formidine perterriti, a Dominis, in quorum poteſtate ſunt, defecerint, ut ipſi Domino ſeruiant, ipſius gratia uitam in perpetuum propagabunt. Alit enim eos Dominus puriſsima ſimila; & e petra mel illis ſuauiſsimum perpetuo inſtillabit. At illi, qui pane cæleſti ueſcuntur, & ſuauitate Spiritus ſancti, quem Chriſtus diffundit, explentur, a morte perpetuo deleri non poſſunt.

Inimici Domini mentiti ſunt ei.

Deus ſtetit in ſynagoga deorum. Pſal. 81. Apud Heb. 82.

NIhil in uita poterit eſſe iniuſtitia caritati conIuncta ſalutarius. Ea namque diſcordiam tollit; ciuium animos iuris æquabilitate deuincit; opes reip. firmat; uicinas gentes, aut robore uirtutis exterret, aut fama bonitatis ad amorem allicit; ita, ut fieri uix poſsit, ut ea reſp. in qua iudicia recte fiunt, armis aliquando ſuperetur. Nam in rebus humanis, nihil eſt ciuium concordia munitius; & ij, qui iuſtitiam cum pietate cõiunctam colunt, ab ope Diuina non deſeruntur. Cum legimus, aut uidemus, aliquam gentem, aliarum gentium armis euerſam fuiſſe; pro certo habeamus, apud illam gentem pluris principum libidinem, quam iuris æquitatem, ualuiſſe. Hæc autem iniquitas eſt, ſicut ſcriptum eſt, quæ regna, & imperia, ab una gente in aliam transfert. Vir igitur Diuinus, cum tantum publici firmamenti in recte iudicandi munere poſitum ſit, iudices admonet, ut uideant, quod munus ſuſceperint: Diuinum enim eſſe teſtificatur, & eiuſdem muneris eſſe a Deo rationem cum eximia ſeueritate repetendam. Ait igitur: Deus preſens adſtat in cœtu eorum, qui Diuinum iudicandi munus uſurpãt, & ea de cauſa dij quodammodo poſſunt appellari, eo quod in terris Dei ipſius uice funguntur, & in medio eorum, qui ſunt inter homines dii, operis amplitudine, numerandi, iudicium exercet, ut, quam recte, aut perperam, iudicia fiant, diligenter examinet. In eos uero, qui, uel gratia ducti, uel muneribus deleniti, uel metu perterriti, uel quauis alia ratione a iuris æquitate diſcedunt, huiuſmodi uerbis inuehitur: Quouſque tandem, o perditi homines, inique iudicabitis; & impiorum perſonam, qui opibus, atque potentia, præcellunt, in iudicio reſpicietis? O facinus infandum, in quo gradu locati ſitis, non aliquando tandem reſpicietis? Locus eſt ampliſsimus; munus Diuinum; ſalus, & pernicies, patriæ, eſt in ueſtra manu poſita; officium iſtud non eſt libidini permiſſum, ſed fidei ueſtræ commiſſum, ut iniquorum ſuperbiam, & inſolentiam, de primatis; & eos, qui contra ius oppreſsi ſunt, ipſius iuris æquitate ſubleuetis; & uos, impiorum potentia, de ſtatu deiecti, cauſſam contra legem impijs adiudicabitis? &, quos, pro iure ueſtro, contemnere debuiſſetis, ita uerebimini, ut magis eorum offenſionem, quam Dei iudicium, metuatis? Dei nomen extimeſcite; &, non, quid homines perditi uelint, ſed, quod onus a Deo ſit uobis impoſitum, cogitate. Hominem tenuem, & egentem, & pupillum, iniuriis affinem, iniquitate circumuentum, recto iudicio ab hominum improborum fraude redimite. Afflictum calumniis, & omni preſidio nudatum, ſi fuerit innocens, ſententia ueſtra omni crimine liberate. Eripite pauperem; egentem a iudicio iniquo defendite; eoſq. a peſte,

Deus ſtetit in ſynagoga deorum.

Vſquequo iudicatis iniquitatẽ.

peſte, induſtria impiorum hominum comparata, ſeducite. Hęc dixi; hęc frequenter admonui; hæc obteſtatus ſum: illi tamen neque intellexerunt; neque mente perceperunt; in tenebras irruerunt; illisq. miſerabiliter obruti, contemptim iura omnia perfringunt; & tętra in ciuitatem facinora moliuntur; & terræ fundamenta, quæ legum, & iudiciorum, ſanctitate continentur, eorum iniquitate, cum maximo publicæ ruinæ periculo, conuelluntur. Omnibus uero, qui populos in legitima ditione tenent, qui recte iudicandi munus obeũt, dixi, Vos dij eſtis; & filij excelſi omnes merito eſtis appellandi, ſi fueritis officio ueſtro, ad extremum, cum uera laude, perfuncti. Sed, quo eſt locus iſte, quem obtinetis, amplior, & illuſtrior, & propius ad Dei numen, cuius in terris uicem geritis, accedit; eo magis eſt uobis ruina cum ſollicitudine metuenda. Omnes enim, cum homines ſitis, & uobis, ſimiliter atque aliis hominibus, mors obeunda ſit, (ſi quidem ne maximis quidem Principibus fuit mortem effugere conceſſum) ut recte rationem muneris ueſtri reddere poſsitis, ſummo ſtudio, & contentione, laborate. Et his quidem uerbis Deus principes adhortatur, ut ſua iudicia ſemper ad Diuinæ legis examen exactiſsime perpendant; uerum, ut omnia, quibus ius recte poſsit inter homines adminiſtrari, diligenter excogitentur; difficulter id tam perfecte fiet, ut non aliquando iudices, etiam ſancti, in iudicando labantur; cum ſæpe numero ueritas in profundo demerſa ſit, & homines id, quod fraudis inuolucris occulitur, ſemper intueri non poſsint. Exſurge igitur, Domine, cui pater ille ſummus ſuum iudicium ab omni temporis æternitate conceſsit; & iudicium in terra conſtitue; ut tenebras ab hominum oculis expellas, & ueritatis ſplendorem mortalibus cunctis explices, ut, ea perſpecta, & cognita, dementiam ſuam damnent, &, ad te conuerſi, ſalute potiantur. Tu enim ueritatis ipſius diſciplina homines latiſsime propagabis, & in gentibus uniuerſis campliſsimam hereditatem, opibus Diuinis opulentam, conſtitues.

Mouebuntur fundamẽta terræ.

Vos autem ſicut homines moriemini.

Surge Deꝰ, iudica terram.

Deus, quis ſimilis erit tibi. Pſ. 82. Apud Heb. 83.

ARma piorum hominum ſunt preces aſsiduę. Hæc namque, cum ſint Deo ſuffimentis omnibus gratiores, in cęlum penetrant; Deum flectunt; præſidia Diuina comparant: quibus freti, ita contra omnes inimicorum uires pugnãt, ut uictoriam obtineant. Cum Hieroſolyma fuiſſet undique a uicinis hoſtibus, uiribus ſummis, oppugnata, uir Diuinus eam precibus ardentiſsimis muniendam putat, quibus armatus, ſibi uictoriam inſignem pollicetur. Oratio autem hæc eſt multis exemplis inſtructa. Nam uix ullum apud Deum ualentius argumentum eſſe poteſt ipſius Diuinæ probitatis commemoratione. Cogitur enim (ſi ita loqui fas eſt) non denegare præſidium piis hominibus, quod in cauſſa ſimili priſcis homiuibus benigne detulerat. Ait igitur Propheta: Ne taceas, Domine: agitur enim gloria tua; ne diſsimules; ne ue in tanto hoſtium furore conniueas. Hoſtes enim tui tumultus furenter excitãt; &, qui te peſsime oderunt, contra te nimis inſolenter efferuntur. Nam inter ſe ſecreto, fraudulenter, & aſtute, de populi tui pernicie coniurant; & conſilium ineunt, ut eos euertant, qui in nominis tui præſidio latent, & in fide tuæ probitatis acquieſcunt. Agite, inquiunt, gentem iſtam ſtirpitus extrahamus, ne populi nomen deinceps obtineat; ex omniq. hominum memoria nomen Iſraelis exterminemus. Vna mente conſilium ſimul inierunt; & contra te fœdus impie, & ſceleſte, percuſſerunt. At non in te ſcelus nefarium conflant, qui in populum tuum, quem a ſeruitute duriſsima redemiſti, quem ſingulari præſidio tuendum ſuſcepiſti, a quo ſacroſancta legis myſteria, ſempiternæq. ſalutis, & dignitatis, arcana fideliter aſſeruari uoluiſti, tam ferociter, & uiolenter, inſurgunt? In te perditorum hominum maledicta conferuntur, cum nos conuiciis exagitant; contra te bellum gerunt, cum nos armis adoriuntur; tui numinis maieſtatem deſpiciunt, cum eos, quos in fidem recepiſti, ſe bonis omnibus euerſuros eſſe confidunt. Idumæi in nos caſtra mouent, Iſmaelitæ delectum acriter habent; Moabitæ ſimiliter arma corripiunt; Agareni ſimul in nos ferociter inuehuntur. Quid Gebalitas, Hammonitas, Amalechitas oratione commemorem? Quam immani odio contra noſtrum nomen bellum comparãt? Quid Palæſtinam, & Sidoniam, cum Tyria ciuitate referam? Oẽs iſti, infeſtiſsimis animis, noſtram uitam, & ſanguinem, petunt; &, qua ſi eorũ ſalus eſſet in noſtro interitu poſita, ita neruos oẽs intendunt, ut nobis extremum exitium machinentur. Quin etiam Aſſyrij ſe cum illis, qui ſunt Loth ſanguine propagati, fœdere in noſtram perniciem coniunxerunt. O diuum, & horrendum, facinus. Quid eſt enim, quod tantam multitudinẽ, locis diſiunctam, moribus, & religione, diſſimilẽ, & inter ſe odio ſæpe nimis acerbo diſsidentem, ita conciliarit, ut animis coniunctiſsimis ad noſtram perniciem conſpiret, niſi tui tui ſanctiſsimi nominis odium, quo ad euellenda potentiæ tuæ monumenta modis omnibus innituntur? Exſurge igitur, Domine; tam dirum ſcelus ulciſcere; impios conatus frange; in perditæ gentis exitio, & uaſtitate, quanta ſit tui nominis offenſio, declara; indignationis tuæ documenta (ut olim multis in locis effeciſti) conſtitue; exempla antiquæ ſeueritatis nouis exemplis eiuſdem ſeueritatis inſtaura. Euerte illos, ut Madianitas, opera Gedeonis, uigilantiſsimi ducis, euertiſti; ſicut Siſaram mulieris manu trãſfixiſti, ſic iſti, infirmis uiribus, icti, corruant; & utroque templo percipiant, tuo nomine duces populi tui inuicto robore confirmari, & hoſtes tuos ab imbecilla natura ſuperatos ſæpe concidere. Vt Tabim in torrente Ciſſon tuis trucidandum obtuliſti; & quemadmodum in Endor hoſtes fœde conciſi ita corrupti ſunt, ut agros ſtercorarent; ita, qui in nos impetum ferunt, in acie cadant, & in aruis inſepulti putreſcant. Principes

Deus, quis ſimilis tibi.

Quoniam cogitauerũt unanimiter aduersũ te.

Fac illis ſicut Madiã, &.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipes eorum,ut Oreb,& Zebeb,& Zeba,& Salmana,crudelem in modum trucidentur,& omnes denique exercitus impij ductores horrifico leto dispereant.Ita namque insanierunt,ut ædes,in quibus Dominus sibi sedem constituit, spe inanissima deuorarent, atque eas iam inter se cogitatione diuiderent.In tabernaculis, inquiunt Arabes, habitamus;in nulla certa sede consistimus: si urbem istam ceperimus,quiete aliqua perfruemur; neque uario, & incerto, discursu uagabimur.

Deus meus pone illos ut rotam.

O Domine, fac, ut illi, qui hæc secum deliberant, modo huc,modo illuc,ancipiti errore,uolutentur, & numquã a mentis agitatione cõquiescant. Circumage illos,ut rotam,ut palearũ glumæ,& asistę a uento diss pentur. Vt ignis comburit siluam,& ut flamma in densis nemoribus implicata ingẽs incendium suscitat; sic tu illos, repentinę cladis incendio, tempestate tua concitato, persequere; eorumq. fastum, & insolentiam,turbine tuo conturbatam, dirue. Et in hac quidem satis meritæ plagę magnitudine non modo iustitię tuæ satisfacies;uerum & maximas clementię partes,ad communem fructum, suscipies. Cum enim uiderint homines,imperio florentes,opibus affluentes,uictoriis præferoces,rerum successibus elati, qui Ecclesiam tuam totis uiribus oppugnant,nullum se fructum ex tantis opibus excepisse; cum uirtute tua perculsi,& abiecti,fuerint;cũ, ab exteris gentibus uicti,atque superati, conciderint; cum imperium,& opes,amiserint;cum ij,qui antea uicto res exstiterant, se fugæ ignominiosæ mandauerint;cum omnes suos conatus ad nihilum recidisse perspexerint;intelligent demum, quantum in se scelus admiserint;&,ignominia grauissima deformati,ad te supplices adibunt,ut,cuius auxilio efficaci fuerant destituti, eiusdem misericordia postea subleuentur.Ignominia igitur omnes,qui, superbia insanientes,in te bellum comparant,deforma,ut, turpissime uicti, misericordiam tuam requirant,atque supplices sese ad tuum sanctissimum nomen adiungant. Erubescant igitur; turbulentissimis ad extremum motibus agitentur; dedecore insigni cumulentur; & a statu suo omni no demigrent;& ita cognoscent, te solum uerum Deum esse, infinita potestate præditum, excelsæ dignitatis amplitudine præcellentem, cuius tandem cognitio ad omnes terras peruenirет;ut inno tescat cunctis mortalibus, non aliud esse nec in cælo,nec in terra, numen; omnemq. spem salutis in te solo esse firmissima fide collocandam.

Imple facies eorum ignominia.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine. Psal. 83. Apud Heb. 84.

HOc Psalmo,qui quidem explicatu difficillimus existimatur, nihil erit facilius, si in Christum, legis Diuinæ latorem, & interpretem, tota mente respexerimus; contra uero, si Iudæis tantum honoris habuerimus, quantum illis quidam homines eruditi in explicatione sanctarum litterarum tribuendum censent,pedem nobis pro gredi non licebit. Qui enim lucem deserit,tenebris confestim opprimitur. Libenter autem a Iudęo quæsierim,quę tabernacula ista sint, quorum cupiditate animus hominis Diuini liquefactus propemodum diffluebat. Sacra, inquit, tabernaculorum agebantur eo tempore,quo Dauid, a filio expulsus, in solitudine uagabatur. Cum igitur sacris ludis interesse non posset, dolore interclusus,ingemiscebat.Falsum. Quoties enim Saulem, uel Absalonem, fugiebat, ita Deum orabat, ut querimoniam cum prece coniungeret: quod hic non facit. Præterea,non erat Dauid is homo, qui signis esset nimis intentus,sed qui, signorum admonitu,de rebus,quæ signis erant adumbratæ,tota mente cogitaret. Quid igitur? Vir Diuinus in tabernaculis, e leuissima materia, ad breuissimum tempus,cuiusuis operarij manibus, excitatis,sic mentem defigeret,ut, eorum cupiditate, in acerbissimo luctu uersaretur?& anima illius tantum de rerum umbris laboraret,ut,propemodum afflicta,tristissimis curis intabesceret? Hanc dedecoris labem audeat quisquam tãti,atque tam excelsi, uiri laudibus adspergere, ut illi Iudaicum stuporem, & tarditatem, affingat? scilicet is erat, qui cęlestia non suspiceret; qui minime ad opes Diuinas adspiraret; gerebat fortasse animum tenebris oppletum, & Iudaicis uinculis arctum, & adstrictum, ut illis laxari,ad sempiterna munera libere contuenda,non posset. Hoc de uiro sanctissimo, Diuinaq. uirtute prædito, suspicari quisquã potest?Quid igitur dicendum? Hoc certe,quod lõge uerisimilius est: cum dies festi tabernaculorum agerentur,Dauidem,tabernaculis illis admonitum, ad illorum tabernaculorum cogitationẽ, quæ Christus discipulis suis, in domo patris sui, purata dicit,quas mansiones appellat,uehementius excitatũ, in uoces, ardentissimę cupiditatis indices,subito prorupisse. Oratio est amatoria;de siderio flagrans;affectibus incitata; & ea de causa in loco præcisa:quod continet motus uehementioris argumentum. Cum enim dicit,Altaria tua Rex meus, & Deus meus, in gemitibus explicat, quod erat pluribus uerbis explicandum. Veluti, si dixisset,In altaribus, propter ea, quæ illis designata sunt, est uitæ meę requies, & totius curæ grauioris,& angoris, alleuamentum. Ait igitur: Quam iucunda,& amabilia, sunt illa sempiterna tabernacula, o summe cælitum dominator, quæ sunt illis a te præparata, qui sese ad studium nominis tui,animis inflammatis,adiungunt. Numquam enim conuellentur;numquam a loco in locum transferentur; numquam a conspectu tuo remouebuntur. Terram non curo; humana cuncta despicio;nihil est in uita,in quo meus animus acquiescat;te unum amo; te ardenter expeto; te ardentissima fide consectari percupio; & iccirco desiderio domus tuæ ardentissimo teneor,& mirabiliter inflammor. Exardescit anima mea desiderio ædium tuarum; & amoris uim sustinere non potest,ita,ut languore deficiat;cor meum,& caro mea tantum habet requietis, quantum in laudibus Dei uiui,atque sempiterni, consumitur. Nec enim

Quam dilecta tabernacula tua.

enim laus eorum,qui,cum sint tenebris immersi, atque sempiterna morte consumpti,in diis numerantur, in ore meo uersabitur; sed illius tantum Dei mei,qui summus,immensus, atque sempiternus,est,& opibus infinitis quo sempiterno circum fluit, laudes semper efferam; & in prędicatione immensæ illius probitatis exsultabo. Nullum est genus animantis in terris,quod non corpus,labore defessum,quiete reficiat. Omnia, natura,ad finem sibi concessum uia progrediuntur; &, cum fuerint adepta,quod uoluerunt, otio perfruũtur; ita,ut nihil tunc requirendum existiment. Quod adeo uerum est,ut etiam passeres, & hirundines, statis temporibus,sine ulla sollicitudine,in hominum ędibus, e quibus maior illis metus impendere debuisset,nidos construant,in quibus pullos suos, ex ouis suis eductos,nutriãt.Ego solus quietem nusquam in terra reperio. O altaria tua, Domine exercituum, quem Regem metuo, quem Deum ueneror, in quo est summum mentis meæ decus,& oblectamentum; quam me iuuat altaris utriusque mysteria contemplari? In primo namque, quod est in atrio constitutum, cerno signa sanguinis sanctissimi, quo sumus a peste sempiterna redimendi; in hostiarum cæde, uideo nequitiæ,& improbitatis, interitum; uideo religionis uiolatæ piaculum; uideo denique puritatis,& innocentiæ,sacramentum. Quid dicam de altari aureo, quod est in ipso loci longe sacratioris introitu,in quo odores suauissimi, ex præscripto legis, unguentariorum arte commisti, singulis diebus adolentur? Quid esse poterit illis, qui mentem in res Diuinas intendunt,adspectu decentius; odore iucundius;fructu salutarius?Illic enim contemplor perfectissimę uirtutis elegantiam;orationis, qua sancti homines Deum perpetuo uenerantur, fragrantiam;contentionis illius,qua,quæ uolunt, a Deo consequuntur,uehementiam;atque, ut nihil aliud dicam,tantam humanæ mentis cum Diuina coniunctionem, ut homo Deus admirabili quadam ratione possit existimari. Amoris enim perfectio,animos in id,quod uehementer amant, facillime transfigurat. His cogitationibus alor; hoc pabulo sustentor;in his rerum Diuinarum studiis,& meditationibus,acquiesco. O beatas illas mentes,quæ in domo tua, Domine, sempiternas sedes habent.Te enim perpetuo laudabunt. Quo quidem munere quid poterit felicius, aut iucundius,excogitari?Te enim clare cernunt;te semper intuentur;tuę lucis splendore collucent;tuæ pulchritudinis elegantiam admirantur; & in eiusdẽ formæ similitudinem conuersæ sunt.Quid autem est de huius uitæ mortalis condicione dicendum? Est ne aliquod genus hominum, in quod Beati nomen iure conueniat?Est certe.Ille namque,qui nihil uiribus suis attribuit, sed omne roboris sui præsidium,& uirtutis firmamentum, in te collocatum habet,Beatus appellari recte potest. Qui enim hac mente sunt,uias Domini,quibus ad gloriam peruenitur,ut in præcordiis semper habent. Verum, inquiet fortasse aliquis. Attamen,quis poterit beatus existimari, cui sunt in uita tam multæ tempestates subeundæ, a quibus nullus umquam mortalium,nisi difficulter, immunis existitit?Vt ita sit;omnes uitæ acerbitates Diuini spiritus iucunditas facile compensat,atque perficit, ut expetendę etiam uideantur. Quamuis enim iusti per uallem lacrymarum iter habeant, in ipsis lacrymis fontem aquę clarissimum sibi inesse cõstituent;& e Spiritus sancti flumine suauissimum potum haurient,quo ab omni sensu doloris cogitationes suas abducant. Atque,ut omnes labores non modo leues, & tolerabiles, sed etiam iucundos,arbitrentur, summum illud etiam subsidium accedet,quod Christus,illorum doctor,& moderator, multis Diuinis muneribus egregie cumulatus,& opibus sempiternis affluens,illis præibit,ut eos disciplinis,& exemplis,erudiat;& muneribus sempiternis augeat;& uoluptatibus summis afficiat;ita,ut omnia certamina robore inuicto sustineant. Magnos in dies in uerissima uirtute progressus facient;eorumq. pietas accessionibus mi ris amplificabitur,usque eo, dum purissima mente possim in Sione cælesti, atque sempiterno, in quo Deus non terrenis hostiis, sed rationis purgatæ uictimis,non adumbrate,sed spiritu, atque ueritate,colitur, ipsum Dominum, quantum licet, & fas est,pro incensæ fidei meritis,& ratione,perspiciant. Domine Deus, cui cælites omnes cum sedulitate seruiunt, & cuius mandata cum alacritate summa conficiunt,exaudi orationem meam; aures præbe precibus meis; o sempiterne cæli,atque terræ, dominator; quem oratio patris nostri Iacob ad misericordiam uehementer inflexit. Rem miram. Homo, natura mortalis, & imbecillus, orationis uiribus fuit cum omnipotente Deo congressus; &, precationis ardentissimæ robore,omnia, quæ uoluit, a summo rerũ omnium Domino consecutus est. Similiter ipse a te contendere non desistam. O firmissimum nostræ salutis,atque uitæ,propugnaculum, ne tuæ immensæ benignitatis oculos a nobis deiicias. Non uiribus nostris innitimur;non uirtute nostra confidimus; nos seruos inutiles esse confitemur; sed pretiosa Christi tui merita, quibus tibi conciliati sumus, ut nimis attente respicias, obsecramus. Per illum igitur, uiam munitam fore credimus, qua ad ad te, illlius sanctitate placatum, peruenire possimus. Vna namque dies,in ædibus tuis acta, longe multis dierum millibus,& ad iucunditatem uitæ, & ad spem immortalitatis,antecellit. Malo igitur ad limen ædis Domini abiectus procumbere, quam laxe nimis, in magnificis impietatis ædibus, habitare. Vna siquidem dies, in sanctitatis studio consumpta, in sempiternam uitam deducit; at impietatis contagium, quo magis diuturnum fuerit, eo funestius, atque pestilentius, exitium molietur. Nã Sol noster, & clypeus noster,Dominus Deus est, cuius nempe luce collustramur,& cuius ope, & auxilio, tegimur; Dominus, gratię, & benignitatis, amplitudine, munera in suorum animos congerit; Dominus, decus, & gloriam,tribuit: nullum denique bonum illis deesse potest, qui uitam,in illius conspectu,caste,pure, & integre, moderantur. O summe cęlitum imperator, sum-

Etenim pater inuenit sibi domũ.

Altaria tua Domine uirtutum.

Beati qui habitant in domo tua.

Beatus uir, cuius est auxilium abste.

Ascẽsiones in corde suo disposuit,in uallę lacrymarum.

Etenim benedictiones dabit legislator.

Domine Deus uirtutum exaudi orationẽ meam.

Protector noster adspice Deus.

Quia melior est dies una.

Quia misericordiã & ueritatẽ diligit De⁹

Universidad de Deusto
Biblioteca

summa hæc est; ut illi soli sint in uita beati iudicandi, qui in tui solius præsidio constanter acquieſcunt.

Benedixisti Domine terram tuam. Psal. 84. Apud Heb. 85.

Ioan. c. 2. QVinque & quadraginta, aut, ut Iudæi apud Ioannem asseuerant, sex & quadraginta anni fuere in secundi templi ædificatione consumpti, eo quod opus, cuius fundamenta fuerant, Cyri beneficio, iacta, fuisset multis hostium conatibus impeditum. Post templum absolutum Vrbs immunita annis septuaginta mãsit, cũ, per hostiũ immanitatem, Iudęis muros exstruere non liceret. Hoc autem tempore fuerunt a uicinis gentibus incommodis multis exerciti, a quibus admodum graues iniurias accipiebant. Vicesimo deinde Artaxersis anno, Regis ipsius beneficio, libere Vrbem munire cœperunt, non tamen ita libere, ut non essent frequentibus hostium incursibus oppugnati, ita, ut cogerentur assidue importunæ uicinitatis impetum armis reprimere. Vrbis autem mœnia fuerunt intra annos paullo minus nouem & quadraginta ædificata: quo tempore numquam ab armis otium fuit. Hos si quindecim annis supra centum addideris, summa fiet annorum quinque & sexaginta supra centum. Quem numerum si a ducentis & triginta annis deduxeris, (tot enim annis, magis minus, Persarum imperium duravit) reliqui, quinque & sexaginta anni erunt. Totigitur annis Hierosolymam armis oppressam non fuisse legimus. Græci continuo secuti sunt, quibus Iudęi sine recusatione seruiebant. Nam & eis tributa pendebant, & illorum iussis obtemperabant. Modico deinde tempore sub Machabæis immunes exstiterunt, usque ad bellum Mithridaticum, quo tempore Pompeius Hierosolymam cepit, & templum profanum fecit, & Iudæis tributum imperauit. Sed, quorsum hęc in medium attulimus? Vt melius intelligatur, quam sint amentes Iudæi, qui beneficia Diuina in arctum contrahere nituntur, & libertatem, a Prophetis, Diuina mente, prenuntiatam, ad eam libertatem referunt, quam Cyrus concesſit: quę quidem non libertas, sed libertatis umbra, fuit admodum exiguo annorum termino definita. Pudeat gentem perditam, leuitatis, & amentię; & in Christum respiciant; intelligantq. tandẽ, Diuina promissa ad Diuina beneficia referenda esse. Fateamur quidẽ, libertatem illam ueræ libertatis imaginem gessisse; non tamen ullo modo patiemur, ut effatum Diuinum ad ullam humani emolumenti tenuitatem referatur. Quod quidem ex Diuina carminis huius sententia ualde perspicuum fiet. Sic enim ait: Singulari beneuolentia complexus es terram tuã, Domine. Genus enim Iacob e seruitute durissima in libertatem felicissimam redu xisti. Seruiebat enim libidini, flagitio, & turpitudini, & immani cupiditati: at, libertate recuperata, seruiet iustitiæ, & sanctitati; & ita Diuinis opibus, atque pręsidiis, in omni genere, redundabit. Populi tui criminibus ignouisti; omnẽ pœnam cruciatus sempiterni remisisti; eorum peccata nouo cultu, & ornatu, contexisti. Quid enim est aliud humana natura, Dei gratia spoliata, quam tætra turpitudinis, atque deformitatis, species, odio iusto dignissima? At nouo gratiæ Diuinę uestitu sordes animi, & corporis, occulũtur; ita, ut interdum non possit aliud in mente, ornatu Diuino cincta, quam Diuinam formam, & speciem, intueri. O miram rerum conuersionem. pec catorum memoria deletur; sanctitatis excellens decus exoritur; odium antiquæ offensionis exstinguitur; amor uehementissimus excitatur; homo, Diuinę legis inimicus, in Dei gratiam, cum insigni beneficiorũ amplificatione, recipitur. Omnem dignitatem tuam compressisti; faciem tuam ab iracundia remouisti; ut illis admodum benigne consuleres, qui fuerant dirissimis pœnis obnoxij. Perge, Domine; institutum clementię officium, quod est probitati tuæ maxime consentaneum, constanter exsequere; exsurge; insta, & impelle nostras mentes, o nostrę salutis auctor, ut, ad te perfecte conuersę, amissam gratiam recuperent, & iram tuam euitent. Num in perpetuum lęsi numinis offensio perseuerabit? & iram tuam sine fine, ut omnem posteritatem eorum, qui fidem prodidere, populetur, incitabis? Non prorsus. Non id patietur benignitatis immensę magnitudo, nó fidei constantia, non tantum studium in constituenda nostra salute consumptum. Quin potius, ad nos conuersus, nobis uitam dabis; & populus, gratię tuę muneribus exornatus, per te ingenti lætitia cumulabitur. Perfice tandem, ut misericordiæ tuę fructum uideamus, & salutis tuę, quę sola uera, atque sempiterna est, compotes aliquando simus. Diuinum uerbum iacentes erigit; fidem excitat; spem confirmat; mæstitiam pellit; lætitiam affert: omnibus igitur, qui uolent mala uitare, & bonis expleri, est Diuinum uerbum assidue consulendum. Quod quidem ego diligẽtissime faciam. Semper enim nimis attente audiam, quid Dominus Deus loquatur; & tam uerbis illis, quę litteris, ad sempiternam memoriam, consecrata sunt, quam illis, quæ, sancti Spiritus afflatu, & impulsu, intra mentem meam clementer enuntiat, obtem perabo. Pacem enim illam, quam animi, Diuini spiritus ignari, minime sentiunt, cum omnium bonorum affluentia, populo suo denuntiat; & illam omnibus sanctis suis largiturum pollicetur, qui minime ad pristinam insaniam reuersuri sunt. Omnia siquidem, quæ homines per se, sine respectu, ad sempiternam ueritatem animis agitant, studio moliuntur, & industria perficiunt, temeritatis, & insanię, plena sunt. Non quidquam ad uitam beatam, quam homines ardenter expetunt, aliqua ratione proficiunt; sed ad miseriam sempiternam, quam exhorrent, uiam plerumque muniunt. Quod quidem minime sanctis continget, quamdiu in fide perfecta tota mente permanserint. Salus namque Domini præsto semper est illis, qui nomen illius extimescunt. eo namque Deum perduxit amor, & ardens nostræ salutis studium, ut suam gloriam, nempe filium, a se, sine ullo

Nelum. 2.

Esdr. 4.

Conuerte nos Deus salutaris noster.

Numquid in æternum irascetur nobis?

Audiã quid loquatur.

Veruntamen propè timẽtes eũ.

Benedixisti Domine terram tuam.

ullo temporis initio, progenitum, in terram nostram mitteret, & in humana natura sedem sibi constrŭeret, in qua semper admodum commode permaneret. Misericordia, & ueritas, obuiam sibi mutuo prodierunt. Misericordia quidem, quia bonitas immensa, nullis meritis humanis adstricta, sed peccatis, ad uindictæ seueritatem, potius inclinata, tantum beneficium in genus humanum contulit, quantum nulla mentis altitudo sibi a Deo polliceri, aut saltem cogitare, potuisset: ueritas autem, quia, quod futurum ostenderat, quod patribus nostris olim promiserat, ad cuius promissi fidem se fœdere sacrosancto deuinxerat, cumulate præstitit. Itaque, eodem facto, & misericordiæ suæ infinitę consuluit, & fidei datæ, atque pactioni sanctissimę, cumulate satisfecit. Ex eo igitur mentes humanæ, Diuinę naturæ consortes effectæ sunt. Nam iustitia, & pax, in illis, indissolubilis fœderis osculo, interse copulatæ sunt. Animus enim iustus, est sempiternæ bonitatis, & æquitatis, effigies: &, cum studiorum similitudo coniungat animos, fieri non potest, ut graue sit inter Deum, & animum hominis iusti, dissidium. Quemadmodum autem fruges e gremio telluris enascuntur, & e cælo imbres profluunt, quibus adolescant, & fructuum perfectionem assequantur; ita promissam ueritatem sanctissima terra, summi, & omnipotentis, Dei munere, & beneficio, profundet, cuius partus felicissimi meritis e cælo ingens uis iustitiæ, & sanctitatis affluentia, ad homines emanabit, qua similitudinem Diuinitatis arripiant. Non semel autem mentes hominum oculis suis tantum, atque tam Diuinum, munus adspicient, sed ita continuabitur, ut perpetuo Dominus, cum admirabili largitate, cum illis, qui ardentissima, uiuaq. fide, nixi sunt, bona sua communicet; & terra nostra, gratia illius diligenter exculta, uberrimos bonarum cogitationum, & operum fructus efferat. Tunc igitur uera iustitia in Domini ipsius conspectu libere gradietur; uestigia sua in uia Domini semper imprimet; nec a recta semita deflectat.

Misericordia, & ueritas.

Veritas de terra orta est.

Etenim Dominus dabit benignitatem.

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me. Psal. 85. Apud Heb. 86.

ADmiranda est hæc Diuini hominis oratio. Nam & docet, quibus argumentis nixi, debeamus, Deum, uel iratum lenire; uel placatum ad opem celeriter afferendam incitare; & simul orationem Christi, in crucem acti, similitudine quadam acerbitatis, & angoris, exprimit; postremo, orationis ipsius fructum luculenter explanat. Docet enim, humilitate, & animi moderata quadam demissione, Deum ad benignitatem inflecti; &, ut misericordiam tribuat, actionibus misericordiæ prouocari; & fide quodam modo cogi; & constantia ipsius orationis urgeri; &, mente in cælum uehementius elata, quasi uiribus inuictis, adduci, ut illi, qui se humiliter abiciunt, qui misericordiæ officiis incumbunt, qui cum fide uiua postulant, qui petendi studium minime remittunt, qui in cælum agitatione mentis euehuntur, non soleat quidquam, quod ad salutem ualeat, aliqua ratione denegare. Ait igitur: Erige, & intende, aurem tuam, Domine, ut preces meas, quas in grauitate ingentis ærumnæ fundo, percipias. Nã egentissimus sum, & cum summa omnium rerum inopia conflictor. Quæ possideo, pro nihilo puto; quæ ardenter expeto, non possideo; nihil in rebus humanis est, quod proprium appellem; illarumq. affluentiam, summam indigentiam esse statuo; opes uerissimas exquiro; me procul abesse, ægerrime patior. Custodi animam meam. Si enim misericordia tua omnibus est proposita, qui ad misericordiam propensi sunt, recordare, Domine, me semper fuisse in studium misericordiæ, atque benignitatis, incitatum; multoq. libentius clementiæ, quam seueritatis, partes, in mei muneris functione, suscepisse. Ad clementiam enim libentissime ducor; ad seueritatem inuitus, cum id ratio iuris efflagitat, impellor. Quod si uiua fides apud te magnum pondus ad impetrandum semper habuit, ego quod aliud umquam mihi præsidium comparaui? cuius opem suppliciter imploraui? cuius prefidio nixus incessi? omnes opes humanas contempsi; quam lubricas, inanes, & fallaces, essent, cognoui; in te solo omnem spem uitæ, salutis, & dignitatis, fixam, & locatam, semper habui. Te igitur uehementer oro, ut salutem affer as huic seruo tuo, tui solius auxilio firmissime confidenti. Nec dici potest, me, in precibus, & uotis, meis, aut parum uehementem, aut minime cõstantem, esse, cum non mediocriter orem; sed maximis uocibus inclamem; non paucas horas, sed integros dies, in orando consumam. Num poterit obiici mihi, quod humi nimis defixus sim? & ita terrenas opes intuear, ut ad cælestia non adspirem? Nõ profecto. In cælo namque animus meus, non in terra, uersatur. Huius igitur serui tui spiritum abiectum spiritus tui iucunditate permulce; tristem exhilara; gaudio cumula; quando ad te, Dominum meum, mentem semper extulit, nec in terra uolutatus est, sed, ut de te perpetuo cogitaret, animum acriter excitauit. Quid autem, cum de te toto pectore cogitarem, animum meum ad salutis spem firmissimam rapiebat? Hoc fere. Veniebat mihi in mentem, te, Dominum meum esse, qui seruum minime, pro tua fide singulari, despiceres. Tua probitas immensa, qua peccatis clementer ignoscis, animos mihi faciebat, ne, peccatorum meorum recordatione, conciderem: memoria repetebam misericordiæ tuæ magnitudinem, quæ tanta est, ut nemini aditus ad illam, qui ad te cum ardenti fide clamaret, intercluſus umquam fuerit. Hæc igitur bonitas, & tam admiranda benignitas, me, quando tam fidenter exclamo, ne deserat. Aures erige, ut orationem meam audias; animum diligenter aduerte, ut precationes meas attente percipias. Quotiescumque me afflictum animaduertero, non aliunde subsidium exquiram; non hominum fidem implorabo; sed ad te unum confugiam, ut, cla-

Iudica Domine auré tuam.

Custodiani mam meã, quoniã sanctus sum.

Miserere mei Domine, quoniã ad te.

Lętificaani mã seruitui

Quoniã tu Domine suauis, & mitis.

In die tribulationis meæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

clamore maximo, tuæ Maiestatis opem efflagitē; & confestim me clementer exaudies. Quis est in illis, quos hominum uulgus suppliciter, acque de misse, ueneratur, & in Diuina sede reponit, tecum aliqua ex parte conferendus? Num est aliquis in terra, qui opera tua factis suis imitari conetur? qui erratis possit ignoscere? qui preces humiles audiat? qui miseris opituletur? aut denique, qui, ut maxime uelit, possit aliquo pacto res perditas, & afflictas, in antiquum statum reuocare? Nemo certe. Omnia præsidia uana sunt; tu solus, qui probitate immensa, & potentia infinita, præditus es, res, quas euersas uides, precibus, quas clementer audis, impulsus, & uis, & potes, instaurare, & in antiquum splendorem reducere. Notitia huius tantæ clementiæ, & potestatis, commota, & incitata gentium multitudo, quæ diis falsis immolabat, ad te conuersa, (nec enim Iudæorum tantum, sed etiam omnium gentium, quas similiter effecisti, Deus es) undique commeabit; coram te se suppliciter abiiciet; nomini tuo gloriam tribuet; laudesq. tuas oratione perpetua celebrabit. Magnus enim es tu; & opera, quæ perficis, sunt nimis admiranda; tu solus, & uerus, & sempiternus, es.

Omnes gentes quascūque fecisti.

Quis enim alius potuisset e tenebris lucem elicere; e morte uitam educere; Satanæ tyrannidem delere; hominum mores immutare; atque perficere, ut, qui erant pestiferis flagitiis addicti, iustitiæ sanctitati seruiant; &, qui fuerant tui nominis hostes, in filiis tuis numerentur? Demonstra mihi, Domine, uiam tuam, qua, fide tua subnixus, ingrediar; & cor meum tibi artissime deuinctum te ne, ut te cum una mens, & uoluntas, & consensio, fiat; neque iam in uarias partes animus meus distrahi, & dilacerari, possit, sed semper unus & idem tecum sit; & sempiterno timore te, non tam ut seruus dominum, quam ut filius parentem, colat, atque ueneretur. Debita prædicatione te, Deum meum, toto corde prosequar; & in perpetuum nominis tui gloriā celebrabo. Misericordia namque tua erga me ualde insignis, & ampla, fuit: animam namque meam ex infimis erebi sedibus in uitam reduxisti. Domine, homines superbi, & insolentes, in me ferociter inuecti sunt; & cœtus eorum, qui opibus, & potentia, principes erant, animæ meæ summis uiribus exitium comparabant; neque te in oculis habuerunt, ut, numinis tui metu, a tanta sceleris immanitate reuocarentur. Verumtamen tu, Domine, clemens, & misericors, es, qui nō ira facile commoueris, cum sis potius ad misericordiam, & fidem, ualde natura propensus. Misericordiam igitur tribue; & fidem, quam olim dedisti, tandem præsta, ut non me solum, sed uniuersum genus hominum, qui in te respexerint, ab hostibus immanissimis clementer eripias. Respice in me; & miserere mei. Non meis meritis elatus, sed illius sanctitate fretus, qui te generi humano placaturus est, opem a te uehementer efflagito. Da robur, & imperium tuum, illi seruo tuo, qui numquam uoluntatem tuam cogitatione aliqua labis, & impuritatis, offendit; & affer salutem filio ancillæ tuæ, quæ uitam semper, ab omni genere criminis immunem, admirabili sanctimonia conseruauit. Illum cruciatibus affictum liberabis, ut nos similiter a doloribus educas; e mortis faucibus illum eripies, ut nobis uitam, atque adeo immortalitatem, largiaris. Et, cum aliqua ex parte in me similitudinem illius impressam esse uoluisti, te precor, ut in ærumnis mihi præsto sis, & opem tuam mihi paratam fore demonstres; ut hostes mei in mea defensione clementiam tuam signis admirandis expressam uideant, & erubescant. Tu namque, Domine, mirabiliter adiuuisti me, & solatij tui iucunditate perfudisti me.

Deduc me Domine in uia tua.

Quia misericordia tua magna est.

Respice in me; & miserere mei.

Fundamenta eius in montibus sanctis. Psal. 86. Apud Heb. 87.

TErræ sanctæ nomine Dauid Ecclesiæ fertilitatem luculentissimis uerbis superius exaggerauit. Nunc uero eiusdem ornamenta nomine Ciuitatis sanctę complectitur. Ad hunc igitur modum Ecclesiæ decus, & gloriam, oratione describit. Diligit Dominus portas Sion magis, quam osa tabernacula Iacob. Multis enim in locis uir ille sanctus, a quo genus ducimus, tabernacula posuit, ut Deo uictimas immolaret; illius posteri similiter tabernacula sua in uaria loca transtulerūt; in uno tñ precipue tabernaculo, qđ in uarias sedes motum est, rē Diuinā rite faciebant. Erant tūc illa fidelis populi munera, pro temporis ratione, Deo non ingrata, non tamen ita, ut illorum sanctitate numen Diuinum hominibus placaretur. At, postquam lex salutaris, non ex Sinai ad terrorem incutiēdum, sed ex Sione ad amorem elicien dum, lata, atque promulgata fuit; consequens est, ut Deus lōge pluris faciat uel primum Ciuitatis sanctæ aditum, quam reliquas omnes sedes, quas Hebræi, antequam nouum hoc fœdus sanciretur, incolebant. Nam lex, qua tenebantur, perniciem per occasionem offerebat. Hæc uero salutem, gratia Diuina, confirmat. Olim quadrupedes in sacrificium offerebantur; nunc uero uictimę orationis, atque laudis, immolantur: tunc ancipitis seruitutis sollicitudo miseros homines destinabat; nunc uero, absoluta libertate in Sione constituta, homines, erecti, in cælum, libere, ut in ciuitatem suam, respiciunt: tunc mentes erant in umbras intentæ; nunc autem res ueras, munera Diuina continentes, intuentur, & intuentes exsultant. Mira sunt, & insigni gloria cumulata, quę de te prędicātur, o Ciuitas Dei. Quis enim cœlitum frequentiam, sanctorum hominum multitudinem, Dei non assensu prohibentis, sed ad adscensum mortales omnes clementer inuitantis, orationem, sanguinis, non uindictam, sed ueniam, postulantis, suauissimas uoces enumerando recensere poterit? Nullum iam erit aut generis, aut religionis, discrimen. Vetustas ablata est quę gentes discriminabat; nouitas inducta est, quæ, una, & eadem, specie, gentes uniuersas, quæ in hanc Ciuitatem ueniunt, informat. Efficiam, inquit Dominus, ut Raab, alienigenæ mulieris, exemplū memoria

Fundamenta eius.

Gloriosa dicta sunt de te.

Memorero Raab, & Babylonis.

memoria repetatur. Vt enim illam, Pisidem, & hospitalitatis officium, in populū adlectam fuisse, Salomonis q. uiri principis matrimonium tenuit, sic multæ nationes, nunc omnino a meis sacris abhorrentes, undique, fide uehementer incensæ, confluent, ut mecum matrimonii fœdere copulentur. Sint illi Babylonii, sint Palæstini, sint Tyrii, sint Aethiopes, sint ex quacumque alia regione, nunc a meis placitis plurimum dissidente; cum primum per fidem nominis mei notitiam ceperint, & sese ad meum nomen amore adiunxerint, ius repente ciuitatis obtinebunt. Nemo enim erit, propter antiquam inuisi generis ostensionem, sed propter perfidiæ, uel alterius sceleris, prauitatē, ab aditu sanctæ ciuitatis exclusus. Perinde igitur quilibet, qui aliunde in ciuitatem uenerit, habebitur, atque si is in ea natus exstitisset. Non enim antiqua humani generis, & sanguinis, propago, sed noua per Spiritum sanctum Diuini natalis origo ciues cęlestes efficiet. Sed, unde tanta gentium, & tam ardenti studio pietatis incitata, conuersio? Ex ortu certe pueri, qui non puer, sed uir inclytus, & excelsus, in cunis habendus erit. Hoc erit Sionis amplissimum decus; hoc clarissimum glorię, atque sempiternę dignitatis, ornamentum; ex hoc Prophetarum nuntio ciuitas uniuersa uoluptatem immensam percipiet, & inexplicabili gaudio triumphabit. Dicetur enim, In ea orietur qir excellens; uir, inquam, in ea, in omni genere Diuinæ uirtutis excellens, orietur. Num Dauide maior? Num Salomone præstantior? Num omnibus, qui Iudæorum regnum tenuerunt, dignitate, & opibus, antecellet? Tantum quidem antecelłet omnibus, qui umquam opibus, & imperio, floruerunt, quantū uerbis explicari non potest. Nam illi homines tantū clari fuerunt; hic autem uir non homo tantum uerus est, sed etiam ipse Deus excelsus, qui ciuitatem ipsam Diuinis legibus, & institutis, fundauit, & sempiterno præsidio stabiliuit. Hoc effatum Diuinum testificatur; hoc admirandum gaudiū ipse Dominus uniuersę terræ denuntiat; hoc uoluit ad memoriam populorum sempiternam monumentis consignari; ne ex eorum animis tantum, atque tam Diuinum, beneficium, & munus, excideret.

Namquid Sion dicet.

Dominus narrabit in scripturis populorū.

Quid enim maius hominibus a Deo præstari poterat, quam, ut Deus ipse, qui ciuitatem sanctam condidit, in ea nasceretur? O miram, & obstupendā, Diuinę probitatis immensitatem. Deus, ut homines efficeret Diuinitatis suę participes, homo fieri uoluit, ut, mortem pro salute omnium subeundo, immortalitatem omnibus largiretur. Certe, inquit Dominus, Qui filium hominibus munificę, atque large, concesit. Cātores igitur, & tibicines, tam excellens beneficium perpetuo concentu, atque iucundissima symphonia, concelebrent; omneiq. ciues lętissimis animis carmina in Dei sempiterni gloriam modulentur. Omnes enim benignitatis meæ fontes, omnes spiritus mei derivationes, & flumina, cum donorum, & gratiarum, affluentia, in te, o clarissima ciuitas, mirifice redundabunt.

Sicut lętantiū omniū.

Domine Deus salutis meæ. Psal. 87. Apud Heb. 88.

CHristus, sub hominis sancti persona, ærumnas, quibus erat oppressus, acerbe lamentatur; multo tamen magis fidei angustias, & pictatis interitum, quam cruciamenta sua, luget. Nam crux illi tolerabilior longe fuit, quam peccati nostri deformitas, & quam religionis obliuio. Vt enim hæc mala delerer, crucem sponte subiit. Et, si dolor in illius statum beatissimum nunc cadere ullo modo potuisset, maiorem certe dolorem illi nostrum scelus inureret, quam fuit ille, quem ex maximis cruciamentis excepit. Ait igitur: Domine, cuius uirtus saluti meæ numquam defuit, die ad te semper inclamo; neque nocte quidem coram te clamare desisto. prodeat in conspectum tuum oratio mea; erige aures; & contentionem meæ uocis attende. Nam anima mea ærumnis innumerabilibus oppleta est; nitaque mea propemodum inferam regionem mortis attingit, ut sepulcro memoria mei nominis obruatur. Non pluris æstimatus sum, quam illi mortui, qui sine pompa funeris in foueam deiiciuntur; & tamquam uir fortis in acie cæsus, atque uiribus omnino spoliatus; ita, ut impendens necis periculum uitare non queat. Tamquam homo, omnibus uitæ curis morte liberatus, qui cum multitudine eorum, qui porentia tua excisi sunt, quorum memoriam abiecisti, in tumulum, in quo perpetuo decumbat, sine ulla discriminis nota, congeritur. In infimum erebi lacum me demersisti, ut profundam taeterrimæ caliginis regionem perlustracem. In me omnis iracundiæ tuæ uis, & impetus, inuasit; &, cunctis fluctibus tuis in me unum uiolenter eiectis, me uehementer affixisti. O consilii Diuini inexplicabile sacramentum. Ab innocente, qui se interposuit, ut, corpore suo, pro omnium salute plagas tuę seueritatis sustineret, pœnas nocētibus debitas exegisti, ut, qui nihil debebat, addictos pretii repręsentatione redimeret. Neque solum doloribus, & cruciatibus, me nimis atrociter afflixisti, sed etiā hostibus meis ignominia, & dedecore, lacerandū tradidisti, ut meos a me, pudore deterritos, procul expelleres, cum illis nomen meū probri maximi loco esset ab inimicis obiectum; & interim ego interclusus tenerer, ne exirem, ut dignitatem meam a calumnia uindicarem. Prę nimia afflictione, dum oculos in auxilium, quod a te flagito, diu, atque nimis uehementer, intendo, adspectus languescit; ad te totos dies inclamo; & manus meas in te suppliciter extollo. Numquid in mortuis admiranda facinora designabis? Nū, qui sempiternis tenebris sepulti sunt, exsurgēt, ut laudes tuas celebrēt? Non mors, non obliuio, non interitus sēpiternus, glorię tuę materiā prębet; sed uita benignitate tua conseruata; sed misericordię tuæ monumentū, ad hominum memoriā cōsecratum; sed eorū, qui in te positam habent totius salutis spem, immortalitas, atque gloria sempiterna. Num in sepulcro misericordię tuæ celebris mētio fiet?

Domine Deus salutis meæ.

Æstimatus sum eū descendētibus in lacū.

Posuerunt me in lacu inferiori.

Longe secesti notos meos a me.

Numquid mortuis facies mirabilia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fiet?num in interitu sempiterno ueritatis tuę constantia memorabitur?nūquid in tenebris res clementiæ tuæ nimis admirabiles innotescent? num in obliuionis sempiternæ regione iustitię tuæ splēdor lucis radios diffundet?Nō certe. Si illis igitur, qui me secuti fuerint, non ignoueris; si illis, pro quibus me tam multis laboribus, atque doloribus, obieci, spiritum uitæ minime contuleris; si eos, qui mihi nomina dederunt, in perpetuum supplicium trudi permiseris; quo tandem modo poterit genus hominum amplitudinē gloriæ tuæ contemplari? At, si, tributa peccatorū uenia, illos iustitiæ fructu cumulaueris, & ornamentis Diuinis affeceris, ita, ut in illis imago bonitatis tuæ ab omnibus spectari possit; si eis denique ad gloriā sempiternā uiā aperueris; erit nomen tuū insigni omniū laude celebratū; multique, bonorū exemplo, sese ad studiū ardentissimum tui sanctissimi nominis applicabunt. Tui igitur nominis, & gloriæ, studiū me uehemēter urget, & incendit, ut pro multorū salute uota faciā. Nam, si meum nomen tuo patrocinio destitutum fuerit; multorum fides languescet; & pietatis studium restinguetur; & homines, obruti flagitiis, interibunt. Ad te igitur clamo; opem tuā imploro; & diluculo, oratione mea, hoc tuum beneficium diebus singulis anteuertā. Cur, Domine, animam meam ope tua destituis; & faciem tuam abscondis a me? Me quidem destitues, & faciem tuam a me contuendo remouebis, quoties eos, qui in nominis mei præsidio latēt, auersatus fueris. Pauper sum ego; paullatimq. uires deficiunt; & ab adolescentia mea terrores tuos, patiētia inuicta, sustinui. Quid igitur? Pendebo semper animi; & numquā a cura, & sollicitudine, cōquiescā? Ira cundiæ tuæ impetus acerrimi in me uehementer incursarunt; & aium meum terrores, quos denuntias, oppressерunt. Totū me diem, ut torrentis, uehemēter imbribus amplificati, cursus, obsessum tenuerūt: omnes simul tempestates, undique ruentes, ita me circūuallant, ut exitum non reperiam. Hac igitur crucis offensione, multos eorum, quos mihi, & amore, & familiaritate, deuinxerā, a mea consuetudine remouisti, qui, lucem, metu afflictionis, fugientes, tenebras consectati sunt. Oratio igitur mea hanc summā habet, ne electi, qui sese mihi dediderunt, auxilij tui destitutione perturbati, a fide tandem deficiant.

Et ego ad te Domine clamaui.

Exaltatus autem, humiliatus sū

Exod. 5.

Misericordias Domini in aternum cantabo. Psal. 88. Apud Heb. 89.

MVltæ cogitationes uersantur in animis bonorum, quę fidem illorum acriter, atque uehementer, impugnāt. Verum, quo tentatio est uehementior, eo uictoriam illustriorem fides oppugnata consequitur. Nulla tamen tentatio maior esse potest ea, qua cernimus, prima quidē specie, rerum exitum cum promissis Diuinis minime cōsentire. De hoc incōmodo Moses in Aegypto conqueritur, quod, postquam Pharaonem fuisset allocutus, populi, cuius liberandi gratia fuerat missus, afflictio minime leuaretur, sed multo acerbius ingraueſceret. Similiter Hieremias quodam modo cum Deo expostulat, seq. ab eo seductum fuisse lamentatur. Ad hunc igitur modum hoc in loco uir Diuinus luculenter explicat, quot modis fides piorum hominum tentari potuisset, cum fuissent ad insignes uictorias, ad res florentissimas, ad summa gentium omnium imperia, ad spem denique felicitatis perpetuæ, Diuinis promissis excitati; & uiderent, omnia deteriora in dies fieri, imperiumq. paullatim labi, & casibus aduersis imminui; omniaq. tandem Iudæorum rebus exitium minitari. Quanta tamen constantia Deus fidem retineat, in orationis initio profitetur, & in fine sententia breuissima confirmat. Intelligit, omnia promissa Diuina, esse, maxima ex parte, ad præmia Diuina reuocanda; & præterea præsidij dilationem plerumque ad Dei gloriam, & maiorum bonorum fructum, ualde pertinere. Nam & mali interim puniuntur; & bonorum uirtus exercetur; & dilationis interimenta, bonorum amplificatione resarciuntur. In hanc igitur sententiam omnes confirmat, ut, nullis incommodis perturbati, fidem deserant. Misericordias, inquit, Dei perpetuo canam; perficiamque, ut in omnem consequentis ætatis posteritatem fides tua, Domine, oratione mea celebretur. Consequens enim est, cum misericordia tua sempiterna sit, & re, ad maiorem fidei nostræ firmitatem, ad misericordiam fidelibus adhibendam sanctissima pactione deuinxeris, ut numquam de misericordia tua dubitemus, cum sis natura clementissimus; neque fidem tuā in dubium reuocemus, cum sis in tuenda ueritate constantissimus. Sempiterna igitur misericordia, & fides, est sempiterna laudatione prædicanda. Certus igitur sum, quamuis uniuersa natura concidat, misericordiæ tuæ fructum nullis umquām seculis interiturum. Hoc enim mecum statui, misericordiam tuam esse firmo, & sempiterno, fundamento stabilitam, & ædificatam, ut nulla umquam tempestate concideret; & fidem tuam in cælo fœdere sempiterno constitutam, ut numquā laberetur. Ego, inquit Dominus, fœdus, quod sanxi, & iureiurando confirmaui, irritum fieri nullo modo patiar. Fœdus enim percussi cum uiro, quem elegi; Dauidi, seruo meo, fidem meam, iuramento confirmatam, dedi, quam numquam uiolabo. Sic autē illum effatus sum: Genus tuum in perpetuū præsidio meo fulciā, ne umquā intereat; soliumq. tuū in oīum sęculorū æternitate confirmabo. O promissi Diuini magnitudinē, Diuino, atque sempiterno, prędonio celebrandā. Cælum concidet; terra diffluet; uniuersa natura desagrabit; Dauidis autem nomen, & solium, fixum, & stabile, opibusq. Diuinis affluens, in omni æternitate permanebit. Ex his Dāi uerbis colligitur, hoc regnū cęleste, atq. plane Diuinū, fore, cū nihil intra cęli cōplexū sit, quod ęternū esse possit. Cęlites igitur mirabilia opera tua fateantur; & fides tua in sāctorū hoīum cœtu celebretur. Quis. n. est in cęlo, fide, atque potentia, cū optimo, atque præpotente,

Hier. ca. 4

Misericordias Domini in aternum cantabo.

Quoniam dixisti. In aternū misericordia ædificabitur. Dispositio firmamenti electis meis

Vsque in ęternum præparabo.

Cōfitebuntur cęli mirabilia tua

tente, Deo comparandus? Quis est in filiis Dei, uirtutis similitudine, cum Domino optimo, & maximo, conferendus? Deus est, in sanctorum concilio, maiestate, & imperio, maxime uerendus, & omnibus ministris, qui thronum illius circumstant, ualde metuendus. Summe Domine, qui cælitum agmina potestate infinita cōplecteris, quis tui similis erit? Nam Deus omnipotens es, & ueritatis tuæ comitatu circumsęptus; ita, ut neque potestas tua, cum sit immensa, possit impediri; neque ueritas tua, cum sit sempiterna, uacillare. Tu dominaris in maris insolentia, & immanitate; tu illius fluctus tumidos, & uentis inflatos, compescis; ita, ut sit tibi facillimum, turbidas hominū dissensiones, & populares insanias, ne in tuorum perniciem erumpant, coercere. Tu immanem, & importunum, tyrannum, perinde, atque si ferro concisus esset, plagis fractum, interemisti; similiter principem tenebrarum, sempiternum tui nominis hostem, brachii tui inuicto robore funditus euertisti, & illius copias dissipasti. Tui sunt orbes cælestes; tuæ sunt omnes terræ; mundum uniuersum, & omnia, quæ illius ambitu coercētur, tu fundasti. Tu regiones, Aquiloni subiectas; tu similiter eas, quæ ad Austrum pertinent, condidisti; omnes Occidentis, & Orientis, Solis plagæ, notitia tui sanctissimi nominis instructæ, laudes tuas lętissimis uocibus annuntiabunt. Consentaneum enim est, ut, cum omnes orbis terrarum regiones condideris, ad omnes similiter beneficia tua perueniant; & intelligant omnes mortales, indignissimum esse tua Maiestate, clementiam tuam angustissimis unius tantum nationis finibus terminari; & iccirco promissiones tuas ad omnium gētium salutem pertinere. Brachium tuum est robore immenso præditum. Corrobora igitur manum tuam, ut hostes in fugam uertas; excita dexteram tuam, ut inimicorum strages edas. Solium tuum est iustitia, atque iudicio, constratum; misericordia, atque ueritas, faciem tuam antecedit. Omnes enim, antequam in fontes animaduertas, clementer ad salutem uocas, ut officio misericordiæ perfungaris; & fidem, quam dedisti, fore nempe, ut ueniam ijs, quos erroris sui pœniteret, impertires, cumulatissime pręstes. Itaque semper benignitas antegreditur; seueritas deinde sequitur, ut eorum scelus, qui benignitatem tuam ingrate repudiant, ulciscatur. Ex eo autem perspicitur, omnes, quos tu seuero iudicio peruertis, culpa sua concidere. Potuissent enim ope tuæ clementiæ subleuari. Siquidem prius homines misericordiæ muneribus allicis, quam propositis pœnis exterreas. O beatum illum populum, qui tubæ sonitum, ad libertatem inuitantis, intelligit; & celeriter occurrit, ut imperatori suo, quam debet, operam strenue nauare possit. Non erroribus ullis implicabitur, nullis tenebris impedietur, quo minus rectam uiam teneat. Illam enim cultus tui lucem, o summe Domine, quæ illuminat omnem hominem, qui ad cælestem regionem modis omnibus adspirat, summo studio sequetur; & ita, splendore tam Diuini luminis illustratus, in summa iucunditate uersabitur. Homines igitur, qui magnitudinem tam excellētis muneris agnouerint, perpetuo animis exsultabunt; tuæ iustitiæ gratia, & beneficio, confirmati, animos erigent, ut, terrenis opibus contemptis, & abiectis, de cælestibus semper cogitent, & ad illas summo studio comparandas enitantur. Roboris enim sui gloriam non in se, sed in nomine tuo, collocabunt. Non enim operibus nostris obligatus, sed magnitudine tuæ ipsius gratiæ, & benignitatis, allectus, imperii nostri Regias opes efferes, inuictoq. præsidio confirmabis. Omnis enim saluris nostrę protectio, totiusq. dignitatis stabilimentum, est in Deo positū, & in sanctissimi Regis nostri præsidio constitutum, qui tuetur populum, non tam sanguinis natura, quam pietatis exēplo, ab Israele propagatum. Nō enim Regis ullius terreni opibus, & uigilantia, ualde nitimur; sed in Regem illum cælestem, atque Diuinum, quem in Sione, ut legem Diuinam perferret, constituisti, ut infirmissimum uitæ propugnaculum, intuemur. Nam, per uisi nocturni, uerissimæq. mentis, oraculum, sanctis tuis fore dixisti, ut, opera Christi tui, salutem ii, qui essent in populo tuo censi, consequerentur. Sic enim dixisti: Auxilii ferendi munus uiro fortissimo delegaui; illumq. ex populo delegi, quem in amplissimo dignitatis gradu locarem. Inueni Dauidem seruum meum; oleo sancto meo unxi eum. Vt gratia mea, unguento illo designata, Regnum, & sapienter, & uigilanter, administraret. Nam manus mea cum ipso firma omni tempore permanebit; & brachium meum illum corroborabit. Ne dolus autem, ab hoste comparatus, ad perniciem Reipublicæ procedat, sapientia præcauebit; uim autem apertam inuicta uirtute propulsabit. Itaque neque dolis umquam ab hoste callido, & uersuto, capietur, nec armis ab exercitu feroce, & infesto, frangi, & debilitari, poterit. In illius oculis inimicos eius concidam; &, qui illum odio persequuntur, nomine meo fauciati, procumbent. Numquam neque fides mea, neque misericordia mea, ab illius coniunctione dilluetur: Regnūq. illius, uirtute nominis mei, erit opibus summis amplificatum. Neque potestas illius erit certo terræ spatio definita; sed mare etiā, & flumina, dexterę suę imperio latissimo, continebit. Ille me huiusmodi uerbis affabitur: Pater meus es tu, & Deus meus, munitissimum salutis meę propugnaculū. Ego uicissim illum primeuū filium appellabo, omniumq. Regū terrę principē constituā. Cunctos enim Reges opibus, & gloria, superabit; & oēs illi tandem, sine recusatione, parebūt. Misericordiæ meę pactū, quod cū illo pepigi, in perpetuū seruabo; fœdusq. meū erga illū sæculis infinitis inuiolatū uigebit. Statui similiter, ut semē illius esset sempiternum, & soliū illius esset tēporis ęternitate cū naturę cęlestis ętate conferēdum. Quod si illius filii a studio legis meę desciuerint, uitamq. suam minime ad iudiciorum meorum normam direxerint; si decreti mei sanctitatē uiolauerint, & præceptis meis non obedierint; in illos animaduertam; & uirgam meæ seueritatis inci-

Tu humiliasti sicut uulneratū.

Thabor, & Hermon.

Brachium tuum cum potētia, firmetur manus tua.

Beatus populus, qui scit iubilationem.

Quoniam gloria uirtutis eorū tu es.

Tunc locutus es in uisione sāctis tuis.

Et ueritas mea, & misericordia. Et ponā in mari manū eius.

Si autē dereliquerint filii eius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

incitabo, ut eorum delicta coerceam; illisq. plagas imponam, ut illorum iniquitatem meritis pœnis ulciscar. Ab illo tamen misericordiam meam nullo pacto removebo; fidemq. illi datã minime deseram. Nõ irritum faciam fœdus meũ; &, quod est ex ore meo semel emissum, non immutabo. Semel iura ui in sancto meo.

Semel per sanctitatem meã iurauí, futurum, ut num quam fidem, Dauidi datam, ulla condicione fallerem. Dedi autem illi fidẽ, fore, ut semen illius esset æternum, & solium illius, in cõspectu meo, in omni tẽporis æternitate, Solis instar, clarissimam lucẽ diffunderet. Vt Lunę natura, stabilis, omni tempore, ad nocturnas tenebras, splendore suo, dispelendas, & maturitatẽ rebus afferendã, in cælo permanet; &, quemadmodum cælum minime a statu suo, ulla rerum humanarũ conuersione, deijcitur; sed fide sempiterna, ad rerum omnium, quæ intra illud sunt, conseruationẽ in orbem cõuertitur; ita imperium illius semper in tenebris etiam lucebit, & semina rerum consetuabit, & nullis sæculis interibit. Hæc sunt Diuinæ, atque sempiternę, ueritatis oracula, quę nullo modo possunt in falsum cõuerti. O promissi Diuini magnificentiam? O ueritatis Diuinæ, atque sempiternæ, constantiã? Erit ne quisquam ita mentis expers, & magnitudine infandi sceleris alligatus, qui suspicari possit, ut ea, quæ Deus ipse tam large promisit, tam sancto iureiurando confirmauit, tam sacra religione sanxit, & immmutabili decreto constituit, exitu uerisimo minime cõprobentur? Quo modo? Si de misericordia dubitamus; illa firma, cõstans, & immobilis, in cælo consistit. Si de magnitudine potestatis ambigimus; illa, cũ sit immensa, & infinita, neque uiribus auerti, neque finibus ullis terminari, potest. Quid ergo est? Promissa Diuina nõ esse ad opes' terrestres, sed ad Diuinas, referenda; & alium esse principem, ad quẽ oracula cuncta respiciunt, & alium, qui, eximiæ uirtutis exemplo, imaginem illius in hac uita gesserit; & aliud esse Regnũ, quod Deus futurum ostendit, & aliud, quod illud, similitudine quadam Maiestatis, adumbrauit. Nam, quod ad huius uitæ statum attinet, omnis hęc magnificentia (ut mente Diuinitus illustrata prospicio) exitu funestissimo concludetur. quod tamen lamentor; & a Deo meo contendo, ut tantis malis finem imponat, & Israelis nomen, & opes perfidia amissas, per fidem rursus instauret: quod tandem futurum confido. Nam, quod ad pactionẽ, de opibus humanis factam, pertinet, multa succurrunt, quæ mentes nõ mediocri animi motu conturbãt; multorumq. animos sollicitos uehemẽter habẽt. Tu uero repulisti. Nam deseruisti, Domine, & contempsisti, iraq. tua perculisti, & abiecisti, ipsum Regem, quem delegeras, oleoq. sanẽto perunxeras. Setui tui fœdus fregisti; diadema eius in terram, ut rem pollutam, & contaminatam, proiecisti. Filios enim eius hostibus in seruitutem addixisti, cum fidem tuam adstrinxisses, ad Regnum, atque semen, illius, status immortalitate, stabiliendum; & nomen illius, æternitate, consecrandum. Omnia illius sępimenta cõuellisti; munitiones illius uniuersas perfregisti; omnes illius opes sunt cunctis rapinæ, & direptioni, qui circumquaque gradiuntur, expositę. Destruxisti omnes sępes eius.

Posteri illius non solum bonis euersi, & cunctis opibus spoliati, uerum & insigni dedecore, & ignominia, notati sunt; ita, ut illos uniuersa ciuitas, ut malum auspicium, detestetur. Inimicos in illius perniciem potentia, atque uiribus, extulisti; & de illius casu, atque ruina, hostibus insignem lætitiæ materiam præbuisti. Aciem gladii eius retudisti, ne ullam in prœlio cædem faceret; ne ue umquã uictor e pugna discederet. Religionis, & sacerdotij, puritatem, atque sanctimoniam, ab illius statu remouisti; solium illius Regium in terram deiecisti, ut ægre scelus possit muneribus sacris expiari, neque uita Regio præsidio, atque defensione, muniri. florem, atque robur, iuuentutis illius in artum contraxisti: breuissimo namque tempore Regnum illius, & religionis studio, & armorum gloria, floruit: at nunc, cum & religio sit denigrata, & uniuersa gens hostium impotenti dominatu miserabiliter oppressa; reliquũ est, ut, pro breui temporis antiqui gloria, diuturno dedecore, & ignominia, deformetur. O rem miseram: Eo fuisse redactam, gentis, olim Deo carissimæ, & florentissimæ, nobilitatem, ut eius nomen maximæ contumeliæ seruiat; uixq. sit ullum conuicium, quod magis probro esse possit, quam Iudæi nomen, cum in aliquem, qui ad genus idem pertineat, petulantius infertur? Ingens crimen, maximum scelus, infandum facinus, illud certe fuit, quod tantam numinis iram in nostram gentem concitauit, ut illam non modo cæde, exilio, uastitate, conficeret; sed etiam omni dedecore, & contumelia, laceraret. Esto. Impii, & scelerati, qui nolunt ad officium reuerti, pœnas dent. Quid illis facies, Domine, qui pro tui nominis gloria atrocissima supplicia patiuntur? Vsque quo te perpetuo continebis, ne nobis uultum tuum propitium ostendas? quamdiu ira tua in nos, instar ignis, exardescet? Veniat tibi in mentem humanæ uitę breuitas, quę dilationem remedii non patitur. Periculum enim est, ne prius ego e uita discedam, quam finem cladis huius, quæ gentem meam crudelissime uexat, adspiciam. Nũ in eum finem homines creauisti, ut, cũ nullũ fructũ ex uita perciperent, in miseriam tandem sempiternam truderentur? Quis est uir, qui tueri uitam possit, & uim importunam mortis arceat; animamq. suam e locis inferis, ubi sempiternæ mortis imperium uiget, eripiat? Vnus certe, qui morti tandem interitum afferet, &, ab inferis excitatus, non animam tantum suam, sed multorum etiam animas, in cælestem lucem, Diuina uirtute, uindicabit. Fac igitur, ut, illius tandem fide nixi, e tenebris eruamur; & salutem, cum pristina dignitate, recuperemus. Vbi sunt antiquæ miserationis officia, qui bus te minime Dauidi, seruo tuo, defuturum, & fidei sanctitate, & iuris iurandi religione, confirmasti? Recordare, quibus contumeliis afficiantur serui tui, quorum dedecus meum dedecus esse puto: itaque sinu meo compressa habeo multorum populorum conuicia, & maledicta; ut, cum fuerit opportunum, uindictam efflagitem. Hostes enim tui, Domine, contu-

Destruxisti cum ab e mũdatione

Memorabi dies temporis eius.

Quis est ho mo, qui uiuit, & non uidebit mortem?

Vbi sunt misericordiæ tuæ, Domine.

Vsqueqo, Domine auertis in finem. Memorare quæ mea substantia.

Exprobrauerunt cõmutationẽ Christi tui.

contumelias intorserunt, & maledictis insectati sunt uestigia Christi tui. Hæc quidem fermesunt, quæ mihi in mentem uenerunt, quibus multorũ fides uehemẽter oppugnatur. Quibus malis opus est ut remedium celeriter afferas, ne multi, labefactati, de statu tandem conuellantur, atque deficiant. Ego tamen, quamuis innumerabilia contra fidem meam bellum gerant, numquam a fide deficiam. ueritas enim tua fixa, constans, & sempiterna, in omni sæculorum æternitate uigebit; & ea, quæ promisisti, exitum felicissimum consequentur. Dominus igitur sit in perpetuum Diuina ueritatis, & misericordiæ, laude cumulatus. Ita certe fiet; &, sine ullo dubio, id ita futurum, confido.

Domine, refugium factus es nobis. Psal. 89. Apud Heb. 90.

QVid est miserabilius homine? Natura fragilis, & imbecillus, & immortalitatis nimis appetens, mortem horret, & est uehementer de uita sollicitus; &, cum uitam sempiternam assequi per se non possit, angitur, & afflictatur; & ex rebus fluxis, & interituris, immortalitatem petendã existimat. Itaque alius cõgerit (quantum potest) immanes opes, ut genus nobilitet; alius ædificat, magnisq. sumptibus exstruit ædes, atque palatia, quibus nomen suum hominum memoriæ cõmendet; alius nomen suum incidi in marmore facit, ne facile possit obliuione deleri. Qui altiore animo sunt præditi, in eo uehementer elaborant, ut uel rebus admirandis bellicis in rebus gestis, uel ingenii monumentis, nomen suum immortalitati consacrent. Omnes autem in summa uanitate, & nimis anxia curarum acerbitate, uersantur, nullumq. fructum, in quo possint acquiescere, ex tã assiduo labore, & afflictatione, percipiunt. Opes, cum summa difficultate, & inuidia, comparantur; & huc & illuc, uariis casibus, & ancipiti euentu, transferuntur; ædes corruunt; marmoribus incisæ litteræ, uetustate temporis exeduntur; posteritas, uel, patriis opibus euersa, conflictatur inopia; uel opes, quibus affluit, in nequitia consumit; uel, in principem generis ingrata, nouitatem illius spernit, neque facile auctorem suæ nobilitatis agnoscit; uel postremo nomen illius ignorat. Quotus enim quisque est, qui atauos suos nominare possit? Quid de rebus, quæ uidentur ad memoriã nominis insignes, ediseram? an non omnes, & posteritatis ignauia, & nimia temporis uetustate, obliuionis, tandem tenebris sempiternis obruuntur? Quid autem amentius, quam, cũ omnia, quæ cernimus oculis, mortis importunę legibus adstricta sint, in illis immortalitatem exquirere? quod quidem perinde est, atque si quis in glacie ignẽ quæreret; aut in ardẽtissimis interioris Libyæ solibus niuẽ importune flagitaret; aut rapidissimi fluminis cursum manibus sistere conaretur. Qui igitur immortalitatẽ uehementer expetit, mortalia contemnat; immortalia, atque Diuina, suspiciat; & mentis altitudine eo penetret, quo neque mors adspirat, neque dedecus adscendit, neque obliuio repens inducitur. Illius enim tantum nomen erit sempiternum, qui in studium iustitiæ, & pietatis, incumbit, & curam numinis sanctissimi, & ardenter, & uigilanter, & uigilanter, & pure, colẽdi, totis uiribus amplexatur. Hoc autem studium ut in mentibus humanis defigat uir Diuinus, Mosem, huius sententiæ auctorem præclarissimum, de huius uitæ breuitate, & miseri js, luculentissime disserentem, inducit, ut nos a rebus inanissimis ad uera, & solida, atque sempiterna, bona traducat? Sic autem inquit: Domine, huius quidem uitæ res sunt fluxę, & instabiles, & periculis innumerabilibus obiectæ; & humanæ mentes ea de causa curis acerbissimis affliguntur, & molestiis assiduis intabescunt: uerum nos, qui tua clementia nitimur, facile curas repellimus, cũ in te aciem nostræ mentis intendimus. Tu namque es nobis domicilium munitissimum, in quo tranquillitate summa perfruimur; & hoc non nobis primum fuit a benignitate tua tributum; sed hoc tanquã legitimum patrimonium a patribus nostris accepimus, qui, tua misericordia conseruati, hanc nobis pietatis hereditatem tradiderunt; quorum monitis, & exemplis, instituti, te unum ueremur, & colimus, & amamus, & in te solo omnem spem salutis, cum fide firma, reponimus. Hac eadem disciplina liberos nostros imbuimus, ut non tam humani patrimonii, quod quidem est tenuissimum, quam Diuini, quod est amplissimum, & sempiternum, heredes exsistant. Tu enim es infinita clementia præditus, qui misericordiam, tributam parentibus, ad uniuersam posteritatem, quæ maiorum pietatem sectatur, extendis. Neque enim es Deus recens, & opinionibus uagis, & errantibus, adscitus, quales sunt ii, quibus gentes Diuinæ, claritatis ignarę, Diuinitatem tribuerunt; sed Deus uerus, & sempiternus, cuius potentia omnia designata, condita, & constituta, sunt.

Domine refugiũ factus es nobis.

Prius quã montes fierent.

Nam, antequam montes exsisterent, ante quam terra, & mundus uniuersus, oriretur, ex omni æternitate, semper idem Deus omnipotens, & immensus, eras, quemadmodum & nunc es, & idem, tibiq. simillimus, in omnia sęcula, sine ullo fine, permanebis. Tu solus igitur es natura constans, immutabilis, atque sempiternus. Cum autem mors animantibus cunctis impendeat, tum uel maxime hominibus, & illis præcipue, qui maiores quosdam spiritus assumunt, est longe maior illius metus, atque terror, iniectus. Omnes enim per te, ex insolentiæ gradu deturbati, in puluerem tenuissimum redigentur. Nemo enim erit a morte liber, & immunis: si quidem omnes, sine ullo discrimine, sunt illius sententiæ pœnis obnoxii, quam contra Adam, uniuersi generis humani parentem, propter legis contemptionem, protulisti, ut morte tandem exstingueretur, qui se a uita disiunxerat: Reuertimini, inquies, o homines, in puluerem; e puluere fuistis assumpti. Consequens igitur est, & naturæ corporis uestri consentaneum, ut in puluerẽ redeatis. Neque multum interest, quanta sit præsentis uitę diuturnitas. Cum enim ad

Ne auertas hominẽ in humilitatẽ

Et dixisti: Conuertimini filii hominum. Quoniam mille anni ante oculos tuos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

finem peruenitur, præteriti temporis spatiũ, cum omnino diffluxerit, perinde est, ac si numquam fuisset. Omnia continẽter labuntur, & fluunt, & mortis uiribus occupãtur; & nihil ex eo, quod rapido cursu præteriit, retinetur. Omnia uero, quæ spatio terminantur, ad ęternitatem collata, pro nihilo ducenda sunt. Nam mille anni in conspectu tuo, est, quemadmodũ hesterna dies, quę præterfluxit; atque adeo tamquam nocturna uigilia, quæ breui noctis spatio definitur. Quod si quisquam ad mille annos uitam producere potuisset, illud tamen spatium, cum effluxisset, esset pro nihilo putandum. Quid igitur erit de communis uitę breuitate dicendum? Illos plerumque morborum tempestas, per te inuecta, prosternet; illos curis afflictabis, & celeritatem mortis incitabis; ita, ut illorum uita, non uita, sed somnium quoddam, atque nocturnum uisum, quod hominibus imperitis illuserat, existimandum sit. Tamquam herba, quæ, specie uiriditatis, mane quidem oculos allectat, adueniente autem Solis æstu immutata conficitur. Mane quidem floret; deinde, solibus immutatur; postremo, falce succiditur, atque tãdem exarescit. Sic est hominum uita. Numquam in eodem statu manet; in iuuentutis flore speciẽ amœnitatis præfert; deinde, & ætate, & uariis curis, & moribus, intabescit; & paullatim, ætate ingrauescente, uires minuuntur; atque tandem, inopinato mortis aduentu, conciditur. Ira tua in dies conficimur; & indignatione tua conturbamur. Nam, cum parentem nostrum, qui legem, quam illi dedisti, transiliuit, tyrãnidi mortis addixisti, peccati illius contagio ad omnẽ illius posteritatem pernasit; & ita, cũ simus peccati illius heredes, irę tuę continuata seueritate, eisdem pœnis affligimur. Cum uero mortalem condicionem, morbi, labores, dolores, ægritudines, metus ancipites, spes inanes, cupiditates effrenatæ, amores, & odia, & reliquæ huiusmodi pestes, consequantur; necessario fit, ut uariis perturbationibus afflictemur. Cum uero multa nos incommoda uehementer exerceant; tum scelerum, & flagitiorum, conscientia maxime animos nostros exterret. Oẽs enim iniquitates nostras in tuo conspectu statuisti; quę in tenebris gessimus, ut oculos hominum uitaremus, in lumine uultus tui dilnescunt; occulta in lucem prodeunt; secreta palam fiunt; nihil denique est abstrusum, & abditum, quod nõ sit in conspectu Maiestatis tuæ prolatum, & euolutum. Nostri igitur sceleris offensiones sunt in causſa, ut ira in nos tua acrius incitetur; & uita nostra finibus anguſtioribus includatur. Si enim hominum uita longior fuisset, homines, mortis timere sublato, licentius in omnium scelere flagitiorum uersarentur; &, quo diutius uitam propagarent, eo grauiore miseriarum colluuie turbarentur: siquidem nihil est peccato calamitosius, & turbulentius. Itaque dies nostri ira tua paullatim minuuntur; anniq. nostri, instar motus inanis animi, deficiunt, & euanescunt. Spatium uitæ nostræ, si non prius, repentina clade, aut morbo inopinato, conficitur; magis minus annis septuaginta termi natur; robustiores uero ad annos octoginta termi num uitæ proferunt. Huius tamen temporis, tam breui spatio definiti, maxima pars est curis tristissimis, atque laboribus, afflicta, &, quod longe grauius est, iniquitatibus acerbissimis oppressa; & sic tandem confestim excidimur, cum celeritate diffluimus, & festinanter anolamus. Quis poterit iræ tuæ uim explorate cognoscere? Nec enim minoris ponderis est indignatio tua, neq. minus extimescenda, quam illi, qui nomen tuum metuunt, cogitatione, atque meditatione, sua consequuntur. Eruditi nos prudentiæ institutis; instrue monitis, & exemplis, ut breuitatem uitæ cogitemus; ut nos numeremus; miserias huius ęculi in memoriam redigamus; ne, uanissimis opinionibus inflati, æquitatis, & iustitiæ, studium deseramus; immo, rebus interituris omnino contemptis, & abiectis, ad immortalitatem, animis inflammatis, rapiamur. Hoc tamen nullo modo, absque singulari uirtutis tuę præsidio, conabimur. Si enim nihil sine te possumus, & iniquitates nostræ a nobis te abalienauerint; si fueris a præsidio nostræ salutis auersus; quo animo, qua fiducia, qua spe, tantum munus aggrediemur? Reuertere, Domine. Quousque tandem? Sed nolo quidquam grauius omina ri. Seruis tuis ignosce; & iis, qui opem tuam adeo uehementer implorant, te propitium præbe; & fac, ne rebus terrenis affixi simus, sed perpetuo cælestia meditemur. Ne differas auxilium, sed, simul atque mane inclamauerimus, nos gratiæ tuę muneribus exple, ut te ore pleniſsimo laudemus, omnesq. dies uitæ nostræ in summa lætitia traducamus. Sic igitur miseræ uitæ breuitatem spiritus tui iucunditate consolabimur; nihilq. interuenient tam asperũ, & acerbum, quod statum nostrũ labefactet. Multis tu quidem nos ærumnis afflixisti; multa mala in nos assidue comparata perspeximus: fac igitur, nunc, ut omnia per te læta, fausta, & felicia, sentiamus. Ostende seruis tuis iam tandem opus illud tuũ, omnium maximum, & maxime admirandum, quo humanum genus a peste sempiterna redimes; eorumq. filiis gloriam tuam, expressam uidelicet tui splendoris imaginem, conspiciendam propone. Illa igitur Diuinæ claritatis effigies, & pulchritudo, e splendore patris exorta, nos spiritus sui splendore lætificet; & manuum nostrarum opera in rectum finem dirigat, ut ex illis immortalitatis fructum capiamus: Pater inquam, & Filius, simul cum Spiritu sancto, manuum nostrarum opera confirment, ut ad salutem sempiternam ualeant.

Quia deferimus in ira tua.

Posuisti iniquitates nostras in cõspectu tuo: facului nostri in illuminatione uultus tui.

Quoniam omnes dies nostri defecerunt.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur.

Quis nouit potestatem iræ tuæ.

Dexteram tuam sic nota fac.

Cõuertere Domine, usquequo?

Repleti sumus mane misericordia tua.

Respice in seruos tuos & in opera tua.

Qui habitat in adiutorio Altissimi. Psal. 90. Apud Heb. 91.

EST profecto iusti hominis dignitas, & amplitudo, mirabilis. Dei enim & seruus, & amicus, & filius, appellatur; illum angeli tuentur; Dei filius, illius apud patrem aduocatus est; illum fratrem appellat, & secum bonorum omnium communione consociat. Non igitur nimis absurde multi

multis uiri, sanctis litteris eruditi, Psalmum hunc in laudem cuiuslibet uiri sancti scriptum asseuerant. Nos tamen, orationis amplitudine commoti, ea mente sumus, ut hęc omnia ad summum iustitiæ principem, & auctorem, præcipue referenda iudicemus. Is enim solus est, quem numquam hostiles insidiæ in fraudem impulerunt; neque uires immanes hostium infringere potuerunt; neq. fuit umquam a Dei præsidio derelictus; nec aduersarij ferocis, & infesti, minas extimuit; sed ipse potius innumerabiles hostium copias inuicta uirtute dissipauit. Quod autem hoc Diuinũ præconium maxime ad Christum pertineat, teste nequissimo, in hac tamen causſa fide dignissimo, conuincam; nempe, diabolo. Numquam enim ullam huius loci sententiam ad Christum decipiendum arripuisset, nisi certum habuisset, eam esse ad Christum referendam. Si, inquit, Dei filius es, mitte te deorsum. Sic enim scriptum est: Angelis suis imperauit de te, ut manibus suis ferant te, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Hęc oracula si in quemuis hominem iustum omnino conuenirent, numquam hostis callidissimus ex illis fallendi materiam arripuisset. Vt autem magis hęc sententia probetur, lectorem admoneo, ut orationis huius momenta ex actissime perpendat, & uideat, in quod facinus de mille hostibus siniſtra manu stratis, de decem millibus dextera inuictissima dissipatis, hoc est, de hostium innumerabili multitudine interneciuo bello deleta, quadrare possit, nisi in stragem, quam edidit Christus, cum mundi principem perdidit, afflixit, spoliauit; omnesq. illius copias in effusam fugam coniecit.

Matth. 4.

Iam illud, de leonis immanitate profligata, de dracone pedibus compresſo, & elisſo, in quẽ aptius conueniet, quam in Satanam, humani generis hostem sempiternum, quem summus imperator noſter uirtute Diuina contriuit? Intelligendum tamen est, in hoc carmine personas a poeta sanctissimo uarie commutari. Auctor in principio loquitur; deinde Christum loquentem inducit; patrem etiam non semel interponit; & actiones ita commiscet, ut nihil esse possit iucundius. Oratio est crebra sententiis; illustrata luminibus; ornata figuris; atque adeo concinna, ut ad summã elegantiam nihil in ea requirendum sit. Ait igitur Propheta: Qui in Altissimi Dei tutela, & patrocinio, tamquam in domicilio tutissimo, latet, nullũ casum extimescet, cum in omnipotentis Domini præsidio commoretur. Non enim is est, qui uarius, & inconstans, sit, &, cum aliquo tempore in fide manserit, cuiusuis emolumenti specie commotus, inde demigret, sed qui stabilem sibi sedem in gratia Diuina collocet. Verum inquit ille: Sic enim Deum semper alloquar: Tu es spes mea firmissima, tu arx mea munitissima, tu denique Deus meus es: hoc enim nomine sanctissimo, & augustissimo, summa bonorum omnium continetur. Numquam igitur frustratione deludar; numquam ulla me periculorum formido conturbabit; numquam bonis ullis summis, atque sempiternis, destituar. Nec enim fidem in humano præsidio locabo; sed omnem salutis spem in ipso summo, & uerissimo, & sanctissimo, Deo constituam. Recte, inquit Propheta, ista fidei numquam uiolatæ constantia tuæ salutis securitati, & dignitatis amplitudini, prospexisti. ipse namque te liberabit e uenatoris laqueo, & a funestissimæ pestis immanitate. Nec enim imbecillitatem in te naturæ captare poterit calumniæ parens, cum nullam omnino labem uel nascendo, uel agendo, contraxeris: nec te in pestiferum facinus impellet umquam, cum tam insigni sapientia, atque uirtute, præcellas, ut non queas ullis dolis, aut uiribus, de statu iustitiæ conuelli. Vt enim uolucres, de uita pullorum sollicitæ, eos alis suis protegunt; ita Dominus ipse, cui te totum credidisti, atque commisisti, te extensis alis tuebitur, &, sub illius pennis collocatus, nullius rei, quantumuis horribilis, atque metuendę, pauore contremisces; sed semper, in omnium etiam rerum uastitate, & inflammatione, in securitate sũma uersabere. Dei enim fides, qua maxime niteris, erit tibi pro scuto, & clypeo, quo facillime omnes hostium mucrones, atque tela, retundas. Nocte, repentinos hostium incursus non extimesces; & die, sagittæ uolantis impetum minime formidabis. Pestem, quæ in tenebris, & caligine, serpit, ut multos mortales mortifera lue conficiat, facile contemnes; minas excisionis, & uastitatis, quæ ferociter ab hoste immani, & importuno, meridie iaciuntur, animo excelso, & inuicto, despicies. Nam nec insidiæ hostis fallacissimi, contra te fraudulenter intentæ, procedent; nec acies instructæ te poterunt multitudine exercitus obruere. Vtrumque sempiternus hostis experietur. Primum enim, te dolis, & fraudibus, aggredietur, quem admirabili sapientia refutabis. Deinde, multitudinem perditorum hominum in te concitabit, & summo conatu supplicia comparabit, ut uirtutis tuę uim truculentia sua perfringat; sed semper, uictus, cum insigni dedecore, & ignominia, discedet. Cum in principio lentius te ad ineundum prœlium accinxeris, a latere tuo siniſtro hostes mille, uirium tuarum robore strati, concident. Cum deinceps ad pugnam acrius exarseris, ad dexteram tuam decem millia cadent: & ita fiet, ut numquam pugnando deficias; sed, quo longius pugnandi ardor progressus fuerit, maiores strages efficias, & nullus belli casus aduersus uictoriam deformabit. Vires enim tuæ inuictissimæ sunt, nec ullo tempore frangi, & debilitari, poterũt. Superabis hostes immanes; sternes acies; delebis tyrãnidem; extingues monstra; prosligabis inferorum copias; & ex omnibus bellis clarissimam uictoriam consequeris. Oculis tuis certe, inquit Dũs res admirandas adspicies; &, quam acerbas pœnas ab impiis, qui te persequuntur, nomenq. tuum maledictis omnibus proscindunt, reposcam, animaduertes. Omnes enim, qui in te furenter incursant, æterno supplicio mactabuntur. His quidem uerbis Dominus Christũ suum impellit, & incitat, ad suscipienda facinora; certissimamq. illi spem uictoriæ, & sempiternæ claritatis, ostendit. Quid ad hęc Christus? Minime mirandum est, inquit, Domine: omnes enim res præclarę, tuo cõsilio, numine, benignitate, gratia, gerun-

Qui habitat in adiutorio Alt.

Dicet Domino, susceptor meus es tu.

Quoniam ipse libera uit me.

Scuto circumdabit te ueritas eius.

Cadẽt a latere tuo mille.

Verũtamẽ oculis tuis cõsiderabis

Quoniã tu es Domine spes mea.

Universidad de Deusto
Biblioteca

geruntur. Cum igitur ego nihil umquam, nisi ex uoluntate tua, administrandum suscepérim; cum a me ipso nihil umquam deprompserim, sed omnem mentem meam in tua lege, & spiritu, defixerim; cum nullis humanis opibus nixus sim, sed omnem spem meam in te solo posuerim; reliquum erit, ut tu, in me manens, opera admirabilia designes, & ad exitum perducas. Strages igitur, quas edidi; uictoriæ, quas adeptus sum, ad gloriam tuam referendæ sunt. Non erit igitur mirum, si numquam hostes me de statu deiicere, & furoris impetu peruertere, ullo modo potuerint; cum uero mihi pestem machinarentur, omnes illorum conatus fuerunt inanes, quia tu domicilium, & sedem, tibi in loco excelso, & edito, constituisti; & ego non alibi, quam in domo tua, conquiesco: quo nullus hostium furor adspirare umquam poterit. Hoc in loco uir Diuinus, uehementer admiratus, exclamat, & inquit: O princeps beatissime, quis tui status amplissimi felicitatem explicare, dicendo, poterit? Cum enim sis Deo, summo bonorum omnium principi, & fonti, indissolubili fœdere copulatus, nullum umquam in te malum incursabit, nec ulla umquam plaga in tabernaculum tuum penetrabit, cum sis ab ipso summo Domino, qui animo tuo insidet, singulari uigilantia defensus. Non solum igitur erit animus tuus ab omni plaga Diuinæ seueritatis immunis, sed neque corpori tuo, quod est numinis sempiternit abernaculum, erit aliquod uulnus Diuinæ ultionis inflictum, quod te ab illius coniunctione diuellat. Angelis enim suis imperauit, ut in omnibus studiis, & actionibus, tuis te sectarentur, & custodirent, manibusq. suis ferrent, ne pede ad saxũ offenso cõcideres. Nũquã igitur laberis; numquam uacillabis; sed recta semper, quo tendis, absque ulla offensione, gradieris.

Altissimũ posuisti refugium tuũ

Non accedet ad te malum.

Quamuis autem uiam truculentæ belluæ, atque uenenatæ, serpentes, insideant, nullo modo poterunt actionum tuarum cursum remorari. Pardi enim uires elides; basiliscum pedibus proculcabis; leonem dissecabis; caput Draconis conteres; & omnes denique potestates aduersarias, ex inferorum penetralibus, ad hominũ perniciem, emissas, insigni uirtute contundes, atque debilitabis, ne possint ullo modo illos, qui te, inflammato studio, sequuntur, uel uiribus in seruitutem abducere, uel disciplinis uenenatis inficere. Sic est, inquit Dominus, a me, immutabili decreto, constitutum. Nihil enim humile cogitat; terrenas opes non expetit; uoluptates non exquirit; una tantum cupiditate rapitur, ut mihi seruiat, & omnia illius consilia, & studia, ad mei nominis gloriam conferantur; & ideo illum perpetuo ab omnibus insidiis hostium, & cunctis malis, eripiam; &, quia nomen meum cognouit, ita, ut maiestatem uerea tur, & bonitatis amore uehementer inflammetur, illum in altissimo dignitatis, & amplitudinis, gradu collocabo. Cum fuerit in summas angustias adductus, in mediis cruciatibus opem meam implorabit, & illum exaudiã, & me illi præsentẽ cõtinuo sistam, ut illũ omni dolore liberem, & in gloria summa constituam: dierum æternitate illum cumulabo, & salutẽ meã, ad cuius semper cupiditatẽ exarsit, illi demonstrabo, ut clarecernat, multos mortales, illius meritis, & sanctitate, in cælũ euehi, ut non solũ salui sint, sed summa etiam gloria, & dignitate, æuo sempiterno, perfruantur.

Quoniã in me sperauit.

Bonum est confiteri Domino. Psal. 91. Apud Heb. 92.

SApientiæ quidem cupiditas ita est in animi cuiusque sensibus insita, ut euelli nulla condicione possit. Sapiẽtiæ autem munus, & officium, est, uitam recte moderari. Is autẽ uitam recte moderatur, qui omnia studia in ultimum uitæ finem recte dirigit, neque uiam deserit, usque eo, dum id, quod sapienter expetit, felicissime consequatur. Omnes autem, siue boni, siue mali, beatam, atque sempiternam, uitam ardentissime cupiũt. Qui ad eam igitur recta peruenerunt, soli sunt sapientes existimandi; qui uero ab ea secluduntur, sunt amentissimi. Porro autem uitam beatam neque auari obtinebunt, neque iniusti, neque ambitiosi, neque denique ille, qui malitia, & improbitate, ad magnas opes enititur; qui, ingenij acumine subnixus, animum ad fraudes, cum celeritate, uersat, ut magnum in rep. locum obtineat; qui denique, terrenis curis implicitus, oculos in cælum non intendit, neque sibi quidquam de sempiterna uita cogitandum putat. Quis ergo sapiens est? Ille profecto, qui ea mentis altitudine præditus est, ut omnia uitæ communis emolumenta despiciat, & cupitate immortalitatis inflammetur. Hac autem animi magnitudine firmatus esse non poterit, nisi illam a Deo fuerit consecutus. A Deo autem nullum bonum consequi poterit, nisi accepta beneficia, grata, atque memori, uoluntate secum assidue retractauerit. Vt enim beneficiorum immemor, & ingratus, est omni beneficio prorsus indignus, ita, qui beneficiorum memoriam summa fide conseruat, quæ ualet, sibi poterit de summo rerum omnium Domino polliceri. Vt enim semper est ingratis infensus; ita gratis omnia bona magnificentissime largiri solet. Vnde colligitur, uerissimam, & salutarem, sapientiam in animi grati studio, & in Diuinorum munerum recordatione, consistere. Hoc est, quod Diuinus uir hoc in loco Diuinitus edisserit. Carmen autem hoc (ut titulus illius declarat) sabbato fuit, harmonia singulari, in templo, decantatum: ut intelligatur, quod est sæpius in lege repetitum, ideo fuisse dies festos institutos, ut publice Deo gratiæ, pro beneficiis acceptis, agerentur; non, ut otiũ in nequitia consumeretur. Sed præstat, Diuinum uirum audire, quam otij turpis ignauiam, & flagitiosam obliuionem, pluribus uerbis insectari. In hanc igitur sententiam ostendit, quod uerum bonum sit existimandũ. Bonum, inquit, est, non deliciis affluere; non copiis, & opibus, abundare; nõ florere apud homines gratia; nõ denique in Rep. dominari; sed summam Domini beneficentiam mente gratissima cõfiteri, & excelsi, atque præcellentis, Dei nomen carmine perpetuo, & concentu iucun-

Titulus Psalmi.

Bonum est cõfiteri Domino.

iucundissimo, celebrare. Hoc igitur studio teneor; hac cupiditate mirabiliter incensus sum; ut tibi, Domine, gratias semper agam. Et hoc munus non erit mihi segniter, atque negligenter, obeundum. Continet enim negligentia, in rebus Diuinis, animi ingrati, & flagitiosæ obliuionis, argumentum. Sed operam strenue nauabo, ut officio tam præclaro diligentissime, atque uigilantissime, perfungar. Diluculo igitur euigilabo, ut misericordiam tuam prædicem, & fidei tuæ laudes, nocte etiam, admodum grata oratione, commemorem. Misericordiam quidem, quod opem mihi, cum essem miseriis oppressus, attuleris; fidem uero, quod omnia, quæ spopondisti, & recepisti, cumulate præstiteris. Tantus autem est ardor animi mei, & tam aore, & incitatum, tui celebrandi nominis studium, ut neque uox, neque cantus ullus, nec organa musica mihi satisfaciant. Perficiam tamen, quantum potero, ut omnibus signis, quibus sim flammis incensus, aperiam. Ad decem chordarum igitur instrumentum, ad testudinem, ad grauioris organi concentum, ad citharam, laudes tuas iucundissime canam. Magnam enim mihi uoluptatem, & lætitiam, ex actionum tuarum meditatione, contulisti; &, in commemoratione operum, quæ manibus tuis effecisti, mirabiliter exsultabo. Quam ampla, & illustria, sunt opera tua, Domine? & consilia sapientię tuæ, quam procul sunt ab humana cogitatione remota? Nihil tamen sine summa ratione designas, moliris, & efficis; ut, quæ non sunt, exoriantur; quæ sunt, tempore definito cohæreant; quæ sunt ordine constituta, conseruentur; quę sunt inordinata, in ordinem reuocentur; & omnia tandem in tuorum salutem, atque dignitatem, dirigantur. Hæc insipiens non intelligit; hoc stultus non considerat; & ita fit, ut uel te, per summum scelus, iniquitatis insimulet; uel, per summum mentis stuporem, omnia fortunæ temeritate gubernari, constituat. Hoc autem est impietatis seminarium; ex hac rerum Diuinarum ignoratione omnes sectæ pestilẽtes oriũtur; hinc omnia scelera ad perniciem generis humani proruperunt. At, quem fructum homines amentissimi, qui sibi sapientiam in summa dementia nimis insolenter arrogant, ex stultitia adeo detestabili, & exsecranda, percipiunt? Hunc certe. Vt, quamuis inani specie dignitatis uulgo florentes esse uideantur, momento temporis de gradu deturbentur, & miseriam sempiternam subeant. impij namque uiriditate quadam splendent, ut herba; qui iniquas actiones suscipiunt, opibus, & potentia, florent, cum, subito, repentina uastitate, consumpti, in sempiternum exitium detruduntur. Omnis siquidem hominis splendor exstinguitur; opes auferuntur; potentia deletur; tu uero, summe Domine, in omni ęternitate Deus idem semper es; & gloria sempiterna circumfluis. Vnde sequitur, ut, qui rebus tam fluxis, tam inanibus, tam fallacibus, addicuntur, sint stultissimi; qui uero te unum intuentur, & in te omnem spem salutis constantissima fide reponunt, sint sapientiæ laude præcellentes. Eas enim opes ardentissimo studio consectantur, quæ nullis umquam

Ad annuntiandũ mane misericordiã tuã.

In decachordo Psaltetio.

Quia delectasti me Domine in factura tua

Cum exorti fuerint peccatores

sęculis interibunt. Ecce inimici tui, Domine, (iure Inimicos tuos appello, qui mihi, quem tu tam multis muneribus, & ornamentis, affecisti, infestissimis animis aduersantur) inimici, inquam, tui peribunt; &, qui iniquitatem summo studio moliuntur, funditus euertentur; & eorum opes, calamitatibus improuisis dissipatæ, ex oculis euanescent; ut conuincatur eorum, qui multum in illis innitebantur, amentia. At uero Regni mei opes, & magnificentiam, Vnicornis fortitudine, & robore, confirmabis. Vt enim Vnicornis, horribilis, & ualde metuendus, est cunctis animantibus, & a nullo umquã, superatur; sic ego ope tua ero semper inuictus. Gratia enim tua sum multo magis, quam legis unguento, delibutus; &, hoc tam sacrato oleo perfusus, figuram, & imaginem, gero illius, quem Spiritu sancto, & Diuinæ uirtutis amplitudine, perunges. Oculus meus interitum cernet eorum, qui contra me furenter insurgunt; & maleficorum hominum calamitosam ruinam aures etiam meæ percipient. At iustus, qui, uanitate contempta, & abiecta, totus in studium pietatis, & religionis, incumbit, ut palma florebit, &, tamquam cedrus Libani, maximis incrementis augescet. Qui enim sunt consiti in domo Domini, in atriis Dei nostri mirabiliter efflorescent. Neque senectus eos conficiet; sed, quo magis ætate progressi fuerint, eo maiores, & uberiores, fructus efferent, & etunt semper & opibus opulenti, & dignitatis amœnitate conspicui. Eorum igitur honore, & amplitudine, clare uidebitur, quam iustus sit Dominus, in quo robur meum habeo constitutum, & intelligetur ab omnibus, iniquitatem, illum perennem æquitatis totius fontem attingere nulla ratione posse. Patebit enim, illius iudicio bonos ad summam gloriam destinari, & improbos cum insigni seueritate peruerti.

Quoniã ecce inimici tui Domine

Et exaltabitur sicut unicornis cornu meũ

Et senectus mea in misericordia uberi.

Et despexit oculus meus inimicos.

Adhuc multiplicabuntur in senecta.

Dominus regnauit, decorem indutus est. Psal. 92. Apud Heb. 93.

MAgnis laudibus celebrat uir Diuinus Regnum Dei; & illius prædicatione gaudio triumphat; ingentiq. lætitia ad canendum excitatur. Regnum autem Dei, est hominum fides, Dei cognitio, caritatis studium, Diuini amoris incendium, & perfecta denique obedientia, qua sancti homines ita sunt Diuinis sanctionibus adstricti, ut nihil omnino uelint, cupiant, moliantur, & agant, quod sit legi Diuinę cõtrarium. Nec enim loquitur hic de Regno, quod est in cælo, & Dei imperio sempiterno, & cęlitum obedientia perfectissima, constitutum; (illud enim, cum sit antiquissimum, non erat recenti aliqua gratulatione celebrandum) sed de Regno, quod fuit in terris, Christi, sanctissimi Regis, aduentu fundatum. Regnabat Saran; regnabat libido; regnabat immanitas, humanumq. genus erat durissima tyrannide peccati, atque mortis, oppressum. Venit filius Dei in terram, ut tyrannidem importunam, atque mortiferam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Luc. 11.

Dominus regnauit de corem: indutus est, iudutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Firmauitor bem terræ.

tiferam deleret, & Regnum legitimum, atque salutare, fanciret. Si ego (inquit) digito Dei eiicio dæmonia, peruenit in uos Regnum Dei. Hoc est autem, quod Dauid hoc in loco laudibus, quantum potest, extollit. Inquit igitur: Dominus regnauit; amplitudinem decoris, & magnificentiæ, induit; induit Dominus præclarissimam glorię uestem; &, robore inuicto succinctus, mundum nouum stabiliuit, qui numquam de sede sua conuelletur. Vera religio in obliuionem uenerat; cognitio sempiterni numinis fere interierat; dira superstitio mẽtes humanas occuparat; flagitia, & scelera, erant in Diuina sede reposita; temporis diuturnitas, Regum, & populorum, legibus confirmata, tantam stabilitatem tenebris, quibus erant immersi cuncti mortales, attulerat, ut Satanæ Regno nihil fieri posse firmius aliquo modo uideretur. Ratio namque erat imbecilla; lumenq. illius obscuratum, ita, ut, si quisquam bene de rebus Diuinis, aliqua ex parte, sentiret, id proferre non auderet; &, præterea, quod sentiebat, erat multis erroribus ualde flagitiosis inquinatum: erat itaque salus humani generis desperatissima, cum Dominus Regum suum opera Christi fundauit. Nam tenebras discussit; clarissimam lucem attulit; clementiæ suæ pulchritudinem, iustitiæ suæ splendorem, sapientiæ decus, moderationis suæ uenustatem, & elegantiam, qua erat ornatus, hominibus conspiciendam proposuit, ut eos tam admiranda specie pulchritudinis ad sui nominis amorem uehementer alliceret. Sed, quia non satis erat, opes suæ bonitatis explicare, nisi opes aduersariæ potestatis infringeret, inuicto se robore præcinxit, ut cunctas feritates expelleret, & mundi principem e solio, in quod per summum scelus adscenderat, ui summa deturbaret, deinde Regnum suum ita legibus, institutis, & præsidio, stabiliret, ut labefieri numquam posset. O summe Rex; atque rerum omnium sempiterne dominator, omnia mundi regna uarias mutationes habent; &, cum ad amplitudinem, certo spatio definitam, peruenerint, labuntur, & ruunt, & exitu funestissimo concludun tur: quod Regno tuo contingere non potest. Soliũ namque huius Regni tui fuit a sempiterno tempore, mirabili consilio, destinatum; ita, ut, quamdiu nomen tuum in gloria uixerit, exscindi non possit. Cum igitur tu idem ex omni ęternitate sis, & gloriæ tuæ decus, & amplitudo, nullum sit finem sęculis infinitis habitura; necessario sequitur, ut solium tuum sempiternum sit. Hęc autem Regni firmitas, hoc imperij firmamentum, hæc uirtutis Diuinæ constantia, in bellis, quibus fuit, summis omnium principum uiribus, oppugnata, satis perspecta fuit. Intumuerunt flumina, Dñe, intumuerunt flumina, & horrendos fremitus ediderunt, &, supra ripas effusa, fluctibus uiolenter eiectis, finitimos agros obruerunt; ut cursum sanctissimæ religionis impedirent. Quid fuit a principibus summis, in oppugnanda tuorum fide, prętermissum? Decreta nefaria figebantur; cruciamenta parabantur; cruces, ignes, equulei, exquisita, & inaudita, upplicia, corpora sanctorum lacerabant; & tamen neque minę propositę, neque terrores denuntiati, neque suppliciorum dolores acerbissimi, potuerũt Regni tui magnificentiam de statu deiicere. Quid de maris profundi sæuis tempestatibus edisseram? Venti, atque turbines, excitantur; immanes fluctus attolluntur; sæuit immanis, & importunus, hostis; omnia, quantum potest, turbat, & ruit, & procellas excitat; tyrannos acrioribus in dies furiis exagitat; sectas pestilentes inducit; omniaq. tentat, atque perichitatur, ut Dei Regnum labefactet. Sed omnes conatus illius ad nihilum recidunt. Est enim Dominus in cæli fastigio, inuictissima uirtute, atque robore, præcellens, ut sedet omnes tempestates; ut impetus hostiles reprimat; ut auertat pestem a suis; ut uiam in cælum muniat, Regnumq. suum in omni temporum uarietate præsidio firmissimo tueatur. Quis enim modo, qui non a se opem tuam, Domine, ingrate reiiciat, poterit ullis hostium minis infringi? Nam, si, natura, ad ueritatem ualde propensi sumus, hominum disciplinæ sunt uariæ, & ancipites, atque fallacissimæ; solaq. testimonia tua firma sunt, & constantia, summaq. fide stabilita. Si sumus salutis appetentes, ea sola sempiternã salutem uerissime pollicẽtur. Domum. n. tuam sanctitas exornat. Numquam enim opem tuam suppliciter imploramus, quin tu, e sancto, atque sempiterno, templo tuo, subsidio nobis occurras, ut ex omnibus malis eripias; & ita, uotis damnati, tibi gratias agimus; & uictimas laudis immolamus; & hoc non uno tantum tempore factis, experiundo, sentimus; sed semper clementiam tuam in cũctis rebus aduersis agnoscimus. Itaque neque uerbum tuum erit alligatum; neque Regnum tuum ullo terrarum motu concussum; sed in omni ęternitate florentissimum.

Parata sedes tua ex tunc.

Eleuauerũt flumina.

Mirabilis elatione maris.

Mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia.

Deus ultionum Dominus. Ps. 93. Apud Heb. 94.

REgnum Dei, est perfugium miseris; solatium afflictis; alleuamentum oppressis; pax summa, & inexplicabile gaudium, bonis; spes immortalitatis omnibus, qui, incensa fide firmati, præsidio numinis cælestis innittũur. Idem autẽ est terror iniectus improbis, pauor, & exanimatio sceleratis, conscientiæ angor, & cruciatus assiduus, & supplicium denique sempiternum, illis, qui Regni opes nefariis conatibus oppugnant, summi Regis iudicio, constitutum. Regnum quidem, est clementia, & benignitate, stabilitum. Sed, quo misericordia amplior est, eo grauius, & acerbius, supplicium impendet omnibus, qui bonitatem Dei, cum proiecta audacia, despiciunt, illiusq. placitis aduersantur. Sancti quidem homines, cum Dei ipsius imitatores sint, omnes homines saluos uidere cupiunt. Verum, cum multos uideant Dei legem contemnere, & illius clementia, ad maiorem impudentiam sceleris, abuti; acerrime commouentur, & iustissimæ ultionis moram admirantur. Quemadmodum igitur supplicibus, & abiectis, ueniam petunt, ita uindictam scelerum superbis, & contumacibus, qui nec beneficiis allici, neque

Deus ultionum Dominus, libere egit.

neque in commodis emendari, uolunt, interdum deprecẽtur. studium enim Diuinæ gloriæ utrumque eos facere compellit. Hoc studio Dauid acriter stimulatus, & incensus, in hanc sententiam mentem suam aperit, & uindictam acerrima contentione postulat. Ait enim: O Domine, scelerum uindex; o Domine ultor iniuriarum, nomen tuum supplicio sceleratæ multitudinis illustra. Euehere in altum; iudicium in terra constitue; tuæ dignitatis causſam suscipe; debitas pœnas a superbis repete, & infandum scelus ulciscere. Quousque tandem, Domine, quousque tãdem impij in sceleribus exsultabunt? facinora meditata proferunt; furenter, & temere, uoces, contumaciæ, & minime ferendæ elationis, indices, obloquuntur, omnes, qui toto pectore actionibus iniquis incumbunt. Populum tuum immanissime contuderunt; hereditatem tuam uehementer afflixerunt; uiduas, & peregrinos, quibus tu clementissime consultum esse noluisti, crudelem in modum interemerunt; & pupillos immanissime dilacerarunt. fuerunt enim infesti omnibus, quire-ligionem tuam pure, caste, & sancte, colendam, ardente studio, suscipiunt. Nec solum fuerunt in homines pios immanes, uerum etiam in Maiestatem tuam scelestissimi. Non uidebit (inquient) Dominus hæc, quæ designamus; neque Deus ille, quem sanctissimum habuit Iacob, in nos umquã animaduertet. Intelligite, insipientes, quos in populo tyrannorum furor a studio ueritatis abduxit; & aliquando tandem, amentes, & insani, sensum recipite. Tanta uos amentia uexat, ut illum summum conditorem, & Dominum, qui omnia condidit, finxit, & informauit, & animos sensibus instruxit, mentis, & rationis, compotes effecit, sensibus, atque mente, penitus orbatum arbitremini? Qui audiendi sensum in auribus conseuit, non audiet? qui finxit oculum, non uidebit? Ne exempla quidem gentium aliarum, quas Dominus perdidit, & afflixit, in quibus principio coercendis, deinde funditus euertendis, iudicij sui sanctitatem demonstrauit, uos admonebunt, ut supplicium, quod uobis similiter impendet, sollicite, & anxie, formidetis? At qui ideo seueritatis exempla constituit, ut multi homines, ad scientiam sempiterni Dei eruditi, scelus exhorreant, & iudicium metuant; intelligantq. tandem, nihil esse pietate, atque iustitia, salutarius. Nihil enim Diuinã mentem latet; omnia, quamuis tenebris immersa sint, illi diluescunt; &, quamuis sint multis inuolucris obtecta, oculis illiũs euoluta, & explicata sunt; in sensus intimos penetrat; hominum cogitationes explorat; & intelligit plane, omnes illorum actiones, & consilia, in uanitate summa uersari. Salutem expetunt, & in pestem ruunt; uitam sollicite curant, & mortis iugum sponte subeunt; ad dignitatem modis omnibus enitũtur, & ignominiæ sempiternæ notis inuruntur; ætatem sibi longissimam pollicentur, & in medio cursu, impetu improuisæ necis, obruunt; & ita, in rebus omnibus, a ueritate longissime secluſi, inanitatem, summa contentione, & sollicitudine, consectantur. Omnes igitur infelices, & erumnosi, atque infelissimi, sunt, qui sese a Dei disciplina disiungunt; illeq. tantum beatus erit, quem tu, Domine, erudieris, & cuius mores, & uitam, ad elegis uę normam direxeris. Eum namque statum assequetur, ut, quamuis omnia bellis ardeant, & diræ calamitates, undique inuectæ, mortales exterreant, num quam metu trepidet; &, cum summa animi tranquillitate, constantiam Diuinã retineat. Tu enim illi, in summa etiam rerum omnium perturbatione, & interitu, tranquillissima pace frui concedes; & præsertim tẽpore, quo fuerit impiis, nomine tuo, sempiternum exitiũ comparatũ. Nec enim deseret Dñs populũ suum; neq. hereditatẽ suam, culturaſua destitutã, ab hostibus diripi, & uastari, patietur. Iudicia quidem perperã fiebant; iusti erant calumniis circumuenti; innocentes oppressi; pauperes afflicti; erat illis, qui pietatem colebant, dirum supplicium, tamquam maleficis, & sceleratis, irrogatum; uidebatur Christi Regnum a Diuino patrocinio derelictum; uerum neque ipso tempore Deus piorum hominum cœtum deserebat, sed inuicto præsidio confirmabat; usque eo, dum iustitia ad iudicium rediret, & sanctissimus iudex pœnas ab illis, qui in sanctos homines sæuiebant, acerbe reposceret; & illius iudicij sanctitatem omnes secuti sunt, qui rectum animum gerebant. Illos autem, qui mente pura sunt, Christus admonet, ut sese ad illius ductum, & imperium, adiungant; ut, bonorum exercitu comparato, impios exscindat. Quis, inquit, pro mei nominis sanctitate, contra impios, sub meis signis, strenue decertabit? Quis, pro mea gloria, & dignitate, prœlium acriter inibit? In hac causſa erit mansuetudo nefaria, lentitudo flagitiosa, amicitiæ fœdus cum iniquis sceleſtissimum, & non mediocri pœna uindicandum. Acre studium, & uim offensione mei nominis uehementer incitatam, ab illis, qui me sequuntur, efflagito: magna enim res agitur. Si enim nomen meum in obliuionem uenerit, fructus aduentus mei funditus interibunt. Hac Domini sententia bonorum fides egregie confirmatur, quæ auxilium firmum opportune consequitur. Si enim Deus in rebus prope desperatis auxilium minime contulisset, anima mea propemodum in obliuione iacuisset. Sed, cum status Regni in eas esset angustias adductus, ut pes meus mihi, humanitus pericula consideranti, nutare uideretur, continuo me Dñs misericordia sua fulciebat; &, quod erat euersum, clementer instaurabat. In multitudine cogitationũ, quæ mentem meam peruagantur; dum pericula intenta prospicio; dum discriminis magnitudinem pondero; consolationes tuæ animum meum ab omni sollicitudine, & cura, reficiunt, atque mire lætificant. Sic autem fit, ut nullum casum, atque ruinam, pertimesam. Num fieri ullo modo potest, Domine, ut tu cum Regibus impuris, & sceleratis, qui legibus tyrannicis pauperes affligunt, fœdus ineas, & illis indulgeas, quorum omnia studia ad iniquitatem conferuntur? Coniurationem ineunt; &, coniunctis uiribus, uitam iusti petunt; & innocentem sanguinem, lata pro tribunali sententia, (indignum enim se facinus ulcisci cogitant,

Qui corripit gentes, non arguet

Beatus homo, quem. Vt mitiges ea diebus malis.

Quousq. iustitia conuertatur in iudicium.

Quis consurget mihi aduersus malignãtes

Nisi quia Dominus adiuuit me

Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tant, cum scelus immane suscipiunt) crudeliter effundit. Verum, quamuis inquit Dominus, omnia regna mundi in mei nominis existium compa rentur, Regni mei, Diuina mente florentis, interitū minime formidabo. Deus enim me in sublimi gradu locabit, & statum meum (ut certissime fore confido) præsidio suo cōmuniet. Eis autem, qui pietatem adeo immani scelere persequuntur, meritas pœnas irrogabit, in susceptis sceleris ultionem. Non diutissime te ab ira continebis; sed tandem eos euertes, summe Domine, quē præpotentem Deum nostrum, qui haud nos ope sua nudabit, ueneramur, & colimus.

Venite exsultemus Domino, &c. Psal. 94. Apud Heb. 95.

SPes, & metus, uitam hominis Christiani moderantur. Spes, affert lætitiam; metus, sollicitudinem. Vtrumque simul necessarium est. Nam ei, qui nihil omnino timet, impendet ruinæ periculum; illi autem, qui diffidit, est aditus ad Diuinam gratiam præclusus. Vir igitur sanctus utrumque molitur; ut ad lætitiam uocet, quæ spe clementiæ Diuinæ continetur; & metum incutiat animis illius summi mali, quod in diffidentia consistit. Vt spem uero confirmet, & immensam Dei potentiam, & probitatem, oratione commemorat; &, ut metum iniiciat, eum terrorem denuntiat, quo nihil magis metuendum esse poterit. Ait enim, futurum, ut, qui rebellione, & diffidentia, in Dei offensionem inciderint, non ingrediantur in requiem Domini. Quæ sit autem hæc requies, est breuiter explicandum. Est autem Dei requies, operis Diuini perfectio, & suscepti muneris absolutio. Vt enim opifices, cum opus, in quo multum laboris, & studij, consumpserant, omnibus suis numeris absolutum uident, illa cura, qua distenti fuerant, relaxantur, & animo conquiescunt; sic Deus, cum uidisset, omnia, quæ fecerat, esse ualde bona, (ut de rebus Diuinis, secundum sanctæ Scripturæ cōsuetudinem, humano more loquamur,) quietem cepit, & opibus suis oblectatus est. Non tamen hæc requies est illa, de qua Propheta hoc in loco disserit. Ab huius enim requietis fructu nemo repellitur, cum Dominus Solem suum oriri faciat super bonos, & malos. Est & alia requies, mādata litteris sanctis, e qua fuerunt excluſi omnes, qui Deo fidem non habuerunt, ex illis, qui ex Aegypto egressi sunt; & ea de caussa ad quietas telluris promissæ sedes minime peruenerunt, quorum corpora in deserto strata sunt. Sed non ea requies est illa, cuius exclusione, Propheta minitatur incredulis, sed cuius exemplo ad grauitatem commonitionis utitur. Inquit enim apud illum Deus; quemadmodum olim fuere multi, propter diffidentiam, & rebellionem, Terræ sanctæ aditu omnino prohibiti; sic euenturum omnibus, qui similiperfidia laborauerint, ut a quiete Domini secludantur. Alia igitur requies est, ad quam, absque fide, minime peruenitur. Relinquitur ergo, inquit Paulus, Sabbatismus populo Dei. Quis autem Sabbatismus iste sit, facillimum erit explicare, si mente, & cogitatione, perceperimus, quod sit opus Dei omnium maximum, & maxima admiratione dignissimum, ad quod reliqua omnia opera Diuina, ut in finem, referuntur. Nam, si requies Domini, est operis Diuini perfectio, maximi operis absolutio, est illa requies iucundissima, a cuius fructu omnes excludendi sunt, qui fide caruerint. Opus uero maximum est, iustitiæ infusę donum, fidelibus attributum. Est enim Iustitia, Diuinæ probitatis imago; sempiternæ pulchritudinis, & uenustatis, effigies; clarissimum uerissimæ uirtutis decus, & ornamētum, Solis splendorem, magnitudine lucis admirandæ, longissimo interuallo superans. Est denique (ut uno uerbo omnia complectamur,) forma Diuina. Si Deus mūdum tanta pulchritudine, & concinnitate, perpoliuit; si legē tanta cura, & studio, sanxit; si filium in terras legauit, ut humanum sibi genus conciliaret; si a filio pœnas, nostris sceleribus debitas, exegit; si nos beneficiis allicit; plagis affligit; præmiis inuitat; minis exterret; omnia hæc illius opera in eum finem conferuntur, ut nos iustos efficiat. Est igitur necesse, ut, cum hoc opus absolutum uiderit, in quod tantum laboris, & studii, contulerat, mirifica requiete perfruatur. Similiter & nos, natura, Diuinitatis nimis appetētes sumus, &, illius consequendæ gratia, omnes labores excipiendos arbitramur. Nam, & qui sceleſta facinora moliuntur, ut diuites, & illustres, & ampli sint, & uoluptatibus affluant, & uitam communiant, eo contendunt, ut Dei similitudinem, qui beatissimus est, omnibus modis arripiant. Errore quidem mentis obcæcati, quo magis Deo similes fieri concupiscunt, eo se longius ab illius imitatione seducunt; id tamen illos conari, ut Diuinitatem quandam assequantur, est ualde perspicuum. Cum igitur omnes, & bona mente prędti, & sceletibus inquinati, sint Diuinitatis cupiditate sollicit; eamq. Diuinitatis imaginem nemo consequi possit, nisi qui iustus exstiterit; sequitur necessario, ut illi soli animi quiete iucundissima potiantur, qui iustitiam uerissimam, caritati scilicet coniunctam, beneficio, & gratia, consequuntur. Hæc est igitur requies, de qua uir sanctus hic loquitur, a cuius fructu omnes excludendos esse dicit, qui fidem Deo non habuerint. Nullo modo sunt affines inuidiæ uiri sanctissimi. Cum omnibus hominibus opes, quibus affluunt, communicari percupiunt. Iccirco Dauid magnis clamoribus ad participanda munera Diuina omnes mortales inuitat. Ait enim: Venite, omnes, & uoce clarissima Deo carmina canamus, & exsultantes celebremus Dominum, in quo solo est nostræ salutis munitissimum propugnaculum, & inuictissimum uitæ præsidiū. Tantum uero munus non segniter obeamus, sed uigilanter, & acriter, & studio nimis incenso, properemus, ut ad illum, cum confessionis muneribus gratissimis, adeamus, & canticis, harmonia iucundissima modulatis, nomen illius in cælum (quantum nobis licebit) efferamus. Omnes opes humanæ sunt inanes; fides humana est fallax, & lubrica. Qui igitur ab hominibus salutem exspectandam, & postulandam, existimat, est amentissimus. Homines enim neque possunt, si uelint, neque uolunt, si possint, auxilium suis, in rebus afflictis, afferre. Voluntati enim imbecillitas, facultati perfidia, est impedimento. Ab illo igitur tantum est auxilium salutare flagitādum, qui & potest, & cupit, opitulari. Nam, quod ad potestatē attinet, ille Deus magnus, & Rex magnus, nihilq. est in cęlo dignitate præcellēs, nihil in terra opibus, & imperio, florens, quod sit aliqua ex parte cum illius glorię Maiestate conferendum. Ille namque & cælites omnes, qui Diuino lumine collucent, & principes, qui ius in terris administrant, imperio, & potestate infinita, cōplectitur. In ditione illius sunt, & profundissima terræ penetralia, & altissima mōtium cacumina, ita, ut nihil omnino sit, uel in cælo, uel in terra, ab illius imperio secluſum. Mare fuit ab illo factum, & terra manibus illius condita. itaque omnia, quę utriusque complexu contenta sunt, imperio illius coercentur. Venite igitur; & omnes, simul, animorum summa consensione, ad debitum sanctissimæ pietatis officium conspirantes, illum adoremus; ad illius pedes nos abiiciamus; uenerabunde genua flectamus; orationisq. munera, & sacrificia, Domino, qui fecit nos, suppliciter immolemus. Nam de potentia illius nō ambigimus. Quid de fide, & clementia, dicendum? Mira sunt, quæ ab illo in nos beneficia profecta sunt. Quamuis enim rerum omnium Dominus sit, præcipua, atque singulari, ratione Deus noster esse, & existimari, uoluit. In illo igitur est nostræ salutis firmamentum; & decoris, & honestatis, ornamentum; fixum, stabile, atque sempiternum, mentis oblectamentum; & omnia denique, quæ uolumus, expetimus, amamus, & consequi uehementissime cupimus, illius nomine, fide, probitate, gratia, continentur. At, qua nos cura, uigilantia, studio, & sollicitudine, tuendos, & conseruandos, suscepit? Vt pastor gregem in læta pabula deducit; ut oues, & pecora, a luporum truculentia defendit; sic nos uberrimis bonitatis suę pascuis enutrit, & hostium impetum a nobis reprimit, omniaq. pericula propulsat. Cum igitur sit omnipotēs, & immēsa fide, atque bonitate, præditus; quid est, quod sub imperio illius metuamus? Aliunde quidem nullum nobis periculum importari potest, quod ualde timendum sit; a nobis ipsis, ne in extremum discrimen adducamur, est summa uigilantia pręcauendum. Vt enim, qui fidem suam in Deo firmissime locatā habet, illiusq. iussis obtemperat, omnia sibi de summi Domini potentia, atque probitate, constantissime pollicetur; ita, qui non est obediens, & Diuinis promissis fidem non habet, cum in lubrico, & pręcipiti, loco uestigia firmare nequeat, nutat, uacillat, & labitur, & plerumque in ima deuoluitur. Varius, incōstans, & instabilis, est, omnis, qui non firma fide Diuinis promissis innititur; & quodammodo ipsam summam, atque sempiternam, ueritatem uanitatis insimulat, Deoq. (si ita loqui fas est) grauem molestiam exhibet. Humana nāque diffidētia cum Diuina bonitate cōtendit; & obstat, quo minus summa bonitas (ut cupit) Diuina nobis munera munifice largiatur. Fidē enim a nobis exigit; ea uero secluſa, benignitas illius impeditur. Quocirca diligenter ad uoces illius attendite; &, cum primum uerbi illius uis ad aures mentis uestrę peruenerit, audite, ut imperata continuo faciatis. Nolite, inquit Dominus, obdurare corda uestra, ut die contentionis, & tentationis, in deserta solitudine, in qua tentauerunt me patres uestri, & ad iudicii sui examen reuocarunt, potentiam meam, & uirtutē meam, certis finibus includendam existimarunt: quamuis uidissent opera immensa potentiæ meæ multis in locis admiranda. Ad uoluntatis meę nutum tonabat, & fulgurabat, cælum; torquebantur fulmina; terra, imperio meo, uaria animantium genera immittebat, quæ uastitatem satis inferrēt, & homines doloribus excruciarent; fluuius, ut mihi parēret, pro salutaribus aquis, mortiferum sanguinem suppeditabat; tæterrimæ tenebrę impiis offusæ sunt; Angeli stragē ediderunt; mare, utrumque coercitum, per medium gurgitem transitum facillimū præbuit, & aduersarios, fluctibus utrimque reductis, obruit, & exstinxit; ætheria regio cæleste pabulum dimisit; uniuersa denique natura, ad imperium meum commota, & excitata, mihi celeriter obtemperabat; & hæc omnia illorum gratia faciebam, cum interim illi, neque tantis signis adducti sunt, ut uitam suam mihi credendam existimarent; & de potentia mea singulis prope diebus ambigebant, & cum bonitate mea decertabant, & dubitabant, an ego possem in arida, & solibus exusta, solitudine aquas perennes elicere. Et in hanc perfidiam non semel inciderunt. Quadraginta annis, perfidia sua, grauissimas mihi offensiones intulerunt. Et dixi, populum esse præcipitem, atque deuium, & a salutis suæ ratione furenter auersum. Nam, ut prauitatem cordis sui sectarentur, aberrabant; & consilia sua perditissima meis placitis anteponebant; nec intelligebant, omnem salutis suæ rationem in eo consistere, ut a uiis meis nullo pacto declinarent. Quas illi, per summum furorem, & insaniam, deserentes, suis uiis pestiferis ingressi sunt. Quibus acriter infensus, iuraui fore, ne in requiem, quam illis, in fertili, & opima, tellure, benignitate mea, parauerat, ingrederentur. Exemplum igitur sceleris detestamini; uerba mea auribus, & attentissima consideratione, percipite; ut fide, & obedientia, facillime possitis in iustitiæ possessionem uenire, & sempiternæ quietis hereditatem retinere.

Genes. 2.

Num. 14. & ad Heb. 3.

Ad Heb. 4.

Venite exultemus.

Et nos populus pascuæ eius.

Hodie si uocem eius audieritis.

Cantate Domino cāticum nouum. Psal. 95. Apud Heb. 96.

REgnum Christi, & gentium conuersionem, atque salutem cunctis nationibus allatam, celebrat hoc carmine uir sanctus; & terris uniuersis, de tanto bono, uoce maxima, gratulatur. Ait igitur: Canite Domino canticum nouum; canite Domino, uniuersæ terræ. Non uos hortor, ut mundi fabricam, cæli ornatum, siderum

Cātate Domino canticum nouū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fulgorem, terræ fecunditatem, maris amplitudinem, naturæ concinnitatem, canendo celebretis. Sunt illa quidem opera, clara, & admiranda; sed nimis antiqua, & minime cum orbis noui pulchritudine, & utilitate, comparanda. Neque uos admoneo, ut legis antiquæ sanctiones, religionis instituta, sacrorum cęrimonias, templi sanctitatem, laudibus efferatis. Hæc enim non ad terras uniuersas pertinebant, cũ essent angustis Iudęæ finibus circũscripta; nec erant semper eodẽ statu permansura, cum non expresse, & solidæ, pietatis rationem, sed umbram, & imaginem, continerent. Præterea, opera Diuina, quæ uel in naturæ totius ornatu, uel in priscæ legis sanctimonia, perspiciuntur, sunt admiranda illa quidem; uerum, cum in alia, multo magis admiranda, incurrunt, splendore longe clarioris luminis obruuntur. Cum igitur aliud beneficium nouum, multo clarius, & magnificentius, a Deo tributum sit, quam fuerit naturæ uniuersæ condicio, & totius legis institutio; idq. non ad Iudæorum tantum, sed ad omniũ salutem, conferatur; consentaneum est, ut nouo genere carminis, ab omnibus gentibus, quacumque in parte terrarum sedes habeant, inflammato studio concinatur. Canite igitur uniuersi, Domino; benedicite nomini eius; annuntiate cunctis diebus salutem eius. Nec enim est breuis, sed sempiterna; non tantum corpus ægritudine leuat, sed multo magis animum sanat, & opibus Diuinis auget, & cumulat; non est hostis incursionibus, cum periculo euersionis, expositus; sed inuicto Dei ipsius præsidio defensa. O uiri, qui genus ducitis ab hominibus non inuidis, sed insigni caritate præditis, non opes Diuinas comprimendas existimetis, sed gentibus uniuersis, quas Dominus eiusdem salutis compotes esse uoluit, ipsius Domini gloriam, quæ in unici filii splendore, & magnificentia, consistit, summo studio prædicate, & omnibus populis opera illius nimis admiranda prædicite. Nam immeritis, & omni flagitio, & impuritate, contaminatis, gratiæ suę lumen clementissime porrigit; & iis, qui beneficia cõtumaciter, & obstinate, repudiant, supplicia sempiterna constituit. Est enim Dominus magnus, & summis laudibus in omni æternitate prædicandus, cuius opes immensæ nec exhauriri, nec imminui, largitione possunt; & idem est horribilis, & metuendus, multo magis certe, quam omnes dij gentium, quorum offensionem homines Diuinæ lucis ignari pertimescunt. Nam populorum numina, falsa, commenticia, & inania, sunt; Dominus autem cælestem naturam finxit, & informauit. Decus, & magnificentia, faciem illius antegreditur; uirtus inuicta, & gloria nimis illustris, & ampla, in templo eius perspicitur. Ante quam templi sempiterni fundamenta iacerentur, illius decus, & amplitudo, in operibus naturæ, & orbis totius moderatione, & in conseruatione humani generis, eminebat; at, postquam templum in Sione, hoc est, in cælesti ciuitate, construxit, in quo semper habitaret, multo clarius in templo ipso sanctissimo uim suæ uirtutis indicauit. O populi, qui fuistis olim oppleti tenebris, & erroribus pernicioſis imbuti, nunc uero tanto splendore lucis Diuinæ collucetis, ut sitis cum sideribus conferendi, tantum, & tam immortale, beneficium uoluntate gratissima conseruate; afferte Domino gloriam, & uirtutem; & decus, quo fuistis ornati, & robur, quo fuistis ab illo firmati, in laudem, & gloriam, illius conferte. Non uos ipsos efferatis; non uobis gloriam tribuatis; sed illi summo Domino, a quo tantam amplitudinem honoris, & dignitatis, accepistis, gloriam tribuite; nomen illius extollite; munera in templum illius inferte. Non enim ab illius aditu estis ullo modo repellendi; cum iam non sitis hospites, & peregrini, sed cives, atque domestici, & cum aliis sanctis ciuibus eodem omnino iure coniuncti. Adorate Dominum, in illo templo sancto, ualde magnifico, & exstructo, quod numquam ab hoste dirui, aut inflammari, aut uiolari, aut profanum fieri, aut de statu concidere, ulla condicione poterit. Vniuersa terra potentiam illius ueneratur, & sanctissima illius iudicia reformidet. Dicite, & prædicate Dei nomen gentibus; & ostendite, Regnum Dei esse in terra constitutum, ut peccati uires elidat; ut tyrannidem mortis infringat; ut mundi principem e Regni finibus exturbet; & nouum cælum, & nouam terram, & noui cuiusdam mundi ornatum, sempiterna firmitate corroboret; ut nullo modo motibus ullis labefieri unquam possit; & iudicium constituat, in quo de populis uniuersis sententiam, cum summa æquitate, ferat. Orbes cælestes gaudio triumphent; terrarum orbis uniuersis exsultet; mare, & omnia, quæ illius magnitudine coercentur, iucundos sonitus edant; agri, & fruges, & gramina, lætentur; siluæ, atque nemora, uoces, summæ uoluptatis indices, emittant; uniuersa denique natura in conspectu Domini gratuletur: quoniam uenit, ut terræ iura perscribat, & cum æquitate summa lites dirimat, & statuat in populis, quod iustitiæ sanctitas, & fides, efflagitat.

Annuntiate inter gentes gloriam eius.

Quoniã magnus Dominus.

Confessio, & pulcritudo in cõspectu eius.

Afferte Domino gloriam.

Cõmouetur a facie eius.

Domnus regnauit, exsultet terra. Psal. 96. Apud Heb. 97.

PRosequitur uir sanctissimus oratione sua laudes Regni florentissimi; tantoq. studio illius incenditur, ut totam mentem in eo defigendam arbitretur; Regnumq. Satanæ euertendum, & affligendum, prædicit. Inquit igitur, Dominus regnauit; exsultet terra: illam namque cælestis splendor illustrabit; exsultent insulæ multæ, ad quas nempe munera Diuina peruenient. Nubes, & caligo, illum circumsistet, ut abstrusæ, & abditæ, Maiestatis immensitas admirationem commoueat, & excitata subito tempestas orbem terrarum concutiat, hominumque mores inuertat, & ad cognitionem sempiternæ Maiestatis adducat;

Dominus regnauit.

ducat; soliumq. suum iustitiæ, atque iudicii, robore confirmabit; ignis illum ante ibit. qui hostes illius, qui circumcirca fraudes in bonorum perniciem moliuntur, horribili incendio uorabit; exitium inferet; impietatem coercebit; immanitatem libidinis, peccati uires, elidet; dæmones exterminabit; tyrannos intestina seditione lacerabit; & inuecta calamitate prosternet; imperiaque magna in ultionem sceleris infandi peruertet; orbis crebris fulgoribus splendebit; terra uidebit, & contremiscet. Montes, in Domini conspectu, tamquam cera liquefacti, diffluxerunt. Principes, summis opibus elati, & inflati, coram uniuersæ terræ Domino, prolapsi sunt. Cælestes animi, Diuina luce completi, Diuinæ iustitiæ disciplinam tradiderunt; & populi, radiis Diuinæ lucis illustrati, gloriam summi Domini, atque Patris sempiterni, in terra contemplati sunt. Erubescant igitur omnes, & insigni dedecore, & ignominia, notentur, qui simulacra uenerantur; & qui dijs commenticijs honores Diuinos instituunt, & ex illa dira, & inani, superstitione laudem aucupari nituntur. Deserite errorem, miseri; amentiam detestamini; & cuncti Principes, qui ius in terra dicitis, summi Regis iudicia pertimescite; & in conspectu illius procumbite; ut Maiestati illius humiliter, atque demisse, supplicetis. Sion uero, hoc est, sanctorum hominum Euangelij iure deuincta multitudo, audiet propagari religionem; hostes affligi; impedimenta dimoueri: qua fama, mirum in modum efferetur lætitia; & ciuitates Iudæ, quas incolunt uerissimi Iudæi, qui non corpus; sed animum, circumcisum gerunt, mirabiliter exsultabunt, cum animaduerterint, iudiciorum tuorum sanctitate multos mortales ad tuum nomen adiungi. Tu enim uerus Deus es, altitudine uirtutis, & potentiæ, atque dignitatis, excellens; qui terram uniuersam imperio infinito complecteris; cuius sanctitas, atque religio, hominum, etiam fama, longe, multumq. omnibus inanium, deorum religionibus antecellit. Nemo, sub tanti Regis imperio, malum, ab impietate comparatum, extimescat; intelligatque, sibi auxilium minime defuturum. Qui Deum igitur amatis, unam tantum curam suscipite, ut malum odio summo persequamini. Veri enim, & constantis, amoris ratio flagitat, ut, quod ille diligit, diligatis; &, quod odit, exsecremini. Interim uero omnia pericula, quæ uobis intenduntur, negligite. Ipse namque Dominus, qui sanctorum suorum animas singulari præsidio fulcit, eos ab impiorum manibus eripiet, salutariq. præsidio confirmabit. O miseram iustitiæ iucunditatem: o pacem tranquillissimam: o gaudium stabile, atque sempiternum, quo illi, qui summi Regis imperium libenter accipiunt, & fideliter exsequuntur, in omni temporis uarietate, perfruuntur. Impios uexat amentia; exterret conscientia; metus exanimat; curæ, & sollicitudines, afflictant; assidui angores excruciant; cum interim ij, qui iustitiam, & pietatem, colunt, ex conscientiæ testimonio miram uoluptatem capiant. Nam Dei præsidio nituntur; luce Diuini spiritus illustrantur; cogitationibus iucundissimis eriguntur; & ad cælum semper adspirant; &, colloquiis Diuinis exhilarati, & ad spem certissimam immortalitatis excitati, uitam in suauitate incredibili traducunt. Voluptates quidem exquirunt improbi; sed frustra in illis parandis omne studium consumunt. Pro futili enim, & inani, uoluptate, uim insignem doloris, & acerbitatis, accersunt; &, cum primum motus turbulentus, qui eos insanire compellebat, effluit, quam amarum sit illud, quod erroris opinione dulce finxerant, molestiarum grauissimis sensibus experiunlur. Vnde clare cernitur, iucundam lucem non iniustis, sed iustis, exoriri; illosq. solos uera, & stabili, lætitia, atque suauitate, perfundi, qui recto sunt corde, & iustitiæ fructum omnibus huius uitæ emolumentis, atque uoluptatibus, anteponunt. Iusti igitur, in Dei fide lætitiam summam percipite; & auctorem uestræ uoluptatis agnoscite; & immortales gratias agite, in monumento sanctissimi templi, a quo nullo umquam tempore demigrabit.

Montes sicut cera fluxerunt.

Annuntiauerunt cæli.

Adorate eum omnes angeli eius

Lux orta est iusto.

Cantate Domino cãticum nouum, quia mirabilia fecit. Psal. 97. Apud Heb. 98.

NOn potest uir sanctus a cogitatione Regni cælestis auelli; & iccirco in eadem materia toto animo uersatur, & in laudibus Christi, summi Regis, atque nostri liberatoris, insistit. Itaque ait: Canite Deo nouum carmen: noui namque muneris, & beneficij, magnitudo nouum canticum requirit. Admiranda namque opera, nouaq. nimis, & insolita, quæ a sempiterno tempore designarat, effecit. Nam peccati Regnum, atque uires, excidit; hostem generis humani sempiternum profligauit; iustitiæ Regnum in terra fundauit, & stabiliuit; hominumque mentes, quæ fuerant nimium rebus terrenis affixæ, rerum cęlestium cupiditate uehementer incendit. & hoc tantum munus non Prophetis, non Regibus sanctis, nec angelis quidem, (ut olim) delegauit, sedipse, per se, acriter, atque uigilanter, obiuit. Cum enim libertas, quam olim asserebat, ad communem uitam pertineret, & esset temporis certo spatio definita; consentaneum erat, ut ad eam constituendam ministris uteretur, quos ad officiorum illorum perfunctionem egregia uirtute confirmabat. At uera, atque sempiterna, libertas non conuenienter, nisi per Dei filium, poterat ullo modo constitui. Ille igitur, dextera sua inuicta, & brachio sancto suo, salutem sibi, hoc est, populo, peperit; &, cum aduersariæ potestatis interitu, animos, caligine demersos, & immanitati mortis addictos, in lucem, atque uitam, restituit. Non angelos in societatem tanti muneris adsciuit; ex hominibus nullum la-

Cãtate Domino.

Saluauit sibi dextera eius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

borum, quos excepit, aut dolorum, quos in liberandis hominibus hausit, participem esse uoluit, ipse solus, per se, quod ab æterno tempore decretum habuerat, quod se facturum receperat, ad quod se sanctissimo etiam iureiurando constrinxerat, cum fuit opportunum, uirtute Diuina confecit. Notam fecit tandem Dominus salutem suam, cum filium suum misit in terras, cui, in humano corpore latenti, salutis ipsius nomen imposuit; iustitiamque, non rationis humanæ turpissime delirantis; non legis, minime, quod pollicetur, propter hominum imbecillitatem, efficientis, sed suam, in gentium oculis, & adspectu, proposuit. Mentes enim clarissima luce collustrauit, & inuicto robore confirmauit, quo possent opera iustitiæ, quæ lege sancita fuerant, strenue moliri, & cum dignitate summa perficere. Et hoc tantum, & tam immortale, beneficium, non Iudæis tantum, sed gentibus uniuersis, magnificentissime largitus est; eo quod nullum apud eũ sit gentis, aut condicionis, discrimen; neque sanguinis rationem, sed fidei, caritati coniunctæ, magnitudinem, quocumque in hominum genere uigeat, perpendit. Recordatus est misericordiæ suę immensæ, cui cumulate satisfecit, cum genus humanum, nullis hominum meritis obstrictus, immo peccatis eorum innumerabilibus offensus, e sempiterna miseria redemit: Recordatus est etiã fidei, quam olim patribus nostris, in Israelis salutem, dederat, quam admirabili constantia, in sempiterna generis humani salute, liberauit.

Notum fecit.

Recordatus est misericordię.

Neque enim solum eis, qui erant Israelis semine, & sanguine, propagandi, sed omnibus nationibus, quæ sanctorum uestigiis insisterent, salutem se, per Abrahæ semen, allaturum, promserat; quod fuit exitu felicissimo comprobatum. Omnes enim fines terræ uiderunt Dei nostri salutem, filij illius opera constitutam. Exsultate igitur, gentes uniuersæ; lætissimas uoces, quantum potestis, intendite; nomen Domini laudatione perpetua celebrate; laudesq. illius animis inflãmatis, sine intermissione, concinite. Canite Domino ad citharam: cithara, & carminibus, illius nomen extollite. Buccinæ personent; tubæ minime sileant; omnibus modis, & uocibus, modulatis, & instrumentis, ad materiam carminis apte compositis, in conspectu Regis, & Domini, quam læti, & quam muneribus obligati, sitis, ostendite.

Iubilate Domino omnis terra.

Flumina plaudent.

Vniuersa natura uobis de tam felici statu gratuletur. Mare, & omnia, quæ in illo uersantur, lætis acclamationibus resonent; terra, cum cultoribus illius, exsultet. Plausum dent flumina; & montes similiter læti tripudient. Omnia denique in oculis Domini gaudio insigni cumulentur: uenit enim, ut Regnum in terra constituat; & ius sancte, atque sapienter, administret. cum iustitia iudicabit orbem terrarum; & populos in officio cum æquitate summa continebit.

Dominus regnauit, iracscantur populi. Psal. 98. Apud Heb. 99.

Dominus regnauit, ira fcantur populi.

PErstat in instituto uir sanctus, & a Diuini Regni laudibus non desistit. Inquit igitur, Dominus regnauit; populi formidine contremiscent; ipse Cherubinis insidet; terra conquassabitur. Regnum illius, cum sit iustitia, & æquitate, subnixum, in odium eorum incurret, qui sunt malefici, & iniusti; &, cum sit opibus Diuinis opulentum, inuidiam excitabit eorum, qui suis opibus efferuntur: itaque multi, partim iudiciorum metu, partim uerissimæ dignitatis inuidia, commouebuntur, & bellum contra illud, nefarium, & dirum, comparabunt: uerum, qui sedem suam in cælesti uirtute, & sapientia, collocauit, omnium gentium fremitus inanes irridebit. Dominus enim, in Sionis monte cælesti, atque sempiterno, a cœtu fidelium magnificentissime colitur; &, cum sit robore magnus, & amplitudine dignitatis excelsus, omnes populos imperio infinito coercet, & comprimit.

Dominus in Sione magnus.

Omnium igitur impetum franget; & profligabit amentiam; statumq. suum inuicto prælidio firmabit; ne umquam possit ullis hostium conatibus, aliqua ex parte, labare. Orbis tandem uniuersus confitebitur nomen tuum, uiribus, & potentia, magnum; iudiciorum seueritate, metuendum; clementiæ sanctitate, diligendum, & prædicandum. es enim tu omnibus, qui in te spem salutis positam habent, totius miseriæ perfugium, & asylum sacratissimum. Christi, Regis nostri, summa potentia iudicium dirigit; neque patitur, homines sanctos improborum iniuriis uiolari. Tu namque, Domine, æqui tatis parandæ, & stabiliendę, curam semper summo studio suscepisti; institiam, atque iudicium, in Iacob rectissimum fecisti: illum namque a soceri insidiis, a fratris uiribus, ab hostibus immanibus, eruisti; uniuersumq. genus illius, durissimo dominatu uehementer oppressum, in libertatem uindicasti. Nemo umquam, qui in te fidenter intueretur, fuit auxilio tuo destitutus.

Cõfitebũtur nomini.

Homines iudicia diligit.

O nationes, quæ salutis, quæ dignitatis, appetentes estis, hominum Diuinorum exemplis incitatæ, Dominum Deum nostrum laudibus summis, quantum potestis, extollite; scabellum pedum eius adorate. Sanctum est enim, nempe, in quo uestigia Diuinitatis impressa sunt. Et, cum arcæ fœderis operculum pietate summa (sic enim Deus præcipiebat) cultum fuerit, cogitate cum animis uestris, quanta sit ueneratione dignum illud propitiatorium, quod, antiquum, ex ligno fabrefactum, & auro obductum, obscura similitudine designabat. In hoc enim, non in illo, uerissime Dei pedes innituntur, ut inde preces exaudiat; afflictos excitet; mæstos consoletur; &, qui sunt in periculis, ope salutari confirmet. Olim quidem Moses, & Aaron, sacerdotio fungebantur; similiter Samuel orationis

Exaltate Dominum Deum.

tionis uictimas immolabat, remq. Diuinam singulari religione faciebat. Preces ad eum fundebant; & ille eos sane clementer audiebat; e columna nubis sanctos alloquebatur. Illi uero imperium alacriter accipiebant; & testimonia, & legis institutta, quæ fuerant a Deo sancita, diligenter obseruabant. Domine, tu exaudiebas eos; eorumq. precibus inflexus, ueniam populo tribuebas; & in illos, qui erant in scelere contumaces, & non modo in officium redire recusabant, sed etiam sanctissimos ductores, atque monitores contumeliis insequebantur, id tam immane scelus acerrime uindicabæs. Si illorum igitur causa, qui non omnino fuerunt ab omni labis, & impuritatis, contagione liberati, tam admiranda opera fecisti; si sacerdotio, quod uerissimi, atque sempiterni, sacerdotii imaginem continebat, te propitium rebelli multitudini præbuisti; si offensiones, illis ab improbis hominibus illatas, tam diris supplicijs ultus es; quid erit sperandum, cum Rex ille iustissimus, & sacerdos sanctissimus, qui numquam in se labem ullam impuritatis admisit, a te supplici, & assidua, uoce contenderit, ut erroribus sibi subditæ multitudinis ignoscas? & quibus tandem supplicijs excruciabis eos, qui & imperium illius recusauerint, & nomen sanctissimum maledictis conscideriut? Hæc igitur fides, & animos ad certam spem salutis erigat, & simul horrorem multis incutiat. O gentes, quæ estis in societatem tanti doni, atque muneris, euocandæ, laudibus summis Dei nostri præcellentissimum decus extollite; & in monte sancto eius, illum suppliciter adorate. Deus enim noster admodum benigne in precibus occurrit, & opem præsentissimam omnibus, qui nomen suum incensa, & inflammata, & una fide, uenerantur, semper attulit.

Dominus Deus noster.

Dominus regnauit, ira fcantur populi.

Dominus in Sione magnus.

Iubilate Deo omnis terra. Psal. 99. Apud Heb. 100.

HOc carmine gentes uniuersas, quibus nempe clarissimum lumen illuxit, exhortatur, ut lætissimis animis, & gratissima uoluntate, beneficia Diuina prosequantur, & sæpe memoria repetant errores pestilentissimos, quibus fuerant miserabiliter implicatæ, ut alacrius in luce ueritatis ipsius exsultent. Itaque ait: O populi, o nationes, o gentes ultimæ, o mortales denique omnes, qui terram uniuersam incolitis, in laudem Dei, qui uos e tantis malis eripuit, exsultate. Eratis oppressi tenebris; nunc autem clarissima luce fulgetis: multa simulacra, superstitione dira, & infausta, colebatis; nunc uerum Deum, sanctissima religione, ueneramini: tunc uos infestissimi dæmonis imperium in exitium sempiternum compellebat; nunc uero spiritus Diuinus in sempiternam felicitatem deducit: tunc (ut nihil aliud dicam) eratis in turpissimam seruitutem nefariæ cupiditatis addicti; modo autem estis Diuinæ iustitiæ sanctitati, summa cum gloria, consecrati. Domino igitur, qui uos tantis beneficiis cumulauit, cum insigni lætitia seruite; & in illius conspectum, cum laudibus, & hymnis, accedite. Intelligite, deos illos, quos errore mentis pestifero colebatis, a quibus nullum umquam fructum accepistis, deos non esse, sed animi turpissime delirantis insomnia, sed inanitatis exsecrandæ prodigia, sed monstra quedam, a dæmone fraudulenter efficta, ad generis humani pestem, atque perniciem. Solus Deus unus, & idem, atque sempiternus, infinita Maiestate præcellens; & probitate immensa præditus, Deus noster est. Ille igitur solus est summa religione colendus; omniumq. laude, in omni sæculorum æternitate, prædicandus. Cum uero nefarium, & immane, scelus, sit, honores Deo debitos, ad simulacra, & perditorum hominum monumenta transferre; tum illud superstitionis impurissimæ genus, quo quilibet homo sui ipsius amore cæcus instatur, & insolescit, & in se ipso presidia uitæ constituit, facinus est non minus exsecrandum. Qui enim ita se amat, ut in se omnia ponat, sibi quodammodo Diuinitatẽ tribuit. Superbia igitur, est, & totius impietatis initium, & interitus sempiterni fundamentum. Hæc mentes in tenebras erebi detrusit; hæc primos parentes afflixit; hæc tyrannos omni mente spoliauit; hic denique amor insanus, quo a Dei amore diuellimur, totius humanæ miseriæ causſam sustinet. Non igitur e nobis, sed ex Deo, suspensas uiuendi rationes habere debemus.

Scitote, quoniã Dominus ipse est Deus.

Nec enim ipsi nos ipsos effinximus: summus Deus est, qui nos fecit, sensibus instruxit, ui mentis, & rationis, informauit. Ab illo igitur, & non a nobis, est uitæ lex petenda, & auxilium postulandum. Neque sit quisquam tam sine mente, qui res humanas ab immensi Dei amplitudine minime curari putet. Vt enim est illius potestas immensa, ita & benignitas infinita. Eos igitur, qui sese illi crediderunt, summa cura, studio, uigilantia, tuendos, & conseruandos, suscipit. Sumus igitur populus eius, quem lege sanctissima deuinxit; sapientissima moderatione gubernat; inuictissimo præsidio defendit; sumus grex illius, quem pascuis uberrimis alit; aquis salutaribus reficit; a pestilenti contagio seducit. In illo igitur, & non in fallacissima religione, nec in nostra industria, sunt nobis uitæ nostræ præsidia collocanda. Ingredimini igitur portas sacrarum ædium, cum beneficii grata recordatione. non enim arcendi estis, ut olim; cum iam non sitis alieni, sed domestici, & ciuibus sanctis numerati. Dominum laude perpetua celebrate; de muneribus acceptis, illi gratias semper agite; gloriamq. nomini illius sanctissimo tribuite. Nam clemens, & benignus, est Dominus; & misericordia illius sempiterna; & fides illius in omni hominum generatione sancta, & inuiolata, permanebit.

Populus eius, & oues

Iubilate Deo omnis terra.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Psal. 100. Apud Heb. 101.

OPtimi principis officium est, cœlum intueri; summi, & sempiterni, principis actiones, & studia, contemplari; & inde similitudinem arripere, quam in acta sua transferat. Ea namque, quę uersantur in cõmuni uita, sine ullo respectu ad cęlestia, acq. sempiterna, turbãtur, & fluctuãt, & immoderate, iactãtur, &, tãquã nauis sine gubernaculo, ad cæcos scopulos eliduntur. Nulla est in uita securitas; nulla in multitudinis effrenatæ sensu tranquillitas, nulla in principum moderatione prudentia; temeritas, & amentia, gubernat; furor in Rep. dominatur; omnia sursum deorsum, sine ordine, sine ratione, deferuntur; neque exitus ullus reperitur, quamdiu mens est humi defixa, & non ordinem cæli, non legis sempiternæ constantiam, non sunmi rectoris sapientiam, attente considerat. Hoc quidem Dauid minime faciebat; immo, cum frequenter in cælo, mentis agitatione, & inflammato studio, uersaretur, & numquam oculos ab amplissimi Regis moderatione deiiceret, inde exemplum clementiæ, seueritatis, uigilãtiæ, puritatis, & Regię uirtutis, assumebat, quo Remp. sapientissime regeret, & res humanas ordine Diuino componeret; ut sic tandem populum, sibi commissum, ad felicem, & beatum, statum (quod Principi propositũ esse debet) quoad fieri posset, aliquando perduceret. Ad effigiem igitur imperij iustissimi, quo modo id fuerit assecutus, exponit, in hanc sententiam: Omnis, & rei familiaris, & publicæ, salus, misericordiæ lenitate, & iudicij seueritate, continetur. Misericordia enim absque seueritate, est disciplinæ laxamentum; est indulgentia, moribus perniciosa; est flagitiorum impunita licentia; est denique salutis communis euersio.

Misericordiam. & iudicũ cantabo.

Contra uero, seueritas, sine clementia, est fera, immanis, importuna, odium concitans, omnia Regis præsidia, quæ in ciuium beneuolentia, & fide, consistunt, disturbans, & dissipans. Vtrumque igitur est ualde necessariũ, ne uidelicet uel misericordia contemnatur, uel seueritas, odio multitudinis oppressa, deturbetur. In utriusque igitur rei studio simul operam nauaui, quam necessariã esse perspexi ad reip. salutem. Non tamen ita, ut mihi laudem, uel clementiæ, uel seueritatis, adscriberem. Omnia namque bona tua sunt, Domine; a benignitate tua profluunt; & ad animos nostros emanant. Carmine igitur assidue hæc tua in me beneficia celebrabo; laudesq. nominis tui, cui omnia bona mea semper accepta referam, perpetuo canam; &, cum populi sint magis exemplo

Et intelligam in uia immaculata, quando.

officio continendi, domi meæ integritatis egregia documenta danda primum existimaui, quam populum legis formidine coercerem. Itaque in eo tota mente operam ponendam intellexi, ut ab integritatis, & absolutæ probitatis, uia minime declinarem. Sed id quo tandem modo præstare potero, nisi fuero tuo præsidio fultus? Quamdiu igitur illum diem lætissimum, & iucundissimum, tui debo, quo ad me uenias, & mente meam splendore tui spiritus illustres, animumq. meum robore confirmes; ut &, quę sunt recta, & salutaria, uideã; &, quæ salutaria esse perspexero, cum facultate perficiam. Sic autem, ope tua subnixus, cum cordis integritate, & castimonia, intra domum meã uersabor. Et, quia improborum familiaritas sæpe numero puritatem uitæ contaminat, aut saltem non mediocrem laborem dedecoris adspergit, diligentissime præcauebo, ne locum ullum teneat apud me, qui fuerit infami aliquo flagitio, aut insigni malitia, contaminatus. Non igitur adsciscã, ut uersetur in oculis meis. peruersitatis, & iniurię, machinatorem, eum, qui, Diuini iuris contemptu, fraudem susceperit, odio acerbo prosequar; non patiar, ut mecum iuuatis, qui facinus scelestum conflãuerit. Cor fraudulentum, & malitiosum, a me procul abscedat: nullo enim modo maleficij contagionem sustinebo. Eum, qui secreto proximi sui uitam carpit, & falsum crimen innocentibus obiectat, exscindam. Quid enim poterit calumnia pestilentius excogitari? Ea namque decus uirtutis obscurat; bonis perniciem molitur; odium immane suscitat; discordias in Rep. serit; domos, & ciuitates, & Regna, perturbat, & communibus rebus pestem, & exitium, machinatur. Quid dicam de superbis, elatis, & confidentibus, qui tanta cordis arrogantia tument, ut eos, qui non ita magnas opes habent, præ se contemnant, & homines esse non putent; eos aliqua ratione perferam? Nullo modo. Sunt enim & humani generis hostes, & Diuinæ gloriæ, & decoris, inimici. In homines enim tenues sunt malefici; & gloriã Diuinæ probitatis usurpãt. Ita enim opibus insolescunt, atque si a se ipsis orti fuissent, & nihil omnino a Deo accepissent. Oculos igitur tantum illis adiiciam, qui in terra unice fidem colunt; &, qui pure, integre, caste, uitam instituit, mihi ministrabit. Non habitabit in domo mea, qui fraudes struit, & insidias intendit; qui mendacia concinnat, falsumq. testimonium dicit, a consuetudine mea longissime repelletur; nęque patiar, ut in oculis meis aliqua ratione consistat. Cum uero perspectum habeam, indulgentiam in scelus esse Reip. pestem, quæ, si non opportune resecta fuerit, serpet in dies, ad salutis communis exitiũ; nullumq. misericordiæ genus salutarius esse possit in morbis eiusmodi a rep. repellendis, iuris acrimonia, & iudiciorum seueritate; diluculo surgam, ut impios, qui urbem cælestem contaminant, de medio tollam; atque, ut ciuitas Domini ab omni pestifera contagione pura remaneat, omnea, qui actiones iniquas suscipiunt, supplicio extremo conficiam.

Peramabã innocentiã.

Oculi mei ad fideles terrę.

In matutino interficiebam.

Domine exaudi orationem meã. Ps. 101. Apud Heb. 102.

DAuid, multis uexatus incommodis, & concisus maledictis, & oppugnatus ab hostibus,

bus, ita conditionem suam lamentatur, ut Christi afflictiones tota mente consideret; & magis de Christi cruce, & opprobrio, quam de suo, conqueratur. Quo circa nemini dubium esse debet, quin carmen hoc, sit ad Christi cruciatum, & gloriam, præcipue referendum. Argumentum uero carminis admodum breui oratione complectitur. Oratio, inquit, homines uehementer afflicti, qui corã Deo cogitationem suam profundit. Ait deinde:

Oratio pauperis.

Domine exaudi orationẽ meã.

Domine, exaudi orationem meam, non lenter, & negligenter, emissam, sed totis animi uiribus inclutam. Nec enim me mediocre salutis, & dignitatis, discrimen urget; sed ingens, & minime tolerandum. Vocem igitur ex imo pectore profundo; opemq. tuam magnis clamoribus implоro; quos, quantum possum, oro, & obtestor, ut diligenter attendas. Imbecillitatem naturæ cernis, uulneris inflicti grauitatem sine Diuino auxilio perferre non posse. Ne igitur auertas a me faciem tuam, die, quo me angor ingentis cruciatus oppresserit; præbe clementer precibus meis aurem tuam; &, cum inclamauero, ad me liberandum accelera.

Quia defecerũt sicut fumus dies mei.

Vis enim, & robur, corporis mei, tristissimis curis absumitur; dies mei, ut fumus, aura mortifera dispelluntur; ossa mea, tamquam torris ambustus, exaresunt; cor meum, ad herbæ similitudinem succisum, exsiccatur; & tantis denique acerbitatibus afflictor, ut omnem cibi opportune sumendi memoriam deponam. Ex gemitibus, cum

A uoce gemitus mei.

acerbissimo luctu continuatis, tanta macie attenuatus sum, ut carne consumpta, pellis mea ossibus adhærescat: flebilibus modis, & lugubri querimonia, cum pelicano desertę solitudinis conferendus sum; & factus sum ciconiæ, quæ in uastitate sibi nidum exstruxit, horrida, & inculta, uitæ ratione, simillimus. Peruigilio conficior, cum dormire nequeam; & sum tamquam passer solitarius in tecto, totam noctem in querula uoce consumens. Hostes mei me, cum uerborum insigni contumelia, & asperitate, uituperant; &, qui me ludibrio habent, ad detestationem miserrimæ conditionis nomen meum frequenter usurpant; deprecantes sibi, si uerum minime dicunt, eam calamitatis magnitudinem, qua me oppressum adspiciunt. Omnes delicias aspernor; cibi suauitatem non sentio; panem, perinde, atque si esset factus e cinere, fastidio; potum meum cum lacrymis, atque fletu; commisceo. Ira namque tua multorum peccatis irritata est, & iustitia acriter infensa in me unum incubuit; uitam meam perdidit, & affli-

Tota die exprobrabant mihi inimici mei & qui laudabant me, aduersum me iurabãt.

Quia cinerem tamquam panẽ manducabam.

xit; &, ut doloris sensus esset acerbior, me in altum proposuisti, Domine, ut de altiore gradu conciderem. Me namque homines cum admiratione suspiciebant; opera mea uidentes, obstupebant; in me communem salutem positam esse statuebant. At, postquam me ex tanta dignitatis amplitudine detrusisti, sum, omnium mortalium opinione hominum, despicatissimus. Dies mei, instar umbræ declinantis, euanescunt; & ego, tamquam fenum, exarui. Quid igitur dicendum? Fidem tuam concidisse? serui tui memoriam te prorsus abiecisse? Non certe. Tu enim, Domine, ut omnia commutentur, & intereant, idem semper es; & memoria benignitatis tuæ erit in omni hominum generatione sempiterna. Exsurges igitur; & operibus meis premium clarissimum, atque sempiternum, quod positum est in generis humani salute, constitues; & Sioni misericordiam insignem adhibebis. Instat enim tempus benignitatis, & gratiæ, sempiterno consilio definitum, ardentibus hominum sanctorum uotis expetitum, & assiduis precibus efflagitatum, quo mortis administratio finem habeat, & lex spiritus uitalis, atque salutaris, emineat, atque dominetur; tempus, inquam, tantæ, & tam desideratæ, salutis aduentat. Precibus tandem seruorum tuorum inflexus, promisse salutis celeritatem incitabis, qui tanto studio Hierosolymæ cęlestis incenduntur, ut lapides illius, atque puluerem, miro amore diligant; & a te precibus enixe contendant, ut te Ecclesiæ tuæ misereatur. Non solum igitur me, qui tantos labores gratia illius pertuli; neque sanctos tuos, qui pro illius salute, & libertate, uota fecerunt, insigni misericordia, atque sempiterna, communies, & opibus immortalis gloriæ cumulabis; nec illos solũ, qui genere Abrahæ procreati sunt, & illius uestigiis insistunt; ope tua præsentissima liberabis; uerum in omnes gentes gratiæ tuæ lumen longe lateq. diffundes. Timebunt gentes nomen tuum, Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam intuentes admirabuntur. Nam ædificabit Dominus Sion; & gloria illius, nempe filius, qui est patris imago, in urbis sanctæ instauratione uidebitur. Respexit enim Deus hominum humilium preces, qui nihil sibi insolenter assumunt; sed omnia uitę presidia in Deo suo cõstituunt. Nec enim clementissimus Dominus piorum hominum postulata repudiat. Mandabuntur hæc beneficia literis, ad posteritatis sanctæ memoriam; & populus, qui fuerit noua quadam, atque Diuina, ratione creatus, perpetuo in Dei laudibus oratione sanctissima prædicandis, incenso studio, uersabitur. Nouum enim genus exoritur; nouus splendor nobilitatis eminebit; quæ non erit sanguinis propagatione, nec ex insita naturæ cupiditate, nec humano consilio, sed Dei ipsius uirtute, & Diuini spiritus fecunditate, progenita. Nam Dominus de templo sancto suo, quod in loco edito, & excelso, construxit, oculos in terram coniecit, ut eam nominis sui gloria compleret; &, è cæli fastigio, uniuerso generi humano, cum benignitate summa, prospiceret. Itaque audiet gemitus eorum, qui, uincti, in tenebris inclusi sunt; conuellet repagula; & effringet ualuas; &, qui erant morti penitus addicti, in cælestem lucem, & in sempiternam uitam, clementissime uindicabit. Qui igitur tantis beneficiis affecti fuerint, & in Diuina adoptiua peuenerint, operam dabunt, ne in ingrati animi scelus incurrant, & in Sione, hoc est in sanctorum hominum cœtu, munera Diuina referent; & Hierosolyma, cælestis Dei laudibus, a gente, noua forma claritatis illustrata, tributis, assidue personabit. Et hæc tandem fient, cum Dominus uarios populos, & nationes multas, ad cogitationem sui nominis adsciuerit; & Regna gentium alienarum esse ad Dei cultum, & sanctissimam religionem, studio

Quoniam placuerunt

Et timebũt gentes.

Quia ædificauit Dominus.

Scribantur hæc in generatione altera.

Tu autem Domine.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Respondit ei in vili virtutis suæ.

Ne reuoces me i dimidio dierum.

studio acriter inflammato, contulerint. In hoc quidem uitæ cursu Dominus uim meam acriter, & uehementer,afflixit;annosq.meos angusto spatio terminauit, ne fructum laborum meorum in hac uita mortali meis oculis ipse perspicerem. Deum meum tamen orabo; illiusq. Maiestatem obsecrabo, ne in ætatis dimidio uitam meam exscindi patiatur. Non nimiam uitæ longitudinem posco;sed tantam,quanta sat sit,ad muneris mihi commissi perfectionem. Sunt enim conserendi mores;est disciplinæ ratio tradenda;est fides sancienda;& religionis sanctitas instauranda; est offensio Dei oblitteranda;est sacrificium tibi gratissimum, pro salute generis humani, sanctissime procurandum. Si autem, ante quam hęc omnia perfecta,& absoluta,uideam,erepta mihi uita fuerit,in medio uitæ cur,me inclemeter excisum arbitrabor:postquam hæc, quorum caussa labores immensos excipio, absoluta conspexero, quocumque ætatis spatio ex hac uita discessero, me ætatem perfectam assecutum esse statuam, nec mortem recusabo.Non enim huius uitę statum diuturnum expetendum iudico, cum tandem sit mortis acerbitate delendus: ad æternitatem enim omnes meæ cogitationes,& studia,referũtur.Id enim mihi propositum est,ut omnes,qui meis institutis

In generatione,& generatione anni tui.

uiuunt,æternitatem uitæ, & immortalitatem gloriæ, consequantur. Si enim tecum fuerint amore coniuncti, in tuæ naturæ similitudinem conuersi, uita sempiterna necessario perfruętur, tamquam filij,& heredes,sempiterna religione noui fœderis instituti:anni namque tui, in omni generatione, & sæculorum æternitate, absque ulla mutatione, & uetustatis interitu, permanebunt. A principio namque tu terram fundasti; & orbes cælestes fuerunt tuis manibus facti, atque perpoliti. Ipsi tamen interibunt; tu autem eodem semper statu permanebis.Illi uetustate conficientur:eos enim, tamquam uestem,immutabis,& immutabuntur. Tu uero idem semper eris; anniq. tui nullis umquam sæculis erunt præfiniti. Filij igitur seruorum tuorum, qui, parentum disciplinis informati,Diuinam iustitiæ formam, ab omni labe puram, summo studio conseruauerint, cum sint filiis tuis annumerati, securi, in sempiternis sedibus habitabunt; eorumq. posteritas,coram te, a mortis metu libera consistet.

Filij seruorum tuorũ.

Benedic anima mea Domino & omnia. Psal. 102. Apud Heb. 103.

SI gratia gratiam natura conciliat; si ciuium animos inter se mirifice deuincit:si purę mentis testimonium dat; si principes ad benigne faciendum allicit; quid erit homine ingrato scelestius?Nam grauem offensionem concitat;ciuium coniunctionem dirimit;turpitudinem inclusi sceleris ostentat;fontem benignitatis intercludit. Tantum est enim in multis aduersus ingratos odium, ut uiros etiam natura beneficos sæpenumero a studio benignitatis auertat. Qui enim in se multos ingratos expertus est,ita plerumque restringitur,ut beneficia conferre non audeat. Tãta est autem huius carminis immanitas,ut omnium scelerum truculentiam complexa uideatur. Qui enim in ciues suos tęter est,ingratus est.Nõ enim recordatur,se eorum præsidio septum esse.Si enim in solitudine uitam degeret, præterquam quod omnibus commodis,& emolumentis, quæ ciuilis societas mutuis officiis, ultro citroque collatis,uniuersitati suppeditat,omnino caruisset,beluarũ laniatibus fuisset expositus. Qui autem parentes offendit,multo ingratior est.Nec enim gratiam referre studet illis, per quos in uitam ingressus est,& iucundissima luce perfruitur. Qui uero patriam lædit, est ingratissimus. Communem enim matrem oppugnat, cuius legibus, moribus,& institutis,& genitus,educatus, & ad omnem rationem humanitatis excultus fuerat. Si igitur,qui in ciues suos tæter est,odio dignissimus est;si is,qui in parentes,aut patriam,ingratus est, ex hominum natura exterminandus est; quid de illius infando crimine dicemus, qui summi Domini, & optimi parentis,beneficia, scelestissima oblitione contriuit?qui Deum, ad cuius bonitatem omnia etiam beneficia, quæ ab hominibus accipiuntur, referenda sunt, odio immani persequitur? qui sanctissimam legem illius perditissimis conatibus oppugnat? qui dona, & munera, quæ singulis horis,atque adeo momentis, ab immensa illa benignitate percipit,minime recordatur?Desunt uerba;mens stupet; ingenium obruitur, quoties uim tanti sceleris exprimere conamur. Cum enim memoriam Diuinæ in nos probitatis abiicimus,fidem,summo Domino datam, prodimus;pietatem,optimo parenti debitam,nefarie uiolamus; iudicia Diuina,suppliciumq. sempiternum, ingratis constitutum, contemnimus; omnia denique scelera, & flagitia, omnis uitæ interitus,omnis salutis euersio,omnis denique sempiterni cruciatus acerbitas, in hac tam impia, tã nefaria,tam pestilenti,oblitione consistit. Merito igitur uir sanctissimus, omnes animi uires excitat, ad Diuina beneficia mente gratissima, recolenda;& secum ipse loquitur;animamq. suam ad hortatur,ut assidue reuocet in memoriam,quantis a Deo beneficiis ornata,& cumulata,quam singulari præsidio septa, quam sæpe a sempiterna pestę seducta, fuerit, ne pestilens oblitio posśit in sensus irripere:impedimentoq. sit,quo minus omnis uita in sanctissimi nominis prædicatione consumatur.Ait igitur: Excita uires, anima mea;&, quantum potes, Deum laudibus assiduis uenare;& omnia,quæ intra me sunt,sanctissimum nomen Domini laudibus summis afficiant. Quidquid fuerit intimis sensibus infixum,memoriæ fidelis custodia conseruatum, rationis argumento conclusum,mentis firmo,& stabili,iudicio decretum,omnes denique curæ,cogitationes,& studia, ad Domini gloriam conferantur; hoc unum spectent; hoc propositum semper habeant; in hoc unum studium omnes animi partes incumbant; ut nomen Domini purissima,gratissima,flagrantissima,

Benedic anima mea.

Benedicta mea. & noli obliui sci.

tissima,uoluntate celebretur. O anima mea, hæc tibi summa cura sit,ut Deum perpetuo laudes;ingrati animi crimen fuge;obliuionis ignauissimæ turpitudinem detestare;& in in eo, quantum potes,elabora,ut beneficia Diuina, enumerando,recenseas. Atque primum quidem maximum illud beneficium recordare, quod multiplicis tibi iniquitatis ueniam tribuit, pœnam sceleris remisit, inflicta uulnera sanauit. Non disputo, quo modo facta,& informata,ab illo sis; quam singulari ratione, in te imaginem suam, hoc est, similitudinem ueræ iustitiæ,& sanctitatis, impresserit; quibus te beneficiis allexerit; quibus muneribus auxerit; & in quo dignitatis gradu ab eo locata sis. Illud memoro, quod omnibus his beneficijs longe multumq. ad exemplum infinitæ benignitatis antecellit.Cum enim ille iustissimus sit,iustitiam diligit;& iniuriam,& iniquitatem,odio sempiterno persequitur. Iccirco te ad iustitiam multis disciplinis instruxit, ut te secum, bonorum omnium societate,cõiungeret.At tu ab illo,per summum scelus,& improbitatem, desciuisti; iustitiæ studium abiecisti; iniquitatem uehementer amplexata es;& hoc non semel,sed sępius,effecisti,ut legem Diuinam,præ tua cupiditate nimis effrenata,contemneres.Quo facto, mortiferum tibi uulnus intulisti;uires amisisti;cunctis opibus spoliata es. Erat igitur tibi,in tanto malo, salus omnino desperanda, & supplicium sempiternum necessario subeundum, si misericordiæ illius immensitas tibi opem minime contulisset. Is, nullis tuis meritis lacessitus, sed clementia sua prouocatus, tibi libenter ignouit; morbis tuis pestilentissimis salutarem medicinã adhibuit;uitam tuam a sempiterna peste redemit, in quam admodũ furenter irruebas, nisi is te ab interitu retraxisset. Hoc satis magnum beneficium erat, ad animũ gratum, & memorem,artissimo uinculo constringendum. In ui sceleris, propter rationem offensi Dei,infinita,iram remittere? omnes morbos, quibus eras implicita,sanare? uitam ab orci faucibus eripere? te a pœnis sempiternis,quas merita eras, educere?Poterat ne maius,aut amplius, beneficium humana mente,& ratione, cogitari? Non prorsus.

Qui coronatte in misericordia.

Verum probitas immensa nullum terminum sibi præfiniuit; in quo tandem benigne faciendo consisteret.Vltra semper progreditur;& beneficia beneficiis accumulat;& eos, qui misericordię memoriam fide conseruant, maioribus in dies muneribus auget; illorumq. gloriam, & decus, miris incrementis amplificat. Itaque non satis habuit, te ab interitu sempiterno uindicare, nisi etiam te cælestibus ornamentis afficeret,&,admirabili clementia,capiti tuo coronam sempiterni decoris,& claritatis,imponeret. Accedit autem, quod,in te ornanda,& locupletãda, nullum modum statuit.

Qui replet in bonis desideriũ tuũ

Sit tibi(ut est)immensa cupiditas innata,quę nullis huius uitæ bonis expleri,& satiari,posśit;sit ardens,& infinitum,& nimis acriter incitatum,animi tui desiderium; cum magna quædam fueris consecuta,maiora, & altiora,tibi propone; nihil erit tantum,si permanseris in fide,si iustitiam colueris, & de petendi studio numquam destiteris, quod non ab eo facillime cõsequaris. Fit quidem sæpe numero,ut homines, quid sibi a Deo postulandum sit,explicare non possint. Tãta est enim humanæ mentis imbecillitas, & tanti errores uersantur in uita.Itaque, dum salutaria uehementer appetunt,noxia,atque pestifera,sibi concedi,summa contentione postulant. His quidem uotis clementissimus ille pater,qui nouit bona,& non mala,filiis suis elargiri,minime satisfacit; immo sem per inepta,& minime salutaria,bonorum uota repudiat. Quod quidem tu, anima mea, multis in locis experta es. Cum enim noxia concupiscebas,& in ea re cõparanda, quæ tibi mime conducebat, elaborabas, sine fructu preces adhibuisti; cum uero bona uera postulabas, omnia multo largius, quam optare auderes, ab illo consecuta fuisti. In bonis igitur, & sanctis, postulatis,semper expleuit desiderium tuum. Humanæ quidem naturæ uis paullatim deficit; corporis robur in dies absumitur;&,pro tenuis ualetudinis ratione, uirtutis studium languescit;animiq. uires minuũtur.At,qui Dei clementia firmati sunt, ætate minime debilitantur;sed,ut corpus senecta deficiat, animus maiores in dies uires assumit, & natura propemodum exstincta reuiuiscit.Quod quidem, experiundo, explorate cognosces. Is enim tuas uires instaurabit; robur tuum miris accessionibus cumulabit;&,instar, iuuentutis aquilarum, te spiritus nouitate confirmabit,ut in cælum euolare,lucemq. Diuinam oculis purissimis, atque maxime uigentibus,intueri posśis.Hic Dominus non amandus;hic non perpetuis laudibus ornandus,celebrandus est?Hoc præterea est animaduertendum;quam late pateat illius benignitas; quã pręsto sit omnibus, qui opem illius implorant; quam salutari ope illis, qui sunt iniuria circumuenti,prospiciat.Omnes illius actiones iustissimę sunt; & omnibus, qui calumniis sunt oppressi, caussam adiudicat. Eos namque ope sua fulcit;& illos,qui iniurias intulerant, euertit. Miseranda caligo erat terris offusa;naturæ lex propemodum exstincta uidebatur; mores erant inquinatissimi; omem uitam cupiditas immanis, atque fera libido,gubernabat;deserta uia iustitiæ,quilibet uiam suam, erroribus infinitis implicatam,furenter inibat;notitia ueræ religionis interierat; dira superstitio innumerabiles hominum nationes occupauerat; & tenebrarum princeps tyrannidem suam ualidissimo præsidio sæptam tenebat. Cum Dominus, opera ministri sanctissimi, legem,a primordio generis humani in mentibus humanis insitã,renouauit,& instaurauit. Quod erat in animis oblitteratum,fuit mandatum litteris, & in lapideis tabulis Diuinitus incisum,ne memoria tãti muneris elaberetur. Omnes hoies salutẽ appetebant; sed plerique longissime a uia salutis aberrabant,quia uias Domini,perditissimis moribus excæcati, minime nouerant. eas uias Dñs Mosi clarissime monstrauit,in quas Israelẽ deduceret, ita,ut uniuersus populus salutarem uiuendi rationẽ,Dei sanctiones,& institutа, quibus ad immortalem gloriam peruenire, explorate cognosceret.Via salutis, est in iustitiæ studio constituta; a

Renouabitur ut aquilę iuuẽtus.

Faciẽs misericordias

Notas facit uias suas Moysi.

iustitia

Universidad de Deusto
Biblioteca

iustitia declinauerãt omnes mortales;nec in eam redire ullo modo poterant,tetterrimis tenebris impediti. Huic tanto malo ,quod aliud tunc remedium poterat excogitari lege Diuina salutarius ? Hæc enim sanxit æquitatem; prohibuit iniquitatem;præscripsit honesta ; auocauit a turpitudine; hæc (ut nihil aliud dicam) insculpsit penitus in animis,esse enim Diuinam , atque sempiternam, quæ præmio bonis sempiterna proponeret, & improbis pœnas sempiternas irrogaret;ita,ut nemo posset se insciticæ excusatione defendere. Nihil me iuuit,inquit fortasse aliquis , hoc tantum beneficium. Nam,cum capite sancitum sit,si quis legem transiliat, & homo , propter naturæ fragilitatem, uitæ cursum,sine prolapsione , conficere non possit;restat,ut mors,& cruciatus, nobis singulis prope diebus immineat. Non ita est,inquit Propheta sanctus. Non enim,simul atque delinquimus, pœnæ a nobis a Deo maleficiorum repetuntur . Pænitendi enim spatium dat; ut in uiam redeamus, crebris monitis adhortatur ; libentissime illis , qui scelus confitentur,ignoscit . Est enim misericors , & clemens , Dominus ; non est concitus ad iram;non est nimium implicatus ad seueritatem; facilius ueniam impertit , quam supplicium sumat. Non continuo profundit iracundiam ; sed eam diutissime continet ; ad misericordiam uero natura ualde propensus est, ita, ut nihil malle uideatur, quam opes clementiæ suæ omnibus elargiri. Iacit ille quidem minas , ut a peccatis deterreat;pœnas etiam imponit , ut libidinem resecet; litigat illius seueritas cum hominum improbitate,ut eos tandem plagis erudiat, & quodammodo ad officium redire cogat; uerum non in perpetuum litigabit;nec offensionis memoriam perpetuo retinebit ; sed aliquando tandem gentem perculsam,& abiectam,respicit;&,quos iuste plagis afflixerat,clementissime beneficiis alliciet, & donis egregie munerabit . Itaque iudicia illius plerumque misericordia concluduntur . Quin etiam,cum in scelus animaduertit, non pro ratione sceleris pœnam statuit ; neque secundum criminis admissi grauitatem crimen ulciscitur . Multo namque leuioribus suppliciis facinora nostra persequitur , quam iuris summi ratio postulabat. Nec enim ullum satis magnum supplicium statuitur in eum,qui summi Domini imperium impudenter , & impie , detrectat ; Maiestatemq. Dei sempiterni , & immensitatem Diuinæ probitatis , offendit. Tantum porro abfuit, ut in nos pro meritis scelera uindicaret, ut potius nobis admirabili ratione amplitudinem benignitatis impertiret. Quantum enim cælestis natura superat altitudine uniuersam terram, tantum misericordiæ illius uis,robur,& amplitudo,sceleris humani uires exsuperat, ita , ut clementiæ Diuinæ magnitudo partibus infinitis excellat . Fides enim, & ueritas,in terris exorta , in cælum penetrauit;& iustitiæ Diuinas opes , & munera, ad humanum genus clementissime transtulit ; usque adeo , ut, quod fuerat humano peccato de nostra dignitate perditum,non sit cum eo,quod fuit Diuina gratia recuperatum, ulla ex parte compa-

Miserator, & misericors Dominus.

Nõ in perpetuum ira sceetur.

Quoniã secundum altitudinẽ cęli a terra.

randum . Quantum enim locorum interuallo distat ortus Solis ab occasu,tam procul expulit a nobis Dominus omnia scelera nostra . Cum igitur nostrum scelus coniunctionem , quæ nobis erat cum Deo , diremisset ; consequens fuit , ut, scelere profligato , & expulso , nobis , patrio animo,& benignitate,consuleret. Vt igitur pater est clemens,& benignus,in liberos ; ita Dominus misericordiam summa uoluntate tribuit omnibus, qui nomen suum metuunt , & uenerantur . Ita uero misericors est, ut humani generis humilitatem,& naturæ fragilitatem , & exiguę uitę breuitatem, humaniq. status inconstantiam , minime despiciat; immo , quo maior est imbecillitas , eo clarius illius erga nos benignitas splendet , cum humilitatem euehit ; imbecillitatem corroborat; mortalem condicionem opibus immortalitatis afficit ; inconstantiam Diuino præsidio fulcit, ne umquam de statu demigret. Cum enim opes Diuinæ in uasa fictilia cogeruntur , nullo modo potest tam admirabilis operis gloria naturæ terrenę tribui , sed infinitæ clementiæ, quæ Diuinitatis opulentiam cum terrestri natura communicat. Ipse namque nouit,quo modo simus effícti;& recordatur,e puluere fuisse materiam nostri corporis assumptam. Ipse namque nos e puluere finxit, ne possemus nobis ipsis,quod misericordia Diuina mirabiliter consecuti sumus,adscribere. Homo enim,iuuenta,& opibus , elatus est , instar herbæ uirentis; & , quemadmodum pratum uere flores effundit;ita & ille, splendore quodam inanissimę dignitatis,efflorescit, cum subito uenti concitantur;turbines inuehuntur;flores excutiuntur; uiriditas exarescit;&,quidquid specie quadam decoris illustratum erat, uel malorum tempestate dissipatur ; uel certe importunitate mortis obruitur, ita,ut omnis splendor euanescat . Amentissimi sunt igitur omnes,qui humanis opibus, quæ tam cito intereunt, efferuntur ; illiq. sapientes numerandi sunt,qui, opibus humanis spretis , sola Dei misericordia nituntur . Ea namque , cum sempiterna sit,nullis tempestatibus interibit ; & numquam ope salutari destituet eos, qui Domini nomen extimescunt , & in illius uiis insistunt . Iustitia namquam illius omnem bonorum posterita tẽ clementer amplexabitur. Iustitiæ namque munus est , pacta seruare . At Dominus fidem suam pactione sacratissima confirmauit; atque promisit,se numquam auxilio iustis,& iustorum posteritati,defuturum : unde concluditur,bonorum posteritatẽ sempiternam, opibusq. Diuinis affluentem , fore . Sed sapienter est animaduertendum, qui sint in sancta posteritate censendi , & qui sint a filiorum numero repellendi. Non enim profecto sunt filij, qui , cum bonorum sanguine propagati sint , ab illorum uitute,atque pietate, degenerant ; sed , qui illorum uestigiis ingrediuntur, multo magis sunt parentum monitis , & exemplis,informati, quam,corporum lineamentis, ad effigiem patrii habitus , & oris, expressi. Hi sunt, qui custodiunt pactum Domini ; qui præcepta illius memoria tenent ; non quidem , ut eruditionem ostentent;sed, ut in omni uita iussis Diuinis

Quoniam spiritus pertransibit.

Et iustitia illius in filios filiorũ

His qui seruant testamẽtũ eius

obtem-

obtemperent, & numquam cupiditatem suam Domini sanctionibus anteponant. Horum igitur dignitas nullis umquam sæculis obteretur ; horum opes numquam minuentur ; horum uita in immortali uoluptate,gloriaq. sempiterna, uersabitur . Dominus enim in cælo sempiternam sedem stabiliuit,in qua Regem,quem Sioni præfecit,collocaret , ut omnes nationes sub imperium suum,uirtute inuicta,subiungeret, & salutarem legem,ad omnium,qui eam acciperent,salutem,& gloriam sempiternam,sanciret. O mentes beatissimæ,nostræ salutis administrę ; Deum nostrum, qui tantum in nos,& tam Diuinum , beneficium contulit,laudate;& de nostra felicitate,quæ tantę curæ uobis semper exstitit, gratias agite; quæ robore summo ad expugnandas aduersarias potestates prævaletis; quæ Domini iussis alacritate summa omnibus in locis obtemperatis; quæ semper promptæ,atque paratæ , estis ad audiendum, quid ille uobis imperet,ut,quidquid fuerit imperatum,continuo faciatis . Impetum igitur hostilem a nobis reprimite;nos in uestram fidem recipite , & uigilantia uestra conseruate . Hoc enim uobis a clementissimo Domino commissum est, ut custodiæ nostri status inuigiletis. O copiæ cælestes,quæ sub signis summi imperatoris, qui peccatum profligauit,& perdidit,& mortem uiribus Diuinis exstinxit,strenue militatis, Deum nostrum assidua prædicatione celebrate ; & nobiscum de tanto bono gratias agite; nostramq. salutẽ tuendam,& conseruandam, suscipite . Estis enim uoluntatis illius administrę . Voluntas autem illius hæc est,ut salui,& ornati,simus,& uobiscum societatem gloriæ immortalis ineamus . O mundi totius concinnitas. O naturæ uniuersę partes. O nimis admiranda summi conditoris opera , usibus nostris mirabiliter accommodata;nobiscum Deo gratias summas agite;& illius clementiam in omni loco celebrate;per quem sumus e tenebris erepti,ut luce Diuina æuo sempiterno perfruamur. Anima mea,nihil aliud agas, nihil moliaris,nihil cogites,nisi, ut Deum tuum, qui te e tantis malis eripuit,tantis muneribus auxit, ad tantã gloriam inuitat,perpetua laude celebres, & omnes cogitationes,& actiones,tuæ,ad gloriam illius, studio ardentissimo , dirigantur.

Dominus in cælo.

Benedicite Domino.

Benedicite Domino omnes uirtutes eius.

Benedicite Domino omnia opera eius.

Benedic anima mea Domino Domine Deus. Psal. 103. Apud Heb. 104.

MVlti quidem fuerunt olim homines ingenio præcellentes, qui , cum intellexissent, nihil esse sapientia præclarius,oẽ studium in natura perquirenda posuerunt , & rerum cognitionem opibus,& emolumentis,& uoluptatibus,longe anteponendam iudicarunt. in quo quidem summam fuissent laudem assecuti , si non a recta naturæ speculandæ uia,& ratione , desciuissent. Primum enim , quid fieri poterat ad animi decus elegantius,quam mentem , in qua est totius animi principatus,uerissimis ornamentis excolere? Quid deinde magnificentius,quam,naturæ admiraculis,tamquam gradibus,in cælum adscendere, atque naturæ totius architecti ex operibus agnoscere,& tam præclari operis artificium contemplari?Quod si sapientia est,summam rerum omnium causam intelligere;certe,qui,naturæ operibus admirandis admonitus , summum rerum omnium Dominum,qui mundum fabricauit, uniuersamq. naturã regit,atque moderatur, agnoscit , illiusq. Maiestatem(quoad licet) cogitatione complectitur , altissimum sapientiæ fructum percipiet .

Quod quidem ei , qui ingenio ad interminatam inanitatem abuti minime uelit,erit longe facillimum. Si enim naturæ totius amplitudinem,uim, & efficiẽtiam , mente considerat , Dei sempiterni potentiam consequenter admirabitur: si concinnitatem , pulchritudinem, ordinem,totiusq. decoris splendorem,& elegantiam , ratione comprehenderit;conditoris sapientiam laudibus summis afficiet : si postremo utilitates innumerabiles, quas ex opere tam præclaro percepimus , secum reputauerit ; optimum parentem amore summo, pietate singulari , ueneratione perpetua, dignissimum iudicabit. Poterant igitur homines , qui sapientiæ laudes adamabant,in singulis rebus Diuinæ mentis sollertiam intueri , & uniuersæ naturæ conuenientiam,& ordinem , exacte perpendere;ut sic tandem possent opibus sapientiæ cumulari. Quam uiam cum,ut nimis tritam,atque pernulgatam,deseruissent,sese, effrenata quadã mente,in turbulentissimi erroris infinitatem proiecerunt ; tantaq. dementia uexati sunt, ut , quod est summa sapientia designatum,& constitutum, temeritati tribuerent;& quidam etiam ex illis innumerabiles mundos somniarent . Materiam enim, & uim,naturæ , sine mente , & concursionem fortuitam , ad mundi fabricam adhibebant ; in eoq. totis uiribus elaborabant , ut conditi mundi gloria summum totius naturæ conditorem , & Dominum,spoliarent. Sic autem factum est, ut, cum Sapientię nomen impudenter usurparent,in summo furore,& insania,uersarentur;&,miseriæ summæ tenebris impediti, nullum exitum reperirent. Sed , quo magis hi totius mentis expertes , atque detestabiles,habẽdi sunt, eo magis est uir sanctus in hoc tam insigni opere laudandus,cum nos doceat,quo studio possimus summum Dominum, in singulis naturæ operibus, admirari . Ille namque summus,atque plane Diuinus , uir habendus est, qui in re qualibet Diuinæ mentis artificium alta mente recognoscit. Ait igitur : Anima mea,quantum potes , lauda Dominum . Tum inquit, Summe Domine, quem mihi Deum sanctissimum insigni pietate,& inflammato studio,semper colendum statui;opera tua sunt magnifica, & admiranda,specie uenustatis illustria , multipli fructu salutaria ; ex quibus amplitudo tuæ uirtutis immensæ ualde perspicitur . Non quidem,ut natura præstantissimæ mentis tuæ oculis conspiciatur, quæ est , propter inexplicabilem infinitæ Diuinitatis rationem , ab hominum intelligentia remotissima ; sed signa potentiæ , & bonitatis , sunt in

Benedic anima mea

omnium

Universidad de Deusto
Biblioteca

Confessionem & decorem induisti. Amictus lumine.

omnium conspectu proposita. Es enim gloriæ ornamentis,& amplitudine Maiestatis, excultus. A principio namque omnes rerum naturas ex nihilo condidisti, in quo immensam, & infinitam, potentiæ tuæ uim insignem fecisti. Attamen,cum omnis rerũ natura confusa, & tenebris oppleta, fluctuaret, tu, ne caligo creaturis ipsis officeret, lucem confestim tenebris attulisti. Cũ enim sis lumine sempiterno,ut Regia quadam uestę, cultissimus,atque adeo totius lucis, & splendoris,origo;uerbo tuo tenebras discussisti; & omnia, quibus horrendę tenebrę erant obductę, clarissimo lumine collustrasti; ut cognosci facillime posset, præsentia tua lucem salutarem contineri; abscessuque, tenebras repente mentibus humanis offundi. Natura igitur uniuersa, & noua illa luce colluxit, & uitalem calorem, quo facilius nouis formis insignita clarescereț, a benignitate tua percepit. Atque primum cęlum,ut cortinam,quę Maiestatem occuleret, & omnes formas complexu suo contineret,dilatasti, atque perpolisti; tum illius tectum, aquis in sublime excitatis, quasi laquearibus, contexisti, ut, ea temperatione frigoris, ignibus ætheriis adhibita,aer uitalis,atque salutaris,ab animantibus spiritu duceretur.

Extendens cęlum sicut pellem.

Qui ponis nubem ascensũ tuũ.

Quod autem tunc in cęli constructione factum uerbo tuo fuit, perpetuo fit, ut excitati uapores efferantur, ut ætheris ardorem temperent,& cogantur in nubes,quibus,quasi carpentis, inuehetis, ut imbribus opportunis terram lætifices, & tempestatibus aduersis hostes exterreas; exhalationes igneę similiter superum locum natura capessunt, & in nubes incurrunt, & penetrant, & uarias in partes impelluntur; ex eo,quod in nubibus includitur, dum erumpere conatur, fulgura micant,& fulmina;quę autem extra nubes excitantur, uenti sunt. Vt autem nubibus insides; ita,uentorum alis inuectus, cum admirabili celeritate omnia tranas,&,nubium,atque uentorum, simul operis, ad terrarum fecunditatem, & aeris salubritatem, uti plerumque soles. Si enim aer immotus permaneret,non minus,quam aqua,lacubus inclusa,corrumperetur, tærerrimaq. lue cunctos mortales inficeret; dum autem uentis impellitur,ut profluens aqua,salutaris efficitur. Omnibus his naturæ motibus tu semper præsens ades; omnia imperio tuo concitantur;tibi seruiunt uenti;tibi flammæ ministrant; neque solum ea, quæ cernimus oculis,aut reliquis sensibus usurpamus, Maiestati tuæ parent,& in hominũ salute conseruãda officio suo strenue funguntur; uerum & mẽtes beatissimæ, quæ sunt a nostris sensibus ualde secluſæ,tibi præsto sunt, ut imperata cum alacritate summa conficiant. Angeli enim multo celerius,quam uenti,discurrunt; & ministri tui, facibus ardentissimis amoris inflammati, ut tibi uigilanter obediant,salutis nostræ curam suscipiũt.

Qui fundasti terram.

Quanta uero firmitate potentia Domini terram, ut coli ab hominibus posset,stabilierit, est consideratione dignissimum. Cum enim terra grauis, & concreta,sit,conuersione cælesti,undique, paribus interuallis,expulsa,locum infimum,quod est medium mundi tenet,& in eo loco,tamquã in naturali loco, consistit. Porro autem, ipsa terra, in principio, aquarum immensitate submersa, permanebat.erat igitur uasta,inculta,& inanis, cum Dominus omnipotens illam horrendo motu concussit. Quo facto, hiatus ingentes,& uoragines immanes, exstiterunt, in quas aquę, quasi quodam pauore,tremefactæ,confugerent. Tum igitur magna pars ex aquis emersa comparuit. Continuo assurgunt montes, subsidunt ualles, & in loco,quem illis assignasti, immobiles consistunt. Ne autem aquæ terras rursus operiant,illis terminum perscripsisti,quem, in iussu tuo, nullo modo transilient. Imperio tuo,scatent fontes;flumina labuntur;& colles interfluunt; animantia, quæ uersantur in agris,bibendi gratia commeant;& onagri etiam,& bestiæ,quæ degunt in siluis,sitim, aquę profluentis ubertate,restinguunt; ripas, herbarum,& arborũ, uiriditas amœnissima circumuestit;uolucres,nidos in ramis construunt;& inde uoces etiam egregie modulatas emittunt. Quin etiam montium cacumina humore cęlesti,& crebris fontibus, irrigas; ne ulla sit terrarum pars, quæ non operibus tuis culta, & opibus cumulata, sit, ad animantium saturitatem. Beneficio tuo, tellus, iumentis pabula subministrat; agricolarum labor lętissimas fruges exarat;ut hominum uitę alimenta suppeditet. Similiter & uini copia ex eadem tellure percipitur, qua genus hominum,iucunditate potionis exhilaratum,exhausti laboris memoriam deponat. Oleum,nitidam hominis faciem reddit;panis,uires hominum fulcit; & corpus,labore defessum,robore cõfirmat. Cum uero tã multis subsidiis corporis statum reficias, tum multo magis animum sancti Spiritus oleo perfundis, & pane cælesti corroboras. Arborum ingentium proceritatem,inductis humoribus, ad summam altitudinem perducis, præcipue autem cedros Libani, quas ad uarios usus humanę uitæ natura conseuit. Ibi aues nidos exstruunt;& ciconia sibi in abietibus domicilium collocat;nullum denique genus animantis est ab ope Diuina derelictum. In editis mõtibus paratum est perfugium ceruis; & cuniculi etiam cauis sub rupes abditis occuluntur. Omnibus enim insecuit Dominus statutus sui tuendi sollertiam. Luna,cursu,rata conuersione definito,tempora uarie distinguit; æstus maritimos constantissima ratione gubernat; in terris humores auget,& minuit; serendique, & metendi,opportunitates assignat;omnibus denique in rebus, quanta sit in se uis, a summo conditore penitus insita, declarat. Quid uero Solem referam?qui,cum omnia, quacumque cursum uertit, clarissima luce collustret, ordine constantissimo, pro temporum ratione,conuersionem suam desinit. Sic enim ab ortu ad occasum commeat,ut aliquando ad Austrum cursum inflectat;deinde sensim ad Aquilonem reuoluitur; ut omnes mundi regiones & luce compleat, & calore reficiat, & uim generandi formis, & animantibus, & plantis,impertiat. Noctium porro,& dierum, uicissitudines quis non uidet,quam Diuina ratione constituę sint? Dum enim Sol aduersas mundi plagas inuisit,ut omnium saluti prospiciat;homines,qui

Confessionem & decorem induisti. Amictus lumine.

Extendens cęlum sicut pellem.

Qui ponis nubem ascensũ tuũ.

Qui fundasti terram.

Super uolucres habitabunt.

Rigans montes de superioribus.

Saturabuntur ligna campi.

Posuisti tenebras.

uersan-

uersantur in hac regione, quam superam appellamus, qui diem in labore contriuerant, placido somno consopiti, reficiuntur. Nocturnis interim tenebris serpunt, & gradiuntur in agris immanes belluæ, quas die in lustra metus abdiderat. Quamuis enim multum uiribus, atque celeritate, ualeant, hominum tamen concursus extimescunt, ita, ut non audeant in lucem prodire, nisi eas necessitas extrema compulerit. Nocte igitur leones egressi,fremunt,&rugiunt, & ad prædam accelerant, cibumq. suum a Deo summa contentione flagitant. Omnes enim summa benignitas, secnndum id, quod cuiusque natura requirit,alit,atque sustentat. Simul atque splendor Solis exoritur,ferę bestiæ se recipiunt,ut in latibulis suis accumbant. Homines autem, de somno excitati,ad agriculturam reuertuntur,& in ope re suo,ad uesperum,totis uiribus insistunt. O ordinis,diligenter asseruati,constantiam. O salutarem, quietis, & laboris, certa ratione distinctam, uarietatem. Quam singulari consilio Dominus otii, atque laboris, modum terminauit? Otio namque perpetuo omnia corrumpuntur; assiduo laboreuires affliguntur; alternis autem otii, atque laboris, uicibus omnia conseruantur. Hac igitur continuata laboris, & otii, uicissitudine, agri coluntur; horti instituuntur; uineæ conseruntur; editi colles enitescunt; herbidæ ualles efflorescunt; domus ædificantur; urbes muniuntur; homines, iure sociati, in unum Reipub. corpus coalescunt. Omnia hæc opera, tam præclara, quæ ordine rationis, & otii legitimi, & laboris iustissimi, distinctione, designata, constituta, & effecta sunt, magis opera Diuina, quam humana, existimanda sunt. Deus enim legem, & ordinem, & temporum descriptionem, atque iura, præscripsit; ipseq. mentem dedit, qua omnia rite fierent, & operis mutuis publica salus incolumis permaneret. Quam multa sunt opera tua, Domine? quam admirabili sapientia sunt omnia, quæ sanxisti, moderata? Omnis Terra opibus tuis oppleta est. Quid autem est de Mari dicendum? Num statuendum est, illud esse a Diuina procuratione derelictum? Non prorsus. Est illud quidem profundum, & immensum; in eo pisces innumerabiles innatant; pusilla animantia, simul cum belluarum ingentium monstris, uel in imo repunt; uel in aqua summa ludunt; uel per medios fluctus iter aperiunt; omniumq. genus prouidentia tua conseruatur, ne ulla species aquatilis animantis intereat. Nauigandi autem ratio, quem exitum reperire potuisset, nisi tu hominum genus robore summo, industria singulari, artificio admirando, muniuisses? Quid enim est fluctibus maris horribilius? Quid humana natura fragilius? Das tu tamen hominibus animum, ut uitam suam ligno fragili committant; uentos immanes, & sæuissimas tempestates, subeant; &, ingentibus aquarum molibus immersi, necem sibi intentam singulis prope momentis adspiciant. Et tamen plerumque uotis pericula mortis effugiunt, & in portum, quem petunt, feliciter inuehuntur. Non homines, Domine, non homines, naues in alto gubernant; non tantum humana ualet industria; non tantas uires habet hominis artificium; non tantum potest usus assiduus; ut fluctus immanes superet; & a truculentissimis monstris elabatur. Tu naues dirigis, & illos, qui in te multo magis, quam in sidera, respiciunt, sæpenumero ab infimo gurgite maris educis. Quod si a te minime defensi fuissent, (ut horrificas tempestates omittam) quo tandem modo uim importunam monstri illius marini, nomine Leuiathan,euadere potuissent? Corpus enim habet, in longitudinem prodigiose distentum;uires immanes; impetus efferatos;ita, ut ei facillimum sit, quam uelit nauem impellere in latus, & in alto demergere. Quid igitur obstat,quo minus id passim efficiat? Tua prouidentia,Domine,est,quæ monstri conatus eludit; quæ illud adstrictum tenet, ne strages edere possit. In quo quidem Mundi huius imaginem expressam nobis esse uoluisti. orationes hominum, qui pacem turbant,uenti sunt;insaniæ populares, fluctus sunt; ciuiles discordiæ, tempestates sunt; uita communis hominum, est cum mari,tempestatibus summis exposito, comparanda. In hac tanta rerum inconstantia, & fluctuatione,princeps tenebrarum,qui Leuathan nominari solet,insolentissime dominatur. Quid igitur illum tenet, ne omnia repentina tempestate peruertat? Nomen tuum,Domine,est,quod illum arcet,atque refrenat,ita,ut,iniussu tuo,se loco cõmouere non possit. illum igitur eludis; illum imperio constringis;illum tibi, recusantem, & inuitum, seruire compellis; coq. tandem redigis, ut, cum maxime gloriam tuam oppugnare conatur, tum maxime tui decoris amplitudinem amentissimis conatibus illustret. Sic autem fit,ut, qui in hac uita nauigare statuit, & in te, tamquam in sidere clarissimo,mẽtis oculos defixos habuerit, ne quę tempestates ullas timeat, neque marini serpẽtis minas extimescat. Nec enim ab illis pericula tantũ propulsabis,uerum & omnia, quę fuerint illis ad uictum necessaria,ualde munifice largieris. Nec enim electi tui solum, sed omnia,quæ corpore constant, & anima,in te respiciunt, ut des illis escam, cum fuerit opportunum: quod illis dederis,colligent: aliter enim uacui, & inanes,permanebunt;& tum demum,cum manum tuam porrexeris,satiabuntur. Cum uero faciem tuam auerteris,turbatio repente consequetur. Erumpet enim morbus; appropinquabit interitus;spiritum illis eripies;& confestim deficient;corporaq. in pulue rem,ad naturã nempe,unde fuerant assumpta, reuertentur. Vnde concluditur,uitã uultus tui præsenti lumine contineri, mortem uero illius absentia. Non tamen sic omnia ad mortem tendere patieris,ut non identidem mundum nouis formis,& ornatu,reficias. Noua namque soboles orietur;filii parentibus succedent;& mundi cultus cõtinua ta generatione renouabitur. Nouitas tamen animorum,quę uirtute aduenientis spiritus efficitur, est longe mirabilior. Nam,dũ, peccatis nostris offensus,a nobis facie abducis,turbati,concidimus;

Draco iste, quem formasti.

Omnia a te exspectant.

Auferes spiritum.

Emittes spiritum tuũ.

Hoc mare magnum.

Illic naues pertrãsibũt

curis

Universidad de Deusto
Biblioteca

curis affligimur; uita spoliamur. Dum rursus in nos respicis, erigimur; luce Diuina collucemus; ueraq. uita perfruimur: gloria Domini sempiterna est, & in omni loco operibus suis oblectabitur. Vt enim in mundi primordio uidit cuncta, quæ fecerat, & erant ualde bona; sic in perpetuum, maxime autem, cum mentes sui luminis splendore decorauerit, ex omnibus suis actionibus insignem uoluptatem percipiet. Neque solum, cum benigne facit, sed etiam, cum exterret; cum plagas imponit; cum scelus ulciscitur; opera illius sunt prædicanda, summisq. laudibus efferenda. Is, adspectu, terram concutit; is, tactu, montes inflammat; uniuersa natura, in illius uultu contremiscit. Domini certe laudes, quamdiu uita suppetet, summo studio canam; omnemq. uitam in Domini gloria perpetuo celebranda cõsumam. Sit ei studium meum gratum; sit sacrificium acceptum; sit hæc nostræ uoluntatis oblatio iucunda. Hæc erit mea uoluptas; hæc animi mei requies; hoc totius temporis oblectamẽtum. Nocentes e terris exterminentur: sunt enim in Deum sceleſtissimi, impij funditus euertantur: pestiferum enim bellum cum Diuina mente gerunt. Tu uero, anima mea, in studium Diuinæ laudis celebrandæ, uiribus totis incumbe; & in prædicatione immensæ benignitatis exsulta. Laudate mecum Dominum, uniuersi, qui pietatem unice colitis; & ad cælestia, atque Diuina, altitudine mentis adspiratis.

Sit gloria Domini in sæculum.

Qui respicit terram.

Cantabo Domino.

Halleluya.

Confitemini Domino, & inuocate nomen eius. Psal. 104. Apud Heb. 105.

QVantus sit pietatis, & sanctimonię, fructus; cum legis sanctissimæ fœdus, atq. Dei promissio, quæ nẽminẽ fallere potest, apertissime demonstrat; tum uel antiquitatis ipsius grata recordatio clarissimis exemplis testificatur. Dauid igitur, ut uniuersam sanctorum hominum posteritatem studio pietatis inflammare posit, maiorum exempla proponit; beneficia illis a Deo collata luculenter explicat; gloriam, in qua uixere, nõ mediocri laude prosequitur; omniaq. tandẽ ad Dei gloriam esse reuocanda docet. Admonet igitur eos, qui a sanctis patribus orti sunt, & qui illorũ uestigia persequuntur, ut non sibi, sed Domino, a quo bona omnia deriuata sunt, gloriam tribuant. Itaque ait, Dominum perpetuo laudate; nomen illius inuocate; actiones, & studia, illius exteris etiam populis enuntiate. Diuina namque beneficia laudationem sempiternam merito, atque iure, flagitant; quanta uis insit in nomine Domini, omnium salute, atque libertate, constituta, perspicitur; cum Diuina probitate inuidia habitare nullo modo potest. Iccirco beneficia, ad quorũ spem animos uestros excitamus, cum exteris nationibus esse communicanda decernite. Vt enim in lege fuerit pro temporis ratione discrimen, lumen profecto summæ gratiæ, atque solidæ, & expressę, ueritatis omne discrimen generis longissime repellit. Nullus igitur uos ex Diuinæ probitatis amplitudine dolor attingat; immo, quo latius Dei notitiã diffundi uideritis, eo lætius exsultate. Illi canite; illi psallite; admiranda illius opera mente percipite; & de illius clementia perpetuo cogitate. Si ueritissimi decoris, & laudis, appetentes estis; intelligite, omnem spem dignitatis, & gloriæ, esse uobis in nomine Domini collocandam. Vt enim, qui simulacris immolant, & mortuos pro uiuorum salute uenerantur, summo dedecore notandi sunt, eo quod sine ullo fructu uanissima religione constringuntur; sic illi, qui uerum Deum rite colunt, opibus sempiternæ dignitatis, & honestatis, excellunt, cum omnia, quæ pura mente petũt, a summo rerum omnium Domino, tamquam a parente clementissimo, sine recusatione ulla, consequantur. Nemo igitur opibus efferatur; nemo uiribus insolescat; nemo opinione sapientiæ glorietur. Hęc sit omnibus, qui ueram gloriam adamauerint, ueritissimæ gloriæ seges, quę est in nomine Domini posita. Hæ igitur sint uobis diuitiæ; hę sint uestrę uires; hoc sit uobis ueritissimæ sapientię decus, & amplitudo; nosse summum Dominum, & opibus illius sempiternis inniti. Honoris ambitio, est nimis acerba, sollicitudinis, & angoris, plenissima; &, quo dignitates ampliores sunt, eo uehementius animos curis tristissimis afficiant. Caput autem huius acerbitatis, est in fucati honoris fallacia, & inanitate, collocatum. Non enim potest sine cura, & sollicitudine, uitam traducere, qui aurę popularis inconstantiam nimis suppliciter admiratur; & iccirco offensiones crebras extimescit; & conuersionem nimis anxie reformidat. Quod uobis, qui gloriam ueram, quæ a solo Deo manat, exquiritis, euenire non potest. Lætetur igitur semper in Domini gratia, & benignitate, cor uestrum; in eoq. tantum omnem uestram operã, & studium, ponẽdum existimate, ut Deum inquiratis, &, quę sit illius uoluntas, exploretis. Querite igitur Dominum; & potentiæ illius confidite. Querite faciem eius semper. Qui enim apud illũ in gratia fuerit, de statu conuelli non poterit; cum & misericordia Dei immensa sit, & potestas infinita. Replicate memoria opera illius admirãda, quę fecit; & prodigia illius, & oris iudicia, quæ constituit, in mentem a sidue reuocate. Bonorum enim patrocinium suscipit; impios, qui sunt infesti, bonis euertit; &, quam iuste irascatur, uulneribus insictis, enuntiat. Abraham, serui sui posteritati cõsuluit; filiis Iacob, uiri sibi egregie cari, spem in rebus aduersis attulit. Est enim ille Dominus Deus noster: non deseret igitur umquam seruos suos, nec eos, qui fide illius eriguntur, præsidio salutari destituet. Iudicia, quæ, nostre salutis caussa, contra eos, qui nos nimis acriter impugnabant, exercuit, fuerunt uehementer illustria; eorumq. fama orbis terrarũ fines admirabili celeritate peragrauit. Fœderis sui sempiternam memoriam conseruauit: uerbum namque illius nullis sęculis interibit, cum sit uniuersa natura constantius, & uis illius ad innumerabiles generationes inimitabili decreto pertineat. Primum quidẽ, cum Abraham

Laudamini in nomine sancto eius.

Lætetur cor quęrentium Dominum.

Memorate mirabilium.

Memor fuit in sæculum

ham fœdus percussit. Isaac illius filio suam iureiurando adstrinxit fidem: idem similiter pactum cum Iacob, quem nomine Israelis ad uirtutis memoriam nobilitare constituit, admodum religiose confirmauit. Neque fuit illud fœdus humanum, exiguoq. temporis spatio definitum, sed fixum, stabile, atque sempiternum. Nam, sub corporis signis, hereditatis, & dignitatis, æternitatem continebat. Sic autem dixit: Tibi dabo terram, in qua Chananæi sedes suas habent, ut in eorum loco succedas. Signum quidem erat magnum, fore, ut homines iusti in cælestes sedes immigrarent, unde fuerant mentes impiæ, atque rebelles, expulsæ. Nam, quantum ad opes humanas attinet, numquam illi patres sanctissimi, quamdiu manserunt in mortali uita, in stabili sede constiterunt. Erant enim pauci admodum numero; pauci, & peregrini, in terris ultro citroq. uersabantur. Exsules, atque uagi, a terra in terram frequenter migrabant; & ab uno Regno in aliud regnum se facillime transferebant, cum firmum domicilium minime possiderent. Quamuis tamen, ab omnibus rebus inopes, uagarisque sine ullo firmo præsidio, uiderentur, Diuino præsidio cincti, hominum potentiam minime formidabãt. Dominus enim ab eorum capitibus impetum eorum, qui illos oderant, facile reprimebat. Nolite, inquit, tangere Christos meos; & in Prophetas meos perniciem nullo pacto moliamini. Christos enim appellabat, quos non communi oleo, sed spiritus sui gratia, atque uirtute, perfuderat. Prophetas nominabat, quos opibus admirandis cuiusdam Diuinitatis instruxerat. Vnde plane perspicitur, eos, quos Dominus in fidem recipit, fore semper inuictos. &, quamuis calamitas interdum in eos inuecta multitudinis opinione uideatur, omnia tamen in eorum dignitatem, & gloriam, deferũtur. Afflixit Deus terram, in qua Iacob castra sua locauerat, grauissima fame, usque adeo, ut non modo frumentum, sed omnes etiam minutæ fruges, quibus homines aliqua ratione sustentantur, interirent. Præmiserat antea uirum, qui salutem patri, atque fratribus, prope desperatam redderet, & omnes in extremum discrimen adductos ab interitu uindicaret. Fuerat Ioseph a fratribus in seruitutem exteris hominibus addictus; quo facto, pater in grauissimo luctu diutissime uersatus exstiterat. Sed Dominus, qui nouit ex summis etiam malis bona summa frequenter elicere, hominem illum, tantis cladibus afflictum, ad omnium salutem reseruauit. Adstrinxerunt Aegyptij uinculis pedes eius. ferrum, quo se uinctum sanctus iuuenis, absque ullo scelere suo, uidebat, grauiter admodum animam illius afflictabat. Mene, inquit, per summam iniuriam, & scelus, a fratribus nefarie proditum, libertate spoliatum, ab amantissimi patris oculis, sine ulla spe reditus, in longinquas terras abductum, pœnas hominis sceleſtissimi, pro mea fide, & religione, sustinere? Et, quia tanta constantia castimoniam corporis, & fidem hero debitam, conseruaui, adulterii pœnam luere? Fuit ne quidquam in terris tanta grauitate iniustissimæ calamitatis indignius? Hęc quidem cura summe sanctum hominem sauciabat, non tamen ita, ut spem futuræ salutis abiiceret. Diuinũ enim auxilium minime sibi defuturum confidebat. Fidei autem suæ fructum amplissimum tulit. Verbum enim Domini in mentem illius penetrauit, &, quod instinctu Diuino fore prędixerat, fuit euentu uerissimo comprobatũ. Rexigitur, fama Diuinæ prædicationis impulsus, misit continuo, qui sanctum uirũ e uinculis expediret. Summus ille princeps, qui multis populis imperabat, non passus est uirtutem admirabilem diutius alligatam teneri: itaque carcerem confestim aperiri, uirumque, sapientiæ nomine præcellentẽ, ad se perduci iussit. Cum uero prudenter intellexisset, nihil esse magis Regium, quam sapere, & in posterum prouidere; illum, quem sapientissimũ esse cognouit, & domus suæ, & totius Regni, moderationi præfecit. Principes quidem Regii sapientiæ operã dabant; senes præcipue, quos ipse Rex in consiliũ adhibebat, & disciplinis, & usu rerum longissimo, uidebantur magnum sapientię gradum cõsecuti. Attamen tantum fuit Iosephi sapientiæ, auctoritate Regis ipsius, attributum, ut neminẽ iudicaret esse cum homine iusto conferendum. Illi namque disciplinis humanis erant exculti. Ioseph uero spiritum Diuinum disciplinæ cælestis magistrum habuerat. Rexigitur, qui sapiẽtiæ laudes adamabat, statuit, ut omnes principes, atque senes, qui multum reliquis hominibus gloria sapientiæ præstabant, Iosepho operam darent, & a uiro sanctissimo ueritissimæ sapientiæ rationem perciperent. Eos igitur Ioseph admodum diligenter erudiuit; & senes sapientiæ disciplinis admirandis instruxit. Cum uero fames ingraueſceret, Israel in Aegyptum ingressus est, ut a filio, cum omnibus liberis, atque familia, (quemadmodum a Deo prouisum fuerat) aleretur. Ex eo tempore, peregrinus fuit Iacob, in terra Cham. Quamuis enim tellus esset fertilis, & opima, non tamen fuit illi populo, in ea stabiles sedes habere, concessum. In eo tamen exsilio Deus populum suum numero mirabiliter auxit, & tam multis opibus instruxit, ut hostes suos interuallo longissimo superaret. Inde nata est inuidia; inde graues offensiones ortæ sunt; inde sic fuit inuersa mens Aegyptiorũ, ut eos, quos antea, beneficiorum recordatione, dilexerant, odio acerbissimo persequerentur. Moliri igitur fraudes; exstruere insidias; machinari pestem; maleficijs innumerabilibus uexare populum, hostes immanissime cœperunt. Cum uero iniurias inferre diutissime perseuerarent, misit Deus Mosem, seruũ suum, & Aaron, hominẽ, a se, ad religionem sanctissime procurandã, delectum, ut populi miseriabiliter afflicti salutem operibus admirandis expediret. Largitus est autem utrique Dominus uim Diuinam, qua portenta ederent, & signis mirabilibus Dei præsentis opem sibi adesse demonstrarent. In terra Cham misit tenebras; obduxit caliginem; prompsit miracula; omnes sanctorum minæ exitum consecutæ sunt. Nihil enim fuit ab illis prædictũ, quod non, perinde atque prædixerant, euenire. Vertit aquas in sanguinem, & pisces enecti sunt; terra ranas extulit, quę se in cubicula

Dicens, Tibi dabo terram Chanaam.

Nolite tangere Christos meos.

Et uocauit famem super terram

Ferrum pertransiit animam eius.

Eloquium Domini in flammauit eum.

Et intrauit Israel in Aegyptum.

Conuertit cor eorum ut.

Misit tenebras & obscurauit, & non exacerbauit sermones suos

Universidad de Deusto
Biblioteca

Principum intruſerunt, ut illis grauiſsimam moleſtiam exhiberent. Verbo illius inuecta eſt inſectorum colluuies, & culices in omnes regionis terminos inuaſerunt. Loco pluuiæ, uim infeſtiſsimæ grandinis immiſit; & ſimul ignitæ faces in eorum terram conieciæ ſunt. Vaſtitatem intulit uineis; peruertit calamitate ficus; arbores omnes perfregit, atque diſsipauit. Ad illius imperium locuſtarum innumerabilis multitudo turmatim in regionem uniuerſam impetum tulit; bruchorum ſimiliter infinita multitudo in omnem uiriditatem cultiſsimæ telluris inuaſit; quæ uorauit omnem herbam in agris, & omnem fructum illius regionis abſumpſit. Intulit poſtremo necem Dominus omnibus filiis, qui primi fuerant in lucem editi, in quibus parentes ſpem nominis ſui, & poſteritatis memoriam, collocarãt, & quas primum ſui ipſorum effigies in terris adſpexerant. Has quidem ſtrages edidit in Aegypto, in eos, qui fuerant Iſraelem odio acerbiſsimo perſecuti: populum uero ſuum hoſtium ſpoliis onerauit. Itaq. omnes ſuos, auro, & argento, onuſtos, eduxit; neque erat aliquis, inter eos, qui inualetudine aliqua laboraret. Tantus autem terror Aegyptios oppreſſerat, ut in Hebræorum diſceſſu maxime lætarentur.

Et percuſſit omnepri mogenitũ.

Nec enim dubitabant, quin, ſi diutius in terra illa permanerent, exitus uniuerſis, qui eos afflixerant, funeſtiſsimus appropinquaret. Viam omnes ignorabant; deſertam ſolitudinem peragrabant; Soles ardentiſsimi omnia conſumebant; nullum erat eis paratum in itinere, quod inſtabat laboris alleuamentum. Illis tamen, qui Dei imperium ſequuntur, nihil deeſſe poteſt, nec ad certæ, & directæ, uiæ rationem, nec ad uitæ præſidium, nec ad laſsitudinis requietem, & oblectamentum. Dominus enim illis ita præibat, ut die nubem extenderet, qua ab illis ardorem Solis arceret; & nocte ignem præferret, qui luce clariſsima tenebras diſpellabat. Cum carnes peterent, coturnices inuexit; eosq. cæleſti pane ſatiauit. Oſtium in petra patefecit; aquæ perennes ſubito profluxerunt; in arida, Solibusque peruſta, ſolitudine, flumina continuo labi uiſa ſunt. Vnde colligitur, cælum, terram, mare, nubes, æthera, uniuerſam denique naturam, eorum uſibus ſeruire, qui ſe ad ſummi Domini ſtudium, animo incenſo, & incitato, contulerunt. Nam, ſi tam mirabilia ſigna tunc præſentis Diuinę uirtutis exſtiterunt; quid erit exiſtimandum de rebus, quæ ſignis ipſis expreſſæ ſunt? Dominus enim recordatus eſt fœderis ſacro ſancti, quod fecerat cum Abraham, ſeruo ſuo, quo fidem ſuam firmauerat, & ſanctiſsima pactione receperat, futurum, ut humanum genus, importuna tyrannide liberatum, in gratiam ſuam reciperet, omnibusque ueriſsimis bonis egregie cumularet. Huius autem ſempiternæ libertatis, & gloriæ, illuſtrem ſignificationem dedit, futurumq. beneficium portendit, cum populum ſuum, lætitia mirabiliter elatum, & electos ſuos, magnitudine iucunditatis ouantes, ex Aegypti finibus eduxit, & in regionem admodum fertilem, & opimam, tranſtulit, quam gentes alienæ poſsidebant. Dominus enim eas expulit, ut in agris, aliorum labore cultis, ſedes ſuis quietas aſsignaret; animosq. eorum ad ſpem multo amplioris hereditatis erigeret, quæ propoſita eſt omnibus, qui lege Domini uitam perpetuo moderantur.

Expandit nubem in protectionem eorum

Quoniam memor fuit uerbi ſancti ſui.

Non enim ſanxit Dominus legem, ut, qui ea tenerentur, diſcipſinam illius uerbis oſtentarent, ſed, ut uirtutem illius uita, atque factis, exprimerent. In hunc enim finem libertatem, ſalutem, dignitatem, conſtituit; legem tam ſingulari religione, & ſanctitate, promulgauit; hoſtes Hebræi nominis afflixit; agros cultiſsimos, hoſtibus ereptos, ſuis diſtribuit; ut diſcerent, Deũ ſemper intueri; ab illius uoluntate numquam diſcrepare; illi ſemper obedire; ut ſic tandem non ſolum præſentis uitæ beneficia retinerent; ſed cæleſtia ſibi ſemper, atque Diuina, proponerent. Quantum igitur poteſtis, Deum, qui nos tantis beneficiis affecit, & in ſocietatem Diuini cuiuſdam ſtatus conuocauit, laudatione perpetua celebrate.

Confitemini Domino quoniam bonus. Pſal. 105. Apud Heb. 106.

PErſequitur ſummo ſtudio laudes Dominį; beneficia tributa cõmemorat, populi perfidiã in oculis ponit; ut ſimul ſtudiũ pietatis incendat, & ab impietatis exemplo deterreat; atque doceat, omnem uitæ rationem eſſe in animo grato, atque memore, conſtitutam. Ait igitur: Deum perpetuo laudate; Domino ſemper gratias agite: bonitas enim illius eſt immenſa, & miſericordia ſempiterna. Quæ tanta orationis ubertas, & copia, eſt, quæ Diuinæ uirtutis, & roboris, opera, enumerando, recenſeat? quę Dñi laudes, pro dignitate, exornare, dicendo, queat? O beatos illos, qui Diuini iuris ſtudio uehementer incenſi ſunt; qui omnes actiones ſuas ſemper iuſtitiæ ponderibus diligenter examinant; nec umquam a legis Diuinæ præſcripto, atque moderatione, diſcedunt. Hi namque ſunt inuicto robore confirmati, ut ex omnibus bellis inſignem uictoriam conſequantur; hi ſunt omnibus bonis egregie cumulati, ut iam, in hac uita, ſtatu quodam Diuino potiantur; hi poſtremo ad ſpem certiſsimam immortalis gloriæ, Diuini ſpiritus inflatu, & inſtinctu, rapiuntur.

Confitemini Domino quoniam

Omnia bona, quę mens humana, inſita cupiditate, quæ non poteſt ullis finibus arceri, optare poteſt, Diuinæ gratiæ complexu, & ambitu, coercentur. Memento mei, Domine; meq. gratia illa complectere, qua populum tuum fuiſti ſemper clemẽtiſsime proſecutus: da mihi ſalutem illã tuam, quam eis, qui ſe totos ad tui nominis ſtudiũ contulerunt, impertis. Sic enim bonorum affluentiã, qua electi tui fruuntur, experiundo, percipiam; ſic lętitia, & iucunditate, Diuini ſpiritus, qua gentes, quæ tibi ſunt amore deuinctę, perfundi ſolent, afficiar; ſic ſpe hereditatis ſempiternæ, ad quam omnes inuitas, qui incenſa fide uitam inſtituunt,

Memento noſtri Domine.

Spiritus

Spiritus ſancti monitu, gloriabor. Bonitas tua neminem expellit, qui uelit fieri ſtatus Diuini particeps, & gloria ſempiterna circumfluere. Sed peccata noſtra ſunt, quæ nos e tanta bonorum omnium complexione diuellunt. Nec enim parentum ſcelera deteſtati ſumus; immo, eorum exemplo, iniquitatem ſuſcepimus; religionem tuam nefarie, & impie, uiolauimus. Patres noſtri, in Aegypto opera tua uehementer admiranda mente minime perceperunt; miſericordiæ tuę magnitudinem obliuione pleniſsima ſceleris obruerunt; ad mare, inquam, rubrum, per quod illos, cum omnium hoſtium ſtrage, incolumes traduxiſti, a te nefarie deſciuerunt: beneficium fuit admirandum; hoſtium exitium obſtupendum. Spes enim ſalutis erat inciſa; hoſtes feroces, & infeſti; nullum effugium patebat; & tamen mare numinis imperio repente paruit; & per medios fluctus liberum tranſitũ præbuit; & hoſtes uniuerſos, fluctibus undique reductis, exſtinxit; & tamen gens ingrata, & impia, magnitudine tanti beneficii, & tam recentis, obligata, memoriã continuo ſalutis abiecit. Nondum a conſpectu maris ipſius abſceſſerat, cum fidem uiolauit, & a ſummi Domini imperio defecit. At Dominus, nõ eorũ meritis, atque ſanctitate, prouocatus, (erant enim magis ſuppliciо, quã ſalute, digni) ſed propter nominis ſui gloriam, ut potentia ſua, in hominum oculis conſtituta, multos a ſceleribus auocaret, & ad ſtudiũ pietatis alliceret, illis ſalutem attulit, & in Arabiæ litus omnes illæſos, abſque ulla offenſione, traduxit. Mare increpuit; maris medium confeſtim exſiccatum eſt; populum per medium pelagi, quaſi per terram deſertam, deduxit, & incolumem in litore aduerſo conſtituit. Illum de manu hoſtis immanis, & importuni, liberauit, & ex faucibus inimici crudelis eripuit; hoſtes autem inſequẽtes ita fluctibus oppreſsit, ut ne unus quidem e magnitudine tantæ cladis euaderet. Tum igitur homines uerbis Domini fidem habuerunt; illiuſq. laudes iucundiſsime cecinerunt. Itaque uidebantur in officio permanſuri, cum, repente, opera Diuinæ benignitatis obliti, illius conſilio diffidere, imperiumq. detrectare, mente prorſus effrenata, cœperunt. Atque primum, cum dapes cæleſtes ingratiſsime faſtidirent, carnium cupiditate uehementer exarſerunt, in ſolitudinis illius uaſtitate; tantiſq. perfuncti periculis, & e tantis malis, ope Diuina, liberati, Deum, in deſertis illis locis, tentandum eſſe cenſuerunt, ut periclitarentur, poſſet ne, quæcumque uellet, efficere. At Dominus, importunis poſtulatis offenſus, in temeritatis inconſideratæ uindictam, ea, quæ flagitabant, effuſe conceſsit. Non mediocris pœna eſt ea, quam Dominus irrogat illis, qui moderationi Diuinæ cupiditatem ſuam anteponunt, cum eis, quod temere petunt, elargitur, ut experti ſentiant, quam male uitam inſtituunt, qui Diuinam moderationem repudiant. Quod tunc ſatis perſpicuum fuit. Corpora namque carnibus expleta ſunt. animę uero miſeranda macie tabeſcebant. Itaque uoluptate uera, & ſtabili, carebant; & uoluptas illa fluxa, & inſtabilis, faſtidio corrupta, conſeſtim euanuit. Fit enim plerũque, ut corporis opulentiam mentis inopia conſequatur; unde curæ, & ſollicitudines, atque moleſtiæ, in rebus ad uoluntatem fluentibus, oriuntur. Inde etiam æmulationes, inuidiæ, ſtimuli, & ægritudines, animos frequenter exagitant, atque contra Deum pugnare compellunt. Qui enim ueriſsimis uirtutibus inuident, Deum, totius uirtutis auctorem, odio acerbiſsimo perſequuntur. At illorum principes, inuidia furentes, in ipſis caſtris, contra Moſem, uirum a Deo maximarum uirtutum gloria cumulatum, ſeditionem concitarunt; & in Aaronem, Diuinæ ſanctitatis laude præcellentem, furenter inuecti ſunt. Terra igitur, horrendo motu concuſſa, Dathan hiatu repentino deuorauit; & Abyron, cum multitudine, quæ cum illo ſceleris ſocietatem inierat, tumulo ſimiliter obruit; & ignis incendium, ſubito concitatum, impios, qui ſacerdotii principatum ſibi petulanter arrogare nitebantur, abſumpſit. Iam uero, ſcelus illud quantum fuit, quod non a paucis, ſed a multitudine, conflatum exſtitit, cum uitulum ex auro fecerunt, cui Diuinos honores haberent. O facinus deteſtabile, & exſecrandum. Homines, non tantum ad Dei imaginem fictos, & informatos, ſed etiam ſingularibus beneficiis, ad Dei præſentis notitiam, mirabiliter eruditos, tanto furore, & amentia, uexari, ut coram aureo uitulo, fabrili arte conflato, quaſi coram Deo, ſuppliciter, atque demiſſe, procumberent? Immemores pietatis, & religionis, immemores Diuinæ benignitatis, obliti proprię dignitatis, & infandum ſcelus in Deum ſuſceperunt, & decus ſuum nefarie prodiderunt; multiſq. modis inquinati, atque peruerſi ſunt. In ampla, & illuſtri, gloria uigebant; cum cerneretur, illos in communi pietatis naufragio, in erroribus turbulentiſsimis, quibus humanum genus erat excæcatum, eſſe ſolos, qui Deum uerum, præſentem, & in uotis, & precibus, occurrentem, haberent, cum reliquæ nationes mutis ſimulacris immolarent, & ſine ullo fructu pacem ab illis, qui ſenſu omni carebant, expoſcerent. Hanc gloriam homines amentes, & ſceleratі, nimis turpiter abiecerunt; & gloriam, Deo ſanctiſsimo debitam, ad imaginem uituli, qui feno paſcitur, ſceleſtiſsime tranſtulerunt. Neque poterant interim, ſe, communi erroris excuſatione defendere, cum reliqui mortales, qui in eodem errore uerſabantur, non iiſdem diſciplinis fuiſſent inſtituti, ut eis adeo facile fuiſſet, ueri Dei notitiam capere. At illi, qui maiorum exemplis, qui ſalutaribus diſciplinis, qui ſignis admirandis inſtituti, & eruditi, & muneribus Diuinis affecti, & cæleſtibus ornamentis exculti, fuerant, nullam excuſationem, quantumuis leuem, & ineptam, ſceleri poterant obtendere. Obliti ſunt Dei ſui, a quo fuerant ſalutem conſecuti; cepit eos obliuio operum mirabilium, quæ in Aegypto perſpexerant; memoria minime tenebant illa miracula, quę Dominus in terra Cham, eorũ gratia, cũ pernicie regionis, ediderat; nec illam quidẽ horrificam cladẽ, qua hoſtes ſuos, maris Rubri fluctibus oppreſſos, adſpexerãt, in mentẽ reuocabãt.

Peccauimus cum patribus noſtris.

Et irritauerunt Moſem.

Et fecerũt uitulum in Horeb.

Obliti ſunt Domini, qui ſaluauit eos.

Et ſaluauit eos propter nomen ſuũ

Cito fecerunt, obliti

Universidad de Deusto
Biblioteca

Omnia Diuina beneficia, amplitudine maxima, nobilitate clarissima, temporis opportunitate gratissima, sunt ab illis ingratissima obliuione delata. Tam scelesti igitur facinoris immanitas acerrimam uindictam flagitabat; & uirtus Diuina eorum exitium iure, atque merito, comparabat; & gens funditus euersa fuisset, nisi Moses, uir, propter excellens uirtutis decus, Deo carissimus, se medium interposuisset, ut impetum Diuinæ seueritatis exciperet; &, si fuisset opus, plagam, multitudini debitam, pro omnium salute sustineret.

Et dixit ut disperderet eos.

Nullum enim sacrificium est caritate gratius, & magnificentius; maxime uero, cum a principe Reip. fit: tunc enim maxime Princeps Regia uirtute perfungitur, cum uitam suam pro iis, quos tuẽdos suscepit; in discrimen iniicit, & iccirco nihil placando Deo cogitari potest efficacius. Necesse enim est, ut excellens bonitas, sit summæ, & immensæ, bonitati carissima. Cum igitur ira Diuina sceleri multitudinis totius infensa desquiret, & munitiones, quibus populus antea uallatus exstiterat, disturbaret; Moses se, tamquam uir fortissimus, & salutis communis amantissimus, in ruina dissectę munitionis opposuit, ut pro omnibus omnia supplicia pateretur. Tanta enim contentione Deum orauit, ut se ipsum omnibus summis cruciatibus deuoueret, dum impetum Diuinę indignationis a multitudine sibi commissa reprimeret. Hęc igitur sanctissimi uiri caritas, Dei iram retudit; impedimentoq. fuit, quo minus uniuersa multitudo, plagis euersa, concideret. Non enim erat scelus eorum tolerandum, neque crimen mediocri supplicio uindicandum. Primum enim, terram, bonis omnibus affluẽtem, in quam ducebantur, quæ regionem sempiternam fructuũ copia, & ubertate, adumbrabat, contemnebant; deinde, fidem Diuinis promissis non habebant; tum, in tabernaculis suis in Deum conuicia perpetuo iaciebãt; postremo, cum proiecta audacia, & impudentia, summi Domini imperium detrectabant. His igitur criminibus offensus Dominus, manum suam iurisiurandi gratia sustulit, ut eos sterneret in illis desertis locis; ut eorum sobolem in exteras nationes expelleret, & in uarias regiones dissiparet. Adeo erant in peccatis obfirmati, ut, nullis minis propositis, nullis exemplis editis, ab institutis impuritatibus deterreri possent. Itaque, Dei religione neglecta, superstitionis impurissimæ iugum, instigante libidine, subierũt; & hostias, mortuis immolatas, ritu sollemni comederunt; Deum in se, studiis, & actionibus, scelestissimis, incitauerunt: quo facto, fuit illis plaga uehemens imposita. Phineas autem, erectus religionis studio, constitit; offensumq. Deum, & ardentissima oratione, & clarissima actione, placauit; & plaga continuo repressa est; ut clare cerneretur, iram Diuinam sanctorum hominum precibus auerti, & sæpe numero retardari, ne rerum omniũ strages edat. Viro autem sancto, opus illud fuit, insigni iustitiæ documento, tributum; & ex eo sanctissimi sacerdotij prẽmium sempiternum consecutus est. Grauissimam similiter offensionẽ Deo ad aquas cõtentionis attulerunt. Iam sitim aquis perennibus, quæ in principio, cum Deum tentarent, effluxerant e petra, restinxerant: Iam famem non solum pane cælesti, quem fastidiebant, sed inuectis etiam carnibus, quas flagitiose nimis appetebant, sæpe depulerant, & singulis diebus præsentissimi Dei signa clarissima sentiebant, cum de integro, quasi nullum beneficium accepissent, perfidiam suam conuicio testificati sunt; &, quanta improbitate, Diuinæ clementiæ, toties perspectæ, & cognitæ, diffiderent, indicarunt. Tanta uero fuit criminis huius indignitas, ut Moses, in stomachum erumpens, oratione delinqueret, & iram in se Domini prouocaret. Vir enim sanctus, eorum scelere lacessitus, mentis compos esse non poterat; & ita factum est, ut non uerba, quæ fuerat iussus, sed quæ ardor iracundiæ illi suggesserat, efferret. Itaque, in illa solitudine, sic se omni uiuendi ratione gesserunt, ut Deo plerumque, cõtentione summa, repugnarent. Quid, postquã in possessionẽ promissæ regionis uenerũt? Num fide, & officio, uitam ita moderati sunt, ut metus eos cõtineret, ne parentum flagitia sectarentur? Nihil minus. Fuerat illis gentium familiaritas interdicta, ne, externis moribus obliti, sceleribus infandis, Deũ in se acerrime concitarent. Ea autem de caussa iussi fuerant gentes illas uniuersas exscindere, ne ullum uestigium, in terris illis, sceleris infandi, impressum, ad impietatis exemplum remaneret. Insanabiles enim partes ferro resecandæ sunt, ne uitium, illarum cõtagione, serpat ad corporis totius exitium. Ergo, cum gẽtium illarum pestiferi morbi ad summum peruenissent, non erant humanitate periculosa curandi, sed extremo supplicio coercendi, ne funesta familiaritas mentes, quæ sanitatem aliquam retinebant, inficeret. Hoc imperium Domini populus scelerate contempsit; &, dum contra Domini præceptum misericordiam indignis tribuendam esse constituit, se ipsum in extremam miseriam præcipitem dedit. Homines enim, salutis suæ obliti, se cum gentibus coniunxerunt; & opera illorum didicerunt; simulacra eorum coluerunt; e quibus ipsi sibi grauissimas, & maxime pernicioſas, offensiones excitarũt. Filios enim suos, & filias suas, dæmonibus immolarunt. O scelus dirum, & exsecrandum. Legem Domini contempserunt; sanguinis caritatem repudiauerunt; iura humana perfregerunt; nec iustitię Diuinæ metus, neque amor, in sensibus erga filios penitus insitus, nec innocentiæ recordatio, feros, & immanes, homines a tanta immanitate reuocauit. Et, cum puerorum infantium interim lugubres querimonias, & eiulatus, audirent, & se parentes appellari cernerent, nullo sensu humanitatis emolliti sunt, ut uisceribus suis ignoscerent. Itaque sanguinem innocentem effuderunt; sanguinem, inquam, non alienum, sed filiorum, & filiarum, ut sacrificarent falsis numinibus, quę gens Chananæa, scelesta, & impura, Deoq. uehementer inuisa, pernicioſis erroribus infecta, colebat, effuderunt. Terra igitur, innocentium sanguine, per summum scelus, imbuta, uindictam flagitabat. Homines enim, qui legem Diuinam acceperant, qui sanctis disciplinis instituti fuerant, qui maiorum exemplis in ueriſsimæ pietatis studiũ incitari potuerant, operibus impurissimis, & uitiis lutulentissimis, inquinati sunt; seque, per summam adulterij exsecrandi turpitudinem, a Dei summi coniunctione distraxerunt; &, dum contra Dei præscriptionẽ hostibus Diuini nominis ignoscunt, ut infestissimis dæmonibus gratificarẽtur, filios suos dilacerant. Iratus est Dominus uehementer populo suo, usque adeo, ut gẽtem, quam, ut singularem hereditatem, singulari præsidio tuebatur, abiiceret, suoq. præsidio destitueret. Tradidit eos potestati gentium; immanemq. dominatum eorum, quibus grauiter odioſi fuerant, cũ doloris acerbitate, & dedecoris ignominia, perpessi sunt. Afflicti sunt ab hostibus immanissimis; & omni cõtumelia deformati sunt ab inimicis suis. At uero Dominus eos sępenumero exærumnis, quibus oppressi erant, eripuit; illorum tamen improbitas cum Diuina clementia, & benignitate, certabat; & consiliis suis cælestem Deum irritabant; & iniquitatibus suis plagas frequenter accipiebant. Et tamen, cum essent in angustiis, eos respiciebat, eorumq. preces audiebat. Et memor fuit fœderis, quod fecerat; fore nempe, ut eos, quoties in uiam redirent, in gratiam, & fidem reciperet, & in libertatẽ cum dignitate uindicaret. A seueritate igitur, quasi se pæniteret malorũ, quibus eos afflixerat, clementissime reuocatus, illis misericordiam summam impertiuit. Sic autem immutauit animos eorum, qui eos oppressos graui dominatu tenuerant, ut eis misericordiam tribuendam iudicarent, & liberos, cum rebus omnibus suis, in patriam redire permitterent. Nam, ut omnia sunt infesta illis, qui fidem uiolant, & summi Domini imperium recusant; ita plerumque fit, ut omnia sint illis propitia, quibus Dei ira placata fuerit. Salua nos, Domine, qui noster Deus es; & cuius immensa benignitate nitimur, atque confidimus; &, qui perfidia dispulsi sumus, & gentibus alienis, cum insigni dedecore nominis, admixti, simus tandem, fide, in unam pietatis consensionem, cum amplificata dignitate, reuocati; ut tum demum tibi gratias immortales agamus, nominisq. tui sanctitatem, qui genus humanum a peste sempiterna, mirabili ratione, redemisti, celebremus, & insigni clementiæ tuæ laude glorie-
mur. Laudibus summis, atque sempiternis, exornetur Dominus Deus, qui sobolem Israelis uniuersam, fidei uigentis satu procreatam, gratia sua complectitur. Omnes populi, una mente, sensu, ratione, in Dei gloria prædicanda consp̃irent; si quidem ad omnes, qui eadem pietatis uestigia persequuntur, Diuinæ gratiæ fructus, & amplitudo, peruenit. Omnes igitur Dominum, incensa, & inflammato, studio, celebrate. Cum enim neque rationis cultus gentes in officio contineret; neque lex Hebræam nationem a flagitiorum omnium colluuie uindicaret; uniuersumq. genus humanum esset multis criminibus alligatum, sempiternisq. pœnis obnoxium; illuxit splendor Diuinus in tenebris; & sempiterna lux omnibus simul allata fuit; ita, ut ab omnibus, & Hebræis, & gentibus, qui lucem gratis animis amplexi sunt, sint laudis sempiterna, cum purissima religione, facienda.

Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.

Et eleuauit manũ suam

Et irritauerunt eũ ad Aquas contradictiõis.

Et distinxit labiis suis.

Non discesserunt gentes.

Et memor fuit testamenti sui.

Et iratus est furore Dominus.

Saluos nos fac.

Confitemini Domino quoniam bonus. Psal. 106. Apud Heb. 107.

NVllum genus est calamitatis, nulla doloris acerbitas, nullus angor, nulla sollicitudo, quę nõ Dei clemẽtia subleuetur, dum modo fides minime langueſcat, & auxilium Diuinum sit uehementer, & acriter, & constanter, efflagitatum. Nec enim perennis fons immensæ benignitatis exhauriri, neque fides sempiterna deficere, neque potestas immensa debilitari, & impediri, potest, quo minus, & bonitate sua perfungatur, & promissa cumulate conficiat. Hoc quamuis summatim dici possit, Danid tamen multo grandius, & lucũlentius, hanc sententiam, & cum multo maiore fructu, explicandam suscipit, cum ærumnarum partes exponit, & docet, in omnibus illis subsidiũ Diuinum, cum est opportunitas, festinanter occurrere. Itaque ait: Laudate, gentes uniuersæ, Dominum: illius namque bonitas, illustris, & ampla, est; & misericordia sempiterna. Qui Dei misericordia fuerunt a peste redempti, & ex angustiis educti, in quas eos res nimis aduerse compulerant, admiranda opera illius enarrent. obsessi uallo, fossa, uineis, aggeribus, exercitus ferocis, & infesti, multitudine tenebantur; omnium rerum penuria laborabãt; hostis acer, & immanis, exitiũ minabatur; omnis spes salutis erat incisa; cum fides erecta clamorem sustulit, & auxilium Diuinum e cælo missum repente fuit, quo omnes, qui opem imploraurant, salutem, cum hostium euersione, consecuti sunt. Cum uero, amplificata scelerum colluuione, hostes uictores, populum, Diuini iuris contemptorem, in uarias regiones dispulissent; & populus, hostium immanitate uexatus, & afflictus, scelera sua in memoriam reduxisset; totoq. animo ad Deum conuersus, opem suppliciter efflagitasset; fuit continuo ab impotenti hostium dominatu liberatus, & in patrias sedes restitutus. Clementissimus enim Dominus alios ab ortu Solis, alios ab Austro, reuocauit; alios similiter ab Aquilone, & alios ab Occidente Sole, reduxit; ut omnes, tandem, fidei uinculo deuincti, una mente, & una pietatis consensione, sociati, uota summo Deo nuncupata persoluerent. Vt autem antiquiora repetamus; cum homines deserta peragrarent, & in uastissima solitudine uersarentur; minimeq. uiam tenerent, qua in terram, ab hominibus cultam, & ciuitatem aliquam, peruenirent, cum, fame, propemodum confecti; & siti ardentissima cruciati, deficerent; & in eas angustias adducti essent, ut spem uitæ omnino deponerent; ad Dominum clamores ediderunt, qui eos ex angoribus, quibus oppressi erant, exemit, & ex ærumnis eripuit; atque tandem recta uia in sedes, hominum cultu nitidas, frugumq. ubertate, & copia, redundantes, induxit, in quibus commode,

Cõfitemini Domino quoniam bonus.

Errauerũt in solitudine.

atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

atque libenter,habitarent. Hi igitur,Domini misericordiam perpetua laude celebrent; & opera illius admiranda hominibus cunctis annuntient. Is enim est,qui animam opibus ditat; & esurientem dapibus explet, neque soluni corporis famē depellit,uerum etiam mentem diuitiis sempiternis egregie cumulat. Qui tenebris inclusi sunt, quibus est caligo mortis offusa, qui ferro uincti detinentur;in sordibus,atque luctu, iacent. Venit enim tunc illis in mentem scelerum, & flagitiorum, quibus in se uirtutem Diuinam incitauerant. Diuinæ namque legis imperium obstinate recusauerant;Domini consilia, flagrantes furore, & amentia,cōtemserant; effrenatam impotentis animi cupiditatem Dei moderationi longe prætulerant: quo factum est, ut, Dei openudati,in acerbissimas calamitates inciderent. Afflixit enim Dominus eorum animas; &, dum studiis suis obsequuntur, in graues ærumnas incurrunt, ab omni auxilio derelicti. Ipsi namque, sibi opitulari non possunt;quam fallaces sint spes, in hominibus positæ,in afflictionibus experiūtur; Deum a se factis fœdissimis alienarant. reliquum erat igitur,ut omnem spem salutis abiicerent. Et tamen, cum se uiderent malis undique circumuallatos,ad ipsum Dominum, quem grauiter offenderant,cuius Maiestatem læserant,cuius iura conculcauerent,clamauerunt,qui, ad misericordiam confestim inflexus,illis salutem attulit.Eos enim e tenebris,& ab offusa caligine mortis, eduxit; & uincula,quibus erant adstricti,perrupit,ut eos in lucem,& libertatem,uindicaret. Ille namque est, qui peccati tyrannidem delet;& eos, qui Sataną uinculis impediti sunt,cum primum scelus agno scunt, & ueniam petunt, e uinculis eripit, & in amissum dignitatis splendorem, admiranda beni gnitate,reducit. Ergo & hi, Domini misericordiam perpetua laude celebrent. Is enim æneas portas effringit, & uectes ferreos inuicta uirtute conterit,ut unctos ex inferorum manium potestate liberatos in hereditatis sempiternæ possessionem mittat. Furiosi,& insani, homines, Domini uiam deserunt;flagitia infinita suscipiunt;iniquitatem, & iniuriam,conflant; itaque peccatis suis in graues morbos incidunt;anguntur;afflictantur; nimis dolenter ingemiscunt; omnem cibum, cum grauissima offensione, repudiant;mortis imminentis formidine perterrentur; clamores tandem in extremæ calamitatis angore tollunt; Dei misericordiam suppliciter implorant, qui illorum delictis non impeditur,quo minus eis salutarem medicinam adhibeat, & ex omnibus calamitatibus eos eximat. Mittit igitur uerbum suum, & sanat eos;& ex omnibus acerbitatibus, quibus miserrime conflictabantur,educit. Hi etiam Domini misericordiam perpetua laude celebrent; & opera illius admiranda gentibus cunctis annuntiēt; & sacrificent Domino sacrificia laudis; & opera illius,cum lætissimis,atque gratissimis,acclamationibus, enarrent. Ita enim misericors est, ut omnibus, quos impuritatis, atque flagitii,ualde pœnitet, & ad se toto animo conuertuntur, clementer ignoscat,& summis etiam muneribus,atque donis,afficiat. Quid illos oratione commemorem, qui naues conscendunt, & se mari committunt,in gentis lucri expectatione cōmoti,& incitati? Num parum explorate cognouerunt, quam mirabilia essent opera Domini in Maris ipsius profunditate? Imperat uerbo Dominus; accurrunt uenti; excitantur procellæ; & fluctus immanes exsurgunt; & nunc ita sublimes efferuntur, ut cælum respergant; nunc adeo deprimuntur, ut in sedes inferas;ruina præcipiti,deturbentur; animi eorum,qui nauibus uehuntur, pauore nimio consensi,atque liquefacti,diffluunt. Non est uis; non est consilium; non est industria; nulla denique spes salutis ostenditur. In orbem enim circumferuntur; tamquam ebrij, motibus turbulentissimis agitantur; nauticum artificium,superatum malis,absumitur; omnia tandem miseris hominibus exitum funestissimum acerrime minitantur. In hac summa salutis desperatione,homines,in summas angustias adducti, uoces in cælum mittunt; opem Diuinam flagitant; Deum summa contentione, & studio, deprecantur; misericordiam, quæ semper supplicibus,sine discrimine ullo, patuit,fidenter implorant;& Dominus,eos ex omnibus malis,in quibus uersabantur, extrahit,& incolumes in portu constituit. Itaque tempestatem sedat;fluctus compescit; mare tranquillat; homines, læti, compressa tempestate, gaudent; & eo, quo uolunt, ipsius Domini clementia, perducti, feliciter inuehuntur. Hi igitur, Domini misericordiam,perpetua laude,celebrent;operaq. illius,nimis admiranda,gentibus cunctis annuntient;extollant illum,in hominum concione; & in senum consessu, laudibus summis, clementiam illius, grata, atque iucunda, commemoratione, prosequantur. Aliter enim,in offensionem illius incurrent; omniumq. bonorum inopia grauissime laborabunt; & extrema indigentia cruciabuntur.

Sedentes in tenebris.

Qui descendunt mare in nauibus.

Quia cōtriuit portas æneas.

Suscepit eos de uia.

Exsiccat enim flumina;& terras irriguas humore destituit,ut,quæ prius erant egregie cultæ,uastitate penitus obruantur, &, Solibus exustæ, horrorem incutiant. Illius enim iussu fontes euanescūt, & siluarum amœnitas in solitudinem horridam redigitur. Terra fertilis,& opima,quę fructus egregios,& uberes,efferebat,propter cultorum improbitatem,in ducta salsugine,sterilescit, ut omnium rerum pœnuria crucientur ingrati,qui Diuinis beneficiis,ad quotidianum incrementum immanissimi sceleris,abutuntur. Vt enim quinque ciuitates,cælesti incendio peruastæ,sic congesta mole salis obrutæ fuerunt, ut numquam tellus illa posset aliquid ex se fundare, quod ad uitam sustentandam aliquam uim haberet; sic multæ aliæ regiones, quæ satis commode colonos alebant,fructus solitos efferre destiterunt,ut in sceleris uindictam hominum improborum spem omnino præciderent. Contra uero, idem Dominus terram sterilem,& aridam,& loca deserta, perennibus aquis replet:nam fontes aperit;& stagna,in faciem terræ,nimia siccitate uastatæ, clementer inducit, ut suorum sitim restinguat,& ex arida tellure uiditatem eliciat,&,quod erat horridum,& incultum, amœnissimis plantis exornet: quemadmodum in deserta Arabiæ solitudine fecit, cum, illius imperio, fluuij e rupibus profluxerunt. Similiter etiam faciet,ut, qui Diuinæ legis cibis iucundissimis alebantur, & gratiæ fluentis potu suauissimo mentem reficiebāt,postquam ad scelus summum peruenerint,intabescant fame;crucientur siti;nullumq. sentiant, in summa bonorum pęnuria, & egestate,sollicitudinis,& angoris,alleuamentum. Contra uero, qui rerum omnium inopia laborabant; qui legem Domini prorsus ignorabant;&, fame,atque siti, Diuinæ gratiæ in tabescentes,absque ulla spe salutis interibant, Diuini spiritus affluentia lætabuntur;& ex cælestibus cibis miram iucunditatem percipient. In locis igitur deseris, in ferarum latibulis, in serpentium lustris, postquam aquæ perennes fuerint inductæ, mirabilis celebritas, atque frequentia, uidebitur; fructus uberrimi proferentur;ibi famelici,ut fruges lætissimas exarent, a Deo collocabuntur; ædes exstruent;& urbem muris cingent; & mœnia excitabunt;ut,sine ullo metu, cælesti præsidio muniti, conquiescant. Sementem facient; uineas conserent;fructus uberes colligent;omniaq. tellus bene culta illis egregie, atque munifice, suppeditabit. Ipse namque Dominus, a quo bona cuncta proueniunt,illos beneficiis augebit; eorumq. genus multiplicabit;neque iumenta quidem eorum erunt imminuta. Vbi enim gratia Diuina uiget, inopia locum habere non potest. Verum, cum humana natura sit procliuis ad luxum, inclinat, & labitur, & in dies cupiditate cæca iniquitatem sitscipit;omnia rursus immutantur; & Dominus in illos,quibus erat propitius,iram suam promit.

Posuit flumina in desertum.

Et collocauit illic esurientes.

Posuit desertum in stagna aquarum.

Et pauci facti sunt.

Itaque rursus minuuntur;abiciuntur;morbis,angoribus, sollicitudinibus, afflictantur. Præcipue uero,in principes acriter,atque uehementer, inuehitur. Cum enim insolentius efferuntur;cum humanitatis,& æquitatis, obliuiscuntur; cum non, quod munus sibi commissum sit, sed quanta potentia a multitudine sibi permissa sit, sæpe cogitent; non ut Reip. saluti prospiciant, sed ut opes suas accessionibus infinitis adaugeant; iura Diuina,& humana,uiolant; subditos imperio infinito diuexant;prædas ex suorum bonis agunt; nec,ut diligantur,sed,ut metuantur,elaborant;nihil tranquille,& moderate,sed omnia uiolenter,& temere,transigenda censent. Hanc effrenatæ mentis impotentiam,& animi superbi, & insolentis, immanitatem, Deus meritissimis pœnis ulciscitur. Offensiones excitantur;odia prorumpunt;imperium contemnitur;opes in dies minuuntur; eoq. tandem uis,& impetus,hominis, malefici, & iniusti,redigitur, ut nullum exitum reperiat; &, quo maiorem operam in status sui defensione ponit, eo citius bonis omnibus spolietur. Semper enim errat,qui iustitiæ uiam deserit;furore,& amentia, flagrat,qui lege uitam minime moderatur;in interitum ruit,qui contra ius, & fas, opes amplificat; insigni dedecore, & ignominia, maculatur, qui gloriam ex iniusta potentia, & non ex uera uirtute,comparandam existimat. Sic igitur fit,ut multi mortales ab eo principe deficiant,cuius nequitiam despiciunt, & immanitatem odio persequuntur. Tyranni igitur,Dei iudicio,a uia salutis aberrantes,in pestem furenter irruunt. At inopes, qui ab illis erant oppressi,ipsius Domini misericordia subleuantur, & ab omni calamitate seducuntur;&,tamquam oues, illius custodia pascuntur; & genus, non tam sanguinis propagatione, quā disciplinæ salutaris institutione, multiplicāt. Hæc uidebunt iusti;& lætabuntur; & impudentia iniquorum conuincetur, ut uocem mittere non audeant. Quis igitur sapiens est? Quis sapientiæ nomen iure,atque merito,consequetur? Non certe,qui mentem a Deo alienam gerit;& fraudibus, & iniquitate, gloriatur; sed, qui hac omnia secum animo meditatur; &, cum intelligit, quam insignis,& ampla,sit Domini misericordia, omnē uitæ,salutis,dignitatis,amplitudinis,rationem in illa tantum reponit.

Effusa est contentio, super principes.

Et adiuuit pauperem.

Quis sapiens? & it.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Psal. 107. Apud Heb. 108.

HOc carmine Regnum Christi, & gentium conuersio,celebratur;& eadem uerba repetuntur, quæ Psalmo quinquagesimo sexto continentur. Animaduertendum tamen est,cum Hieronymum fuerit bellis assiduis, non modo gentium alienarum,uerum & Hebræorum, afflicta, & Regnum Iuda Regni Christi imaginem gesserit, factum esse, ut, hostium illorum nomine, qui Iudæos armis frequenter impugnabant,hostes Diuini nominis designarentur; quorum tandem quidam, Christi spiritu demōti, legem illius acceperunt; quidam uero, iudicio illius funditus euersi, conciderunt. Iucundissimæ autem harmoniæ,modulati concentus, ex Diuinæ mentis afflatu funduntur. Nulla enim est musicæ lex;nullus modus; nulla concentio;nulla carminis elegātia;ubi Spiritus sanctus abest. Ex illo namque solo prouenit illustratæ mentis splendor, ingenij cultus excellens,ornatusq. Diuinus;quo omnia,quę disciplina illius traduntur, memoriæ sempiternæ conseerari ualde luculenter,& commode,possint. Boni igitur,atque diserti,auctoris,est,omnia mentis impedimenta repellere; animumq. præparare, ut in se lumen Diuinum,& robur, (quo ad fieri possit) accipiat; ut tum demum cælestia, atque Diuina, contemplari,&,quæ contemplatus fuerit, exornare,dicendo, & canendo, queat. Præparatio quidem, nullo modo, sine pulsu, & inflatu Diuino, fiet. Attamen,cū in potestate cuiuslibet positum sit, aut Diuinum munus aspernari, aut ualde libenter amplecti;&,cum alij molles, & languidi, & eneruati;alij uero acres,& uigilantes, & animosi,sint;& id,quod cupiunt,ualde cupiant;ille dicitur animum præparare, qui non modo monitis Diuinis obsequitur,sed etiam ultro, atque libenter,obuiam procedit; seq. ipsum modis omnibus excitat;nihilq. prætermittit,quo possit largius,& magnificentius,ope,& gratia,Diuina cumulari. Quod cum Dauid nimis industrie, & uigilanter, effe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

effecisset,sic expletus erat Diuinis muneribus,ut extra se longissime raperetur,&, Christi Regias opes intuens,mirabiliter exsultaret. Ait igitur:

Paratũ cor meum.

Paratum est cor meum,Domine. Nec enim cupiditas me diuersum trahit; non libido me stimulis exagitat; non ambitionis curæ sollicitant; nihil est denique, quod me prohibeat, ne in Diuinarũ rerum studium totus incumbam. Acriter igitur me incensum,& incitatum,perspicio,tantoq. Diuinæ uirtutis amore flagrantem, ut non possim me continere,quin uocibus maximis,omnibusq. musicis instrumentis, laudes summi Regis canã, &,carminibus egregie modulatis,uictorias illius, quantum mihi concessum fuerit, exornem. Hæc enim mea gloria est;hoc meũ decus egregiũ; hęc nominis mei claritas sempiterna. Regẽ cęlestem, qui ex stirpe mea oriundus est, pura mentis acie contueri; sanctissima religione uenerari; in illius nomine omnem spem dignitatis,& immortalitatis,reponere. Exsurge,testudo;exsurge,cithara; & laudes Domini mecum concinite. O quis uideret illum diem,cunctis gentibus repetendum? O quis illam lucem clarissimam, qua sunt omnes errorum tenebræ dispellendæ, conspiceret? Carminibus certe,& precibus,assiduis,auroram illam Solis uenturi prænuntiam,excitabo,&,ut acceleret, enixe contendam; omnibusq. modis hanc cupiditatem,qua mirabiliter inflammor,testatam posteritati relinquam. Non solum Israeli, Domine, tanta lux in terris orietur; neque solum Abrahami genus hoc tanto bono perfruetur, sed in omnes gentes crit gratiæ Diuinę lumen longe lateq. diffusum. In populis igitur te laudabo; amplitudinem tuæ bonitatis in nationum multitudine cantabo:ea namque litteris,ad æternam memoriam, consignabo,quæ semper omnium gentium commemoratione uigeant, & uocibus omnium mortalium, cum maximo fructu, & mirifica uoluptate,concinantur. Misericordia namque tua cæli altitudinem superat;& ueritas tua regionis ætherię suprema fastigia conscendit. Id enim mundo beneficium contulisti,quod uniuersæ naturæ, ualde magnificis,& admirandis,operibus,infinitis partibus,excellit. In quo insigne documentum infinitæ misericordiæ statuisti, cum id munus humano generi concessisti, quo nullum maius a Deo hominibus dari potuit; & fidem, quam dederas, fore nempe, ut terræ luce Diuina lustrarentur, & tecum, a quo nefarie dissidebant,in gratia ponerentur,constantia summa præstitisti,ut electi tui, nępe,qui sunt in incensa fide permansuri, salui, & ornati,sint;gloriaq. sempiterna potiãtur. O clemẽtis. Domine,perfice,ut illis annumerer, qui gratia tua liberandi sunt; dextera tua salutem meam cõfirma;& preces meas, quas pro me,& pro illis, qui eadem fide fulciuntur, adhibeo, clementer exaudi. Quod quidem futurum, firmissime confido. Dominus enim,in templo sancto suo,quod non adumbrate,sed uere, semper incolit; de cunctis hostibus,qui nos oppugnant, uictoriam mystice pollicetur. Lætus,& ouans, inquit: Rex ille summus,in cuius mente Deus insidet,agrum Sichimitarum, hostibus ereptum, illis, qui sub me militant,diuidam;& uallem tabernaculorum dimetiar; ut in illa sedes quietas fortibus uiris assignem. Illos enim, qui bellum contra religionem comparabant,mihi subiiciam;& tributum,quod pendẽt,omnibus imperabo;in locis, nomini meo quondam infestissimis, angelorum castra locabo,ut illi,qui pietati fidelem operam nauauerint, præsidio firmissimo muniantur. Galaad autem, quo in loco fœdus,olim nominis Diuini testimonio consecratum, omnem timorem Iacobo, periculi impendentis,absterserit,imperio meo continetur,ut omnes, qui mihi nomina dant, & strenue pro nominis mei gloria decertant, hostium conatus, eiusdem nominis sanctitate, perfringant. Quid de Manasse dicam? An non liquet, illum (ut nominis uis,& sententia,declarat) ut se mihi totum subderet, omnes res humanas obliuione quadam sapientissime contriuisse? Ephraim, gentium innumerabilem multitudinem designat, in qua positum est mei principatus firmissimum robur,atque firmamentum. Porro autem Iuda, totius exercitus Diuini summum imperium moderabitur. Nã leges,atque iura,describet; Remp. salutaribus institutis temperabit; hostes a finibus arcebit; omnia denique,illius sapientia, uirtute, religione,conseruabuntur,& ęternam felicitatem consequentur. Quin etiam, Moab, mihi ministrabit; sanctiq. patris uestigia persecutus, hospites, qui mei nominis disciplinam fuerint professi, libenter excipiet, eorumq. pedes lauabit. Inquiet tamen aliquis,esse quosdam hostes, adeo immanes,& efferatos,ut neque metu perterreri, neque beneficijs emolliri, queant. Quo tandem igitur modo impediri poterunt,quo minus,usque ad extremum uitæ spiritum, religionem acriter oppugnent? Sic fuit olim Hammonitarum natio, quæ, urbis mœnibus ualidissimis cincta, nullas uires metuebat, & beneficiis in dies immanior euadebat: sic fuit Idumęa,quę,superbia,& odio,furens, in fratrum calamitatibus insultabat. Similiter,minime deerit cinitas,fraudis,& inuidiæ,plena; flagitiis,& sceleribus,inquinata; pestilẽtissimis erroribus imbuta;tyrannicis legibus arctissime deuincta;ut neque,quamdiu imperiis furiarũ immanissimis adstricta tenetur, ullo modo possit, neque, si possit,flagitiorum illecebris irretita, uelit, in libertatem asseri;immo, miseriæ suæ statum, exsecrabili,& detestanda, pertinacia, defendat. Ad Raab igitur,& Idumęæ,exemplum, uigebunt hostes pietatis acerrimi, qui omnes conatus ad Ecclesiæ totius euersionem perpetua contentione comparent, atque in omnes sanctitatis rationes pestem,& exitium,machinentur. Quis igitur mihi tribuat,ut in urbem, inferorum copiis refertã, impetum ferã, & eam, quæ inuictissimo præsidio munita est,armis exscindam? Quis mihi feret auxilium,quo gentẽ,multitudine infinititam, opibus elatam, uictorijs insolentem, calliditate, ad omnes euentus,præmunitam, profligare queam? Numquid non tu,Dñe, cuius spiritu ducimur, & uirtute nitimur,& bonitate confidimus? Tu quidem,flagitiis offensus, copias meas deseruisti; &, cum acies instructa in hostes inuaderet, te minime

Ex surgam deluculo.

Cõfitebor tibi in populis Domine.

Quia magna est super cælos.

Deus locutus est in sancto suo. Psal. 59.

In Idumęã extendam calceamentum.

Nonne tu Deus, qui repulisti nos.

me exercitibus nostris ducem, & imperatorem, præbuisti. Sic igitur euenit,ut hostes uictoriam reportarent. Non tamen ob id fides languescit, & spes attenuatur. Itaque ab eodem Domino, qui nobis uulnus inflixit, medicinam poscimus; ab eo,qui nos in calamitate deseruit,auxilium flagitamus, quo de hoste superbissimo triumphemus. Non opem aliunde,quam a te,o unice generis humani liberator,supplici uoce contendimus. Affer igitur nobis, contra hostis acerbissimi truculentiam, salutare præsidium: nihil enim ab hominibus opis nobis polliceri possumus; cum illorum uires sint tenuissimæ,& fides angustissima, omnesq. cogitationes,& actiones, hominum, in uanitate summa uersentur. At uero,si, Diuina gratia freti, si, uirtute illius firmati, in hostem impetum tulerimus, facinora militaris uirtutis edemus, & hostes facillime proculcabimus. Et his quidem uerbis a Dauide Christus inducitur, de uictoriis suis, figurato genere orationis, magnifice differens. In sequenti uero carmine supplicia, & dedecora, quæ pro nobis subijt,luculenter exponit, in hanc sententiam.

Da nobis auxilium.

Sensus sequentis psalmi.

Deus, laudem meam ne tacueris. Psal. 108. Apud Heb. 109.

OMnes homines sunt, natura, decoris,atque dignitatis, appetentes, usque adeo, ut, interdum, laudis, cupiditate ducti,mori minime recusent. Sed mentis errore fit, ut, a proposito longissime diuersi, dum summo studio,& contentione, gloriam quærunt, in summam ignominiã, atque dedecus, incidant. Gloriæ namque fons, Deus est. Est igitur illa a Deo tantum petenda, & non aliunde flagitanda. Quod hoc mihi studiũ semper exstiterit, ut in te solo omnem spem meæ dignitatis collocarem,tu,Domine,testis es. Numquam enim fictam speciem uirtutis amplexatus sum; numquam plausum populi captaui; numquam in eo elaboraui, ut me multitudinis sensibus accommodarem; sed in te semper, unicum laudis, & honestatis, auctorem, tota mente respexi; ut non, fucata specie falsaciſsimæ dignitatis, in uulgus commendarer; sed, uerissimæ uirtutis ornatu, amplitudine tuæ benignitatis excolerer. Omnes igitur laudes honestatis,quæ in meo animo uigent,a te solo profluxerunt. Tu igitur,laus mea, tu,meum decus,& gloria,es. Ne (taceas igitur, Domine; ne sinas decus meum hominũ perditorum calumnijs obscurari)& contumelijs indignissime lacerari, & maledictis audacissime cõscindi. Tua enim dignitas obteritur; cum dignitas mea, tuo beneficio constituta, uiolatur. Homines, scelere impietatis obstricti, maledici, atque fraudulenti, cum proiecta audacia, me conuicijs insectantur,& mendacijs inniuntur,ut nomini meo maculas summi dedecoris inurant. Falsis testimonijs odium multitudinis in me concitant; undique me circumsæpiunt; &, sine ulla causſa, mihi bellum,omni odio imbutum,moliuntur. Amorem odio rependunt; beneficia maleficijs compensant; preces meas, pro illorum salute, ad Deum frequenter adhibitas, & contumelijs indignissimis, & imprecationibus dirissimis, impie, atque nefarie, prosequuntur. Cum illos multis beneficijs affecissem,cum multa ueri simi amoris in illos signa sępenumero dedissem,illi sic gratiam retulerunt, ut bona malis remunerarẽr, &, pro amore summo, odium summum reponerent. Iam, non est, cur pro illorum salute uota faciam, qui salutem suam nimis contumaciter, & obstinate, prodiderunt; non est, cur medicinam facere nitar, cum omnem medicinam furenter abiiciãt; nulla causſa est,cur ueniã ab illis petam, quorum scelus iam ad summum peruenit, & sic obduruerunt, ut pestiferum morbum, quo sunt oppressi, & impediti, non sentiant. Reliquum igitur est, ut, qui misericordiam repellunt, seueritatem experiantur; &, qui beneficijs ad sanitatem redire noluerunt, supplicijs excrucientur; exemploq. sint reliquis, ne eorum facinus imitentur. Nuda illos igitur ope tua, Domine; & impietatis auctori potestatem in illos permitte,ut,uice tortoris, acerbissimas ab illis pœnas exigat. Satan illius præcipue, qui sceleris princeps exstitit, dexteram alliget, & uires impediat, ne opus ullum, aliqua laude dignum, moliatur. In iudicio, omnium sententijs condemnetur; si,scelere conuictus, ad misericordiam confugerit, & ueniam petierit, ueniam minime consequatur. Vita illius breuissimo spatio terminetur; & munere, quod erat illi commissum, alius perfungatur. Filij eius pupilli sint;& uxor eius uidua. Excussi undique, & crebris motibus agitati, uagentur, & errent, & mendicent, & a sedibus etiam euersi eijciantur, nec ulla in certa regione consistant. fenerator acerbissimus illum circumueniat, omnibusq. bonis spoliet; alieni cunctas opes illius impune diripiant. In possessionem illius, bonis omnibus euersi,gentes immigrent, ut Diuinæ legis spiritu, & sanctarum litterarum disciplina, & iucunditate, perfruantur. Cernat genus hominis sceleſtissimi alios opibus potiri,quas patres sui,hereditatis iure, & industria, & labore, quæsierant. Nemo sit, qui illi quidquam misericordiæ, & benignitatis, impertiat; nemo, qui pupillorum eius inopiam humanitate aliqua subleuãdam existimet. Posteritas illius exscindatur exortu nationis alterius, quam spiritus Domini propagabit. Iudæorum nomen,& gloria, deleatur; pœnæ, parentum sceleribus debitæ, illum, tamquam sceleris heredem, iudicio sanctissimi nominis, insequantur; & matris etiam pœnas, quam factis fœdissimis imitatur, assiduo angoris cruciatu sustineat. Scelera, atque flagitia, gentis perditissimæ, in conspectu Domini perpetuo sint; ut illam agitet, & infectetur, & doloribus intercludat; & memoria scelestissimæ nationis, e felicis, atque sempiternæ, regionis finibus euellatur. Omnes hæ diræ in hominem,furore, & immanitate,flagrãtem,incurrant, eo quod nulla misericordia deterritus est, ne hominis afflicti,& inopis, & multis incommodis oppressi,sanguinem,& uitam, peteret; & illum crudelissime uexaret,a quo numquam uiolatus ullo

Pro eo ut me diligerent.

Constitue super eum, peccatorẽ.

Seruetur fenerator.

Fiant orbi eius in exp.

Pro eo qđ non est recordatus facere misericordiam.

modo

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo fuerat. Non poterit autem calamitatis suę
Et dilexit maledictionem, & ueniet ei. cauſſam, niſi ſibi tantum, adſcribere. Ipſe ſibi peſtem comparauit; ipſe ſibi ſempiternum cruciamentum accerſiuit; ipſe ſibi, ſceleribus ſuis, uim ſempiternæ miſeriæ, & atrociſſimæ cladis, inuexit. Diram exſecrationem nimis furenter ample xatus eſt; dira exſecratione deuinctus, interibit; magnitudinem Diuinæ benignitatis aſpernatus eſt; a Diuina benignitate procul amouebitur. Exſecratione ſe, ſponte ſua, quaſi ueſte, cõtexit, quę, ſicut aqua, in illius inteſtina permanauit; &, tamquam oleum, in oſsium medullas influxit, ut uires eliderет, ut robur infringeret, & hominẽ, Deo uehementer inuiſum, ingenti ruina proſterneret.
Fiat ei ſicut ueſtimentũ Hic ſit illius cultus, quo ornetur; hoc cingulum, quo ſemper accingatur; ut, quicumque oculos in gentem ſceleſtam, & impiam, coniecerit, nihil aliud in illa, quam diras, immaniſsimi ſceleris ultrices, inſpiciat. Hæc ſit a Domino merces conſtituta omnibus aduerſarijs meis, qui falſum teſtimonium dicunt, ut nimis crudeliter mihi uitam eripiant. At tu, Domine, quem unum pura mente colo; quem religione ſumma ueneror; in quo ſolo ſemper habui omnia præſidia uitæ cõſtituta, propter nominis tui gloriam, me benignitate tua complectere: miſericordia namque tua non eſt maleficis, ſed ijs, qui ad fidem tuam confugiunt, auxiliumq. tuum ſuppliciter implorant, attributa. Libera igitur me, ut opus clementiæ tuæ, in me perſpectum, omnium hominum piorum laudibus extollatur. Non enim inſolẽter elatus ſum; numquam animum meum opes extulerũt; numquam me aura popularis de curſu deduxit; pauper, & abiectus, ſum; nihil in terris proprium poſſedi; cibis emendicatis uti conſtitui; cor meum intra me triſtiſsimis curis afflictatur. Vt umbra, cũ declinat, diffluxi; ut locuſta, hominum improbitate, diſpellor; genua mea, præ ieiunio, ſunt omni robore deſtituta; corpus meum ab unguentis abhorret. Itaque nullis delicijs affluo; uoluptates omnes reſpuo; labores immenſos excipio; dolores intolerandos haurire, communis ſalutis gratia, minime recuſo: & tamen homines ſceleſti, & impuri, conuicijs, & contumelijs, mihi gratiam referebant; actionesq. meas, ut maximum probrum, mihi petulanter obijciebant; &, cum me doloribus acerbiſsimis confectum adſpicerent, capite in utrumque latus agitato, me deridebant,
Adiuua me Domine Deus. & in cruciatibus meis procaciter inſultabant. Feropem, Domine, quem ſemper unice colui, ſummaq. fide ueneratus ſum; &, ſecundum miſericordiæ tuæ magnitudinem, mihi ſalutem tribue. Intelligant homines, actiones meas, actiones tuas
Et ſciant quia manus tua hæc. eſſe, omniaq. ſtudia mea dextera tua gubernari; nihilq. omnino a me fieri, quod non ſit conſilio, & uoluntate tua, deſignatum, & opera ſpiritus tui, qui ſemper animo meo inſidet, abſolutum. Maledicta iaciant illi, tu uero benedic; maledicentiæ ſeruiant, quantum ualent, dum tu dignitati meæ conſulas, & laudem meam obſcurari minime patiaris; contra me furenter inſurgant, dum tu mihi auxilio ſis. Quo tandem fiet, ut impetus illorũ inanes, & irriti, ſint, & illi, ignominiæ ma-
Induantur qui detrahunt. culis ſempiternis inuſti, uehementer erubeſcant; ſeruus autẽ tuus, ſumma dignitate circumfluens, ingenti gaudio cumuletur. Veſtem ſummi dedecoris induant aduerſarij mei: ignominia, quaſi pallio, contegantur; ut, qui illos adſpexerint, nihil aliud in illis cernant, quam turpiſsimi flagitij deformitatem; quam ingenij hebetis, & obtuſi, tarditatem; quam mẽtis impuriſsimæ cæcitatem; quam horrorem, & tremorem, & animi uehementer afflicti, atque miſerabiliter inſanientis, anguſtias. At ego, omni periculo defunctus, & in ampliſsimo dignitatis, & honoris, gradu locatus, ſummo ſtudio Deo gratias agam; illiusq. laudes ſemper in ore meo uerſabũtur; & in celeberrima concione nomen illius laudatione perpetua celebrabo. Semper enim ad dexteram huius inopis aſsidebit, ut illum Diuino robore fulciat, & illius ſalutem inuicto præſidio muniat, animamq. illius ab improborum hominum iudicijs eripiat.

Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis. Pſal. 109. Apud Heb. 110.

SI Dauid umquam, Dininæ mentis uiribus incitatus, in cælum euectus eſt, ut opes Diuinas inſpiceret, & ſacroſanctæ Chriſti myſteria; ſolito acrius, & attentius, cõtemplaretur; hoc certe carmine ſatis apparet, illum tantis opibus Diuinæ uirtutis exaggeratum, & tanta Spiritus ſancti luce completum fuiſſe, ut nihil neque grandius, & magnificentius, nec illuſtrius, atque Diuinius, poſsit ab humanis mentibus, Chriſti ſpiritu uehementer incenſis, excogitari. Non enim ſatis habuit, de ſalute generis humani ea nuntiare, quibus hominum ſpem confirmaret, & animos iacentes erigeret; ſed, cum nobis non ſolum eſſet de ſalute, ſed etiam de ſalutis auctore, gloriandũ, ipſum noſtrę ſalutis architectum ampliſsimis laudibus, atque Diuinis ueriſsimæ orationis ornamentis, quantum poteſt, illuſtrat. Nam & Diuinum illius nomen celebrat; & Regiam illius maieſtatem amplificat; & ſacerdotij ſanctitatem admiratur; & uictorias inſignes exornat; atque poſtremo clariſsimam corporis ſanctiſsimi, pro nobis oblati, necem, & cruciatum, cum gloriæ conſequentis admirabili triumpho, complectitur. Diuinæ quidem liberatoris noſtri laudes humana oratione celebrari pro dignitate non poſſunt; id tamen, quo mens hominis ſancti, Diuinitus eruditi, peruenire potuit, Dauid mirifice conſecutus eſt. Oratio quidem, ſi uerba reſpicias, admodum breuis eſt, & iccirco ſubobſcura: ſic enim tempora flagitabant: ſi uero ſententiarum pondus exacte conſideres, nihil amplius, & uberius, eſſe poſſe, iudicabis. Nobis uero ſententia non paucis uerbis explicanda eſt; cum myſteria tam multa
Dixit Dominus. contineat. Sic autem ait: Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam: uſque eo, dum ponam inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorum. Quid hoc eſt? Dixiſſent fortaſſe multi. Nos quidem

dem in ſpe ſalutis educati ſumus: quod, ſemine Abrahami, genus humanum a peſte redimendum ſit, ſæpenumero legimus; ſacris legis inſtitutis, Prophetam magnum, Moſi, uitæ ratione, perſimilem, qui nos a ſeruitute liberet, exſpectamus; de filio tuo, tui nominis, & Maieſtatis, herede, præclara etiam ex monumentis tuis accepimus, ita, ut ex illo frequenter omnia bona nobis polliceri minime dubitemus: at, in tantis promiſsis, numquam nomen iſtud Domini interponi uidimus. Effare igitur, quis Dominus iſte ſit. Nec enim ueriſimile eſt, ut tu filium tuum, qui tibi Diuino iure ſubiectus eſſe debet, Dominum appellandum arbitreris. Merito, inquit, ambigitis. Sed mirum uideri non debet, ſi in Diuinis olim promiſsis, cũ de liberatore noſtro mentio fiebat, Domini nomẽ ſilentio premebatur. Si enim myſterium noſtrę ſalutis, patribus explicatum, eiſdem omnino uerbis, hominibus rudi ſimplicitate præditis traditũ fuiſſet; periculum erat, ne imbecillas oculorum acies inſolito ſplendore perſtringeret. Commodum igitur fuit, ut uerborum integumentis ſancti patres occulerent, quod humana fragilitas intueri clare non poterat. Factum eſt igitur, ut nomen ſeminis ſanctiſsimi, & Prophetæ clariſsimi, in ore hominũ uerſaretur; nomen uero Domini, in futuri Regis amplitudine prędicãda, ſileretur. At, quo tempus magis, atq. magis appropinquat, & hominũ mentes cum minore periculo lucẽ aſſueſcunt inſpicere, & fides in dies robuſtior euadit; neceſſarium eſt, ut promiſſum Diuinum paullo clarius explicetur. Aliter enim illius effectus, inſolita, & inaudita, magnitudine, animos conturbaret, & anguſtæ fidei ſcintillas exſtingueret. Ideo igitur Diuini muneris amplitudo multo ante prædicitur, ut, cum exitu fuerit comprobata, nemo poſsit benignitatem Diuinam, propter illius amplitudinem, in dubium reuocare. Nunc igitur, cum maturum eſt; cum temporis ratio monet; cum id efficere ſpiritus Diuinus impellit; uirtute illius afflatus, omnibus teſtificor, atque prænuntio; illum eundem, ad cuius ſpem patres noſtri non ſemel excitati ſunt, ad cuius notitiam omnia legis inſtituta, atque promiſſa, referuntur, illũ poſtremo filium meum, cuius regnum nec eſt ullis uiribus euertendum, nec ulla uetuſtate conſumendum, eſſe illum, quem Dominum meum appello. Illius enim potentiam colo; illius Maieſtatem ueneror; illum, cum pia admiratione, ſuſpicio. Eſt enim Deus uerus, a patre ſummo, abſque ullo æui principio, generatus. An, ſi ille tantum homo uerus eſſet meo ſanguine propagatus, minimeq. fuiſſet ſecundum originis Diuinæ rationem, ab illa immenſa, & infinita, bonitate ſummi, atque ſempiterni, patris exortus, ego illum Dominum appellarem? Nullo modo. Ratio namque Diuini iuris admonebat, ut illi leges, atque iura, præſcriberem, & non iuſsis illius obtemperarem. Cum igitur illum Dominum meum nomino, Deum meum ſatis plane, & aperte, conſiteor. Hoc igitur ueſtris animis fixum eſſe debet; hunc filium meum, non ſolum hominem eſſe, ſed Deum, atque Dominum, perpetua prędica-
Sede a dextris meis. tione angelorum, & hominum, abſque intermiſſione celebrandum. Nunc cernite, quæ ſint huic homini munera tributa. Sede, inquit ſummus ille pater, ad dexteram meam. Cum illum ſedere iubet, Regium illi ſolium conceptis uerbis elargitur: cum Dexteram ſuã nominat, Regnum illius, opibus florentiſsimum, uiribus inuictiſsimũ, magnitudine imperij, & iuriſdictionis, ampliſsimum, duratione autem, & ſtabilitate, ſempiternum, fore prædicit. patris enim dextera, opes immenſæ, uires inuictæ, imperium infinitum, ſæcula ſempiterna, continentur. Omnis igitur illi poteſtas in cęlo, & in terra, eaq. ſempiterna, a patre ſummo conceditur. prædicit deinde, futurum, ut omnes hoſtes
Donec ponam inimicos. pedibus illius proculcentur. libidinem enim reſecabit; temeritatem coercebit; cupiditates, quæ cum lege Diuina pugnant, cruce configet; ut ſic tandem omnes, qui illum ardente fide conſectati fuerint, cupiditatis tyrannide liberatos, ſecum, bonorum omnium ſocietate, coniungat; deinde, eos, qui ad extremum rebelles exſtiterint, &, conatibus perditiſsimis, in nomen illius bellum comparauerint, acri contentione proſternet, & diro ſupplicio conficiet; deinde, inferorum clauſtra reuellet; tenebrarum principes fundet; exercitus illorum profligabit; atque poſtremo, mortis uires elidet; & immanitatem illius, quæ cunctas opes humanas exſcindebat, & omnibus ſummis imperijs, rerumq. geſtarum monumentis, interitum afferebat, exſtinguet, atque delebit. Omnia tandem illi ſubiicientur; imperioq. illius, diſsimili ratione, coercebuntur. Aliæ ſiquidem mentes, auctorẽ ſuę felicitatis agnoſcent; aliæ uero in ſe acerbitatem ſeueritatis iuſtiſsime ſuſtinebunt. Cernitis iã animo, quãtus ſit ſummi Regis ſplendor? quãta maieſtas imperii? quã illuſtres, & amplæ, uictoriæ? Sed,
Virgã uirtutis tuæ immittet Dominus ex Sion. Regni ſpecimen, atque documentum, unde initiũ duxerit, forte requiritis. Regiæ dignitatis fundamentũ, in legum, atque iudiciorũ, æquabilitate cõſiſtit. Regis enim officium eſt, ſubditos iuſtitię uinculo deuincire. Iuſtitia porro, legis obedientia cõtinetur. Reliquũ eſt, ut inquiramus, qua lege Rex hic noſter imperium adminiſtrabit. Num ea, quæ fuit in Sinai, Moſis opera, promulgata? Nõ certe. Illa namque miſeras hominũ mentes, formidine mortis, afflictabat; hęc uero, firma ſpe ſalutis, animos, mira incũditate, permulcebit: illa, dominatu grauiſsimo premebat; hęc autem, libertatem conſtituet: illa, metu, homines in officio continebat; hæc uero, animos, magnitudine caritatis incenſos, in iuſtitiæ ſtudiũ acriter incitabit. O Rex ſumme, atque ſempiterne, potentiæ tuæ ſceptrũ, non ex Sinai, ſed ex Sione, fuit tibi a Deo miſſum, atque cũ imperio ſummo delegatũ. In Sione enim fuit lex ſpiritus uitę ſancita, & in animis Diuinitus inſculpta, ut homines, Diuino ſpiritu commoti, & incitati, iuſſa Diuina, cum alacritate ſumma, conficiant. Hoſtes quidem immanes, & importuni, ad
Dominare in medio. imperii tui euerſionẽ omnes conatus cõparabũt; calumnias intendent; falſa teſtimonia proferent; terrores denuntiabunt, omni tormentorũ genere pugnabũt, ut tuos de ſtatu dimoueãt. quod tamẽ illis minime ,pcedet. Tũc enim uel maxime potẽ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiæ tuæ uis apparebit,cum hostes tui acriter insanierint.Nullis enim iniuriis ij, qui fuerint ad tuũ nomen adiuncti,commoueri, nullis minis exterreri,nullis doloribus frangi,nullis difficultatibus impediri,poterũt, quo minus tibi seruiant,& mortem, pro gloria tui nominis oppetitam,omnibus uitæ commodis,& uoluptatibus,anteponant;immo,quo grauius fuerint oppressi,eo clarius triumphabunt;exemploq. tuo, multos mortales studio tui nominis inflammabunt; ita,ut, quo furentius pietas oppugnata fuerit, eo plures, singulis prope diebus,oriantur,qui libentissime sese,ut imperium tuum sequantur, in summum discrimen inijciant.Sic igitur in medio inimicorum ruorum dominaberis;& de illis,qui tibi aduersati fuerint,supplicium debitũ reposces.Populus enim tuus,non metu coactus,sed summa uoluntate,& ardentissimo studio,concitatus, tibi constanter adhærebit, in die,qua uirtutis tuæ uim, claris operibus, ualde insignem feceris. Nõ enim spiritum seruitutis, sed adoptionis,accipient; ita, ut animo libero,& excelso,humana cũcta despiciant; & te unum intueantur;te solum ament; in te solo spem omnem salutis reponant; & sic splendore sanctitatis tuæ colluceant.Quin etiã,antequam ex utero sanctissimæ genitricis editus esses,uim tui numinis indicabas, cum noua luce mentibus, quæ tuum ortũ exspectabant, summam lætitiam afferebas. Vt enim aurora,cum ortum Solis antegreditur,aridã terræ faciem iucundo rore lætificat; sic iam,ante quam,o Sol iustitiæ, exortus esses, cum adhuc tenebræ mater aluo contineret,illius uirtute,tamquam aurora,lucis sempiternę prænuntia,illos,quos ortus tui cupiditas acriter inflammabat, muneribus Diuinæ lucis mirabiliter illustrabas. O felices illos, quibus clarissimus splendor huius sanctissimi Regis illuxerit; quam speciem pulchritudinis intuebuntur?quo amore summi decoris, & elegantiæ,flagrabunt? quam felici conuersione se ipsos deserent,ut illius similitudinẽ consequantur?Hæc quidem est Regis nostri maiestas;& hæc eorũ,qui fuerint in populo illius censi,cõdicio. Quid,quod non solum tibi,o princeps excelse, sunt Regis amplissimi munera sustinẽda; uerum & sanctissimi sacerdotis officia diligenter administranda? Dominus enim te summum sacerdotem iureiurando constituit; nec illum huius honoris, ad te delati, umquam pœnitebit. Numquam enim parum diligenter,& commode, sacris operaberis;immo religionem,insigni sanctitate, flagrãtissimo studio, cum admirabili fructu, procurabis; humanumq. genus,cum Deo,a quo nefarie dissidebat, fœdere sempiterno cõiunges. At quibus uerbis Deus tibi sacerdotiũ summum detulerit,est animaduertendum.Tu es,inquit, sacerdos in æternum,secundũ ordinem Melchisedech. Quã admirabiles res his paucis uerbis Dũi contineri prospicimus? Primũ enim,cernimus,sacerdotij summi dignitatem cũ Regis amplissimi maiestate mirabiliter implicatam; cum munus utrumque fuerit antiqua lege, atque more distinctum;deinde, sacerdotij æterni tatem,uenerabundi,suspicimus;cum reliquos omnes sacerdotes morte consũptos fuisse uideamus; deinde,Leuiticum sacerdotium antiquatũ, atque adeo prorsus abrogatum,esse contuemur;postremo,ordinẽ,& institutũ,Melchisedech, qui fuit Rex Salem, Aharonis ordini prælatum, noua ratione consideramus. Itaque cernimus;omnia,quę uetustate cõsenuerant,morte deleri;& in legis demortuę locũ sempiternam legem substitui. Sed, cur, Aharonis nomine prætereito, Dñs Melchisedechi ritum cõmemorat. Primum, quidẽ,quia,cũ nec illius origo,nec finis,oratione definitur, quo dãmodo rationẽ æternitatis adumbrat. Deinde,quia uis nominis iustitię Regẽ designat,& similiter Salem nomen pacem denotat,quę quidẽ iustitię gremio continetur. Deinde,quia Melchisedech,nõ sanguine quadrupedũ,sed pane,atque uino,litauit; exercitumque,ex pugna defessum,cibo iucundissimo refecit;tũ etiam,quia a uiro sanctissimo decimas accepit,& illi, tamquã maior minori,benedixit; postremo,quia,unica tm̃ oblatione,nomen illius æternitati consecratũ aiaduertimus. O Rex summe,sacerdosq. sãctissime,tu es ille,qui iustissime Regiũ munus administras;qui gratissimo sacrificio pacẽ nobis cõcilias; cuius nec imperium ullo fine terminabitur, neque sacerdotij sanctitas euanescet;qui cęlestẽ panem, & uinũ,nobis porrigis; cui oẽs uiri,religionis sanctitate præcellẽtes,honores Diuinos instituunt;& a quo se omnia bona cõsecutos esse profitentur;qui denique, unica tantũ oblatione,eos, qui sese ad tui nominis augustissimi cultũ toto animo contulerunt,sanctitatis egregię muneribus,& ornamentis,excoluisti. Dñs pro te pugnã capesset; dexteram tuã inuicto robore cõfirmabit;&, quamuis ad uirtutis Diuinę probationem inimicos tuos suã crudelitatem in bonos expromere permittat,cum tamen fuerit opportunum,nempe,cũ illius opus ad suorum gloriã,impiorum ministerio,fuerit absolutũ, iram suam in impios conuertet; neque solum multitudinẽ perdet,sed Reges magnos de statu conuellet; imperiaq. maxima delebit. Nõ patietur enim pater ille sãctissimus,qui numquã bonos patrocinio suo nudauit,pietatis principem,& auctorẽ,ullis humanę potentię uiribus infringi, & debilitari. Immo, quo uehemẽtius hostes perditissimi neruos intenderint,ut hunc Dũm meum,de quo differo,qui ad dexterã patris sedet,de gradu detur bẽt, nomenq. illius ex omni memoria deleant,eo acrius,& uehementius,idem Dominus contra illos insurget;eorum scelus grauiore supplicio uindicabit; iudiciũ exercebit in impias nationes; cadauerum multitudinem consternet;principes, terras imperio latissimo continentes,exscindet. Bibet ille quidem, quamdiu in mortali uita manserit,de torrente laborum, & erumnarum, quibus est uita cõmunis exposita: quamuis enim nullum in se peccati decus admisisset,pro omnibus tamen peccati pœnam sustinuit;dolores intolerandos hausit;cruciatus ingentes pertulit; maledictis fuit acerbissime confixus;caput tamen, cum amplitudine gloriæ, & sempiternæ dignitatis,extulit;idq. nomen consecutus est,quod cęlites, summa religione, uenerentur;boni,ardenti studio,consectentur;improbi tandem uereantur; manus inferi pertimescant.

Tecũ principiũ in die uirtutis tuę

Ex utero ante lucifer um.

Iurauit Dominus.

Dominus dexteræ tuæ

De torrente in uia bibet.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Psal. 110. Apud Heb. 111.

OMnes quidem animantes uoluptate ducuntur,ita tamen, ut quilibet eam maxime sequatur,quam suæ naturę magis accommodatam esse iudicat.In iudicio autem huius conuenientię, multi,mentis errore,turpissime labuntur;&,dum proprias uoluptates aspernantur,& alienas furenter exquirunt,in dolores summos incidunt; acerbissimasq. pœnas luunt. Propria autem hominis uoluptas est,rationis, & intelligentiæ, quæ maximarum rerum notitia continetur. Reliquæ enim uoluptates, quæ summæ a multis existimantur, sunt hominibus cum bestijs communes, ita, ut non possit eas sibi, ut proprias, humana natura præcipue uindicare.Intelligentię porro altissimus gradus,est Dei cognitio,ita, ut in ea sit summum hominis bonum summa ratione collocandum.
Hic igitur animus,purus, & integer, cælestiq. lumine collustratus, insistit, & reliqua omnia, quæ antea pulchra,& expetenda,iudicabat, pro nihilo putat.Quid enim non despiciat is,qui Diuinæ mẽtis pulchritudinem puris oculis intuetur? qui lucem illam sempiternam immensæ benignitatis admiratur? qui rerum omnium moderationem, & naturæ legem, & iustitiæ decus, & elegantiam, in illo perenni sanctissimi iuris fonte considerat? qui amore tam admirandæ pulchritudinis inflammatur,& ad illius similitudinem(quo ad licet)totis animi uiribus adspirat?Reliquum igitur est,ut is,qui hunc statum est assecutus,illam unam summam uoluptatem,experiundo,sentiat,quæ in Diuinæ bonitatis prædicatione consistit. Quam qui dem uoluptatem multi aspernantur, atque fastidiunt.Quod magno argumẽto esse debet, eos esse magis belluis,quam hominibus,annumerandos. Qui enim hominis summo bono belluarum bonum anteponendum iudicat,is certe Hominis nomine se prorsus indignũ præbet. Nam,cũ homo, ad imaginem Dei,ipsius Dei manibus, effictus,& informatus sit; ratio recta monet, ut nihil illum æque delectet,atque Diuinæ lucis adspectus,& totius uitæ studium in laude Diuina consumptum. Quod qui non facit,humanæ naturę præstantiam deformat; dignitatem suam abiicit; & in turbam se brutorum animantium coniicit.Ab horum moribus longe abhorrebat Rex hic sanctissimus,qui huic uni curæ totus erat intentus, ut mentem in Deo defixam semper haberet;omnesq.gerendi imperij rationes ad illius gloriam dirigeret; & numquam de laudibus illius sibi silendum esse iudicaret.Is igitur, minime contentus illis laudibus, quas ipse iucundissime canebat, omnes bonos, quantum potest, inuitat ad easdem laudes concinendas. Sic igitur ait: O uiri, qui pietatem unice colendam censetis,uos hortor,& moneo, si beatæ uitæ compotes esse uultis, ut Dominum perpetuo laudetis, & in hoc tam claro studio uos ad Regis uestri imitationem conferatis. Mihi enim decretum, & constitutum est, omnia mea studia in Domini mei gloriam destinare. Quantum igitur ingenio niti, studio consequi, labore contendere, mihi licitum fuerit, tantum in laudem illius conferam; nec ulli me casus poterunt umquam ab hoc tam præclaro conatu dimouere.Tibi gratias agam toto corde meo, summe Domine; & in iustorum cœtu,& concilio, de laudibus tuis,nullo umquam tempore,conticescam.Quos enim alios huius excellentis operis, & muneris, mihi socios adiungam,nisi illos ipsos,quorũ gratia omnia opera tua consilio designas;studio moliris;& opere tandem perficis,& absoluis? Omnia namque tua, ad electorum salutem, & gloriam, diriguntur;& ea,quæ summo studio semper inquirebant,quæ ardenter expetebant, & quæ, ut faceres,assiduis precibus orabant,efficis; ad eorumq. uoluntatem omnia moderaris. Opus Domini est magnitudine gloriæ, atque decoris, illustratum; & iustitia illius, in omni sæculorum æternitate, permanebit. Opus autem illius, quod sancti homines ardentissime desiderabant,est generis humani salus: huius operis perfectio, est iustitia sempiterna;hanc autem iustitiam Dominus ipse,per se,in terras inducit,ut iustitiæ legi,quę cõsistebat in umbris,interitus afferatur; & uera iustitia,Diuino munere,& beneficio tributa, in piorum animis, qui uigente fide sunt stabiliti, semper insideat, & gloriam tandem, in cælo, nullo fine terminatam, omnium Diuinarum uirtutum meritis consequantur. Clemens, & benignus, Dominus insigne monumentum operum suorum admirabilium in terra constituit, quod longissimo interuallo reliquis suæ misericordiæ monumentis, ad gloriam sui nominis, antecellit.
Cibum quidem olim e cælo suppeditauit hominibus, cum in Arabiæ uastitate uersarentur, & inopia rerum omnium premerentur,& insit uasculum, illo cibo plenum, ad posteritatis memoriam, conseruari, ne ex animis beneficium excideret. Atqui cibus ille non uitam propagabat; non sensus in res Diuinas incitabat; non fidem stabiliebat; non denique mentem ab humanarum rerum cogitatione ad ardens Diuinæ gloriæ studium traducebat. Merito igitur, & cibi illius usus, & memoria simul, euanuit.
At hic cibus, quem Dominus eis, qui suum nomen reuerentur, & colunt, apponit, immortalitatem continet. nam Diuinæ gloriæ pignus est, ad æternamq. gloriam perducit. Est enim panis de cælo uerus,qui mentem recreat; & morbos expellit; & impetum mortis arcet; animumque iucunditate perfundit; & fœderis sempiterni memoriam summa religione confirmat. Vetus enim fœdus, eorum rebellione, qui illo adstricti tenebantur, irritum factum fuit. quare, non erat, cur illius monumentum diutius exstaret, quam esset opus ad noui fœderis imaginem referendam. Cuius igitur fœderis Dominus memoriam sempiternam exstare uoluit?Illius certe, quod solidum, & expressum, iustitiæ sempiternæ fructum continet, & nullis eric umquam sæculis definitum. Quanta uis autem sit operum

Confitebor tibi Domine.

Magna opera Domini: exquisita in uoluntates eius.

Confessio, & magnificẽtia opus eius.

Memoriam fecit mirabilium suorum.

Memor erit in seculum testamenti sui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Virtutem operũ suorum annun tiabit.

Diuinorum,quę Dominus populi sui gratia suscipit,operibus antiquis indicauit.Gētes enim,scelerib⁹,& flagitijs,infames,expulit,eiecit, exturbauit,diroq.supplicio contriuit;& in eorum sedibus suos collocauit;ut intelligi ab omnibus posset, id, quod est summa ratione perfidiæ detractũ,esse singulari ratione fidelibus seruis attributum. Ergo,

Vt det illis hereditatẽ.

quemadmodum Dominus olim,& perfectum iustitiæ munus obiuit,cum debitum impijs,& sceleratis, hominibus supplicium irrogauit; & officio benignitatis,& clementiæ,egregie functus est, cũ illis,qui fidem,& pietatem colebant, in fertili, & opima, regione quietas sedes attribuit; & fidem suam cumulate præstitit, cum ea, quæ patribus sanctis olim promiserat, eorum posteris largitus est;ita tandem illis faciet,quos sanctitate noui,atque sempiterni,fœderis alligauit. Illos enim,in iustitiæ,ab illis sancte cultæ, præmium, in hereditate cælesti constituet,unde mentes,quæ perfidia detestabili officium prodiderant, præcipites ciectæ

Fidelis omnia mandata.

sunt.Opera namque manuum illius, fides, atque iudicium,illustrat;omniaq. præcepta illius, summa fide constabilita sunt.fide namque summa,illis, qui officium pieratis exsequuntur, promissa conficit;& seueriſsimo iudicio illos perdit,qui iussis suis aduersantur, Diuinaq. iura despiciunt; &, cũ in lege præmia bonis, supplicia improbis,proposita uideamus,utrumque ab illo uere,& constãter,efficitur, ut bonos præmio sempiterno remuneret,malos autem suppliciis æternis,insequatur. Itaque sanctiones illius nullum finem sunt inſinitis sæculis habituræ, cum sint robore, & constantia,sempiternæ ueritatis absolutæ,& splendore ueriſsimæ iustitiæ, quæ non corpus imagine sanctitatis adspergit, sed mentem Diuinis ornamentis extollit, illustratæ. Vt cælum igitur omne concidat; & terra incendio deflagret; uniuersaq. natura funditus euertatur; uerbum tamen Domini, in omni æternitate, constans, fixum, & stabile, permanebit; nec in rerum omnium strage, & interitu,de statu suo conuelli poterit. Vnde colligitur,omnes,qui Diuini uerbi fatu generati sunt, ab immanitate mortis incolumes, & opibus Diuinis affluentes, in omni æternitate permansuros.

Redemptionem misit populo suo

Redemptionem enim mirifica uerbi sui legatione constituit Dominus populo suo, quem secum pactione fœderis sempiterni coniunxit.Quod minime sempiternum appellari potuisset, si fructus illius esset aliqua temporis uetustate consumendus.Sanctum igitur,& terribile,nomen eius. Quo

Sanctum, & terribile nomen eius

modo Sanctum? quia est municiſsimum salutis propugnaculum,firmum, & inuictum, præsidiũ, omnibus, qui omnem in illo spem salutis repositam habent, & iussis illius sanctiſsimis obsequuntur. Quo modo Terribile? quia fugat, & fundit, hostes immanes,cosq. plagis inflingit, atque debilitat,& suppliciis perpetuis excruciat.Principiũ

Initium sapientiæ timor Domini.

sapientiæ ueriſsimæ, est in Domini metu constitutum. Id (inquis) intelligere non possum. Sapientia enim non uidetur esse in animi supplicis, & abiecti, & magna quadam perturbatione perculsi,sed in altitudine mentis,supera omnia(quod fas est) clare cernente,ponenda. Verum. Sed ea mentis altitudo numquam eminere poterit, niſi metus Diuinæ Maiestatis antecedat. Dum enim apud animum libidinis studium uiget, dum cupiditas imperium tenet,dum pestiferi morbi dominantur;non potest mens, eiusmodi malis obsessa, & uitiorum uinculis impedita, e tenebris emergere,ut cælestia,atque Diuina,suspiciat.At hos morbos omnes,metus Domini facile depellit.Reſecat enim libidinem;refrenat cupiditatem;coercet intemperãtiam;animi tumorem,& insolentiam,cõprimit;omnia denique animorum uulnera sanat, ne quidquam resideat in illis,quod contemplationi ueritatis officiat.Tunc igitur illi, qui sanitatem recepit,lux cælestis exoritur; ea,quæ latebant,repente diluescunt; mens insolito splẽdore stupet; &,quo magis ad cæli conspectũ erigitur,eo magis res Diuinas,quas antea minime uidebat,admiratur;& lætius,in fructu tam præclaræ cognitionis, exsultat.Ergo,cum nullo modo ad sapientiã peruenire potuisset,niſi primũ omnes motus animi, quibus in diuersas partes iactabatur,Dei metu cõpressisset;rectiſsime dicitur sapientiæ fundamentum Dei metu contineri.Nam,& salutarem medicinam pestiferis morbis adhibere, non mediocris sapiẽtię est;& animus,morbis liberatus,facile omnia munera sapientiæ summæ consequitur. Sapiẽtia namque, non est humanæ rationis inuentum, sed clementię Diuinę beneficiũ. At Dominus ipse illis,qui sancti metus stimulis in studiũ legis incitantur,& Diuinis iussis libenter obsequuntur,bonã mentẽ dat,qua humana contemnant,& ad Diuina,totis uiribus enitantur,arcanaq.multa spiritu Diuino percipiãt,ad quę humanæ mentes,sine ipsius spiritus ductu,adspirare nõ possunt.Et,quo magis homines pii in studio pietatis elaborant, & ardentius operã dant,ut omnia, quæ Dominus prę scripsit,efficiãt,eo clarius illustrãtur,maioresq. in dies progressus faciunt:ex quo studio mirabilẽ fructum capiunt.Dñi enim laus in perpetuũ manet:numquã enim suos ope sua destituet,&, cum amplissima gloriæ Diuinæ materia,in bonorum gloria, & incolumitate, sita sit, & constet, bonos ab eo sempiternis muneribus illustrari, nullis certe sæculis Diuinæ laudis celebritas interibit.

Intellectus bonus omnibus.

Beatus uir, qui timet Dominum. Psal. 111. Apud Heb. 112.

INsistit in exhortandis omnibus piis hominibus, ad Domini laudes oratione perpetua prędicandas;&,quo uigilantius in studium iustitię,atque pietatis,incumbant,iustitiæ fructum luculenter exaggerat; ut, illo uidelicet explicato,intelligant omnes,omnẽ uitę rationẽ esse ad iustitiæ cultum acerrime conferendam. Ait igitur:O uiri sancti,Dominũ laudatione perpetua celebrate,a quo munera tã præclara iustis omnibus magnificentissime conferuntur. O beatũ illum uirũ,qui Deum timet;qui non segniter,sed uigilanter, omnibus illius præceptis obtemperat; cuius omnis sensus, mẽs,uoluntas,est in Dei lege defixa. Semẽ enim in terra propagabit,robore firmũ, & in omni genere

Beatus uir qui timet.

uirtutis,atque pietatis,excellens. Illud enim discipliniſ sanctis instituet;exemplis incitabit; ad suæ uirtutis imitationem erudiet;ut ita Diuinæ gratię præmium consequatur. Dominus enim iustorum sobolem,quæ parentum uestigiis ingreditur,beneficiorum multitudine cumulat,muneribusq.Diuinis simpliciter exornat. Domus illius,diuitijs,& opibus,affluet; & illis copiis locupletabitur, quæ nullis hostium uiribus,uel calumnijs,eripi,aut iminui,possunt.Iustitia nãque illius,claritate sempiterna circumfluet. Non enim erit inanis,& adũbrata,sed solida,& expressa,Diuinoq.præsidio, atque robore,munita. Sic enim Deus suos muneribus auget,ut simul,ad ipsorum munerum defensionem,præsidium firmiſsimum largiatur.Exortũ

Exortũ est in tenebris

est in tenebris lumen rectis.Quod lumen narras? Id ne, quod Sol exoriẽs sic in terras late diffundit, ut tam boni,quam mali,participes illius fiãt? Minime.Sed ipse Dominus,summa clementia,& benignitate, præcellens, qui est lux sempiterna mentium,iustis orietur,ut illos,radiis Diuini splendoris illuminatos,in beatam,& immortalem, uitam feliciſsime dirigat,ita,ut nõ labantur,& concidãt.

Iucũdus homo qui miseretur.

At,quibus se signis uera iustitia, ubicumque sedẽ habet,ostendit?Naturæ cõmoditate, humanitatis iucunditate,animo miti,atque benuolo, & ad benignitatem flexibili.Valde namque duritas,& immanitas,& truculẽtia,a ueræ iustitię moribus abhorret. Itaque bonus uir,facile,quibus potest,miſericordiam impertit;&,cũ potest, sine ullo respectu,ad lucrum,indigenti commodat;opesq. suas, cum iudicio,dispensat. Nec interim domus labẽ, atque ruinam,extremamq. inopiam, pertimescit.

Ab auditione mala nõ timebit.

Numquam enim de statu suo demigrat,iustiq. nomen in sempiterna cõmemoratione uigebit; cum malus nuntius aliunde fuerit allatus,metu minime trepidabit; ut omnia bellis ardeant; ut pestis lues impendeat;ut omnra interitum minitentur; ille semper,animo in omnem euentum parato,cõstantiam miram retinebit,eo quod,clementiæ Diuinæ magnitudine fretus, Dei præsidium sibi minime defuturum,confidat. Fortem,& inuictum, animum,in omni rerum uarietate,& hostium improbitate,geret;nullius uires,aut insidias,extimescet;nec spem uictoriæ deponet,usque eo,dum inimicos debilitatos,& compressos,adspiciat. Iudicium namque Domini, cuius ille gloriam omnibus rebus anteponet, iustorum inimicos de omni statu detorquebit; & grauiſsimas illis plagas

Dispersit, dedit pauperibus.

infliget. Non conuiuia magnifice nimis instruet; non opes suas in res inanes insumet;non,ut Principum gratiam astute colligat, bona sua profundet;sed pauperum inopiam facultatibus suis munifice subleuabit; illisq. tantum bona sua distribuet,quos indigere perspexerit.Nec enim hominibus,sed Deo,placere studet; & iccirco non populares rumusculos aucupabitur, sed eo benignitatem suam conferet,ubi uiderit clementiſsimo Domino fore gratiſsimum. Itaque iustitia illius,cum non sit fucata mendaciis, & ad hominum famam inani specie dignitatis efficta,sed uera, & ornamẽtis Diuinis exculta, eundem statum,in omni temporis æternitate,retinebit; fructumq. gloriæ sempiternæ;consequetur; immortaleq. Regnum possidebit. Impius uidebit, iracundia furenter insaniet;dentibus frendet; & inuidia contabescet; &,quibus furiis animus illius exagitetur, multis signis indicabit. Quod enim optat, non assequetur; in eo, quod studium consumit, exitum non reperiet;iustum,quem cupiebat exstinctum, florentem adspiciet;uota sua ad nihilum recidisse,cõsiderabit: simul igitur, & iusti gloria, & desiderij sui frustratione, uehementiſsime cruciabitur.Vnde colligitur, nec esse quidquam in uita iustitia beatius, nec iniustitia miserius, & detestabilius.

Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini. Psal. 112. Apud Heb. 113.

PErgit uir sanctus adhortari, & uehementius admonere omnes,quos religionis, & iustitiæ, studium tenet,ut Dominum, a quo tam admirandis beneficiis auĉti, & ornati sunt, laudare minime desistant. In principio autem carminis, Dei nomine ter cum ardentiſsima oratione repetito, triplicem Diuinarum personarum rationem, fide summa,colendam,atque uenerandam,profitetur; deinde,orbi terrarũ,de communi generis humani salute,gratulatur.Itaq. ait:Laudate, homines sancti,Deum,a quo bona cuncta prosluunt; laudate, serui,Dominum, qui omnia imperio summo complectitur;laudate nomen Dei, qui, muneribus, & donis,mirabili ratione multiplicatis, quãta sit Diuina benignitas,exponit.Sit nomen Domini omnium prædicatione celebratum; nullaq. sit consequentis tẽporis ætas, quæ tantę benignitatis amplitudinẽ silentio prætermittat. Nec enim uoluit misericordiæ suæ lumen esse Iudææ terminis inclusum;sed,ad salutem omnium gentium,in ultimas etiam oras,omnibus,qui illo cum fide frui uoluerint,oblatum. Ab ortu igitur Solis, usque ad occasum,innotuit nomen Domini,debitisq. omniũ gẽtiũ,quæ fuerant tenebris immersæ;laudationibus extollitur.Excelsa enim, illustris,& ampla,est Domini clementia,in omnes gentes;nẽpe,quas e flagitiorum uinculis expediuit; quas notitia sui nominis illustrauit; quas in stirpem sanctiſsimæ nobilitatis inseuit; quas denique iustitiæ opibus, & ornamentis,excoluit, & in uiam sempiternæ uitæ deduxit.Nec enim eos,quos ad suę Maiestatis cultum inuitat,& allicit, & studio pietatis incendit, in terra tantum tuendos, & opibus egregie cumulandos,suscipit; sed illis in cælo patrimonium hereditatis sempiternæ constituit. Gloria igitur Domini, quæ in misericordia hominibus attributa perspicitur,supra cælos euehitur.Quis est,sicut Dominus Deus noster,qui in cęlũ adscendit,ut in solio Maiestatis sempiterno sederet,omniumq. rerũ imperiũ,iuste,sapienter, atque feliciter,administraret?Et tamẽ se demisit in terrã, ut non solũ in cęlo omnes beatiſsimas mentes,uirtutis sempiternę præsidio,contineret,uerum & in terra,hominibus,miserabiliter abiectis,admiranda clemẽtia,& benigniate,cõsuleret. Vt autẽ magis cerni possit

Laudate pueri Dominum.

A Solis ortu usque.

Excelsus super omnes.

Quis sicut Dominus Deus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vt collocet eum cum.

immensæ probitatis amplitudo, excitat de pulsuere homines egentes, & mendicos; cœno inquinatos, purgat, & extollit, ut eos in principatu locet, & dignitatem angelorum, quibus curam populi sui tuendi delegauit, illis attribuat; ut nullus eorum possit sibi opes suas adscribere, sed in illarum fructu largitorē sempiternæ felicitatis agnoscerent. Nam sordibus inquinatos puritate donauit; rudes, & imperitos, sapientiæ muneribus ornauit; humiles, & obscuros, nobilitatis ueri ssimo splendore decorauit; atque postremo, eos, qui erant in terra despicatissimi, in summo Principatu locauit. Vbi enim spes humana magis deficit; ibi multo clarius Dei clementia, atque potestas, agnoscitur. Sara, concipiendi spem abiecerat. Ergo, cum filium enixa fuit, explorate cognitum fuit, partum illum felicissimum non ad humanam naturam, sed ad gratiam Diuinam, referendum. Rebecæ similiter infecunditas, antegressa, cum duos filios in lucem edidit, demonstrauit, fecunditatem non esse tam in humana natura, quam in beneficio Diuino, constitutam. Anna, Samuelis mater, in luctu, & squalore, uersabatur, quia prole carebat. Dominus uero, ubi spes humanæ naturæ prorsus incisa fuerat, fidei fructum multiplicauit, multosq. illi filios post Samuelis ortum admodum benigne contulit: quod signum portendebat, ex gentium multitudine, quæ erat instar horridæ, & uastæ, solitudinis, spe sanctæ sobolis omnino destitutæ, opera principum, quos Deus ad id munus efficiendum e lutulentis flagitijs excitauit, innumerabilem multitudinem, opibus sanctitatis egregie florentem, nascituram. Quod si opus Domini, quo est magis admirandum, eo laudibus amplioribus est iure, atque merito, celebrādum, & hoc opere tam præclaro nullum fuit admirabilius; uos omnes exhortor, ut Domini clementiam laudatione perpetua celebretis.

Qui habitare facit.

In exitu Isral de Aegypto, domus Iacob. &c. Psal. 113. Apud Heb. 114.

ANtiquorum beneficiorum recordatio futurorum exspectationem confirmat. Iccirco Dauid, & reliqui Prophetæ tam sæpe commemorant, quæ Deus olim Hebræorum gratia gesserit, ut spem erigant ad fidem eorum, quæ Deus, per se, in terris effecturum promiserat. Præterea, cum antiqua munera, Israeli tributa, illorum umbrā, & imaginem, gesserint, quæ Christus erat hominibus allaturus; sancti homines crebro antiquitatis memoriam replicabant, ut paullatim animos ad disciplinam felicissimæ nouitatis, cuius auctor est Spiritus sanctus, erudirent. Interim uero admonebat, his antiquitatis exemplis, sanctissimus Rex, homines, quos in ditione tenebat, ut deorum inanium cultum repellerent, & dirissimam superstitionem exsecrarentur, totosq. se ad unici Domini cultum traducerent, cuius bonitatem immensam suis nullo in loco defuisse constabat. Ait igitur: Cum Israel ex Aegypti finibus egrederetur, & domus Iacobi, gētis impuræ, & barbaræ, commercium, quo fuerat nimis afflictata, relinqueret; Dominus uim probitatis, & potentiæ, suæ, in populi sui salute, plane, & aperte, declarauit. Nam Iudæ posteritatem, in qua gente fuit, iam ab initio, populi uniuersi principatus, tantis præcipue beneficiis affecit, ut insigniter appareret, Dominum esse totius miseriæ humanę perfugium, & tutissimum uitę propugnaculum, sanctissimumque in omni rerum discrimine, atque uarietate, præsidium: similiter, in uniuerso Israele redimendo potentiā admirandam in omnium adspectu constituit. Non enim solum homines impij, & insolentes, & principes, minime ferenda superbia tumētes, pestiferis plagis, & horribili strage, uim in se Diuinę seueritatis satis acrē experti sunt; uerū & mare, & flumina, & montes, & colles, præsentiam sanctissimi Dei exhorruerunt. Nā & mare, illius adspectu, utrimque, fuga discessum, constitit; & Iordanis cursum, unde profluxerat, retro contorsit; mōtes, assiduis motibus agitati, tamquā arietes exsilierunt; &, tamquā agni, ab ouibus depulsi, motus dederūt. Quæ tanta uis illa fuit, o mare, quæ te in fugā compulit? & tu, Iordanes, qua formidine cōmotus, cursum in contrariā partē tam subito cōtorsisti? & uos, montes, cur, uestrę stabilitatis immemores, ut arietes, exsiluistis? & uos, colles, ut agni, a lacte depulsi, motus dedistis? Nihil est in Dñi conspectu firmum, & immobile; & nihil tanta naturę constantia stabilitū, quod non, ad illius conspectum, trepidet, & contremiscat. Tu igitur, o terra, in Domini summi præsentia ingenti motu concutere. Non enim Deus, quem Iacob summa religione ueneratur, est fallax, ut præsentia illius tibi contemnenda sit; sed uerus, & omnipotens, & sempiternus, piis clemens, atque benignus, impiis horribilis, atque pertimescendus. Is est, qui e rupe perennes aquas elicit, & in petra durissima fontes aperit, quibus & sitim suæ plebis exstinguat, & aridam telluris faciē ornatu uiridissimę amœnitatis illustrer; ut intelligi possit, animos, uitiorum ardore prorsus exustos, illius spiritu reuirescere, atque fructus salutares effundere.

In exitu Israel de Aegypto.

Facta est Iudæa.

Mare uidit & fugit.

A facie Domini.

Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriā. Ps. 115. Apud Heb. 116.

EOdem spiritu uir sanctus Domini laudes persequitur; & ad simile pietatis exemplum nos erudit, ut in rebus admirandis, quæ Diuinaui, & beneficētia, fiunt, nihil nostris uiribus, industriæ, meritis, adscribamus, sed omnia ad ipsius summi, atque clementissimi, Domini gloriam reuocemus: quod adeo debet esse nostris animis infixum, ut, cum aliquid patimur, non tam uicem nostram doleamus, quam gloriæ Diuinæ detrimentum. Insultant enim improbi in bonorum calamitatibus; & in illorum fidem, quasi in summam stultitiam, conuicia ingerunt; &, ut maximum probrum, illis obiectant, quod, spe auxilii Diuini, a quo desertos opinantur, nimis innixi, & plus æquo confidētes, exstiterint. Angūtur igitur, & dolēt, sancti homines, quod animaduertāt, in gētis, quæ Dei religionē profitebatur, cuersione, Dei nomen maledictis omnibus proscindi. Sic enim Deum multi uituperant, quasi aut noluerit, aut non potuerit, suis opitulari. Si noluisse putant, eū perfidiæ, & immanitatis, insimulant; si non potuisse suspicantur, Deo imbecillitatem impudenter affingunt. Est igitur hic locus communis omnibus sanctis, quoties Deum a seueritate iudicii ad lenitatem clementiæ inflectere precibus enituntur.

Non nobis Domine.

Sic Moses Deum monet, ut gloriæ suæ prospiciat; sic Iosue precatur eundem Dominum, ut nomini suo magno consulat; sic Dauid, multis in locis, eandem sententiam repetit; omnes denique homines sancti ostendunt, in uotis, & precibus, se magis de gloria Diuina, quam de salute sua, laborare. In hanc igitur sententiam, hoc in loco, uir sanctus opem efflagitat. In quas angustias adducti simus, cernis, o summe Domine; quas minas iaciāt hostes, & quos terrores denuntient, attendis, quæ pericula nobis ab hominibus, qui falsos deos colunt, intendantur, animaduertis. Si nos, in tanto discrimine, ope tua destituis; timendum est, ne tuum nomen sanctissimum ludibrio habeatur: quasi nequiueris auxilium afferre nobis, aut res eorum, qui in te omnem spem salutis suæ repositam habent, omnino neglexeris. Itaque eo res erit apud homines deducta, ut feliciorem condicionē arbitrentur illorum esse, qui numina commenticia uenerantur, quam eorum, qui in te unum intuentur; tibi soli confidunt; & omnes uiuendi rationes a te solum suspensas habent. Non igitur nobis, o Domine, non nobis, sed nomini tuo, da gloriam; clementiæ tuæ laus emineat; fidei tuæ cōstantia cunctis mortalibus innotescat: quod fiet, cum nobis, qui misericordia tua nitimur, opem attuleris; & fides, quam patribus olim dedisti, fore, ut numquam nos, qui ab illis orti sumus, & eorū fidem sequimur, ullo in loco desereres, exitu clarissimo comprobata fuerit. Consule igitur misericordiæ tuæ claritati; tuere ueritatis tuæ constantiam; &, si digni supplicio sumus, ita nostrum scelus ulciscere, ut nominis tui gloriam obscurari minime patiatis. Cur dicent gentes, a sacris tuis sanctissimis alienæ, Vbi est Deus eorum? In nostra igitur calamitate, in te conuicia petulantissime iactant. Itaque nostrum dedecus, tuum dedecus est. Nos enim, qui te, Deum uerum, rerum omnium conditorem, & Dominum, religione summa uenerandum colimus, ab illis, quasi amentes, & stulti, contemnimur, & iocis amarissimis irridemur; & sibi interim mirifice placent, quasi sint suorum deorum præsidio uallati. At, quantum sit inter utramque religionem discrimen, explicari non potest.

Ne dicant gentes.

Deus autē noster in cælo.

Deus enim noster in cælo sempiternum Regnū imperio infinito complectitur; & omnia, quęcunque uult, efficit; nullaq. uis est, in uniuersa natura, quæ possit uoluntatem illius impedire. At eorum dii, summo labore, & sollicitudine, impensisq. maximis, confiati, quos gentes, turbulentissimis erroribus excæcatæ, sanctissimos habent, quam utilitatem suis afferre possunt? Si enim de materia quæris, aurum, & argentum est, magis certe hostium tapinæ, atque direptioni, propositum, quam saluti conferendæ hominibus uexatis, & afflictis, accommodatum. Si, forma, & species, eorū, qualis sit, scire desideras; ea profecto est, quam artificium humani sceleris, & improbitatis, effinxit. Dij eorum sunt illi, quos impurorum hominum manus effecere; quæ nullo modo mentem, atque sensum, operibus suis dare potuere. O detestabilē furorem, & insaniam, eorum, qui diis illis supplicandum esse decernunt; qui sensus prorsus expertes sunt. Os habent, & non loquuntur; oculos habent, & non uident; aures habent, & non audiunt; nares habent, & non odorantur; manus habent, & nihil tangunt; pedes habent, & non ingrediuntur. Nec eo quidem instrumento præditi sunt, quo, si loco moueri uoluerint, alicuius opem implorent. Voce enim carent, qua, cum fuerit opus, inclament. Similes illis fient, & qui talia numina faciunt; & qui in illis spem uitæ suę collocant. muti erunt, ne medicinam, unde erat postulanda, & exspectanda, flagitent; oculorum adspectu priuabūtur, ne pestem, in quam furibunde ruunt, adspiciant; auditu carebunt, ne salutarem disciplinam accipiant; olfactu spoliabuntur, ne tæterrimum ulceris sui odorem præsentiant; tactu penitus destituentur, ne calamitatis suæ asperitatem aliquo modo percipiant; erunt etiam ingressu prohibiti, ne salutis uiam ineant; e gutture uocem minime profundent, ne alicuius opem sibi, in tempore grauioris tempestatis, accersant. Bruta denique animantia, mentis stupiditate, superabunt. Illa namque sensibus instructa sunt, quibus adscisceant suę naturæ salutaria, & noxia cuncta repellant: quod hominibus, qui sibi deos faciunt, non erit concessum. Sceleratissimi namque facinoris immanitas omnia illis instrumenta salutis eripiet. Tu uero, Israel, tanti sceleris exempla detestare; impiorum exitus perhorresce; in illo omne præsidium salutis constitue, qui numquam spem eorum, qui illius auxilio nitebantur, ullo in loco, aut tempore, fefellit. Repete animo totius antiquitatis memoriam; & numquam reperies, eos, qui se, qui salutem, & uitam, suam Domino commiserunt, atque tradiderunt, fuisse ab illius auxilio derelictos. Olim, multis in locis, homines, Israelis satu propagati, patriæq. pietatis heredes, in rebus aduersis omnia sua præsidia in Deo constituta fidenter habuerunt, qui illorum defensor, atque propugnator, exstitit. Aaronis posteritas, singulari quadam ratione, in periculis, omnia præsidia sua in Deo cōstituta sane fidenter habuit, qui defensor illius, atque propugnator, exstitit; nec solum Iacobi genero Dominus se propitiū in rebus afflictis, sed omnibus, qui nomen illius inuocarunt, defensor, atque propugnator, exstitit. Non est oblitus nostri Dominus: nobis enim benedicet; benedicet domui Israelis; benedicet domui Aaronis; benedicet etiam gentibus uniuersis, tam humilibus, & obscuris, quam opibus, & nobilitate, claris; dummodo

Similes illis fiāt, qui.

Domus Israel speruit, siue spe ret in Domino.

Domus Aaron speruit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo cælestem Dei Maiestatem uereantur, omnesq. suas actiones, & uitæ consilia, ad gloriam illius dirigant. Tolletur enim omne generis, & disciplinæ, discrimen; & exsecrationem, qua Dominus, propter peccatum terras uniuersas alligarat, peccati ipsius interitu, irritâ faciet; &, loco imprecationis diris simæ, Diuina beneficentia genus humanum sempiternis opibus egregie cumulabit. Erigite igitur animos uniuersi, & spem firmâ felicitatis summæ uigenti fide concipite, qui Deũ timetis: Dominus enim in uos beneficia magna conferet; conferet, inquam, in uos, & filios uestros, salutaribus institutis eruditos, ingentia beneficia, & collata in dies amplificabit. Quæ beneficia? inquies. Illa certe, quæ sunt a summa probitate, & a summa potentia, flagitanda. Nam, pro ratione potestatis, a magnifico principe dona, & munera, conferuntur. Monet igitur ratio, ut a præpotente Domino, cuius gratiam retinetis, summa uobis dona pollicer i possitis. Dominus enim, qui uos beneficiis auget, & cumulat, is est, qui cælum, & terram, fecit. Vnde colligitur, nihil donis illis, quibus uos afficiet, & ornabit, cogitari posse magnificentius. In cælo Dominus, in cælo, quod tam admirabili opere perpoliuit, stabilem, atque sempiternam, sedem habet. Terram autem, ut hominũ uitæ, & usibus, seruiret, in medio mundi stabiliuit. Ex ea namque possunt homines cælestia suspicere; opera Diuina contemplari; iustitię disciplinam capere; amore Dei incendi; & studio immortalitatis inflammari; atque tandem cælestis ciuitatis iura meritis excellentibus adipisci. Hoc, Domine, nouimus; hæc munera tua confitemur; non diram, & nefas tam, religionem colimus; non a mutis signis opem, ut impię gentes faciunt, imploramus; tui solius ope nitimur; & a te solo præsidium, contento studio, & uoce, postulamus. In nostra igitur salute gloriam tui nominis illustra. Si enim fuerimus ab hostibus uicti, spoliati, & occisi; quis laudes tuas oratione celebrabit? Quo signo, nominis tui uis immensa, & amplissimum decus, excellet? Quæ materia præberi poterit hominibus, in interitu eorum, qui supplices tui sunt, uirturis tuæ cognoscendæ? Non mortui igitur, non mortui, te laudabunt, Domine; neque, qui sunt inferorum obliuione sepulti, decora tua prædicabunt. Nos, gratia tua redempti, ope tua liberati, uitæ sempiternæ muneribus ornati, te Dominum perpetua laudatione prosequemur; nonienq. tuum in cælum, ex hoc tempore, in omnium sæculorum æternitatem, laudibus efferemus. Omnes igitur, qui Dominum pura, casta, integra, mente, inflammatoq. studio, colendum suscepistis, Dominum perpetuo laudate.

Adiiciat Dominus super uos.

Benedicti uos a Domino.

Cælum cæli Domino.

Nõ mortui laudabũt te Domine.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus. Psal. 114. Apud Heb. 116.

NOn potest hominum genus de naturæ suæ imbecillitate, aut uitæ breuitate, merito lamentari. Qui n. queritur de imbecillitate naturæ, minime sentit, esse nobis concessum, si uelimus, uires Diuinas adipisci. Qui uero uitę breuitatem luget, non intelligit, breuissimo tempore fieri posse, ut fructum eui longissimi consequamur. Quo modo? Inqueis. Diuini amoris studio. Amor enim Domini Deum semper intuetur; actiones illius imitatur; ad similitudinem illius adspirat; ad Diuinumq. tandem statum, immensę illius probitatis beneficentia, peruenit. Quo modo igitur de imbecillitate conqueri potest, qui uires est assecutus, quibus omnes etiam inferorum copias exscindat, & proterat? Quis iure eo nomine poterit afflictari, quod fuerit, in ætatis flore, immatura morte sublatus, cum datum illi fuerit, in ea uitæ breuitate, quam precisam fuisse dolet, ætatis maturæ fructus uberrimos, cum gloria ingenti, percipere? Non enim summum bonum est, in uitæ longinquitate, sed in uirtutis egregiæ maturitate, constitutum. Hunc autem qui consequitur, quo minor annorum eius recensio fuerit, eo clarius nomen obtinebit, quando id breuissimo spatio fuit felicissime consecutus, quod multi homines, multis opbus prediti, ætate longissima, propter socordiam suam, consequi nequiuerunt. Summa hæc est; ut intelligatur, ætatis maturitatem in amore Diuino consistere. Hoc qui fuerit incensus, quacumque ille ætate moriatur, & senex grauissimus, & homo felicissimus, & princeps excelsus, atque plane Diuinus, habẽdus est. Si enim summæ felicitatis est, iis rebus omnibus, quas ardentissime cupimus, abundare; illi certe, qui Deum amant, nihil honestum, uel expediens, eorum saluti ardenter expetunt, quod non assequantur; nihil postulant, quod non impetrent; nihil summo studio conantur, quod non efficiant; ita, ut quodammodo dij quidam iam in terris habendi sint. Quod ut melius intelligi possit, ipsum Regem sanctissimum, amoris Diuini flammis incensum, audiamus. Sic enim ait: Amor me summus incendit. Quæ tam illustris forma, & species pulchritudinis, oculis tuis obiecta est, o uir sancte, quæ sic te sui cupiditate, tam acriter, inflammarit? Diuina, inquit. Præcellentis decoris immensam lucem, & claritatem, mente considero; pulchritudinis elegatiam, nulla labe impuritatis, adspersam, contuens, obstupesco; illa me totum ad se rapit; & tantis ignibus exurit, ut reliqua omnia, quę uel in terris, uel in cęlo sunt, minime recorder, quoties omnes animi sensus in illa defixos habeo. Recte. Edissere tamen nobis, quos fructus ex amore isto perceperis. Maximos, inquit. Omnia enim, quę uolo, quæ cupio, quæ flagito, ab illa immensa probitate precibus adipiscor. Numquam enim postulata mea repudiat; aurem mihi semper benigne admodum præbebit: quocumque tempore illius opem inclamauero, confestim accurret. Quod ut clarius fiat, quanta sit illius erga me benignitas, experiẽdo, percipiam; & fidem mihi in periculis exercere cum gloria liceat; periculis me circumuallari permittat; ut ex illis me, signis admirandis, eripiat. Obsederunt me dolores mortiferi; in eas angustias adductus sum,

Dilexi, quoniam.

Circumdederunt me dolores mortis.

sum, ut animum meum sepulcri formido, & horror impendentis necis, perfuderit; &, dum remedium meis malis sollicite quærebam, angor, & dolor occurrebat, ita, ut omnes sensus meos extrema desperatio salutis occuparet. Tanta enim erat hostis immanis, & importuni, uiolentia, & ego tam desertus a meis, ut nulla mihi mortis effugiendę spes ostenderetur; & tamen firma fide nomen Domini, cuius ui mortui suscitantur, inuoca ui. Breuissima autem oratione, maxima tamen ui, & contentione, spiritus, emissa, usus sum. Hoc enim tantum dixi: O Domine, animam meam libera. Sed ad Dei misericordiam flagitandam non orationis nimia longitudo, sed fidei ardentissimę magnitudo, flagitatur. Est enim Dominus, clemens, & iustus, & ad misericordiam tribuendam, insita naturæ benignitate, propensus. Clementia illũ monet, ut opem afflictis afferat; iustitia, ut pacta seruet, & improbos plagis afficiat: naturę autem bonitas facit, ut multo libentius clementię partes, quam uindictæ, suscipiat. Cum uero superbiæ sit infensus, & humilitati faueat, & me cerneret humilem, & abiectum; salutem mihi contulit, animamq. meam, malis afflictam, clementissime subleuauit. O anima mea, que tantis, & tam acerbis, doloribus intercluſa fuisti, ut, etiã spiritus Diuini suauitate, ad grauiorem accessionem mæroris, orbata, decumberes, animum recipe; uires iacentes excita; inuictum robur assume; ad solatia intermissa regredere; colloquio iucundissimo Spiritus sancti perfruere, ut in eo ab omni cura, & sollicitudine, conquiescas. Dominus enim tibi dona ingentia tribuit; & ęrumnarum tuarum acerbitates Diuino solatio, & mira uoluptate, compensat. O Dñe, quibus uerbis tibi gratias agam, prorsus ignoro. Animam namque meã a morte seduxisti; oculorum meorum lacrymas absterſisti; pedes meos, nę laberentur, & caderent, robore præfulcisti. Illa præterea spes me, in omni rerum discrimine, sustentabit; qua confido futurum, ut in Domini conspectu, in terra uiuentium, gressus mei perpetuo dirigantur. Quam terram uiuentium nominas, o uir sanctissime? Non certe, inquit, hanc, in qua peregrinamur, Terram uiuentium appellabo. Hanc enim lacrymæ, naturæ mortalis indices, esse miseriis affinem testificantur; hanc tristes curę, & sollicitudines acerbæ, conficiunt; hanc assidui dolores excruciant; hanc postremo quotidie mors exhaurit, & truculentia dira consumit. Quo modo igitur Viuentes appellari possunt, qui quotidie moriũtur? Quidquid enim ætatis præteriit, mors, pone a tergo insequens, occupauit. Illam igitur Terram uiuentium appello, in qua neque mors, neque mortis signa locum habere possunt. Illic neque dolor, neque gemitus, neque metus, neque sollicitudo, neque lacrymæ, neque sensuum acerbitates, neque angustiæ, uigent; sed omnia iucunda, lęta, salutaria, sempiternaq. uoluptate cumulata sunt; neque ulla ægritudo potest, in omni sæculorum æternitate, ciuibus illis beatissimis intervenire, quę gaudia infinita contaminet. Sunt enim illi, bonorum omnium principio, & fonti, fœdere perpetuo, copulati; ex quo uita, lux, gaudium, decus, & omnia denique bona, continenter manant, & fluunt; ita tamen, ut numquam exhauriantur. Illi igitur, qui Deo, qui uerissima uita est, coniuncti, & in illius similitudinem conuersi sunt, uere uiuunt; nos uero, quamdiu in hoc exilio degimus, mortis acerbissimæ laqueis implicamur. Quid ergo? Nulli sunt in hac rerum humanarum colluuie, qui uere uiuant, atque luce salutari fruantur? Si ad futuræ uitæ claritatem prospicias, nulli prorsus. Si uero ad eam uitam, quæ potest, in hac etiam miseriæ regione, gratia Diuina comparari, mẽtem referas; permulti sunt, qui uigeant, & sapiant, & luce, quantum fas est, cælesti compleantur. Qui sunt isti? Illi, qui fide, & non sensibus, uitam instituunt. Credo qui dem ego; & ideo loquar, quod absque fide fieri nullo modo potest. Mortui enim sunt illi, qui fide carent. Mortui uero tales minime loquuntur. Quid ais? Qui mentiuntur, qui peierant, qui calumnias intendunt, qui fraudes, & insidias, comparant, nõ loquuntur? Minime. Est enim sermo, intimæ mentis explicatio, & rationis imperium, uerbis expressum, ad uitæ degendæ disciplinam accommodatum. At mens humana, est ad imaginem Dei sempiterni: & ratio, est lex Diuina, in animis impressa, & insculpta. Vnde sequitur, illam tantum proprie hominis orationem existimandam, quæ ad Dei gloriam refertur, quæ ad legis normam dirigitur; quę humanam societatem iure conseruat; quę denique minime a iustitię decretis abhorret. Cũ igitur homo peruersus peruersa loquitur, non homo loquitur, sed furor immanis, sed cupiditas effrenata, sed amẽtia præceps, sed, ut uno uerbo dicã, Peccati tyrãnis, quæ dirissimo dominatu mẽtẽ oppressã tenet. Vnde cõcluditur, omnes, qui sub cupiditatis impurissimę dominatu uiuunt, mutos, & elingues, esse. Cum igitur ego loquor, certe liber sum, & oratio mea me uita frui testificatur. Assentior libentissime. Reliquum est, ut orationem hominis, qui uere uiuit, audiamus. Quid igitur ait? Equidẽ nimis afflictus fui. In trepidatione uero mea, dixi, & statui, omnem hominem esse mendacem, &, quod est consequens, omnes humanas opes in summa uanitate uersari. Quis enim confidentius potuisset sibi opem ab hominibus in calamitate polliceri? Non opes magnas habueram? non multos mortales maximis beneficijs obstrinxeram? non patriam uniuersam excellentibus meritis obligaueram? non me multorum amicorum societate munieram? At, ab omnibus destitus, & a multis eorum proditus, & in fraudem inductus, & insidiis circumuentus, & uiribus infestissimis oppugnatus sum. In angore igitur animi, & in periculi imminentis magnitudine, didici, humanum præsidium non modo imbecillum esse, sed fraudulentum, & inane, & perfidiæ scelere maculatum, & penitus infectum. At Dominus, eo tempore, quo, omni humano præsidio nudatus, in extremis uitę periculis constitutus sum, in auxilium uocatus, accurrit; hostes præsidio inopinato conterruit; me iacentem erexit; & ex faucibus mortis eripuit; & in excelso gradu locauit. Quid igitur Domino reddam? Quibus officiis meam

O Domine libera animam.

Conuertere anima mea.

Placebo Domino in terra uiuentium.

Pſal. 115. apud Heb. idem cum superiore. Credidi, propter quod.

Ego autem humiliatus sum nimis.

Quid retribuam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

meam uoluntatem, nimis illius Maiestati deuincta, testificabor? opibus terrenis non indiget; munera humana non expetit; omnia, quę uersantur in terra, sunt minuta, & angusta, & amplitudini Maiestatis infinitę parum decora; maxime uero, cum is omnia, tam cęlestia, quam terrestria, potestate immensa contineat. Quid ergo faciam? Calicem salutaris accipiam. Id certe, quod ille tantum ab hominibus exigit. Nempe, gratum, & memorem, animum, studioq. pietatis incensum, illi semper offeram; calicem, in monumentum oblatę salutis, atque multiplicis beneficij, libabo; & Domini ipsius nomen inuocabo; neque sanguine pecudum, sed purissimi, atque sanctissimi, sacrificij representatione litabo; &, modo, pericula defunctus, nuncupata uota in medio totius populi, cum debita religione, persoluam. Plurimi facit Dominus uitam eorum, Pretiosa in conspectu. qui sunt Maiestati suę consecrati; eamq. uel maximo opere tuetur, ne ab hostibus eripi possit; uel, si eos aliquando ad gloriam sui nominis interimi permittit, eorum mortem grauissimis pœnis ulciscitur. Itaque numquam iusti, uel uiui, uel mortui, ab illius ope deseruntur; uiui, uirtute illius uigent, & conseruantur; mortui, præmijs sempiternis afficiuntur, & præterea mors illorum acerbissimis suppliciis uindicatur. O utinam iustis adscribar? O quis se uideret hominibus sanctis, qui in tuo patrocinio latent, annumeratum? Obeatos illos, quos tanti facis, ut uiuos, & mortuos, muneribus sempiternis, atque donis, afficias. Recordare, Domine, me seruum tuum esse, &, iam inde a pueritia, a matre, quę me in lucem edidit, ad gloriam tui nominis enutritum. Eram quidem flagitiorum uinculis alligatus: tu me e uinculis eximisti, ut possem tibi, parta libertate, seruire. Qua seruitute libertatis summa continetur. Tibi igitur sacrificium laudis immolabo; & nomen Domini, qui me in libertatem uindicauit, inuocabo; & in medio totius populi nuncupata Domino uota persoluam. Non me pudebit Euangelij; non me in tenebras abdam; nomine religionis sanctissimę gloriabor; ut multos præterea, meo exemplo, studio religionis incendam; hominum lucem, & celebritatem, sequar; & ibi potissimum, quo multitudo uniuersa conuenit, omnia munera sanctitatis obibo. In atriis igitur domus Domini, in medio Hierosolymitanæ ciuitatis, sacris omnibus, quantum licuerit, operabor. O uiri sancti, ardentibus animis societatem huius tam præclari muneris inite; & mecum Domini laudes, laudatione perpetua, celebrate. Alleluya.

Laudate Dominum omnes Gentes. Psal. 116. Apud Heb. 117.

BReuissimo carmine, gentibus beneficia summa denuntiat; omnesq. nationes ad societatem Diuinę laudis inuitat. In quo quidem satis aperte docet, gentes, olim alienas a Diuinæ legis disciplina, non minus, quam Iudęos, gratia, & benignitate, Diuina conseruandas, Diuinisq. muneribus, & ornamentis, afficiendas fuisse. Sic autem ait: O ciuitates, o populi, o nationes uniuersæ, siue quæ confinia nostræ regionis incolitis, siue quæ procul in ultimis terris habitatis, laudate Dominum, illiusq. erga nos omnes admirabilem clementiam, & bonitatem, læti concinite. Recte, inquient, mones, si lætitiæ caussam dignam tam insigni laudatione protuleris. Confirmata est, inquit, in nos misericordia eius. Quid ergo? Hoc nouum est, & inusitatum, ut sit noua gratulatio requirenda? Non Aegyptiorum iugum a ceruice uestra deiecit? Non uos per maris tumidi, & infesti, gurgitem illæsos traduxit? Non hostes uestros insequentes exstinxit? Non uos cælesti pabulo sustentauit? Non animos uestros Diuinis institutis, atque disciplinis, eruditit? Magnum quidem illud beneficium exstitit. Non nego: sed nondum eo misericordia illius erga nos confirmata fuit. Summa namque bonitas, non est huius uitæ bonis, quæ breui temporis spatio circumscribuntur, definita; nec animi eorum, qui flagrant immortalitatis studio, & cupiditate, possunt ullo modo illis muneribus, qui sine aliquo terminantur, esse contenti. At illa omnia, signa tantum, & imagines, exstiterunt, & præterea consenuere, atque uetustate consumpta sunt. Illa namque libertas de manibus elapsa est; pabulum illud cæleste mortem minime propulsauit; lex antiquata iam pridem euanuit; hostes, Aegyptijs longe tætriores, iugo multo grauiore ceruicibus nostris imposito, triumphabant. Itaque nó fuit eo tempore misericordia illa erga nos, ut nos sperare ab immensa benignitate conueniebat, omnino confirmata. Signum autem magni imbecillitatis in lege uobis esse debet, quod eo tempore, quo lex antiqua maioribus nostris lata fuit, nemo exstitit ex sanctis illis hominibus, qui uos ita magnis uocibus ad societatem lætitię, atque sanctissimæ celebritatis, inuitaret. Legem enim acceperant, non, quæ gentes magnitudine iucunditatis alliceret, sed potius, quæ nimio terrore cunctas gentes alienaret. Abijt illud tempus. Ipse Dominus per se illustrauit orbem terrarum, ut ueram, atque sempiternam, libertatem constitueret; hostium tyrannidem importunam deleret; nos pabulo Diuino, quo immortalitas continetur, aleret; multisq. donis, & muneribus, iisq. Diuinis, & sempiternis, afficeret. Nunc igitur, nunc, & non olim, Diuinæ misericordiæ munus perfectum, & absolutum fuit; & fides, quam olim dedit patribus, mutationem habere non potest. Dederat autem fidem, fore, ut omnes gentes, per semen Abrahami exsecratione communi liberatæ, participes hereditatis Diuinæ nobiscum fierent: at ueritas Domini, est fixa, stabilis, atque sempiterna. Nunc igitur, in communi beneficio, par est, ut uos ad easdem Domini laudes incenso, & inflammato, studio celebrandas cohortemur. Materia namque dissidij sublata est; odium exstinctum; acerbitas profligata; promissa Diuina & nobis, & uobis, ex æquo proposita. Cum igitur iam non sitis hospites, & peregrini, Laudate Dominum omnes Gentes. Quoniam confirmata

regrini, sed eadem ciuitate donati; nobiscum omnem ætatem uestram, in tam Diuino beneficio celebrando, consumite.

Confitemini Domino quoniam bonus. Psal. 117. Apud Heb. 118.

PRęcedente carmine Dauid gentes oratione admodum breui exhortatus est, ad Domini laudes inflammato studio prædicandas, eo quod misericordia Domini confirmata esset, & promissa illius sempiterna fide stabilita. Hoc autē, quod continuo sequitur, quæ misericordia illa sit, luculenter, & explicate, tradit. Christi namque Regnum celebrat; illiusq. præsidia, & ornamenta, & opes amplissimas, amplitudine Diuinæ cuiusdā orationis, quantum potest, extollit. Ita enim de se loquitur, & pericula, e quibus fuit, ope Diuina, liberatus, & uictorias, quas fuit, Dei præsidio, consecutus, canendo commemorat, ut multo magis de Christi laboribus, atque de triumphis, quam de se ipso, loquatur. Immo, multa egregie dicit, quæ in neminem, nisi in sempiternum cæli rectorem, ullo modo conueniunt; quemadmodum & testimonia, quæ sunt hinc in Euangelium translata, significant; & ipsius Domini sententia testificatur, & ueritatis ipsius lumen clarissime demonstrat. Sic enim ait: Laudate summo studio Dominum: summa namque benignitate præcellet, & misericordia illius est sempiterna. Vniuersum genus Israelis redigat in memoriam, quam multa beneficia a Deo perceperit; & misericordiam illius grata oratione concelebret: misericordia namque illius est sempiterna. Domus Aharon, quæ sacerdotij dignitate, & sacrorū religione, reliquis antelata est, laudibus Dominum assiduis exornet: nam misericordia illius sempiterna est. Gentes etiam, quæ timent Dominum, illius benignitatē oratione cōcelebrent, qua sunt ad tantas opes felicissime participandas admissę: nā misericordia illius sempiterna est. Cū igitur misericordia illius sempiterna sit, illius affluentia morte interrumpi non potest, nec sæculorum innumerabiliū uetustate cōsumi. Libertas igitur, salus, dignitas, opulentia, uoluptas, & reliqua bona, quæ, illius benignitate, in eorū animos, qui nomen illius timēt, assidue cōferuntur, sēpiterna sunt; nec ullo modo possunt ulla tempestate deleri. Horū autem donorū, & munerum, amplitudinem, in hac etiam uita, quam assidui fluctus exagitant, & quā mors tandem necessario fine concludit, exempla quotidiana demonstrant. Qui enim tantis nos, in hoc exsilio, bonis, & ornamentis, auget; quid in patria illa cęlesti, quo iter tendimus, efficiet? & tamen in hac uita, qui illius nomen renouarentur, & ad legis sanctissimæ normam officia dirigunt, ope illius muniuntur; a periculis omnibus educuntur; opibus Diuinis exoluntur: quod in me admodum clare perspicitur. Cum enim ærumnis oppressus essem, & in summa angustias adductus, ad Dominum clamaui, & continuo exaudiuit me; illiusq. beneficio, curarum omnium laxamentum, cum summa animi tranquillitate, consecutus sum. Bellum comparent hostes mei; insidias molianturi; pestem mihi, & exitium, machinentur; quid homines faciant, & excogitent, minime laborabo: me cum enim Dominus est. Dominus, cum illis, qui mihi auxilio afferunt, coniunctus est: hostes igitur meos, perculsos, & abiectos, adspiciā. Quam stulti sint, qui, hoc uero salutis præsidio neglecto, humana subsidia conquirunt, difficile est dicere. Præstat certe multo, Domino confidere, quam hominum præsidiis inniti; præstat, inquam, multo, Domino confidere, quam gratia, & fauore, Principum inaniter extolli. Est enim Domini potestas, immensa; & ueritas, atque fides, sempiterna: opes uero Principum, sunt fluxæ, & interiturę, & fides uaria, & inconstans, atque prorsus inanis. Miser igitur est, qui opibus humanis fretus est; qui uero omnem spem salutis in Domino reponit, plane beatus. Neminem enim umquam spes in Deo collocata fefellit. Omnes me gentes acerrime circumsistant. At ego, sanctissimo nomine subnixus, eas omnes exscindam. Circumsistant, inquam, me, & circumuallent; & omnes exitus, excitatis munitionibus, intercludant; at ego, Domini sanctissimo nomine subnixus, eas omnes exscindam. Vt examen apum me horrendo stridore circumdent, ut aculeis infixis intercidant; me, tamquam spinarum incendio, quod, cum flammarum strepitum ediderit, subito deflagrat, undique circumdent; ut igne repentino conficiant; ego tamen, Domini sanctissimo nomine subnixus, illos exscindam. Magnis me uiribus impulerunt, ut conciderem; at Dominus me opera sua stabiliuit, ne ruerem. Nullis meis uiribus nixus sum; nullis meę laudis, & gloriæ, ornamentis excultus sum. Meum robur, Dominus est; laus mea, illius benignitate continetur; illius uirtute, & non naturæ meæ præstantia, fortis, & illustris, semper ero; illius ope, uictoriam consequar; illius magnificentia, laude circumfluam. Non est hoc mihi soli tributum, sed omnibus, qui iustitiam uere colunt, summa Domini benignitate, concessum, ut omnium bellorum uictores sint, & post certamen, insigni gaudio, cum gloria triumphent. Vox summæ lætitiæ, ob salutem partam, in iustorum tabernaculis exauditur. In illis enim uictoria celebratur, quam non illi, sed dextera Domini ex hostibus sempiternis obtinuit. Dextera Domini, gloria inuicti roboris, in omnibus præliis, mirabiliter excellit; dextera Domini est, quę clarum, & illustrem, uictoriam ex hostibus sempiternis obtinuit. Non, ut sperabant inimici mei, morte delebor, sed, ex omnibus periculis emersus, uita fruar; & narrabo opera Domini. Multis ille quidem me plagis erudiuit; multis me curis, atque laboribus, afflictari permisit; ut, incommodis correptus, & emendatus, officio meo perfungerer; ita me tamen moderate percussit; ut interire minime pateretur; sed potius multo amplioribus opibus uitam meam fulciret; & iustitiæ muneribus magnificentissime cumularet. Vos igitur, quibus templi

Cōfitemini Domino.

De tribulatione inuocati Dominum.

Bonum est cōfidere in.

Omnes gentes circuierunt.

Impulsus euersus sum

Vox exsultationis &.

Aperite mihi portas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

templi custodia commissa est,nolite, me,tamquã indignum,templi aditu prohibere;nolitote,cupiditatem,qua incredibiliter ardeo, remorari;iustitię mihi fores confestim aperite. Templum enim Domini maximis iustitiæ muneribus cõsecratum est;præcipua namque iustitię pars,religio est; sanctitas est;qua nomen Domini pure colitur,& laudibus sempiternis afficitur. Ardeo igitur studio, & cupiditate,colendę religionis,& acceptissimi sacrificij,sensibus inflammatis,immolandi. Ingrediar igitur,ut sacrificium laudis immolem; & Domino meo gratiarum uota persoluam. O porta cæli, quam hæc terrestris adumbrat: O beatos illos, quibus per te aditus ad patrem summum aperiendus est. Nec enim aliunde,quam per te, ad Diuinæ Maiestatis speciem patebit introitus, o summæ salutis auctor, in quo spes nostras positas,& collocatas,habemus. Hęc est enim porta Domini; per hanc iusti omnes ingrediuntur. Is enim solus erit iustitiæ muneribus ornatus,& excultus, qui in te solo mentem defixerit; qui se totum ad imitationem tuam contulerit; qui iussis tuis obtemperauerit; quem tu denique ad patrem introduxeris. Tibi gratias summas ago,quod me,malis undique pressum, clementer audieris,& mihi salutarem opem,in rebus aduersis,attuleris. Documentum enim tuę benignitatis in me clarissimum statuisti; quo posset intelligi, neminem umquam,qui a te penderet, ab ope tua deserendum; & simul mentem meam ad summi illius principis considerationem acriter excitasti, quem, plagis afflictum, ex impiorum manibus serpies, & in summæ,atq. sempiternę, dignitatis amplitudine collocabis. Lapis enim,quem pontifices,& sacerdotes,quem legis doctores,quę reip. principes,quorum munus erat, remp. collapsam reficere,& ædificia omnia ciuitatis,sarta tecta cõseruare,repudiarunt,hic fuit in caput anguli constitutus,ut ędificio stabilitatem daret, & parietes diuersos,hoc est,gentes,moribus,& uita, & instituto,dissimiles,apte coniungeret;ne posset admirabilis structura uiribus ullis oppugnata labare. Fabrica enim hęc, non est operis humanis exstructa;sed Diuinis excitata; & ea soliditate,atque firmitate,reuincta, ne possit umquam uetustate dissolui,aut hostili oppugnatione concidere. Mirum igitur omnibus nobis,& nimis obstupędum, est, quam diuersa ratione ab ea,quam homines in ędificando sequuntur,hoc opus suum, ad salutem,& incolumitatem, generis humani,construxerit. Perfecit enim, ut humilitas uiam ad gloriam immortalem aperiret; summi dolores sempiternæ uoluptatis causslam continerent; pecatorum uulnera,uulneribus iusto inclementer inflictis,sanarentur;mors uitam in æternitatem propagaret;& supplicia denique,quæ mortales ingenti formidine perterrent,innumerabilem hominum multitudinem,ad se,occulta,& admiranda,ratione,iucunditatis,allicerent. Omnia igitur sunt modis omnibus admiranda, quibus explorate cognoscitur, Deum solum esse tanti operis, & muneris, architectum. Hæc est illa dies, tantis notis,& precibus, ab omnibus sanctis hominibus expetita, quam

Confitebor tibi quoniã exaudisti me.

Lapidem, quem repro bauerunt.

Hæc dies quam fecit Dominus.

Deus promisit; lex expressit;oracula prædixerũt; qua tenebræ dispelluntur; clarissimus omnium splendor exoritur; peccati tyrannis exstinguitur; iustitiæ regnum fundatur; serui in libertatem uindicantur;omnibus,qui pie uixerint,spes sempiternæ felicitatis ostenditur. Exsultemus igitur in eo; & lætitię summæ uoces indices, in Domini gloriam, cuius beneficio hic candidissimus nobis dies illuxit,emittamus. O summe Domine, te suppliciter obsecramus, ut hoc Christi tui Regnum faustum, felixque, sit; illi uniuersæ gentes obediant;& illius institutis, & moderatione, salutem æternam cõsequantur. laudibus sempiternis exornetur Rex ille sanctissimus, cuius omne decus, pietate,religione, obedientia admiranda,summæ pietatis exemplo, continetur. Nõ enim se insolenter extollit; non popularem gloriam aucupatur; non honores immoderatos ambit;sed omnia,quę facit,quę dicit, quæ doctrina, quæ exemplo, docet,ad gloriam patris dirigit;&,ut illius iussis obtemperet,nullum dedecus,aut supplicium, recusat. O gentes,quę eratis a nobis non situ tantum, sed multo etiam magis uitæ institutis, & religione,disiunctissimę,gaudete tanto bono, quod uobiscum est nobis,iussu Dei,communicandum. De domo igitur Domini, spiritu illius, afflati, hanc insignem uoluptatem uobis annuntiamus, quæ semper in uobis,si fidem seruaueritis, inhærebit. Olim quidem,per homines Diuinos, lucem in rebus aduersis nobis offerebat; & ab hostium tyrannide liberabat. At nunc longe diuersa ratio est. Deus enim ipse,Deus summus,& excelsus,per se, terras inuisit, ut clarissima luce mentes nostras illustraret; ut, quæ uia esset in cælum, ab omnibus,qui in cælestem ciuitatem dicari uellent,clare admodum cerneretur. Agite igitur omnes; lætissimis animis uobis inuicem gratulamini; diẽ festum cum gaudio summo celebrate; omnibus signis, quanta uoluptate cumulati sitis, ostendite; festas frondes innectite; siluę densę ramis tabernacula uelate;deinde hostias ad cornua statuite,ut sacra rite faciatis. Mense,ab initio ueris, septimo,fructibus collectis,& frugibus domi reconditis,sacrum sollẽne cærimonia summa fiat;& omnes, arborum ramis, & frondibus, in lætitiæ signum,tabernacula uelent; &, in Domini conspectu,omni ratione,se insigni gaudio cumulatos esse,demonstrent. Nunc uero,nunc,in recentis,omniumque maximi, beneficij memoriam, quanto maiore celebritate festi dies agitandi sunt? Illic enim fructus corruptibiles,& breui temporis spatio consumendi, condebantur; nunc sempiterni, ad æternitatis gloriam,colliguntur:illic corporis, ad breue tempus reficiendi, remedium parabatur;hic animorum fruges,ad alimoniam uitæ sempiternæ,conseruntur: illic denique tenuis copiæ, & uberratis,imago celebratur; hic summa rerum omnium ubertas,& affluentia,quę numquam imminuetur, ab omni piorum hominum cœtu percipitur. Ramis,& frondibus,omnibusq. lętitię signis,& orationis gratissimę uictimis, uoluptatẽ, qua estis expleti,demõstrate. O Domine,qui tantum beneficium, aduentu tuo, terris attulisti, te

O Domine saluum me fac.

Benedicimus uobis.

Cõstituit ei diem solem nem incudendũ.

Deus metuẽdus tu.

Deum

Deum meum cõsiteor;tibi gratias semper agam; te perpetuo laudibus efferam; neque umquam de tua in nos benignitate silebo. Vos,qui tanti boni participes estis, mecum Dominum laudate: benignus enim est; & misericordia illius, sempiterna.

Beati immaculati in via: qui ambulant. Psal. 118. Apud Heb. 119.

HOc quidem saris grande carmẽ est, si uerba sæpius iterata respicimus; sed multo grandius,si sententiarum grauitatẽ,& momenta, perpendimus. Continet enim iustitiæ doctrinam; uitæ sanctimoniam; usum Diuinæ legis assiduum; ardens religionis studium;officiorum, cum summa integritate, prudentiam;totius mali declinandi,atque propulsandi,scientiam; uiam in cælum munitissimam;atque,ut uno uerbo dicam,totius uitę beatæ uis, ratio,disciplina,hoc Diuino carmine continetur. Non enim opes immanes,non honores iuanes,non amplissimæ familiæ numerus, non multitudinis imperitæ plausus, homines beatos efficiunt. Verbum Diuinum, est,quod omnia mala secludit; quod omnia bona congerit; quod mortem,& exitium,propellit;quod uitam immortalẽ,opibus Diuinis,atque sempiternis,affluentẽ, elargitur. Huius autem uerbi numen sanctissimũ, multiplex uirtus,& efficientia,huius carminis amplitudine declaratur;&, ut facilius uis illius mente percipi possit, eiusdem uerbi sententia multis nominibus explicatur. Appellatur enim Via,quia in cęlum deducit; Testimonium,quia eo testatum apud omnes relictum est,quid Deo gratum,& acceptum sit; Præceptũ, quia sempiternæ Maiestatis imperium sacrosanctum complectitur; Fœdus, eo quod non solũ homines religione pactionis obligatos contineat, sed etiã Deus eadem pactione se hominibus obstringi uoluerit; Lex præterea, quia est iuris origo,uirtutis fons,uitæ moderatio,rei familiaris institutio,ciuilis concordiæ uinculum, atque totius Reip. firmamentum. Tanta autem uis salutis hac oratione continetur, ut non solum assidue legenda,sed ediscenda,& in animis insculpẽda sit. quod ut cõmodius fieri possint, fuit a sacro diuinitus excogitatum, ut in uersibus scribendis Poeta ordinẽ litterar ũsequeretur; ita, ut octo primi uersus a prima littera initiũ sumerent;& idẽ ordo litterarum, usque ad ultimam litteram,seruaretur. Nã,quia nihil est,quod firmius in mentibus illorum, qui sunt disciplinis aliqua ratione culti, litterarum ordine inhæreat,uisum illi fuit, ad memoriæ firmitatem,ab ordine litterarum opem requirere. Cum uero apud Hebręos,duæ & uiginti litteræ sint; consequens fuit, ut totus Psalmus in duas& uiginti partes diuideretur, quorum singulæ uersus octonos continerent. Placuit autem illi, numerum octonarium sequi, propter multiplicẽ illius uim,& rationem. Primũ enim,iustitię æquabilitatem designat,quia semper, usque ad unum, in æquales partes diuiditur. Deinde,propter cubici numeri formam, stabilitatis imaginem gerit; deinde, omnes harmoniæ musicæ in hunc numerum includuntur. At omnes has rationes iustitiæ disciplina complectitur. Est enim iustitia,summa regula totius æquitatis;est etiam, perfectæ stabilitatis efficiens;est postremo,Diuini concentus, ac symphoniæ,magistra. Adde,quod,ut homines sancti tradiderunt, numerus hic æternitatem significat. Septem enim diebus mundus, & effectus, & cõsecratus fuit: Vnius autem additamentum est Diuina conuersio,ad mundi ipsius originem, quæ in Deo sita est,tota mente respiciens. Id autem, Aeternitas est. Hæc quidem de carminis argumẽto,atque de ordinis,atque numeri, ratione, dicta sufficiant. Hæc quidem non possunt omnia, quæ in propria lingua obseruantur,in alienam conuersa retineri. A nobis autem multo minus præstari possunt, qui non ad uerbum sensum exprimimus, sed sententias fusius explicamus. Nunc autem ad operis explicationem ueniamus. Inquit igitur;

ALEPH.

Omnibus mortalibus insita est uitæ beatæ cupiditas; pauci tamen ad eam peruenium. Cum enim beatitudo in omnium bonorum fructu posita sit,& pauci,propter animi cæcitatem, quę uera bona sint, mente percipiant; efficitur, ut maior hominum pars frustra in ea comparanda omnes animi neruos intendat. Beati enim illi tantum sunt, qui non ex humanis rebus uiuendi rationes suspensas habet;cum intelligant,hanc uitam,non tam uitam,quam uiam,existimandam. Extorres enim sumus, & peregrinamur; ætas fluit; omnia labuntur; finis approperat; cum in cursu simus, consistere non licet. Qui igitur hoc cogitant, & in eo totis uiribus incumbunt,ut cursum hunc uitæ, sine ulla impuritatis labe, conficiant; beati certe sunt. Sed,quo modo tandem hoc assequentur? Si uiam,legis Diuinæ ductu,& imperio,ita confecerint,ut numquam in partem alterutram declinẽt. Beati namque sunt, qui testimonia illius,non negligenter, & oriose, sed toto pectore, continent, eaq. uigilanter, & studiose, conseruant. Hi certe longe aberunt ab omni taeterrimæ cladis eluuione. tota enim miseria in iniquitate, &iniuria,consistit. At,qui ita gradiuntur,ut a Dei lege nõ aberrent,iniquitatem minime suscipient. Tu uero, Domine,præcepisti, ut præcepta tua summo studio, uigilantia,sedulitate,sollicitudine,seruaremus, ne umquam,quę iubes,& imperas,ex animis nostris elaberentur. Tum, quia ratio infinitæ Maiestatis efflagitat,ut illius imperium, sanctissimum semper habeamus, & nihil omnino illi præponendum existimemus;tum, ut saluti nostræ consulamus. Quia enim negligenter iussis Diuinis obtemperant, summum bonum minime in legis obseruatione constituunt. Nemo enim id, in quo summum bonum collocat, negligenter exsequitur. Infinita enim cupiditate, in studium illius, quod uitæ finem opinamur, incumbimus. Si igitur non summo studio legi tuę obtemperauerimus; quo iure poterimus nobis, de tua benignitate,

Beati immaculati.

Beati qui scrutantur testimonia eius.

Tu mandasti mandata tua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sempiternam salutem polliceri? Qui enim negligenter obtemperat; imperium negligit; qui legitimi Domini imperium negligit, non est præmio, sed supplicio, dignus. Iccirco summus Dominus, cum actiones sanctas imperat, simul & diligentiã sancit, ut nos non suppliciis, sed præmiis, sempiternis, afficiat. Sed, quis tandem poterit legi tuæ, cũ debita diligentia, & alacritate, parere, nisi fuerit gratia tua fultus? Natura namque corporis nostri cum lege tua inexpiabile bellum gerit; lex est adeo imbecilla, ut nequeat, per se, cupiditatis nobis insitę ũires elidere: itaque, peccatum prohibendo, terrorem præbet, sed pestiferum peccati morbum minime sanat. Sic autem fit, ut, non qui uelit, sed quem spiritus tuus uiribus instruit, legi tuæ pareat. O quis erit tam felix, qui, ardore tui spiritus incensus, in studium legis tuæ acriter incitetur. Vtinam omnes actiones, & cogitationes, meæ in tuæ legis studium, amplitudine gratiæ tuæ, dirigantur. Si hunc statum assecutus fuero, cum reliquis bonis omnibus, egregium honestatis decus adipiscar. Numquam enim dedecoris labe maculabor, si iussis tuis fuero diligenter obsecutus. Ignominia quidem summa illis subeũda est, qui uel diis alienis immolãt, uel opibus humanis efferuntur; cum rebus ipsis explorate cognita fuerit eorum amentia, qui spem suã in summa uanitate posuerant. At, qui uitam suã lege tua cõfirmauerint, numquam ab ope tua deserentur; & sic fiet, ut, cũ homines, inanitate nixi, funditus euersi, corruerint; ipsi præsidio tuo fulti, salui, & ornati sint; &, in omni rerum discrimine, statum suũ incolumẽ conseruent. Laudes igitur tibi summas agam, Domine; tuamq. erga me benignitatẽ tota mente confitebor, cũ didicero iudicia iustitię tuæ. Non enim ea discere potuissem, nisi totum me in disciplinã tuã tradidissem. Tu igitur mihi doctor, & magister, exstitisti; tuis monitis, & doctrinis, me in studium sanctissimæ legis impulisti; tu me robore confirmasti, quo possem omnia, quæ cum legis sanctitate pugnant, acerrime propulsare. Quo igitur acrius, & diligentius, sanctionibus tuis obediero, eo maiore me beneficio tibi obstrictum esse confitebor. Si autem, ope tua firmatus, decreta tua custodiã, numquã me auxilio tuo nudabis.

Vtinam dirigãtur uiæ meæ ad custodiendas.

Cõfitebor tibi indirectione cordis.

B E T.

Illis, qui uel rem familiarem, uel publicam, curare recte uoluerint, ea in primis cura suscipienda est, ut rectissimis disciplinis pueros erudiant. Quod enim in tenera ætate animis imprimitur, fixum permanet ad extremum; &, qualis institutio prima fuerit, talis reliqua uita consequetur; ita, ut, ætate confirmata, uel adulta, morum peruersitas Remp. euertat; uel robusta uirtus patriam conseruet. Parentes igitur, uel rectores, qui fuerint nimis indulgentes, disciplinaq. salutari minime liberos, atque ciues, adstrinxerint; domi pestẽ alunt, qua patria uniuersa concidat. Sed quæro, quæ sit illa disciplina, in qua sunt nati ciues a teneris annis imbuẽdi, ut benefici, atque salutares, esse possint. beatęq. uitæ participes? Non alia profecto est, quam ea, quæ uerborum tuorum puritate, & sanctimonia, continetur. Si enim a pueris assueuerint seruare præcepta tua, & omnia imperata conficere; ad uirtutis maturitatem peruenient; uerissimisq. bonis abundabũt. Verba namque tua primum tempus ætatis salutaribus institutis erudiunt; iuuentutem inuicto robore fulciunt; senectutem sapientiæ Diuinæ muneribus exornant. Quocirca mihi constitutum, & deliberatũ, est, te solum pura mente, cõtento studio, totis animi uiribus, consectari; &, quia sine te non possum, eo, quo nitor, intende re, te suppliciter oro, ne me auxilio tuo nudes, sed ita contineas, & dirigas, ne umquam a præceptorum tuorum uia, & ratione, deducar. Multæ quidem mihi insidiæ sunt intentæ. Hostis enim immanis omnes fraudes machinatur, ut, quidquid in me boni conferri uidet, confestim eripiat. Inuidia illius non patitur, me uerborum tuorum fructu potiri. Ita, me, uel ut lenociniis alliciat, uel cupiditate falsæ utilitatis incendat, uel doloris metu perterreat, contendit, ut a studio legis abducat. Quod ne fieri ab illo posset, in corde meo eloquia tua recondidi, ne ullo modo peccarem, tuamq. Maiestatem offenderem. Non mihi gloriam in acri studio uirtutis, atque pietatis, attribuam. Tu enim solus es laudandus, & in omni æternitate prædicandus, cuius gratia, & benignitate, fit, ut in officio minime delinquam. Perge igitur, Domine, ut facis; clariusq. mihi lucem in dies præfer; ut a te discam decretorum tuorum sanctitatem. Nec mihi tantum has tam Diuinas opes expeto; non inuidiæ sum affinis; non eas animo ita compressas continebo, ut non eas cum omnibus, qui se dociles ad tam salutarem disciplinam præbuerint, communicare statuam. Oratione itaque mea omnia iudicia oris tui, quibus mũdi principem euertis, & generis humani salutem constituis, enunciaui; multosq. mortales, participes huius tantæ uoluptatis effeci. Sic enim testimoniis tuis oblectatus sum, atque si, summis rei familiaris difficultatibus implicitus, repente in opes summas, mihi improuiso oblatas, incidissem. Quorsum enim exquiruntur diuitiæ? Numquid non, ut uitam laute, & affluenter, & honeste, cum dignitate, & firmo præsidio, & absque metu, & sollicitudine, traducamus? Quis igitur laute uitam degit? quis uerissimis bonis affluit? quis honestatis ornamentis excolitur? quis amplissima dignitate potitur? quis firmo præsidio cinctus est? quis nullas hostium ferocium minas extimescit, nisi is, qui in tuo præsidio latet, & in promissis tuis ac quiescit, & ita tibi deuinctus est, ut nihil omnino, extra te, sibi requirendum existimet? Vnde colligitur, nullas esse uoluptates, cum ea, quæ tui spiritus coniunctione, fœdere, & iucunditate, continentur, ulla ex parte conferendas. Non enim fluxa, & instabilis, est; non, priusquam sentiri possit, elabitur; nullam notam turpitudinis inurit; nullam, ubi primum effluit, pœnitendi causam relinquit; sed constanter inhæret, & permanet, & cum dignitate summa coniungitur, & in dies augetur, & meris accessionibus amplificatur. Ad præcepta tua assidue meditabor, & considerabo uias tuas.

In quo eorrigit adolescentior.

In toto corde meo exquisiui te.

In labijs meis pronuntiaui.

In uia testimoniorum

G H I M E L.

Ex tuis statutis uoluptatem summam percipiã; uerbumq.

Retribuam seruo tuo.

uerbumq. tuum numquam obliuiscar. In hac familia tua, in quam adscriptus sum, multis quidem laboribus libentissime pressus sum; ex omnibus tamen illis unum præmium posco, ut uerbo tuo dirigar: illo namque fultus, uiuam; & eiusdem uerbi uim facile cõseruabo. Vis enim illius ad immortalitatem ualet; neque potest, ullis telis ipsius mortis exstingui; nec ulla temporis immensi uetustate deleri. quę mysteria latent in lege tua? Illustra, Dñe, meæ mentis oculos, ut legis tuæ mirabilia, quæ sunt sacris integumentis inuoluta, perspiciã. Cupio enim uerã circumcisionem uidere; ueram animi lustrationem contemplari; ueri sacrificii sanctitatem, & religionem, perspicere; & omnia denique, quæ cærimoniæ legis adumbrant, intueri, ut in ipsius legis finem, in quem me cupiditas totum rapit, incumbam. Hæc uita, Exsilium est potius appellandum, quam Vita. Sumus enim, quamdiu corporeis compagibus inclusi detinemur, a tuæ Maiestatis adspectu seclusi. Ardentissimum me desiderium sollicitat. Vagor igitur exsul, & egens; & nullis in sedibus acquiesco. Hinc igitur lacrymæ; hinc gemitus, & suspiria; hinc reliqua mentis, ex immortalis gloriæ desiderio miserabiliter ægrotantis, indicia nascuntur. In tanto angore, & sollicitudine, uno tantum solatio uti possum, quod est in præceptorum tuorum meditatione positum. ne igitur illorum a me uim, & intelligentiam, remoueri patiaris. Ardenti cupiditate conficior, o Domine: cupio namque nomen tuum, iudiciis tuis, in omniũ conspectu, propositis, semper illustrari. Illis enim, qui sanari possunt, bonam mentem desidero, ut, quæ sit uera uoluptas, intelligãt; quæ sit uera utilitas, ratione percipiant; quod sit uerum decus, adspiciant; ita, ut reliquam uitam damnent, &, relictis omnibus uitæ ludibriis, te solum metuant, & ament, & omni studio, pietate, & sollicitudine, consectentur: cui pio similiter, ut illi, qui legi perpetuo, conatibus perditissimis, aduersantur, Maiestatis tuæ clarissimo iudicio, funditus euertantur, ut reliqui mortales, formidine perturbati, a maleficiis manus abstineant. tu superborum scelus, impunitum, & inultum, minime sines: detestabiles, & exsecrandi, sunt, qui a præceptorum tuorum uiis aberrant. Omnes quidem, natura, honestatis appetentes sumus: & iccirco fit, ut uix sit quidquam, quod magis affligat, quam dedecoris infamia.

Reuela oculos meos.

Incola ego sum in terra.

Cõcupiuit anima mea desiderare.

Aufer a me opprobriũ, & contemptum.

Hæc autem sic ab hominibus inuertuntur, ut, loco dedecoris, bonis omnibus frequenter obiiciant, quod, reliqua uitæ præsidia negligentes, omnem uitæ suæ spem in te uno collocatam semper habuerint. Cum igitur illos uident calamitatibus oppressos, tuoq. præsidio nudatos; rident; insultant; conuicia iactant; & eos extrema dementia condemnant. Hoc igitur meum dedecus, quod in contumeliam tuam indignissime redundat, te precor, Domine, (quantum possum) ut a me dimoueas, ne nomen sanctum tuum hominum perditorum conuicio lædi permittas. Testimonia namque tua summa fide conseruo; & ea de caussa ab improbis petulanter irrideor. Neque solum iocis, conuicijs, & maledictis, a multitudine diuexatus sum; uerum a magnis etiam principibus acriter, atque uehementer, oppugnor, qui me nimis minaciter exterrere nituntur, ne sanctionibus tuis obediam. Concilium cogunt; societatem ineunt; de pernicie serui tui coniurant, eo quod omne illius studium in statutorum tuorum meditatione consumitur. Tantum uero abest, ut ullis minis, aut terroribus, a studio tuę legis abducar, ut tunc uel maxime, cum me uiolentius urgent, & crudelius insequuntur, me cum testimoniis tuis oblectem; & ab illis consilium uitę petam. Certum enim mihi est, nihil in uita moliri, nisi de legis tuæ sententia.

Adhęsit pauimento anima mea.

D A L E T H.

Anima mea, morbis mortiferis oppressa, in puluere decumbit; tu illam, uerbo tuo, in uitam restitue. Mortui namque, qui obruti sunt, uerbo tuo facillime susciantur, & uitam amissam uno momento recuperant. Si tu igitur me, flagitiorum uulneribus miserrime concisum, euocaueris, continuo reuiuiscam. Omnes cogitationes, & actiones, meas, coram te minime compresi; nihil intus in animo reliquum feci, quod non in apertum protulerim: tu uero numquam postulata mea neglexisti: quæ petebam, summa mihi benignitate contulisti: nunc igitur id oro, & obsecro, in quo omnes meæ uitæ rationes, & dignitatis ornamenta, cõtinentur, nempe, ut me ad notitiam sanctionum tuarum diligenter erudias. Trade mihi disciplinam præceptorum tuorum; & mentẽ defigam in mirabilibus tuis. Quamuis autem animus seipsum excitet ad opes legis admirãdas, imbecillitate tamen sępenumero corporis impeditur; curarum mole deprimitur; labore nimio frangitur; & fastidio naturæ; molliter ægrotantis, offenditur: frustra igitur omnis labor insumitur, nisi tu illum firmaueris. Fulci igitur, clementissime Domine, uim illius. Erige iacentem; corrobora languentem; impelle cunctantem; & ita demum illum uerbi tui uirtute confirma, ne quid quam obstet, quo minus omnia, quæ iusseris, exsequatur. Cum uero multa sint, quæ pietatis cursum impediant, tum uero nihil est fallaci disciplinæ turbulentius; quæ, cum se in faciem disciplinæ salutaris induit, imperitis illudit; &, dum opes ueræ sapientiæ proponit, pestem sempiternam in multitudinis incautæ perniciem machinatur. Hoc igitur tantum malum amoue procul a me. Tuæq. legis sanctissimis disciplinis mentem meam instrue; ne umquã ab opibus misericordiæ secludatur. Reliquas artes despicio; disciplinas humanas contemno; quæ sunt ab hominibus inuenta, pro nihilo puto; cum nihil ad salutem ualeant. Veritatis tuæ disciplinam mihi tantum delegi; iudicia tua in oculis, & adspectu, semper habui; & in illis sapientiæ ueritissimæ summam inesse constitui. Testimoniis tuis constanter adhæsi; fidem meam, in promissione tua collocaui. Ne igitur ullo modo patiaris mihi notam dedecoris inuri: quam uitare non potero, si fuero ab ope tua derelictus. Atqui, dixerit aliquis, esse longe difficillimum, uitam lege Diuina moderari, cum natura corporis humani summo cona-

Dormitauit anima mea præ tædio.

Via iniquitatis amoue a me.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tu Diuinis sanctionibus aduersetur. Fuisset certe, si tu a nobis opem tuam remouisses. Cum uero præsens auxilium nobis attuleris, nihil erit facilius. Cum igitur tu me gratia tua fulcieris, & animum meum ex angustiis eduxeris; sic in præceptorum tuorum uiam ingrediar, ut non ambulare, sed plane currere cum celeritate summa, uidear.

H E.

Legem pone mihi Domine. Cum uero certus sim, omnia bona, quæ optare, quæ flagitare, quæ parare, benignitate tua, possumus, uera iustitia contineri; eaq. iustitia in obseruantia legis tuæ constituta sit; quid aliud petam, nisi, ut me legis tuæ sanctissimis præceptis instituas; atque gratia tua perficias, ut ea, in intimis animi mei præcordiis insculpta, ad extremum usque uitæ spiritum, firmissima fide conseruentur? Instrue igitur me intelligentia, ut legem tuam seruem, & illi toto animo semper adhærescam. Deduc me in uiam præceptorum tuorum; quia illa tantum uolo; illa percupio; cum illis me oblecto; illa omnibus huius uitę commodis, & emolumentis, antepono. Cor meum, fac, ut testimoniis tuis semper applicatum sit; nec in studium pecuniæ, ullius utilitatis obtentu, rapiatur. Oculos meos auerte, ne uideant uanitatem; &, aliqua fallaci specie deleniti, cupiditatem noxiam, atque pestilentem, sequantur, qua pietatis studium aliqua ex parte languescat; sed, in uia tantum tua, mihi uim, robur, industriam, largire, ut nihil aliud uelim, nihil cupiam, nihil coner, nihil efficiam, nisi id tantum, quod ad uitam tuam constanter, & feliciter, ineundam ualeat. In ea igitur me, ui, & robore tuo, confirma. Opem tuam illis, qui iudicia tua metuerent, minime defuturam promisisti, & spopondisti. Cum igitur ego, seruus tuus, metu Maiestatis tuæ, uitam moderatus sim; fac, ut, in me tuendo, fidei tuæ constantiam insignem constituas. Amoue igitur a me dedecus illud eximium, cuius formidine conturbor: quod erit mihi necessario subeundum, si ope tua fuero destitutus, & flagitiorum meorum turpitudo misericordia tua minime contecta fuerit. Cum enim iudicia tua in clementiam ualde propensa sint; libentiusq. ueniam impertias, quam supplicium inferas; is certe, quem iudicio extremo peruerteris, in omnium scelerum, & flagitiorum, infamia sempiterna uolutabitur. Ego uero præcepta tua amore singulari complexus sum: iustitia igitur tua, uitam mihi tribue. Iustus enim es, & iustitię parens, & altor; & uera uita, iustitia tua continetur. Si igitur me iustitiæ tuę tuæ participitem feceris, uita fruar; aliter, tyrannide mortis oppressus, miserrime decumbam.

Statue seruo tuo eloquium.

V A V.

Et ueniat super me misericordia. Non iure meo, sed misericordia tua, nitor. Permanent igitur ad me misericordiæ tuæ munera, ut salutem mihi tribuas secundum uerbi tui constantiam sempiternam. Quod si mihi, tamquam probrum, multi mortales obiecerint, rerum humanarum contemptionem, & aliquot difficultatibus implicatum petulanter illuserint, quod uitam meam parum sedulo opibus terrenis munierim; illorum uaſaniam fide mea facillime refutabo. Dicam enim, non male sibi consulere, qui uerbi tui fidem omnibus terrenis opibus anteponit. Omnia siquidem labuntur, & occidunt; & monumento temporis euanescunt; at uerbum tuum, in omnium etiam rerum strage, & interitu, firmum, & immutabile, permanebit. Non igitur sunt amentes, qui omnem spem salutis in te collocant; sed, qui humanis opibus insolescunt. Dicam igitur, me uitæ meę præsidia in te constituta semper habuisse; &, ea de causa, de reliquis opibus sollicite conquirendis minime laborasse. Quando igitur hoc solum mihi patrimonium delegi, & reliqua omnia pro nihilo putaui; perfice, Domine, ut fixum, & stabile, opibusq. summis in dies amplificatum, sit: ne auferas de ore meo, ullo tempore, ueritatis huius sempiternę testimonium; sed illud ualde in animo meo confirma. Omnes enim spes meę in iudicia tua conferuntur. Itaque, gratia tua subnixus, legis tuæ iussis semper obtemperabo; nec umquam ab illius ardente studio dimouebor. Sic autem assequar, ut iucunditate summa perfundar; quia pro summis opibus mihi præceptorum tuorum sanctitatem summa sedulitate comparaui.

Ne auferas de ore meo

Neque solum me ualde locupletem arbitrabor; sed fortem, & inuictum, animum geram; & de testimonijs tuis, in conspectu Regum, constanter edisserам; & nullam ex eo colloquio ignominiam formidabo. Summa prꝫterea uoluptate cumulabor, ex iussis tuis, quæ amore summo prosequor. Non tamen mihi eas uires assumam, ut arbitrer, me posse, industria tantum mea, iussa tua conficere; sed, ut ea exsequi possim, ad te manus meas intendam, & in statutis, quæ uehementissime diligo, perpetuo meditabor.

Z A I N.

Memor esto uerbi. Memoriam conserua, Domine, uerborum, quibus spem huius serui tui mirifice confirmasti. Multa quidem me sollicitant; multis ęrumnis afflictor; multa me pericula circumuallant; sed ego omnes ex animo meo molestias, hac una consolatione, depello, quæ uerbi tui uitalis, atque salutaris, uirtute, & efficientia, continetur. Id enim est, quod mihi uitam dat; datamq. ope summa tuetur, atque conseruat. Superbi me iocis petulantissimis deriserunt; & contumeliis insectati sunt; eo quod in tuæ legis obseruantia, & non in humanis uiribus, & industria, præsidium uitę collocauerim: attamen ego minime a tuæ legis studio declinaui. Recordatus enim sum iudiciorum tuorum, Domine, quæ olim, ad multorum disciplinam, & solatium, constituisti. Opes enim deficiunt: at fides tua numquam defecit, nec fuit umquam, quę spes, in te firme posita, & cõstituta, deciperet. Hac igitur spe sustentor; & hac consolatione oẽs meæ curæ, atque sollicitudines, leniuntur: scio enim, cuius fiducia nitar, atque cõfidã; & ita numquã sum ullo in discrimine deserendus. Tantũ uero abest, ut legis

Defectio tenuit. ut legis studium aliqua ex parte remittendũ existimem, ut etiam impiorum hominum furorem, & amentiam, uehementer admirer; & maxime de testandos arbitror, qui a lege tua deficiunt. Si præsidia uitæ quærunt; firmissimum uitæ præsidium est in studio legis tuæ collocandum: si uoluptates appetunt; ignorant homines amentissimi, quanta uoluptate circumfluant omnes, qui legem tuam assidue memoria repetendam statuunt. Decreta tua, erant mihi, cum peregrinabar, carmina iucundissima, quibus omnem ex animo molestiam in medio itinere depellebam. Ne nocte quidẽ, quæ curarum omnium obliuionem inducit, legis tuæ memoriam deponere, aliqua ex parte, mihi fas existimo. Nominis tui tunc uel maxime recordor, &

Hæc facta est mihi, legis tuæ memoriam complector. Sic autem illius studio incensus sum, eo quod non ad ostentationẽ disciplinæ operam illi dandã putaui; sed omnem illius eruditionem ad usum uitæ, ad religionis sanctitatem, ad obedientiæ exercitationem, contuli; & summa contentione laboraui, ut illam moribus obseruarem.

H E T H.

Portio mea Domine. Omnes homines, plerumque, sunt ualde de suis bonis, & hereditate, solliciti; enixeq. operam dãt, ut patrimonium non solum tueantur, uerum & omnibus modis amplificent. Ego uero, quibus sollicitor rebus? quibus stimulor curis? quæ bona sunt illa, quibus parandis, tuendis, & augendis, in uigilo? Legis tuę profecto ardens, & incitatum, studium. Hoc enim mecum statui, si legem tuam sollicite seruarem, omnemq. uitam meam ad normã illius exacte dirigerem, esse meum patrimonium præclarissime constitutũ. In legis enim tuæ cultu, omnes meas opes, & facultates, sitas arbitror; & tanto me ditiorem arbitrabor, quãto me uinculo legis artius adstrictum perspexero. Omnes igitur preces meas eo dirigam, ut, opetua munitus, mentem meam lege tua conformem; neque umquam ab illius placitis auellar. Itaque, tota mente mea, te suppliciter orabo, ut mihi, secundum uerbi tui promissa, misericordiam tribuas. Vitam enim promisisti, non ijs, qui legem audierint; sed illis, qui lege uitam moderati fuerint. Da mihi igitur mentem, ut legi paream, ut, ita, misericordiæ tuæ particeps fiam. Consideraui, uias meas esse lubricas, &

Cogitaui uias meas. periculosas, & in interitum sempiternum tẽdere: præcipitis igitur ruinæ metu, pedem continuo reuocaui, ut me totum ad testimonia tua conuerterem. Non lente, & negligenter, pedem retuli; sed summo studio properaui, ut iussis tuis obedirem. Continet enim negligentia, in tantis rebus, ingrati animi scelus, & turpissimæ obliuionis argumentum, nefariamq. præmij sempiterni contemptionem. Neque solum studium, & celeritatem, & alacritatem, mihi adhibendam existimaui; uerum ita omnes animi uires incitaui, ut impiorum sceleatissimis conatibus fortissime repugnarem. Impij me funibus circumplexi sunt, ut me a studio sanctissimæ religionis abducerent: at ego numquam illorum opibus cessi, ut memoriam tuæ legis abijcerem. Nullo porro tempore mihi studium legis intermittendum statui. Itaque, media nocte, cum somnus artissime membra omnium mortalium, labore defessa, complectitur, e lecto meo surgam, ut tibi gratias agam, iudiciorumq. tuorum iustitiam laudatione prosequar. Hoc autem studium me singulari caritatis fœdere coniunxit, cum omnibus, qui nomen tuum metuunt, & sanctionibus tuis obtemperant. Nam, cum morum similitudo bonorum animos inter se mirifice deuincit, tum fieri non potest, quin ego non diligam, carosq. habeam, omnes, qui, ut tibi placeant, uehementer elaborant. Quanta est tuæ benignitatis amplitudo? Non enim notitiam tui nominis Iudææ terminis circumscriptam esse uoluisti; sed terram uniuersam splendore tuæ lucis illustrasti, ut omnes nationes, misericordiæ tuæ compotes exsisterent. quotidie igitur magis in legis tuæ disciplina proficere licebit, & opes tuæ clementiæ in dies magis explicatas intueri. Doce igitur me, perpetuo, quam mirabilia sint legis tuæ decreta sanctissima, ut in studio progredi possim.

Particeps ego sum.

T E T H.

Bonitatem fecisti cum seruo tuo. Benigne fecisti cum seruo tuo, Domine, secundum uerbum tuum. Veniam pollicitus fueras omnibus in uiam redeuntibus: mihi ueniam, ad te reuertenti, tribuisti: opem promiseras omnibus, qui cum fide auxilium tuum implorarent: opem mihi, auxilium tuum imploranti, in omnibus rebus asperis, & afflictis, attulisti: te inopiam subleuaturum omnium, qui in benignitate tua spem collocarent: me, cum omnem spem in te firme reponerem, opibus tuis locupletasti: nihil denique fuit a te, in me tuendo, & ornando, prætermissum. Fac, ut gratiæ tuæ iucunditatem, atque suauitatem, experiendo, percipiam, quia præcepta tua summa fide mihi conficienda constitui. Antequam tu mihi, ut pater clementissimus, plagas infligeres, ego deliqueram: at nunc, sensu doloris admonitus, statuo, numquam a uerbi tui præscriptione discedere. Quod tamen præstare non potero, si tu me a disciplina tua secluseris. Bonitate igitur tua nixus, te, clementissime Domine, precor, ut me de statutis tuis diligenter erudias. Homines superbi, & arrogantes, ut me peruerterent, fallacissimam disciplinam, uerborum ornatu concinnatam, tradiderunt: at ego toto corde præcepta tua seruaui. Illorum quidẽ mens, tamquam adipe, & a ruina, nimis obstructa, sic obruitur, ut legis tuæ suauitatem gustare non possit: ego uero illius iucunditate mirifice delector. Omnia, quæ ad perfectionem illius a te conferuntur, mihi ualde grata contingunt. Inde adeo fit, ut, quoties abs te plagis afficior, clementiam tuam libenter agnoscam. illis enim eruditus, ad decretorum munus explendum multo diligentius accingor. Ex eo autem studio, quas opes comparo? quas uoluptates excipio? quibus præsidijs, & ornamentis, in omni genere redũdo? Nec enim legis disciplinam, in tabulis exaratam, nimis admiror; sed illa, quam tu mihi ore tuo tradis, & in animi mei uisceribus insculpis, exsulto. Est enim lex, spiritus uitæ, quæ mẽtem sollicitudine liberat; quę gaudij sempiter-

Bonitatem fecisti cum seruo.

Bonitatẽ, & disciplinã, & scientiam doce me.

Priusquam humiliarer

Bonum mihi, quia humiliasti me

Universidad de Deusto
Biblioteca

ni materiam præbet; quę diuitiarum copiam ex thesauris Diuinis large supeditat. Itaque malo oris tui legem, hoc est, spiritus tui gratiam, atque disciplinam, quam ingentes auri, & argenti, aceruos, domi reconditos, possidere.

I O D.

Manus tuę fecerunt. Si ex me quærat nunc aliquis, qua fiducia fretus, mea ad te postulata deferam, & tanto studio, & contentione, munera Diuina flagitem; respondebo, omnem meam fidem clementia tua fulciri. Nec enim tantum me imbecillitatis meæ recordatio debilitat, quantum benignitatis tuæ cogitatio corroborat. Manus enim tuæ me fecerunt, & informauerunt; opera tua perfecta sunt; at ego perfectionem assequi non potero, nisi fuero tuæ naturę similitudinem consecutus. Ea autem similitudo, legis tuę disciplina, & obseruantia, continetur. Iure igitur optimo a te peto, ut menti meę lucem præferas, qua præceptorum tuorum sanctitatem clare cernam, & ad illorum examen omnia officia uitæ perpendã. Qui timent te, cũ uiderint me legis tuę disciplinis instructum, & beneficiis tuis egregie cumulatum, lætitia mirabiliter efferentur. Videbunt enim, quantus sit fidei in te locatæ fructus, & quam admirabilis gratię tuæ magnitudo. Notum namque fiet omnibus, me, in solo uerbo tuo, omnem spem meam fixam, & collocatam, habuisse. Cum me uulneras, non offendor: noui namque, iudicia tua esse iustissime constituta, meq. uere fuisse manu tua percussum, & abiectum. Interim uero magna spes me tenet, fore, ut animum meum afflictum misericordia tua consoletur; &, uerbi tui fide firmissima, seruum hunc tuum, in statum, unde conciderat, perfecte restituas. Misericordiæ tuę munera ad me deferentur; & uiuam; quia omnis mea uoluptas est in legis tuæ assidua meditatione constituta.

Cõfundantur superbi. Pudebit superbos iniquitatis, & iniuriæ; quia, ut falso me testimonio circumuenirent, summa contentione pugnauerunt. Nam neque conata perficient; & illorum improbitas erit multorum testimonio radarguta: ego enim, contra illorum perfidiam, legis tuæ solum mihi præsidia comparaui. Cum enim me illi maxime oppugnabant, ego maxime ad præcepta tua meditabar. In me respiciant, qui timent te, & qui nouerunt testimonia tua. Intelligant tandem, quam falso fuerim ab improbis insimulatus; omneq. meæ uitæ studium fuisse in legis tuæ meditatione consumptum. Fac, ut animus meus sit purus, castus, & integer, in statutis tuis, ne, si in officio meo deliquero, tuo præsidio orbatus, in summis ignominiæ sordibus inhæresçam.

C A P H.

Defecit in salutare. Salutis, quam a te exspecto, desiderio languescit, & conficitur, anima mea. Verbo namque tuo, salutem fuisti mihi sempiternam pollicitus. De promissi constantia non ambigo: certum enim habeo, omnia, quæ promiseris, euentura; neque, ueritatem tuam immutari posse, scio. Verum, quo maius, & amplius, & mirabilius, est ostensum beneficium, eo me grauius illius desideriũ afflictat. Oculi mei, spectando, deficiunt; e uerbo tuo suspensi, caligant, & ardentissima cupiditate flagrant, atque adeo consumuntur. Dico igitur: O Domine, quando tandem gratiæ huius admiranda fructum percipiam? Quando tandem Spiritus tui solatio omnes ex animo meo molestias dimouebis? Me sępenumero aridum, & ieiunum, sentio; me pristina gratię tuæ iucunditate spoliatum uideo; me Spiritus sancti deliciis orbatum considero; & iccirco curis molestissimis intabesco. Sum enim, instar utris, prope fumum appensi, qui non solum uinum intra se non continet, uerum & supra modum exaresçit. Quamuis tamen omni spiritus iucunditate destituar, numquam decretorum tuorum obliuiscar; sed legis tuæ memoriam, in summa etiam spiritus inopia, conseruabo. Quanta celeritate prætersluunt dies mei? Quando tandem, in tanta uitæ breuitate, exaudies uota mea? Quando iudicium tuum in eos, qui me nefarie persequuntur, exercebis? Superbi foueam, in summam altitudinem, in quam deciderem, exstruxerũt: quod certe facinus minime est ex legis tuę sanctitate conflatum. Omnia præcepta tua, ueritate stabilita sunt: at isti me, mendacio subnixi, persequuntur: adiuua igitur me. Parum abfuit, quin me in terram prosternerent: ego tamen interim a statutis tuis minime desciui. Secundum clementiæ tuæ magnitudinem, uitam meam conserua; & seruabo testimonium oris tui.

Quia facessum licut uter.

Narrauerunt mihi.

L A M E D.

In ęternũ Domine uerbũ tuũ. Nihil est in uita fixum, nihil stabile, nihil non uarium, & mutabile, & legi corruptionis obnoxium. Terræ soliditas interibit; ætheris natura deflagrabit; siderum splendor exstinguetur; totius mundi status dilabetur, & concidet; omnia, quæ cernimus oculis, dirissimæ mortis impetu dissipabuntur. Omnes igitur hominum cogitationes, quæ sunt in opibus huius uitæ nimium defixæ, in summa uanitate, & inanitate, uersantur. Stabilitatem enim in rebus, quæ continenter fluunt, & intereunt, cum sollicitudine summa, atque sine ullo fructu, requirunt; &, quo magis in rebus fluxis insistere conantur, eo miserabilius obruuntur. Qui sunt igitur sapientes? Qui sunt illi, quorum opes firmo, & stabili, præsidio muniuntur? qui postremo mortis, omnia demolientis, impetum minime formidabunt? Illi certe, qui uerbo tuo, summa fide, atque totis animi uiribus, fuerint innixi: uerbi namque tui uis in cælo sem per immutabilis permanebit; fides tua, a generatione in generationem, continuata progreditur; ita, ut genus uerbi tui, Diuino fatu propagatum, sedes assignatas, in omni rerum discrimine, & uarietate, possideat. Illius enim caussa factum est, ut terra, uerbo tuo stabilita, consisteret. Ordine a te dispositio, uniuersitas ipsius naturæ, in hunc usque diem, cohæret, & permanet: omnia siquidẽ tibi seruiunt; tuaq. potentia, & imperio, continentur. Verbi igitur tui fide, uiuo, sentio, sapio, & uoluptatem miram percipio. Quod si non omnis oblectatio mea fuisset in legis tuæ spiritu constituta, quouis calamitatis impetu funditus interire potuissem. Si igitur uita fruor; si non de statu dimoueor; si constantiam in omni uarietate

Fundasti terram, &

Nisi quod lex tua.

retineo; si nihil interuenire potest, quod gaudium meum contaminet; id totum est legis tuæ beneficio, & iucunditati, referendum. Numquam igitur sanctiones tuæ ex memoria mea discedent, sed, in omni sæculorum ęternitate, in animo meo penitus infixæ, permanebunt. Per illas enim sum a te uitam consecutus. Tuus sum, Domine: salutem igitur seruo tuo tribue. Nec enim me, in seruitutem, corporis libidini, & cupiditati, & reliquis hostibus tuis, addixi; sed summo studio elaborauí, ut me totum, ad formam, & exemplum, præceptorum tuorum, effingerem; nec umquam ab eorum studio, & commentatione, diuellerer. Impij quidem me fraudulenter obseruabant; mihi insidias comparabant; omniq. ratione pugnabant, ut interitum mihi afferrent. At ego, quibus me præsidiis contra illorum conatus perditissimos muniebam? Legis tuæ meditatione. Tunc enim, cum acerrime ab illis oppugnabar, omnem operam, & studium, in testimoniorum tuorum intelligentia consumebam. Quod enim aliud mihi per fugium pararem? in quam aliam arcem me reciperem? quod firmius auxilium, ad uitæ defensionem, peterem? Nihil est enim in uita securum; nullum firmum receptaculum, in quo animus acquiescat. Ea etiam, quæ munitissima uidentur; quę prędidiis summis cincta sunt; quę ad nominis immortalitatem, summis magnorum Principum curis, stabilita sunt, singulis momentis diffluunt; nihilq. uidi tantis opibus undique sæptum, atque munitum, aut tam excellenti opere perfectum; cuius interitum non uiderim; solamq. tuæ legis amplitudinem ualde solidam, securam, atque sempiternam, cognoui.

M E M.

Quomodo dilexi. Quam miro amore dilexi legem tuam? quam acriter in studium illius incitatus sum? Neque me, quãtum profecerim, umquam pœnitebit. Vsu enim didici, reliqua disciplinarum studia esse prorsus inutilia; perfectissimæq. sapientiæ disciplinam, legis tuę studio ardentissimo contineri. Nec enim ingenij acumine, neque artium multitudine, neque longo rerum usu, & tractatione, sapientia comparatur. Non est enim hominum inuentum; sed Dei munus, atque beneficium. Hoc autem munus, a Deo, non iis, qui in artibus humanis acutissime uersantur; sed iis, qui in pietatis studio, actionibus præclaris, exercentur, conferri solet. Sic autem fit, ut sapientia, non tam temporis longinquitate, quam assidua legis meditatione, comparetur. Itaque me, Domine, sapientiorem cunctis meis hostibus effecisti, quia studium meũ in lege tua positũ semper habui; magistros meos sapientia superaui, quia in testimoniis tuis perpetuo meditabar; intelligentia longe, multumque, inter senes excellui, quia præcepta tua seruaui.

Ab omni uia mala prohibui pedes meos. Ab omni uia noxia, atque, pestilente, pedes meos abduxi, ut uerbum tuũ intima mente reconderẽ. A iudicijs tuis minime discedo, quia tu me docendum, & erudiendum, suscepisti. O sensus hominum fallaces: o miserandam animorum stupiditatem: ignorant mentes, morbis oppressæ, & impeditæ, in quo uoluptas uera, solida, & expressa, consistat; & iccirco, dum uoluptates futiles, & inanes, exquirunt, in ueros dolores, atque diutur nos, incurrunt. Voluptas uera, quæ permanet, quę non est turpitudini affinis, quam dolores minime consequuntur, quæ semper est cum honesta te coniuncta, ea profecto est, quę ex assidua legis tuę commentatione percipitur. Quam dulces, & iucundi, sunt, intimis animi mei sensibus, sermones tui, Domine? Tanta suauitate mentem meam perfundunt, ut mellis dulcedinem longe superent. Quid suaue, & iucundum; quid amarum, & acerbum, sit, ex sanctionibus tuis explorate cognoui. Iccirco omnem fallacis disciplinę uiã odio summo persecutus sum, eo quod intelligam, omnes omnium malorum acerbitates in ea consistere.

N V N.

Lucerna pedibus meis, uerbũ tuũ. Hominum uita, est tenebris immersa: quo fit, ut longissime ab eo fine, quem sibi proponunt, aberrent; &, dum, ut felices, atque beati, sint, omnibus modis enituntur, in extremam miseriam, præcipites, eiiciãtur. Quod mihi non accidet, eo quod in uerbum tuum aciem mentis intendo. Est enim uerbum tuum, lucerna pedibus meis, & lumen clarissimum semitis meis. Non igitur hærebo; nó rectam uiam deseram; non erroribus turbulentis implicabor; non me ulli nocturni metus impedient, quo minus in beatam uitam recta progrediar. Et, quemadmodum imbecillus assensus, & fluctuans opinionis infirmæ sententia, uarietatis, & inconstantiæ, comes est; ita firma fides, & clarissimum ueritatis, & intelligentiæ, lumen, est semper cum robore inuicto, & constantia Diuina, coniunctum. Cum igitur mihi omnia uerbi tui lumine clarissimo diluescant, mysteriaq. mihi Diuinitus enuntiata mentem meam nutare, & uacillare, non sinant; gradum minime reuocabo. Deliberatum, certum, & constitutum est mihi, ultra progredi: nulla res erit tanta, quæ iter meum remoretur: iusiurandum sanctissimum iuraui, meq. uoto, & promisso, constrinxi, fore, ut iustitiæ tuę iudicia inuiolata custodirem. Multis quidem modis afflictus sum: Domine, da mihi uitam secundum uerbum tuum. Qui enim illud audierit, etiam si mortuus fuerit, uitam continuo recuperabit, & in ueriss ima gloria uigebit. Non quadrupedum sanguine placaris; non, carnium nidore, ad gratiam inflecteris; domus tua nõ patebit cunctis gentibus, ut hostiis incensis perpetuo fumet; sed, ut sanctis, & assiduis, precibus inflammetur. Hæc tibi sunt sacrificia sanctissima; hęc suffimenta gratissima: his igitur sacris operabor; spirituq. adoptionis libero, & excelso, tibi uictimas, & precationis, & laudis, immolabo; & uota, quę feci, in censa fide persoluam; quæ ut tibi magis accepta sint, iudicia tua doce me, ut quotidie magis in eorum studio proficiam. Vita mea in discrimen frequenter adducitur: ego tamen, in periculis, legis tuæ memoriam minime depono. Nam neque ardens studium restingui, neque unicum uitæ præsidium negligi potest, ab eo, qui legis tuæ cupiditate flagrat, & intelligit, legis obseruantia uitam contineri. Posuerunt mihi insidias impij, ut men-

Iuraui, & statui custodire iudicia iustitię tuę.

Humiliatus sum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentem meam a studio legis tuæ, atque sanctissimę religionis, abducerent: at ego nullis eorũ fraudibus induci potui, ut de præceptorum tuorum sanctitate desiecterem. Ius hereditatis meæ sempiternum, est in testimoniis tuis, uigente, & incitata, fide, constitutum: omnis namque uoluptas mea in illis posita est; nec aliud habeo peregrinationis huius oblectamentũ. Promptus animo, atque paratus sum, ad statuta tua, in perpetuum, summo totius uitæ studio, conseruanda, & sanctorum hominum uestigia persequenda.

Iniquos odio habui.

S A M E C H.

Peruersas cogitationes, quæ cum lege tua bellum gerunt, odi; legem uero tuam ardenter amaui; receptaculum meum, & scutum meum, es tu; & in uerbo tuo spem locaui. Ad te igitur, cum fuero oppressus bello, confugiam; &, præsidio tuo tectus, omnia tela, quæ fuerint in me coniecta, repellam. Abscedite a me, hostes malefici; quorum conatus eo comparantur, ut a Deo disiungar; abscedite, inquam, ut Dei mei iussis diligenter obtemperem. Sustenta me, Domine, uerbis tuis; & uita iucundissima fruar; & ne patiaris me extremi dedecoris ignominiam subire. quod necessario fiet, si fuero a spe mea, quam inte habeo positam, depulsus. Spiritu tuo fulci me; & saluus ero; & delectabor perpetuo statutis tuis. Omnes, qui a decretorum tuorum imperio deficiunt, proculcasti: quia omnis eorum calliditas in mendacio, & iniquitate, consumitur. Omnes impios, qui terram scelere conturbant, ut scoriam, tollis: iccirco testimonia tua magnitudine amoris amplexatus sum. Timore tuo caro mea contremuit; & iudicia tua perhorresco. Te igitur, ut specimen summum, & sempiternum, honestatis, & pulchritudinis, quod nullum consortium deformitatis, & impuritatis, admittit, ardenter amo; &, ut exactissimum rectissimi iuris examẽ, animo nimis anxio, pertimesco.

Suscipe me secundum eloquium.

Prauaricantes reputati.

H A I N.

Feci iudicium & iustitiam.

Muneribus iuris, atq. iustitię, perfunctus sum: ne me tradas in eorum manus, qui me, per summam improbitatem, & scelus, calumniantur. Perfice, ut sentiam in uerbis tuis uerissimæ iucunditatis dulcedinem, ne homines superbi, & insolentes, qui sunt impietatis auctores, me, per summã fraudem, & calumniam, a studio tuæ legis abducant. Oculi mei, in salutis exspectationem, quam mihi a te polliceor, intenti, deficiunt; &, a uerbis iustitię tuæ suspensi, dilatione cruciantur. Consule, Domine, seruo tuo, secundum misericordiam tuam: maximum uero, & amplissimum, misericordiæ tuę beneficium, est, iustitiæ tuę munus, ijs, qui te suspiciunt, benigne concessum. Te igitur suppliciter oro, ut doceas me decreta iustitiæ tuæ. Seruus enim tuus sum; instrue me intelligentia, qua testimonia tua mente percipiam. Cernis, Domine, quam multi sunt, qui præceptis tuis aduersantur; qui legem tuam summis uiribus oppugnant; qui in eo uehementissime neruos intendunt, ne multi sint iussis tuis salutaribus obsequentes. Si hucusque uindictam, & debitum supplicium, distuli; ea causa fuit, quod nondum erat opportunum. Nondum enim eorum scelus ad summum peruenerat. Nunc uero iam facinus cumulatum est. non est igitur iam ullo modo dissimulãdum. Iam enim ad eorum improbitatem uix quidquã potest accedere. Quantum enim in illis fuit, legem tuam perfregerunt. Indignissime autem patior, præcepta tua contemnii; ea namque longe pluris facio, quam aurum, atque ingentis pretij gemmas. omnia namque iussa tua rectissima sunt, & ad iustitiæ opes conferuntur, quibus nihil esse potest salutarius, & magnificentius. Reliquas opes, quæ sunt a iustitiæ rationibus auersæ, cum sint fallacissimæ, odio graui prosecutus sum.

Tempus faciendi.

P H E.

Mirabilia testimonia.

Mirabilia sunt testimonia tua: iccirco summo studio ea cõplectitur anima mea. Honesta sunt; salutaria sunt; iucunda, & sempiterna, sunt; uitam tuentur; decus afferunt; uiam ad immortalitatem muniunt. Quod si sapientia est omnibus opibus humanis anteponenda; cur non omnes homines ad studium legis tuæ, inflammatis animis, applicantur? Nam prima uerbi tui institutio mentem nouo spendore Diuinæ eruditionis illuminat; & intelligentia humiles, & moderatos, instruit. Humiles, inquam, tantum fieri lucis Diuinæ participes, quia celsitudo patris summi est infensa illis, qui sibi prudentiam insolenter assumunt; & eis propitia, qui se non intemperanter extollunt, sed potius sapienter abiiciunt. Itaque sapientię opinione tumentes, sunt amentissimi: sunt enim a Diuina luce secluſi: contra uero, qui se sapientiæ expertes arbitrantur, sapientiæ uerissimæ compotes fiunt, quia sunt ad adspectum Diuini splendoris admissi. Quo signo autem, qui sint superbi, & insolentes, internosci ab humilibus poterunt? Fastidio, & auiditate. Superbi, uerba Diuina fastidiunt; sapientiam minime requirunt; se satis expletos opinantur. Contra uero, qui sibi nihil arroganter assumunt; egestatem suam recognoscunt; iustitiæ cupiditate flagrant; opibus sapientię semper inhiant; & Diuina lucra ligurriũt. Ita desiderio incensi rapiuntur, ut eorum sitis expleri non possit. Ego uero paruulis, humilibus, egentibus, annumerandus certe sum. Os meum, ut esuriens, aperui; animamq. sitienter, adspirando, duxi, cupiditate sanctionum tuarum acriter inflammatus. Respice in me, & misericordiam mihi tribue, inopiamq. meam opibus tuis subleua; desideriumq. meum clementer exple; ut facis omnibus, qui nomen tuum diligunt. Dirige uerbo tuo gressus meos; ne imperio iniquitatis ullius oppriмar; &, muneribus iustitiæ spoliatus, occumbam. Redime me a fraudis humanę calumnia, & peruersitate, ut, absque impedimento, præceptis tuis diligenter obtemperem. Non mihi tamen satis est, ab hominum importunitate liberari, nisi tu me, ope tua salutari, reficias. Præfer igitur mihi, seruo tuo, uultus tui clarissimi lumen; & recipe me in disciplinam, ut mentem meam præceptis tuis erudias. Hoc enim tantum cupio; hoc desiderio incendor; hic me amor excruciat; hic me dolor angit, quod non omnes certatim elaborent, ut uitam lege tua moderentur. Itaque lacrymarum riui manant ex oculis meis, quod uideo legis tuæ sancti-

Aspice in me, & miserere mei.

Gressus meos dirige.

sanctitatem uiolari; iura sacro sancta perfringi, nominisq. maiestatem contemni.

Iustus es Domine.

S A D E.

Iustus es, Domine; & iudicia tua recta sunt; iustitiam sanxisti; eamq. iustitiam, atque fidem, testimoniis sempiternis ualde consignatam esse uoluisti, ne quisquam excusationem ignorationis haberet. Cum igitur animaduertam, quam sit tibi cordi iustitia; & omnes meæ cogitationes ad uoluntatem tuam conferantur; necesse est, ut cupiditate illius incendar; molestissimeq. feram, negligi uerba tua, & æquitatem omnino reiici. Itaque tui nominis studium me lacerat, & conficit; cum uideam, uerba tua in obliuionem nefariam apud inimicos meos uenisse. Sic enim in omni genere libidinum, atque flagitiorum, uersantur, quasi numquam lege tua prohibita fuissent. At uerbũ tuum, est caritatis incendio conflatum, ab omni labis consortio secretum, sanctitatis uerissima ratione purissimum, mira forma, & specie, pulchritudinis, honestissimum, auuorem serui tui uehementer excitans. Sum quidem ego, si naturæ meę rationem, & formam, consideremus, perpusillus, & ualde contemnendus; uerum præcepta tua oblitus minime sum. Reliqua igitur ornamenta despicio; hoc meum decus est; his ornamentis glorior; hanc unam tantum dignitatem mihi summa contentione sustinendam esse duxi, quod in ea sola summam honestatem, & amplitudinem, collocatam arbitrer. Est enim decus illius, sempiternum. A iustitia enim tua natum est, quæ quidem est sempiterna; quemadmodum & fides, qua immortalem uitam ostendis omnibus, qui iustitiam tuam secuti fuerint, uires sempiternas habet, neque potest ullis umquam seculis immutari. Tantam porro uim uoluptatis in præceptis tuis inesse perspicio, ut, etiam cum me angor aliquis affligat, uoluptate summa ex illis afficiar. Testimonia tua splendore sempiternæ iustitiæ illustrata sunt: illorum mihi perfectam intelligentiam trade, ut illa uita fruar, quæ nullum est umquam finem seculis infinitis habitura.

Adolescentulus sum ego.

Tribulatio & angustia inuenerunt me.

Clamaui in toto corde

C O P H.

Quo maius, & amplius, est munus, & beneficium, quod expeto; eo cupiditas est ardentior: ex cupiditatis autem ardore, clamoris ingentis magnitudo profunditur. Toto igitur corde ad te clamorem sustuli. Quid est autem, quod tanta animi cõtentione flagitaui? Vnum certe; Spiritum nempe, quo statuta tua uigilantissime seruem. Hoc si impetro, omnia bona me consecutum arbitrabor. legis enim tuæ cultu, omnes opes, & honores, & dignitates, & immortalis uitæ præsidia, & ornamenta, continentur. Clamaui igitur ad te; (quantum potui) & petij, ut mihi salutem dares, qua testimonia tua intimo animi recessu reconderem, ne umquam e memoria elaberentur; sed omnia uitæ officia ad illorum normam dirigerem.

Prævenit in maturitate

Non negligenter, non otiose, clamandi studium suscepi, sed ante lucem ad clamandum euigilaui; neque fide parum firma clamores edidi; sed spem constanter in uerbis tuis collocaui; neque dubitaui, quin id, quod cum summa fide postulabam, tu mihi, cum summa gratia, & benignitate, concederes. Oculi mei prævenerunt noctis uigilias, ut in uerbis tuis meditarer. Vocem meam audi, secundum misericordiam tuam, Domine; &, secundum iudicium tuum, uitam mihi tribue. Ius enim postulat, ut clementiæ tuæ satisfacias; & fidem tuam liberes; & studium meum, gratia tua, atque uita sempiterna, remuneres. Instant, & urgent, qui me calumniando persequuntur; qui se procul a lege tua remouerunt; quorum conatus ego minime pertimesco. Tu enim præsto semper es; & omnia iussa tua summa ueritate constabilita sunt. Cum igitur te opem omnibus, qui præceptorum tuorum studio tenerentur, allaturum promiseris; & ego nihil cupiam ardentius, quam præceptis tuis semper incumbere; & in eo uehementer elaborem, ut sanctionibus tuis diligenter obediam; nulla caussa est, cur hominum metu de statu demigrem. Iam inde a principio, quo me, spiritu tuo, ad notitiam rerum Diuinarum, instruere cępisti, plane cognoui, testimonia tua, quibus nos ad spem salutis, quam eras humano generi ualde clementer allaturus, erexisti, firma, constantia, atque sempiterna, esse; & inuerti, aut immutari, nullo modo posse.

Vide humilitatem meã.

R E S.

Vide, Domine, ærumnam, qua premor; & libera me: nõ enim studium tuę legis oblitus sum. caussam meam suscipe, contra eos, qui mihi litem, nefarie, & fraudulenter, intendunt; & redime me; uitamq. meam, uerbi tui patrocinio, defende. Procul abscedit salus ab impijs, quia minime perquirunt, & inuestigant statuta tua. Salutis enim fons in te positus est; & inde ad eos continenter emanat, qui statutis tuis dediti sunt: reliqui igitur omnes tam longe absunt a salute, quam longe sese a tuæ legis studio remouerunt. Omnis salus in gratia tua consistit: gratię uero tuæ beneficia plurima sunt: omnium tamen maximum, atque præstantissimum, illud est, quo munus iustitiæ uerissimę continetur. Is enim, quem tu iustũ effeceris, uitam, atque formam, Diuinam retinebit. Impertire igitur mihi misericordiam hanc tuam, Domine, maximam, ut, secundum iudicij tui rationem, uitæ Diuinæ formam consequar. Multi quidem me odio immani persequuntur, multi me totis uiribus oppugnant: at ego, unica resistendi uia, me, contra illorum importunitatẽ, communio, quæ est in legis studio collocata. Vt enim undique hostes erumpant, & in me tela conjiciant; numquam a testimoniorũ tuorum fide, atque sanctitate, declinabo. Vidi eos, qui legis tuę imperium nefarie detrectant; &, tanti sceleris offensione perculsus, obstupui; impudentiam, & audaciam, eorum admiratus, qui uerba tua minime seruanda duxerunt, & obedientiam prorsus abiecerunt. Vide, quo amore præcepta tua dilexerim, Domine: secundum tuę benignitatis amplitudinem, mihi uitam, quæ spiritus tui gratia, & uirtute, continetur, attribue. Summa uerbi tui fides, atque ueritas, sempiterna est; & omnia iudicia tua sunt iustitiæ lumine, & splendore, clarissima.

Misericordię tuę mutæ: secũdũ iudiciũ tuũ uiuifica me

S I N.

Universidad de Deusto
Biblioteca

S I N.

Principes perſecuti ſunt.

Principes me ſine cauſſa perſecuti ſunt: uerum ego non illorum potentiam, ſed uerborum tuorum uim, & æquitatem, pertimui. Quem enim me tuam, ſi tu mihi opem attuleris? aut, quis umquã potentiam tuam ſapienter extimuit, quem non præſenti ope munieris? Metus igitur iudiciorum tuorum, Domine, mentibus noſtris incuſſus, reliquos omnes timores expellit. Timor autem hic non is eſt, qui animum nimia ſollicitudine, & angore, conturbet: eſt enim cum certa fide, & firma ſpe, ſalutis, & immortalis uitæ, coniunctus. Non minorem porro lætitiam, ex uerborum tuorum iucunditate, percipio, quam, ſi, ſpoliis multis locupletatus, ex uictoria inſigni diſcederem. Quid enim ad ſummam opulentiam illis deeſſe poteſt, qui uerbo tuo conſecrati ſunt? Num lucis ſplendor? Num dignitatis amplitudo? Num uitæ præſidium? Num cæleſte pabulum? Num uoluptatis eximię dulcedo? Num denique diuitiarum omnium Diuinarum affluentia? Non profecto. Reliquum igitur eſt, ut gaudium eorum, qui opibus Diuini uerbi cumulati ſunt, ſummum, atque perpetuum, ſit. Hæc enim tantum uera bona ſunt; reliqua omnia, fluxa, & fallacia, quæ, ficta ſpecie iucunditatis, imperitis illudunt, quos tandem omnibus malorum acerbitatibus excruciant. Ego uero mendacium odi; uanitatem exſecror; legem tuam, quæ omnia uera bona complexu ſuo continet, ardentiſſime diligo. Hic amor legis tuæ me incitat, ut ad te frequenter adeam, & precibus a te contendam, ut me iuſtitiæ tuæ muneribus exornes. Itaque ſæpius ſingulis dieb⁹ ad te adeo; tibi ſupplico; laudes tuas commemoro, propter iudicia iuſtitiæ tuæ. Tranquilliſſima enim pace fruuntur omnes, qui diligunt legem tuam; & minime, quamdiu is ardor in animis eorum exſtiterit, offendent, & concident. Salutem, tua benignitate comparatam, a te, mihi, ſpe ſumma, propoſui; ſummoq. ſtudio præceptis tuis obediui; teſtimonia tua ſeruauit anima mea; eaq. amore ſummo complexa eſt. Seruaui, inquam, præcepta tua, & teſtimonia tua: omnes enim uitæ meæ rationes in oculis, & adſpectu tuo, ſunt. Statui enim nihil cogitare, nihil deſignare, nihil moliri, nihil efficere, quod non eſſet ad legis tuæ iudicium, & normam, reuocatum; & ita factum eſt, ut numquam oculos meos a conſpectu tuo deiicerem; ſed omnia officia uitæ coram te, ſummo ſtudio totius mentis, exſequerer. TAV.

Iniquitatẽ odio habui

Appropinquet deprecatio mea.

Summa uocis meæ contentio ad te perueniat, Domine: &, quia tanta eſt humanæ mentis imbecillitas, ut ſæpe numero, quid ſit poſtulandum, & exſpectandum, penitus ignoret; da mihi, ſecũdum uerbi tui rationem, mentem, qua, quid a te ſit, ſumma contentione, petendum, exacte percipiã. Perueniat oratio mea ad aures tuas, ut, ſecundum uerbi tui uim, qua me, ſpe firmiſsima ſalutis, & ampliſsimæ dignitatis, erexiſti, ex inimicis, qui me, totis uiribus, oppugnant, eripias. Labia mea proferent laudem tuam, &, adniodum grata, atque memori, mente, beneficij magnitudinem celebrabunt, qua me ſtatutorum tuorum diſciplinis mirabiliter inſtruxiſti. lingua mea frequenter diſſereat de uerbis tuis: nam omnia præcepta tua, ſunt e ſumma iuſtitiæ ipſius ratione, atque ſanctitate, deprompta. Vt tamen illorum uis in me uigeat, omnisq. uita mea illorum moderatione gubernetur, opus eſt auxilio tuo, ſine quo omnes conatus mei erunt inanes. Manus igitur tua præſto mihi ſit, ut me iuuet, & robore confirmet: nam ſanctiones tuas elegi; easq. omnibus uitæ commodis antepoſui. Meus amor, & deſiderium, & ardens, & incitata, cupiditas, omniaq. mentis ſtudia, in ſalutem, quam a te, Domine, exſpectamus, conferuntur; totaq. mea uoluptas in lege tua conſiſtit. Quamuis enim, in tabulis exarata, terrorem præbeat, in mentibus tamen inciſa, mirificam uoluptatem efficit: non enim animos metu mortis exanimat; ſed fructu uitę cęleſtis exhilarat. Gratia igitur tua, uiuet anima mea; & laudabit te; & iudicia tua adiuuabunt me. Cũ enim iniuria circumuentus ſim, iudicio tuo rectiſsimo, atque ſanctiſsimo, litem, contra hoſtes meos, obtinebo. Erraui, ſicut ouis, quæ uagatur, a cuſtodia paſtoris auulſa. O paſtor ſumme, atque uigilantiſsime, quære hunc ſeruum tuum; quia nec in errore quidem meo præceptorum tuorum oblitus ſum,

Concupiſi ſalutare tuum Domine.

Canticum Graduum. Ad Dominum cum tribularer, clamaui. Pſal. 119. Apud Heb. 120.

Ad Dominum cũ tribularer.

CAnticum Graduum. Cur hi quindecim Pſalmi, qui ſequuntur, hoc Graduum titulo notentur, incertum eſt. Ne autem Iudęorum labyrinthis, ſine ullo exitu, circumacti, uertigine laboremus, præſtabit, uel fateri, nos neſcire, quod neſcimus; uel opinari, nomine Graduum nihil aliud, quam progreſsionem, in ſtudio pietatis intelligi, atque a pietatis fundamento in altitudinem cæli per gradus adſcenſum. Et, quia plerumque fit, ut, qui ſeſe toto animo ad ſtudium pietatis applicant, multa acerba, & difficilia, in principio tam præclari conatus, experiantur; inchoatuir Dei ab angoribus, & ærumnis, quibus afficitur, & ſe multis acerbitatibus confectum eſſe lamentatur. Præterea, cum exſilium, quo Iudæi fuere Babylonem aducti, fuerit ualde luctuoſum, & acerbum, & uariis in locis a uiro ſanctiſsimo deploratum; cum enim mente Diuina prouideret ſuæ ciuitatis, atque gentis, caſum horrificum, ita illum interdum ut præſentem luget, ut inde ad libertatis recuperandæ gratulationem, & a mœrore ad lętitiam gradiatur, & ſimul ueram animi libertatem, quę Chriſti gratia cõtinetur, exaggeret. Inquit autem: Ad Dominum cum in angu ſtiis acerbiſsimis uerſarer, inclamaui, & exaudiuit me. Cum uero eſſem exſilio, inopia, uitæ diſcrimine, & aliis multis incommodis, circumuentus, nihil tamen æque me pungebat, atque hominum perditorum maledicentia. Sic igitur Deum depre-

Quid detur tibi, aut.

deprecatus ſum: Libera me, Domine, a labiis mẽdacibus, & a lingua doloſa. Ad hæc autem inquit Dominus: Quid tibi uenit in mentem, omiſsis aliis difficultatibus, quibus implicitus diſtineris, de ſola linguæ mendacis iniuria lamentari? Quod tibi malum intulit, aut quod pondus tibi calamitatis impoſuit lingua doloſa? Id certe, inquam, quo nullum peſtilentius excogitari potuiſſet. Inſtar enim ſagittarum acutiſsimarum, quas uir robuſtus, & acer, maxima uirium contentione, ex arcu uehementer abducto, in hoſtes emittit, peſtilens ſermo altiſsimum uulnus infligit; & non minus acrem ignem, quam iuniperorum carbones incenſi, maledicẽtia, ad interitum innocentiæ, atque probitatis, exſuſcitat. Calũniam ſtruit; maculam bonis inurit: odium incendit; in exſilium innocentes pellit; ſanctis hominibus peſtem machinatur; & mala denique omnia, quibus premor, a peſtilente lingua nata ſunt. Hei mihi, quibus iactor erroribus? uagor extorris, & egens, in terra Meſech, ab omnibus meorum ciuium inſtitutis, & moribus, abhorrente. In Arabiæ deſertis, & incultis locis, cum incolis Cedar, qui tabernacula crebro commutata incolunt, abſque ulla doloris aſsidui requie, & laxamento, peregrinor. Quorum quidem hominum natura adeo fera, & immanis, eſt, ut nulla uerborum mãſuetudine, & lenitate, aut uitæ moderatione, mitigari poſsit. Cogitur anima mea diu nimis apud homines exſulare humanitatis expertes, atque pacis inimicos. Equidem ad pacem ualde propenſus ſum; eoſque, quantum poſſum, pacifice, & amanter, alloquor; illi uero, in acerbiſsimam contentionem, & in dirum bellum, temere prorumpunt. Et, cum illos clementer appello; illi furenter, & contumelioſe, reſpondent. Hi ſunt mores hominum, cum quibus uiuo; hæ moleſtiæ peregrinationis huius, quibus exagitor; ita, ut deſiderio patriæ ſempiternæ conficiar.

Heu mihi, quia incolatus.

Canticum Graduum. Leuaui oculos meos in montes. Pſal. 120. Apud Heb. 121.

Leuaui oculos meos.

IN tempeſtatibus, quibus uarie iactor, & in curis, quibus acerbe ſollicitor, in periculis, quibus undique cingor, non opem ab hominibus imploro, ſed oculos in ſuperam regionem erigo, unde auxilium mihi affuturum confido. Scio enim, cui credidi, illi nempe, cuius eſt & fides, & poteſtas, immenſa. Nam ab illo auxilium exſpecto, qui fecit cælum & terram. Recte, inquit Spiritus, & ſapienter. Non patietur enim Dominus, cuius fide niteris, pedem tuum labi, & concidere; &, qui tui tuendi, & conſeruandi, curam ſuſcepit, in eo munere fungẽdo minime dormitabit. Illius uis fidem illius non ſuperat: ita omnia, quę uult, poteſt; ut, quæcumque promiſit, ualde diligenter, & uigilanter, efficiat. Itaque non dormiet, neque ſomnum capiet, qui cuſtodit Iſrael. Dominus, eſt ſalutis tuæ cuſtos, & uindex; umbraq. gratiæ ſuæ ſic dexteram tuam proteget, tantoq. robore confirmabit, ut de cunctis hoſtibus tuis inſignem uictoriam conſequaris. Nihil erit in uniuerſa natura, illis, qui in Domini patrocinio latent, infenſum: itaque neque die te ardor Solis infeſtus aduret; neque nocte tibi noxia uis Lunæ nocebit. Dominus cuſtodiet te ab omni malo; animamq. tuam ab interitu ſempiterno liberabit. Dominus cuſtodiet exitum tuum, & ingreſſum tuum, ita, ut, ſiue extra te, mente, & cogitatione, ducaris, ut cæleſtia, atque Diuina, conſideres, ſiue rurſus te colligas intra te, ut ineas rationem, qua actiones humanas adminiſtres; numquam eris ab illius ope derelictus. Sic te igitur in omni ſæculorum æternitate tuebitur, ut ab illo ſempiternis opibus exorneris.

Non det in commotionem pedem tuum.

Dominus protectio tua ſuper manum.

Canticum Graduum. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi. Pſal. 121. Apud Heb. 122.

Lætatus ſũ in his.

VIta præſens, eſt circumuenta miſerijs; attrita laboribus; implicata periculis; afflicta morbis; omnibusq. doloribus, quæ mortalem naturam circumſiſtunt, obnoxia. Eſt denique exſilium, graue, acerbum, luctuoſum, multis curis, & acerbitatibus, inquinatum, ita, vt difficillimum ſit, aliqua tranquillitatis iucunditate potiri. Quo modo igitur fieri poterit, ut animus a tantis curis, & angoribus, quamdiu in hoc exſilio verſatur, acquieſcat? firmiſsima ſpe patriæ recuperandæ. Quemadmodum enim, dum exſulabam, mirifice lætabar, cum Prophetæ reditum mihi in patriam felicem prænuntiabãt; ita, in hac peregrinatione, maximum ſolatium ex Diuinorum hominum oratione reporto, quoties dicitur ab illis, In domum Domini ibimus. Inſiſtent pedes noſtri in portis tuis, o cæleſtis Hieruſalem. O Hieruſalem, felix, atque beata, ciuitas, perfectiſsimæ ciuitatis moribus, & inſtitutis, ædificata. Es enim iure Diuino ſociata; caritatis ardentiſsimæ vinculo deuincta; pacem tuam nec odium conturbat, neque inuidia lacerat, neque ægritudo contaminat, neque metus exterret; cum omnes ciues ſint, inter ſe, caritatis ſempiterno fœdere, coniuncti, & Diuino præſidio conſernati. Nemo enim alienus in eam ciuitatem adſcribitur. Itaque tribules omnes ſunt, non tam humana ſtirpe, quam Diuino ſemine, propagati. Nam tribules Domini ſunt, qui in cæleſtem ciuitatem, uigente fide, & religione, conſcendunt, vt teſtimonium Domini, de hereditate Iſraeli promiſſa, exitu feliſsimo comprobetur. Populus enim Dei, ipſius Domini ſatu in lucem editus eſt, ut in florentiſsima ciuitate perpetuo celebret nomen Domini. In ea namque Regium ſolium Dauidis eſt, quod, opibus Diuinis, atque ſempiternis, affluens, in omni æternitate ſæculorum permanebit. Vos omnes, qui eſtis ad nomen Domini, ſtudiis ardentibus, adiuncti, & ſtatum Eccleſiæ illius carum habetis, pro ipſius Eccle-

Cuius participatio eius in ipſum.

Quia illic ſederunt ſedes.

Rogate quæ ad pacem ſunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesię pace,& felicitate,uota susçipite, ut Dominus eam opibus augeat; uirtute corroboret; spe certa confirmet;opeq. sempiterna communiat. Sis felix, o ciuitas sancta; mœnia tua, pace perfruantur; ædes tuæ, opibus summis expleantur; totiusq. urbis spatium in summa felicitate uersetur. Ipse Rex sempiternus,qui in sede Dauidis,patris sui,locatus est, eiusmodi uerbis ciuitatem sanctam alloquitur: Propter eos,qui me fide complexi sunt, & ita in Dei filiis censi sunt, quos iure,atque meritos, Fratres, & Amicos, appello, patrem postulabo, ut tibi pacem tribuat,qua perpetuo gratiam illius obtineas, & numquam ab illius coniunctione diuellaris. Neque solum me caritas urget,ut fratrum, & amicorum, caussam susçipiam; sed etiam studium gloriæ Diuinæ,quæ in suę domus incolumitate consistit,me stimulat, & incendit,ut tibi omnia bona comparem.

Propter fratres meos & proximos.

Canticum Graduum. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Psal. 122. Apud Heb. 123.

Ad te leua ui oculos meos.

VNdique pollicemur,Domine:multa nos pericula circumsistunt; fructibus sæuis eiicimur;nullum in tanta tempestate perfugium uidemus. Humanis opibus omnino destituti, in cælum oculos erigimus,ut clementiam tuam, o cęli dominator,imploremus. Attamen,cum certum nobis sit,nos,peccatis nostris, in calamitates incidisse,pudor, & flagitiorum conscientia, nos impedire potuisset,quo minus remedium a te,a quo sumus afflicti,peteremus,nisi nos, clementiæ tuæ magnitudo,iacentes,ad spem salutis erexisset. Itaque ,sicut oculi seruorum in manus Dominorum suorum respiciunt; sicut oculi ancillæ a manu dominæ suæ minime deiiciuntur; ita nos uniuersi,in te unum,aciem mentis intendimus;& misera multitudo in clementia tua defixa est,exspectans,quando tandem sis nos e tantis malis uindicaturus. Victi, concidimus; bonis euersi, uagamur;& in exsilium pellimur; uictores,superbe nimis imperant; & præterea in miseriis nostris petulanter insultant. Miserere igitur nostri, Domine; miserere nostri: sumus enim supra modum contempti,& abiecti, & insigni dedecore,& ignominia, cumulati. Hostes,diuitiis affluentes, inopiam nostram, conuiciis petulantissimis,irridęt; &,superbi, humilitatem despiciunt omnibus igitur maximo ludibrio sumus, & mortalium despicatissimi: & tamen fideconsistimus;nec, in tantis ærumnis, a statu demigramus.

Canticum Graduum. Nisi quia Dominus erat in nobis. Psal. 123. Apud Heb. 124.

Nisi quia Dominus erat in nobis.

CAlamitatibus instruimur, Domine; e malis disciplinam percipimus;atque plane nouimus,quanta,& quam admirabilis,sit tuæ clementiæ,& benignitatis,amplitudo. Et,quo periculum grauius est,eo,cũ per te, in rebus desperatis,salutem consequimur, clarius uim tuæ probitatis experimur. Hoc igitur,o ciues, o populares, in memoriam redigamus. Si enim Dominus non nobis affuisset; si, cum homines in nos insurgerent, non præsentem opem attulisset; certe,cum eorum furor in nos irruisset, quis eos frenare potuisset, quin nos uiuos absorberent? Aquæ,copia ingenti redundantes,nos uorticibus obruissent;torrentes in uitę nostræ exitium concitati uehementissime fuissent;flumen,imbribus auctum, & amplificatum,in animam nostram furẽter irruens,nos uni uersos oppressisset. Dominus laude sempiterna omnium uoce celebretur,qui non tradidit nos in hostium potestatem;neque permisit, ut illi, odio, & crudelitate,furentes, nos dentibus suis lacerarent,atque conficerent. Benignitate tua nõ solum crudelitatem effugimus;sed etiam fraudes euitauimus. Anima nostra erepta est de laqueo uenantium;insidię detectæ sunt; conatus fracti sunt; & nos erepti sumus. Auxilium, quo nitimur, non est infirmum,& imbecillum;non est fallax,& fraudulentum;sed firmum,& inuictum. Est enim fide subnixum, gratia, & ope, stabilitum Domini illius,qui fecit cælum,& terram.

Canticum Graduum. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. Psal. 124. Apud Heb. 125.

Qui confidunt.

QVid est hominum natura fragilius? quid rebus humanis imbecillius?quid opibus terrenis inconstantius? Attamen,qui Domino confidunt,non nutabunt; nullo tempestatis impetu, de statu suo demigrabunt; ad similitudinem Sionis montis,quem templi sanctitas, atque religio, firmat,immobiles,in omni æternitate,permanebunt. Hierosolymam quidem terrestrem montes undique cingunt; &, tamquam uallo, communiunt; sed cælestem Hierosolymam, incensa fide, & non adumbrata religione, fundatam,aliæ munitiones,& operæ longe firmiores, circumuallãt. Dominus est enim,qui eam presidio suo circumsępit,auxilioq. sępiterno corroborat. Non permittet enim,Dominus,impietatis imperium in iustorum hereditate, & patrimonio, dominari; neque Ecclesiam, opibus iustitię sempiternę stabilitam, hostiuum iniquitate, & hæreticorum tyrannide,& importunitate, peruerti. O Domine, cuius probitas

bitas est immensa,qui iniquitatem odio sempiterno persequeris,benigne facillis,qui se se ad tui imitationem cõferunt;ita, ut caritatis studio semper intenti sint, & eorum animi numquam a iustitię uia,atque ratione,deflectant. Qui uero fraudes,in ficta specie bonitatis,admittunt,&,dum iustitiam simulant, in uiam peruersitatis se dant; adducet Dominus ad eorum cœtum, qui aperte opera iniquitatis,& iniuriæ, moliuntur;neque patietur,ullo modo scelus occultari,& impurum facinus,uellamento fucatæ uirtutis,atque probitatis, inuolui. Cum enim mentem Diuinam nihil omnino latere possit,occultæ fraudes publico iudicio uindicabuntur. Pax igitur Israeli tantum,hoc est,iustorum nationi,a Deo,cum omnium bonorum Diuinorum affluentia,conferetur.

Canticum Graduum. In conuertendo Dominus captiuitatem Sion. Psal. 125. Apud Heb. 126.

In conuertendo Dominus.

MIsera,& detestãda,seruitus fuit illa,qua Hierosolymitani ciues,euersi bonis, spoliati dignitate,deformati ignominia, cum summo mœrore,& acerbissimi doloris cruciatu, Babylonem ab hostibus importunissimis abducti sunt.urbẽ opulentissimam,patriam carissimã, mores antiquissimos,agros amœnissimos,libertatis iura iucundissima,Sionis celebritatem,templi sanctitatem, sacra sollemnia,festos dies, sanctissima cærimonia, & religione,cultos,relinquere cogebantur, ut inter hostes natura barbaros,moribus efferatos, impietate sacrilegos,uitam degerent,contumelijs indignissimis assidue lacerati. Sed,quo grauior calamitas ea fuit,& seruitus magis diuturna, eo libertas improuisa maiorem lętitiæ cumulum nobis attulit. Ex rebus enim desperatis repętina lux in tenebris illis nobis illuxerat,ita,ut fructus ille tantę felicitatis nobis somnium esse uideretur. Vix enim credibile uidebatur, ut ex impotenti tyranni de,tam subita libertas exsisteret. Itaque risus, & gaudiũ, ex specie oris eminebat; & lingua nostra laudes Diuinas, cum ingenti lætitia, decantabat.

Tunc dicẽt inter gẽtes

Tunc hoc tam insigne beneficium gentibus admirationem cõmouebat,eosq.ad cogitationem Diuinę clementiæ,& benignitatis,incitabat. Dicebant igitur. Et tũ Deus huius nationis res minime neglexit,& illius gratia maximas actiones susçepit, & opera nimis admiranda desţgnauit;& quãuis illã uehementer afflixerit, eam tandem aliquando summis beneficiis affecit; & in patriam,cũ nõ mediocri dignitate,restituit. Hæc quidẽ gentes,a nobis alienæ,de nobis inter se, cum admiratione,cõferebant. Et merito. Singulare namque beneficiũ, pondere satis magnum, temporis opportunitate gratissimum,significatione longe maioris felicitatis euenturę clarissimum, contulit in nos Dominus:quo quidem ingẽti gaudio cumulati sumus. O clemẽtissime Domine,ex alia seruitute nos eripe;in aliam libertatẽ restitue,ut uere liberi simus. Non enim tam grauis est Babyloniorum dominatus,ut sit ullo modo cum peccati tyrannide cõparãdus: neque tã iucunda libertas ea est,qua hominum iugũ a ceruice depellimus,quam ea, qua cupiditatis immanitatem fide profligamus;ut deinceps non libidinis impuritati, ad exitiũ sempiternum,sed iustitiæ sanctitati, ad gloriam immortalem,seruiamus. Captiuorum igitur nostrorũ multitudinem in libertatem uerissimam uirtute tua uindica; & perfice, ut, quemadmodum, Austro flante,nubes densantur; imbres in terram aridam demittuntur;flumina redundant; & agri, pluuijs tempestiuis irrigati,lætas fruges effundunt; ita & nos,tui spiritus afflatu multiplicemur;& , gratiæ tuæ fluentibus aquis oppleti,fructus uberrimos iustitiæ, ad tui nominis gloriam, proferamus. Sic autem est ordine tuo comparatum, ut caligo lucem, labor quietem,mœror lętitiam, afflictio uoluptatem, antecedat. Qui seminant,in seminando laboribus atteruntur; qui metunt,seminantiũ labore,cum iucunditate, perfruuntur. Sic sancti uiri,qui olim legi operam nauabant, sine fructu, & cum multis lacrymis,fidei semina conferebant; qui uenturi sunt,ex eorum laboribus fructus eximios,cum lætitia summa,percipient. Quemadmodum igitur & nos,cum mœrore in exsilium pulsi, cũ lętitia reuocati sumus;sic iustitięratio postulat, ut in huius uitę cursu,qui semen iustitię cũ lacrymis spargit,cum summa uoluptate manipulos in tra mentẽ,ad fructum sempiternę glorię,recõdat.

Canticum Graduum. Nisi Dominus ædificauerit domum. Psal. 126. Apud Heb. 127.

Canticum Graduũ Salomonis.

HIc, Solomonis nomen appositum sententiã esse ad spiritum Christi referendam aperte designat. Nec enim Solomon carmen hoc compo suit;nec fuit carmen ad illius gloriam modulatũ; sed ad uim illius Solomonis explicandã,cuius spiritu domus ędificantur; ciuitates conseruantur; genus electum multiplicatur; hostes concidũtur. Satis enim peruulgatum est, Solomonis nomine sæpenumero Christum significari; sine cuius ope nihil feliciter administrari,nihil rectẽ procedere,nihil ad optatum finem perduci, ullo modo poterit. Sine me(inquit ille)nihil potestis facere. Inquit igitur in eandem sententiam Dauid:Ni si Dominus ædificauerit domum, & sobolẽ ex legitimo matrimonio felicẽ protulerit,sine ullo fructu operam suam in nomine suo propagando, & familia multiplicanda,consumet,qui summa sollicitudine in domus suæ curatione cõflictabitur:Ni si Dns ciuitatem custodierit, frustra in ea tuenda uigilabit,qui Reip.curam susceperit. Summa igitur uel rei familiaris, uel publicæ, felicissime gerendæ ratio,in Domini præsenti ope consistit. Illo namque omnia moderãte, familiæ multiplicãtur,

Nisi Dominus ædificauerit domũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

uirtutis opinione florent, honestatis opibus exco luntur,& in oculis oĩum sunt: similiter & resp. in quam Dominus idem coniicit oculos, bonorum affluentia,& tranquilla pace,fruitur,& cõtra omnes hostiles impetus inuicto presidio cõmunitur.

Vanum est uobis ante lucem surgere.

O uos homines, quos uel rei domesticæ, uel publicę,nimia cura sollicitat,qui,ante lucem exciti, laborem susciꝑitis;qui nimis sero corpus, & animum,nimio labore defessum,necessaria quiete reficiendum curatis;quorum cibus est cum uitæ sollicitudine,& doloris acerbitate,coniunctus;intelligite tandem,aliquando,uos frustra conari, omnesq. uestros labores irritos fore, si non in Domini præsidium summa fide respicitis; & in illius benignitate omnia præsidia uitę collocatis. Vt enim multum uigiletis, & laboretis,summaq. industria rebus uestris consulatis, & in oĩs partes ingeniũ uersetis,nullum fructũ ex uestra sollicitudine capietis. Contra uero, Dñs eos,quos diligit, curis leuat;sollicitudine liberat;ex omnibus angoribus educit;& ita quietos,& confidẽtes,efficit, ut, sine ullo metu,somnum capiant. Vt enim infirmi præsidij uanitas,homines nimis anxios, & sollicitos, efficit, ita, ut fremitus etiam inanes exhorreant; ita fides in Deo locata constantes,& quietos,reddit,& in magnis etiã malorum tempestatibus intrepidos. Horũ autem hominũ cœtus,& multitudo,est hereditas Dñi,quã diligentissime colit;quã uigilãtissime tuetur; quã incrementis amplificat; qua mirifice delectatur. Merces autem, atque fructus,huius hereditatis amplissimę, quã sibi proponit,est filiorũ multitudo,qui parentũ fidẽ,& pietatem,sanctissimis studiis,& actionibus, imitentur;& uentris fructus origini, ex qua principium duxit,uitæ puritate,simillimus. Vt sagittæ in manu uiri robustissimi,ita sunt filij e parẽtibus fortissimis, in iuuentutis flore,procreati. Cũ sint enim sani,atque bene ualẽtes,& diligenter enutriti,hostibus terrori sunt,& parẽtibus presidio,atque uoluptati,ita,ut in illorũ uirtute facile cõquiescant. Quid.n.clarius, & felicius, generatione Diuina, sanctissimorũ hoĩum disciplinis,exẽplis, & fidei cõstãtia,& religionis sanctitate progenita? O beatos illos uiros, qui sagittis huiusmodi pharetras suas impleuerint;qui partu felicissimo multos filios opibus iustitię florentes ediderint; multosq. mortales ad nomen excelsi,atque sempiterni.Regis adiunxerint. Quanta cõfidentia in hominum cõuentu,& celebritate, hostes suos,qui crimẽ illis intendere uolent,& quanta cũ gloria,refutabunt.

Cum dedit dilectis suis sõnũ.

Ecce,hereditas Domini.

Canticum Graduum.

Beati omnes qui timẽt Dominum. Psal. 127. Apud Heb. 128.

Beati omnes qui timent Dominum.

FElix,qui Dũm timet,omnemq. uiam suã lege illius moderatur. Nã,si omnes tuas actiones, & uitę consilia,ad legẽ Diuinam direxeris,nemini nocebis;nemini iniuriã inferes; nullius famã falso testimonio maculabis;nõ fraudibus,& dolis,& malis artibus,opes augebis;sed labore iustissimo manuũ tuarum uictum cõparabis; nullumq. tibi emolumentũ erit studio iustitię,atque pietatis,antiquius. Cibus igitur tuus,industria legitima quęsitus,acerbus tibi esse nõ poterit, ut sunt oĩa lucra, quæ iniquitate pariuntur. Prẽterea,labor tuus nõ erit inanis. Quæ enim expetis,quæ cõsectaris,ad quę uotis oĩbus adspiras, felicissime consequeris. Oĩbus enim bonis egregie cumulaberis. Neque solum opibus uerissimis abundabis, sed etiã sobolẽ procreabis,tui nominis, atque uirtutis, heredem. Vxor enim tua, non lectũ genialem libidine nefaria polluet;sed pudorẽ, & castitatẽ, unice colet;& tibi,ut fructifera uitis ulmo,cũ fide summa, sẽper adhærebit;neque tibi leges imponet,sed tibi libenter obtẽperabit;neque foris otiosa uagabitur, sed in lateribus domus tuę uersabitur, ut ipsã domũ, pro parte sua,ope salutari,fulciat,uniuersęq. familię,singulari sedulitate,prospiciat. Itaque,ex fideli coniugio, multiplicata tibi soboles orietur,quæ quidem,ut oleæ propagines, ex ipsius oleæ radice pullulantes,eã undique cingunt;mensam tuã circũsistet,ut tuis,nõ alienis,cibis alatur,& in oculis tuis sit,ut,tuę uirtutis monitis,& exẽplis,erudita, oris tui effigiem,uigenti pietatis studio, cõseruet. Cum uero animi matrimoniũ sit longe felicius,si est legitime contractum,is certe felicissimus erit optimo iure numerandus,qui se minime disciplina adulterata cõtaminat,sed, ad sobolis legitimæ propagationem,consortium sibi doctrinæ purę,atque salutaris, adiungit, unde plantaria uirtutis oriantur,quæ sint, & uenustatis specie, & fructus exspectatione,gratissima. Hac quidem felicitate potietur uir ille,qui timet Dominum. Nec enim, qui sollicite circumcursat, qui labore assiduo premitur,qui omnes uias augendæ pecuniæ diligenter indagat,qui principibus adulatur, qui ex multitudinis opinione pendet, ille beatus est,sed is, quem Deus, gratia,atque benignitate, sua complectitur. Qui igitur Deum timet, & uigenti fide gratiam Diuinam consequitur, ad beatam uitam perueniet,& non ille, qui,sine timore Dei, sollicitudine, labore, industria, sagacitate, omnes mortales superare conabitur. Via igitur uerissimæ felicitatis, simplex, & aperta, in timore Dei consistit:quam dum plerique mortales ignorant, in miseriam sempiternam, cursu præcipiti, deferuntur. O beatum illum uirum, qui hanc unam uiam salutis inierit, nec ab ea umquam, ulla, uel utilitatis,uel uoluptatis,specie,deceptus, aberrauerit. Benedicet enim tibi Dominus,o sapientissime uir,qui in hanc uiã ingrederis,ex Sione, unde lex nõ anxię seruitutis, sed iucundæ libertatis,ad salutẽ,lata fuit; ut bona cęlestis Hierosolymæ, ad uitæ sempiternæ fructum,perspicias. Sic autẽ cernes filios filiorũ tuorũ bonis sempiternis affluentes; nomenq. tuũ nullis sęculis obliuione delebitur. Pax.n.non est impiis,sed Israeli,hoc est,homini,studio iustitię uehementer inflãmato, constituta. Impius enim, est tristissimis curis implicitus; metu frequenter exanimatus; uerorum bonorum inopia cõflictatus;discordia turbulentissima distractus;doloribus assiduis oppressus;ita,ut nullum pacis fructum gustare aliqua ratione possit.

Benedicet tibi Dominus ex Sion.

Contra

Contra uero,pius homo, in quem uerissime Israelis nomen conuenit,cum sit tabifica cura uacuus, acerbissimo metu solutus,bonis uerissimis oppletus,& rationis imperio facillime oẽs motus intestinos coerceat, & incensa fide cunctas ex animo ægritudines repellat,& spe firmissima Diuini status exsultet; in pace summa,cum uoluptate inexplicabili,uersatur.

Canticum Graduum.

Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. Psal. 128. Apud Heb. 129.

HVic paci, qua Israelem solum frui Sapiens dicit, multa simul aduersari uidentur. Quid est enim tam exercitum, quam hominis iusti uita? Illam enim inuidia frequenter impugnat; illam improbitas insectatur; illam impietas odio acerbo persequitur; illi omnes undique insidiæ cõparantur. Potuisset igitur iustus de condicione uitæ suæ lamentari, si non fuisset de uerissima pacis ratione,Diuino spiritu,diligenter eruditus. Sic autem dicit: Multorum in me inimicorum impetus ab adolescentia mea pertuli; multi hostes acerbi, & implacabiles, omnibus me conatibus impugnarunt. Quocirca, multi fortasse dicent, me pacem hanc, qua iusti homines potiuntur, minime fuisse consecutum.& ipse interdum huius tam assidui belli cogitatione sollicitor. Verum fides me confirmat,atque plane docet, hominis iusti, & ingratia confirmati, pacem, minime turbari posse. Vt enim uiri robustissimi pax,amentia puerorum conuelli non potest; ita huiusmodi iusti grauitas, & cõstantia,nullo modo perditissimo conatu impietatis exstinguitur. Sic autem fit, ut pax istius iusti, nulla improborum hominum importunitate uioletur. Dei enim coniunctione perfruitur;animi partes inter se optime cõuenientes habet; præsidio Diuino confirmatur;ita,ut hominum perditorum coniurationes non extimescat: sic autem fit,ut illius pax semper integra, & inuiolata, permaneat. Ab adolescentia quidem fui summa contentione ab hostibus oppugnatus, nullo tamẽ modo superatus. Nihil enim eorum, quæ moliti sunt, efficere potuerunt. Necem afferre nitebantur; & uitam meam Diuino præsidio tegi uiderunt: turpitudinem instigere uolebant; & nomini meo materiam amplioris honestatis,& decoris,attulerũt: opibus euertere concupierant,& me in summo dignitatis gradu locatum adspexerunt:multisq.modis perspicuum fuit,nullis impietatis uiribus posse pietatem de statu suo cõuelli. Qui enim in Dei tutela,& patrocinio,latent;quo tandem modo poterũt ab hominibus impuris de suę dignitatis amplitudine deturbari? Atqui nihil fuit ab hostibus, ad meam perniciem,& interitum,prætermissum. Supra dorsum meũ aratores aratrũ impresserunt; sulcum longissime produxerunt, ut me deprimerent,& abijcerent,summo opere pugnauerunt;pestem in me terrimam machinati sunt,ut semẽ

Sæpe expugnauerunt me.

Non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricauerunt.

tem calamitatis,& ignominiæ, in corpore meo facerent;coniurationem inierunt. Dominus tamen, cum sit iustus, perditissimis conatibus occurrendum existimauit; impiorumq. funes ita præcidit, ut cogerentur arationes deserere. Ignominia deformentur, atque retrorsum in effusam fugam cõpellantur,qui oderunt Sion,Monte uidelicet, sempiterni templi religione sanctissima cõsecratum. Persequuntur enim cælestis sapientiæ disciplinã; religionis purissimæ sanctitatem; sanctorum hominum cœtum; Regnum opibus Diuinis florentissimum; & bellum denique impium,& scelleratum,contra Dei imperium moliuntur. Vt igitur illorum opes sint ad speciem illustres, & amplæ; repente tamen concident, & interibunt. Nam, perinde atque fenum, quod in domorum tectis enascitur,cum neque radices agere,neque humorem genialem elicere,possit, quãuis in principio inani uiriditate nitescat,antequam colligi possit, exarescit; ita, qui, sine Diuini spiritus cultura,in hominum oculis exsurgũt,& opibus efferũtur,antequã maturitatem assequantur, & fructus utiles ex se fundant,exuruntur. Non igitur ex illis messores uolam manus implebunt;&,qui manipulos uinciunt,ex illis,quid in sinum inferant,non habebunt;&, quod in magnis messibus fieri solet, illis certe non eueniet. Cum enim fruges lætissimę colliguntur,non solũ messores exsultant,sed uiatores etiam illis,cum Dei laude, de frumenti ubertate, & copia,gratulãtur,& illis,inuocato nomine Domini,benedicũt. Impiorum autem uiriditas, cum protinus euanescat,nullum fructum proferet,nec ullam spem futuræ ubertatis ostendet; immo multos mortales exitu dirissimo perterrebit.

Dominus iustus.

Canticum Graduum. De profundis clamaui ad te Domine. Psal. 129. Apud Heb. 130.

MVltis quidem beneficijs,inquit uir sanctus, ornatus a Deo sum. A puluere me quidem excitauit; in principatu summo locauit; multis me præterea præsidijs undique muniuit. sed, quo maior illius erga me benignitas exstitit, eo uehementius illius iudicium pertimesco. Ingrati enim animi me crimine per summum scelus adstrinxi; Maiestatem illius impie uiolaui; gratiam illius furenter abieci; & maximis uitiorum sordibus inquinatus,& turpificatus,sum. Quid igitur tũc mihi faciendum fuit? Salutis spem omnino deponerem ?immanissimo hostis imperio, qui me ad se, lenocinijs,fraudulẽter allexerat,addicerem?ita facinoris admissi magnitudine perterrerer,ut, conscientia oppressus, obmutescerem ? Non prorsus. Numquã enim ita me recordatio mei sceleris eximabit,ut Diuinæ probitatis recordatio me non mirifice iacentem,& prope exanimatum,reficiat? Quid igitur feci? Cum me cernerem in profunda flagitiorum colluuione demersum,ad te,Domine, clamaui;opẽ tuam,maximis uocibus,imploraui;

De profundis clamaui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si iniquitates obſerua ueris.

ſumma contentione flagitaui, ut aures tuas, ad preces meas clementer accipiendas, erigeres. Si enim iniquitatis noſtræ pondus, & grauitatem, ad ſummi iuris examen, reuocaueris; &, cum ſis nimis noſtris peccatis offenſus, te nobis implacabilem prębueris; flagitiaq. noſtra memoria perpetuo conſeruaueris; quis tandem magnitudinẽ tuę ſeueritatis effugiet? Quis iræ tuæ uim, & acrimoniam, delictis infeſtiſsimam, ſuſtinebit? Omnes enim, peccatis infecti ſumus, & per ſummã imbecillitatem, cum in loco periculoſo, & pręcipiti, uerſemur, paſsim prolabimur, & in offenſionẽ tuę Maieſtatis, ſingulis prope horis, incidimus. Si igitur pro meritis noſtris fuiſſet a te pœna, ſine ulla ſpe clementię, cõſtituta, ſempiterna miſeria, cũ ingenti cruciatu, fuiſſet nobis omnibus neceſſario ſubeunda. Religio igitur oĩs iam pridẽ fuiſſet exſtincta. Quis enim, in ſumma deſperatione ſalutis, religioni operã dandã conſeret? Sed, quia nouimus, miſericordiæ tuæ magnitudinem tecũ ſemper habitare; neminiq. aditum ad clementiam, qui ad te ſupplex adierit, intercludi; fit, ut religionis ſtudiũ uigeat, & multi mortales te pie metuant, & in tuę Maieſtatis placatione uehemẽter incũbant. Spem igitur in Dño firmam habeo; anima mea ſpem habet collocatam in Dño; omnis illius ſpes, eſt in uerbo Dñi conſtituta. Pollicitus eſt Dñs ſalutem; pollicitus eſt libertatẽ; pollicitus eſt ampliſsimã dignitatẽ: non eſt autem Deus hominis ſimilis, ut mentiatur; non fidẽ hominum fluxam ſequitur, ut immutetur. Fidẽ igitur, quã dedit, cumulatiſsime præſtabit. Vt igitur nocturni uigiles aurorę lucẽ, ut quietẽ capere poſsint, uehemẽter exſpectant; ut lucis exſpectatione ſollicitantur; ſic aĩa mea, in Dei clementiã intenta, illã lucem, uotis oĩbus expetitã, uehemẽter exſpectat, quę eſt mũdo ſalutẽ, & opes Diuinas, atq. ſempiternas, allatura. Spes igitur hęc, ſanat aĩos; illuſtrat mentes; confirmat uires; ueniã impetrat; uiamq. in cęlũ aperit. Speret igitur Iſrael; inſigniq. Dñi miſericordia nitatur: nam Dñi miſericordia, eſt latitudine, & amplitudine, mirabili, ita, ut uniuerſum genus humanũ ſit, illius magnitudine, e peſte ſempiterna redimendum. Ipſe nãque Dñs, Iſraelem, non tam lege, quã fide, huius nominis ſplendore decoratũ, ab oĩbus iniquitatibus expiatũ, donis ſempiternis afficiet.

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam.

A cuſtodia matutina.

Speret Iſrael.

Canticum Graduum Dauid. Domine non eſt exaltatum cor meum. Pſal. 130. Apud Heb. 131.

QVo magis homo iuſtus in iuſtitię ſtudio ,pgreditur, eo grauius illi ruinæ periculũ, niſi ſeipſum deſpexerit, hoſtis importuniſsimi fraude cõparatur. Si enim, muneribus Diuinis elatus, ſibi, quod eſt gratiæ Diuinę tribuendũ, inſolenter adſcripſerit; quo altius fuerat euect', eo funeſtius cõcidet, & in præcipiti, atque repentino, caſu miſerabilius ſi ãgetur; omnesq. uirtutis neruos elidet. Nullũ eſt igitur uirtutis propugnaculum, humilitate munitius; nullũ preſidium firmius; nihil denique ad ſtatum animi tuendũ ſecurius. Neceſſe igitur eſt illi, qui uelit in pietatis diſciplina ,pficere, ut, quo magis mente, & cogitatione, in cælũ euehitur, eo firmius, & imbecillitatis humanæ, & uitę olim turpiter actę, memoriã retineat, ne, Diuinæ miſericordiæ munera ad ſe transferendo, oĩbus Diuinis muneribus, rectiſsimo Dei iudicio, ſpolietur. Huius ſingularis moderationis, & humilitatis, exemplũ egregium, ad noſtrã eruditionẽ, in ſe, atque in uitæ ſuæ ratione, proponit ipſe Dauid. Sic enim ait: Quæcũque humana mens, ampla, & excelſa, optare potuit, oĩa ex te mihi, ſumme Dñe, profecta ſunt. Integra corporis ualetudo, oris ſpecies nõ deformis, uĩres eximiæ, uocis ſuauitas, nõ mediocre dicendi, & ſcribendi, artificiũ, mira pulſandi; & canendi, cõcinnitas, multitudinis fauor, principũ gratia, illuſtres uictorię, ſtatus dignitatis, & honoris, ampliſsimus, nominis, & glorię, claritas; & opes ſummę, Regniq. florentis inſignia. hęc inquam oĩa beneficia ex te mihi conſtiterũt. Tũ, quod longe magnificentius exſtitit, maximarum uirtutum opibus aĩum meum inſtruxiſti; ut populum prudentia tẽperarem; hoſtes uirtute repellerem; malitiã ſeueritate coercerẽ; bonis benigne conſulerem; inopes æquitate, & miſericordia, ſubleuarẽ. Nec hoc in loco reſtitit tua erga me benignitas; ſed, ultra progreſſa, mentem meam in cęlum euexit, ſplendoreq. Diuinæ lucis illuſtrauit, ut arcana Diuina perſpicerem; humanæq. ſalutis myſterium clare cernerem; & ipſius ſalutis auctorem, puta mentis acie, contemplarer. Poſtremo, tanta, & tã admirabili, me dignitatis amplitudine cumulaſti, ut hoc munus, generis humani a pęſte ſempiterna redimendi, ſemini meo delegares; & ſtatueres, ut a filio meo, a te mirabiliter aſſumpto, ſempiterna ſalus eſſet in terris, cum gloria immenſa, conſtituta. Verum enimuero, nec hæc tanta munera, & beneficia, tam multa, atque tam Diuina, dignitatis ornamenta, mihi animos extulerunt, & oculos meos ſublimes erexerunt; nec itame geſsi, ut mihi magna quædam, atque uehementer admiranda, proponerem; & me ſupra modum, quem mihi præfinitum eſſe uoluiſti, arroganter ueherem. Nec enim quidquam boni a me ipſo promi poſſe ſentiebam. Omnia igitur, quæ a te habebam, non ad meam laudem, ſed ad tuam gloriam, conferenda iudicabam. Male mihi ſit, ſi non depreſsi, & abieci, animã meam; & non mihi modum conſtitui, ne uerbum ullum inſolens prodiret ex ore meo. Quemadmodum autem puer infans, cum ab uberibus matris auellitur, ut non lacte deinde, ſed cibis ætati commodis, nutriatur, quamuis id dolenter ferat, & ploratus edat, non tamen a matre oculos deiicit; nempe, cuius cura uideat ſe alendum, & ſuſtentandum eſſe; ita & ego, qui, animi ſimplicitate, pueris annumerandus ſum, quamuis interdum a iucunditate tui ſpiritus amouear, idque ægerrime patiar, non tamen ſpem tuæ benignitatis abiiciam, ſed in te ſemper intuebor, quem cõfido mihi minime in angoribus uitæ defuturũ. Summa autem orationis hęc eſt; ut is, qui uelit in iuſtorum numero adſcribi, nihil ingenio, nihil induſtriæ, nihil artibus humanis, nihil opibus terrenis, attribuat; ſed omnem ſpem uitæ, ſalutis, dignitatis, immortalitatis, in Deo tantum reponat, & ab eo numquã decidat, quamuis ſe uideat moleſtijs innumerabilibus implicatum; ſed firme ſecum ſtatuat, ſe numquam fore, quamdiu in fide permanſerit, ab ope Diuina deſerendum.

Dominenõ eſt exaltatum.

Si non humiliter ſentiebam.

Canticum Graduum. Memento Domine Dauid. Pſal. 131. Apud Heb. 132.

HOc carmine ardentiſsimum ſtudium uiri ſanctiſsimi declaratur, quo aduentum Chriſti cupiebat, in mentis oculis habebat, pro cuius celeritate uota nuncupabat. Itaque ait: Recordare, Domine Dauid, & redige in memoriam, quam multos labores, abſque ulla cauſſa, pertulerit, & quanta conſtantia, in omnibus ſuis ærumnis; neque ſtudium manſuetudinis, & benignitatis, erga eos, a quibus uexabatur, omiſerit; neque ſpem ſalutis, quam in te collocatam habuerat, abiecerit. Vtriuſque rei maximum fructum cepit. Inimicorum enim impetum ab illius capite repreſsiſti; & illum ſaluum, & incolumem, ornamentis quãplurimis affeciſti. Ardet igitur ille religionis cupiditate; nomen tuum omnium prædicatione celebrari deſiderat: quod ut rite fieri poſsit, templum opibus ſummis ædificare cogitat, in quo Maieſtas tua, cum fœderis ſanctiſsimi monumento, in ſede ſtabili, conquieſcat. Indignum enim ſanctitate, & amplitudine, tui nominis arbitratur, arcam fœderis euagari, nec ullam certam ſedem, in qua tandem conſiſtat, habere. Quocirca ſanctiſsimo iureiurando ſe tibi conſtrinxit; idq. uotum fecit, ut omnes ſuas cogitationes ad auguſtiſsimi templi fabricam conferantur. Deteſtabilis, inquit ille, & uehementer exſecrandus ſim, ſi in domus meæ tabernaculum (ſic enim libet appellare domicilium, manſioni huius uitæ adeo breuis accommodatum) intrauero, ſi cubilis mei inſtratum lectum adſcendero, ſi me quieti dedero, ut ſomnum iucunde capiam, antequam inueniam locum exſtruendis ædibus Domino conſentaneum; atque mentis oculis deſignem ſedem Deo, quem Iacob ſanctiſsimum ſemper habuit; & qui poſteritatem illius, manu ſemper forti, & inuicta, protexit. Nec enim ferendum eſt, cum nos late, atque magnifice, habitemus, tabernaculum Domini uagari, & a loco in locum transferri, & pellibus tantum ab illo imbres, & tempeſtates, arceri? Arca quidem Domini fuit in hoſtium poteſtate: quo quidem malo nihil fieri tunc potuit acerbius, & calamitoſius. Erat enim Iſrael ſpoliatus omni gloria, & dignitate, & orbatus omni præſidio; ſtudiumq. religionis exſtinctum. Reſpexit Dominus populum ſuum; hoſtes affliĉti ſunt; & arca reſtituta. atque, primum, in Betſames, quod nomen Domum ſolis deſignat, reducta, conſedit. nunc Ephratam allatam audiuimus. Sole tenebris exortus eſſe uidebatur, qui mentes noſtras ingenti lætitia complent. Inde in Cariatharim (quod opidum a ſiluis nomen inuenit, idem enim ualet, quod Siluarum ciuitas) importata fuit. eo nos ipſi repente contulimus, ut amiſſum decus inueniremus; & adſpectu tantæ felicitatis, Diuinitus oblatæ, frueremur; & ſcabellum ſaltem, in quo pedes Domini conſtiterunt, debita religione coleremus. eo itaque gens, Iſraelis ſatu edita, certatim, cum hoſtiis, & muneribus, ut Maieſtatem Domini propitiam redderet, commeabat; nec illam uiæ aſperitas, neque ſiluarum denſitas, neque loci parum celebris obſcuritas, deterrebat, quo minus eo ad te multi mortales adirent. Sed, quouſque tandem, in procuranda religione, peregrinabimur? Cur non tandem arca ſanctiſsimi fœderis in uno tantum loco permanebit? Cur tamdiu ſignis hærebimus, & tantis motibus fluctuabimus? Non eſt mihi conceſſum, templũ abſolutum cernere: at ſaltem locũ templo, per te, intueri, & deſignare, licebit. quamquam non nimis de hoc templo, quod filius meus ædificabit, laboro; niſi quatenus alterius templi ſanctitatem, & magnificentiam, deſignauerit. Surge, iam tandẽ, Domine, ut ingrediaris in Requiem tuam, tu, & arca roboris tui. Quæ nam eſt tua Requies appellãda? Non ne perſpicuum eſt, requietem eſſe operis abſoluti fructum, & laboris, in opere magno cõſumpti, laxamentum? At tu, Domine, abſoluta mundi fabrica, non omnino conquieſti; quia alia multa tibi munera maiore cum ſtudio, facienda, reſtabãt; neque, cum populum tibi fœdere deuinctum, quẽ, ab Aegypti tyrannide liberatum, in promiſsis ſedibus locaſti, quietem parare potuiſti: cum populo enim rebelli, & ingrato, qui cum lege tua bellũ gerebat, aſsidue dimicabas. Quæ igitur erit requies tua? Illa certe, quam, opere omnium maximo, diligentiſsime perfecto, omnibuſq. ſuis numeris abſoluto, pleniſsime conſequeris. Quod autem opus illud eſt? Iuſtitiæ ſplẽdor, & pulchritudo. Eſt enim Iuſtitia, Diuini decoris imago; sẽpiternę Maieſtatis effigies; cæleſtis uenuſtatis, & totius cõcinnitatis, ornamentum. Ad huius operis admirandi perfectionem, omnia, quæ deſignas, & efficis, a te, ſummo ſtudio, ſedulitate, induſtria, cõferuntur. Ergo, cum ſempiternum tẽplum, in quo ſemper acquieſcas, exſtruxeris; cum arcã fœderis ſempiterni, in quam omnes Diuinæ ſapientiæ theſauri condendi ſunt, in perpetua ſede locaueris; cũ ex ea uires inuictas, quibus hoſtes euertas, admirabili ratione deprompſeris; cũ denique peccati tyrannidem, & robur, exſtinxeris; & iuſtitiam ſempiternã, opera filij tui, in terras induxeris; tum demum requie iucundiſsima perfrueris. Tũ enim nouæ religionis ſanctitas eminebit. Nã ſacerdotes tui, non, antiquę legis infulis amicti, ſacra adumbrata conficient; ſed, iuſtitię ornamentis exculti, ueriſsimas, & gratiſsimas, hoſtias immolabunt: ſancti tui, nõ bonis terrenis, ad breue tempus, expleti, gaudebunt; ſed, ex immortalibus, & Diuinis, opibus, egregie cumulati, triumphabunt. O ſumme Dñe, propter fœdus, quod cũ Dauide, ſeruo tuo, ſanctiſſime percuſsiſti, ne differas aduentũ Chriſti tuiſ-

Memento Domine.

Surge Domine in requiem.

Sicut iurauit Domino.

Si introiero in tabernaculum.

Ecce audiuimus.

Sacerdotes tui induantur iuſtitiã

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpiciat nos tandem uultu clementiſsimo, ut animos noſtros e cūctis malis eripiat, & oibus bonis afficiat. Qua uero fiducia tantam uim mihi bonorū de benignitate Diuina pollicear, operæ pretium eſt oſtendere. Promiſſo tenetur Dominus, quod ſanctiſsimo iuramento confirmauit. At ueritas illius non poteſt immutari; & fides illius non poteſt infringi. Sed, quid eſt, quod futurum pactione ſacratiſsima recepit? Filium, inquit ille, qui ſtirpe, & ſanguine tuo, procreabitur, in ſede tua collocabo; ut Hieroſolymis imperet, & Iudæis, qui cordis circumciſione fuerint inſigniti, iura preſcribat. Omnes autem, qui ad illius nomen adiuncti fuerint, in filiis tuis numerabuntur. Qui ſi pactum meum ſeruauerint; & teſtimoniis meis, quibus illos erudiam, obſecuti fuerint; felicem etiam, atque beatam, cæleſtis doctrinæ propagatione ſobolem procreabunt, quæ tecum ſolio Regni ſempiterni perfruetur. Elegit enim Dominus Sionem montem ſanctum ſuum, cæleſtem, atque ſempiternum. Diuinis opibus, & ornamentis, iuſtitiæ cultum, cæleſtiq. præſidio circumſæptum; & in eo ſibi ſtabilem ſedem, & domicilium, egregie concupiuit. Hæc, inquit Dominus, eſt requies mea ſempiterna: non uagabor amplius. nam in Eccleſia mea ſedem immutabilem mihi conſtituam, quia illam incenſo deſiderio complexus ſum. Illam igitur ſemper annonæ copia, & ubertate, ſuſtentabo; pauperes illius, pane ſalutari reficiam; ſacerdotes illius, ſalutis ornamentis, & ſplendido cultu, ueſtiam; & homines, ſanctitatis gloria præditi, uoluptate ſumma perfuſi, uocibus egregio concentu modulatis, Domini laudes celebrabunt. Ibi Dauidis regnum, quod deletum uidebatur, Diuinis opibus inſtaurabo, & amplificabo; Chriſtiq. mei ſplendorem, a me iampridem excitatum, latiſsime diffundam. Hoſtibus illius maculam extremi dedecoris inuram: at illius Corona, inſigne Regiæ dignitatis ornamentum, erit, in omni ſæculorum æternitate, florentiſsima.

Iurauit Dominus Dauid.

Quoniam elegit Dominus Sion.

Viduã eius benedicens

Super ipsũ efflorebit ſanctificatio, uel diadema eius.

Canticum Graduum Dauid. Ecce quam bonum & quam iucundum. Pſal. 132. Apud Heb. 133.

ALtiſsimus perfectionis gradus eſt, cum uniuerſi Chriſtiani, artiſsimo inter ſe amoris uinculo deuincti, ita mente, & ratione, ad Dei gloriam conſpirant, ut omnes idem ſentiant; & nemo ſit, qui quidquam habeat ab aliorum uſu, & utilitate, ſeiunctum. Signum enim tunc certiſsimum eſt, ſpiritum Chriſti, qui pacis auctor eſt, in cœtu illo dominari, & ſeditionis principem a finibus ſanctæ ciuitatis expelli. Ait igitur Dauid: Quam bonum, & ſalutare, quam honeſtum, & prædicandum eſt, ita cõuenientes fratres eſſe, ut ſimul ſemper habitent, & ita ſint caritatis fœdere copulati, ut ex omnibus una mens, & ſenſus, fiat, & una in omni uitę ratione uoluntas? Fratres illi uere ſunt, non modo, qui ex uno parente, propagatione ſeminis, exorti ſunt; ſed etiam, qui, incorruptibili ſemine uerbi Dei, ſecũdum uitæ, atque ingenij rationẽ, generati ſunt. Diſſenſionis enim in complexione ſeminarium, eſt in natura corporis inſitum. Inde fit, ut ſæpe numero, qui eiſdem parentibus orti ſunt, hoſtili inter ſe complexione diſſentiant. Qui uero ſunt ex Diuino ſpiritu geniti, cum carnis importunitatem exſuerint, & quodammodo in naturam Diuinam conuerſi ſint, in qua nulla poteſt locum habere diſſenſio; neceſſe eſt, ut omnes idem ſapiant, cum ſint inter ſe, & integritate uitæ, & ſpecie formæ, ſimillimi. Vt igitur unguentum illud, ex odoribus ſuauiſsimis ſingulari artificio confectum, quo ſummus ſacerdos Aharon conſecratus exſtitit, ſic in caput illius effuſum fuit, ut inde illius barbam, neque barbam tantum, ſed ueſtis etiam limbum, imbueret; ita & illi, unguento lætitiæ, quod ex capite noſtro, nempe ex Chriſto Pontifice maximo, in omnes, qui in illum, animis puris, intuẽtur, copioſiſsime redundat, ita delibuti ſunt, ut fragrantiſsimos Diuinæ uirtutis odores longiſsime diffundant. Et, perinde atque ros, qui dimittitur in Hermon, in Sionis colles ita cadit, ut terræ faciem, inducta uiriditate, lætificet; ſic gratiæ Diuinæ ros ita piorum animos, & fertiles, & amœnos, reddet, ut ex ſe uberes, & ſalutares, fructus, ad Diuini nominis gloriam, producant. Sic enim ſanxit Dominus, ut in huius ſanctæ Reip. communione uigeret Diuinorum bonorum affluentia, atque uita ſempiterna.

Sicut unguentum in capite.

Quoniam illic mandauit Dominus.

Canticum Graduum. Ecce nunc benedicite Domino. Pſal. 133. Apud Heb. 134.

VT primus gradus in ſe ſigna mæroris, & calamitatis, qua uir iuſtus uexatur, expreſſit; ſic commodum fuit, ut ultimus ingentis lætitiæ ſigna contineret. Vir enim ſanctus, cum omnia Diuina bona, quibus Deus Eccleſiam ſuam Chriſti meritis, atque ſanctitate, cumulauit, in memoriam redigeret, omnes, qui ſe in cultu ſanctiſsimi nominis excellentius gerunt, exhortatur, ut omnem uitam in Domini gloria celebranda conſumant. Sic enim ait: Cernitis ne, uiri ſancti, quot, & quanta munera, ſummus Dominus in populum ſuum congeſſerit? quantis opibus, & ornamentis, illum decorauerit? quam firmis præſidiis inſtruxerit? Vobis igitur, tantis rebus, indormire non licet. Cum enim ingrati animi crimen, & ſcelus, ſit maxime deteſtandum, tum maxime uobis, qui eſtis præcipue miniſterio religionis illius conſecrati. Domini igitur laudes perpetuo concinite, omnes, qui in illius æde conſiſtitis. Neque ſolis exortum exſpectetis; ſed ante lucem, in ipſis noctis tenebris, euigilate, ut Domini laudibus, tota mente, eruiatis. Intendite manus in ſummum illud, atque ſempiternum, ſanctitatis ſpecimen, quod legis æternæ uim, quod immenſæ miſericordię monumentum, quod uitæ cæleſtis alimẽtum, quod Regię Maieſtatis inſigne, cõplectitur; quod angeli

Ecce nunc benedicite

angeli intuentes admirantur, & perpetua laudatione concelebrant. Illi igitur clementiſsimo Domino, perpetuo laudem tribuite. Tibi, o uir, qui pietatem unice colis, benedicat Dominus ex Sion, e templo ſancto ſuo, & ex arca fœderis æterni, in quo ille ſibi ſedem ſtabilem, atque ſempiternam, conſtituit, qui fecit cælum, & terram.

Primus Pſalmus poſt Cantic. Graduum.

Laudate nomen Domini, laudate ſerui Dominum. Pſal. 134. Apud Heb. 135.

QVam me iuuat ſanctiſsimi Regis exemplũ, cuius ingenium, ſtudium, inuentio, & eloquentiæ uis, in unius Dei laude conſumitur. Sapienter enim uidit, nihil aliud eſſe perpetuo laudandum. Nam, ſi laus honeſtati, atque pulchritudini, debetur; cur non omnes laudes noſtras in unicum illud perfectæ, & abſolutæ, pulchritudinis exemplum, unde totum decus emanat, ſtudio inflammato, cõferimus? Si beneficia tributa commemorationem aſsiduam efflagitant; cur non omnem conatum noſtrum eo comparamus, ut Dominum, a quo ficti, informati, redempti, ornati, muneribusq. Diuinis affecti, & in rebus aſperis adiuti, & in periculis liberati, ſumus, dignis in cælum laudibus, efferamus? Si ingenium, ſi mens, ſi lingua, ſi denique ſenſus omnes, iure reducendi ſunt eo, unde profluxerunt; quo tandem alio ſunt omnia naturæ munera reuocanda, quam ad laudem illius, qui naturæ parens eſt, & a quo omnia ingenij præſidia, & ornamenta, conſecuti ſumus? An facinus eſt ullo modo tolerandum, ut beneficia Diuina ad laudem impuritatis, & libidinis, & furiarum, quæ bellum Deo, perditis conatibus, inferre minime deſiſtunt, impudentiſsime transferamus; &, in Dei laudibus, perpetua animi commentatione, uerſari, parum decorum exiſtimemus? Quantũ uero a contagione peruerſitatis huius abſuerit Regis huius ampliſsimi cogitatio, ipſe declarat, cum totum ingenium, quo plurimum ualuit, ad laudem ſummi Domini contulerit; uel, ut potentiam celebraret; uel, ut bonitatem laudaret; uel, ut beneficia recoleret: quod cũ ualde ſuculenter ſemper eſtecerit, tum in hoc carmine, quod, poſtquam per gradus omnes ad perfectionem altiſsimæ conſiderationis adſcendit, animo uehementer incitato, & inflammato, compoſuit. Sic enim adhortatur, & admonet, omnes, qui Deo miniſtrant, ut omnem uitam in Domini laudem conſumant. Laudate omnes uiri ſancti Dominum, laudate nomen Domini, omnes, qui illi eſtis, in ſeruitutem, libentibus animis, addicti. Qui ædem ſanctam incolitis; qui in atrio templi, Deo noſtro conſecrati, ut procuretis religionem, inceditis; officio ueſtro fungimini. Laudate Deũ, quia bonus eſt Dominus; nomeñ illius celebrate. eſt enim iucundiſsimum. Quid enim eſt potentiſsima benignitate iucundius? Nihil enim mihi potentia prodeſt, bonitate ſecluſa; nullum mihi adiumentum attulerit bonitas imbecilla. Quid igitur eſt, quod reficere, & recreare, & iucunditate permulcere, poteſt animum, ſummis difficultatibus implicatum? Benignitas immenſa, cum immenſa poteſtate coniuncta. Vtraque autem uis, nomine Domini, non tam uoce, quam factis, exprimitur, ita, ut nulla ſuauitas ſit cum nominis Diuini ſuauitate, atque dulcedine, comparanda. Quod quidem in eo præſidio, quo parẽtes noſtros e cunctis malis eripuit, facillime perſpectũ fuit. Iacob enim elegit ſibi Dominus; & Iſraelis poſteritatem, ut præcipuum, atque ſingulare, patrimonium, mancipij, iure, retinuit. Quamuis enim ſit Dominus omnium, & nihil ſit in orbe terrarum ab illius curatione derelictum, Iſraelem tamen ſibi præcipue tuendum eſſe decreuit, eo quod, a parentibus ſanctis eruditus, unum ſibi Deum omni pietate colendum ſtatuit; in quo omnem ſpem ſalutis, atque beatæ uitæ, reponeret. Certus enim ſum, ſolum Deum eſſe potentia magnum, uirtute inuictum, ſanctum, atque ſempiternum; Deiq. noſtri religionem omnibus deorum religionibus, partibus infinitis, excellere. In Diis enim gentiũ nulla prorſus uis inſidet: at Dominus omnia, quęcumque uoluit, effecit, in cælo, & in terra, & in mari, & in omnibus aquarum profunditatibus. Ex oris terrarum extremis, uapores excitat, quos denſat in nubes; ex imbribus, fulgores emittit; uentos, e penetralibus ſuis educit; ut aerem exagitet, elementaq. ſalutari motu concutiat; & homines etiam, incitatis procellis, exterreat. Itaque naturam uniuerſam, quemadmodum uult, impellit, agitat, & moderatur. At, quæ noſtri cauſſa fecit in Aegypto, quanta ſunt cõſideratione digniſsima? Vt enim multa prætermittam, Aegyptiorum filios, natu maximos, ab hominum filius, ad iumentorum ſobolem, interemit. In medium tui, o tellus Aegyptia, portenta, atque prodigia, quæ ſuperbiam, & rebellionem, tuam frangeret, & contumaciam coerceret, immiſit; & Pharaonem, & exercitum illius, exſtinxit; uerum multas alias nationes mortiferis uulneribus concidit; & Reges, uiribus præferoces, internecione deleuit. Excidit Seõ Regem Amorrhæorum; interfecit Hog regem Baſan; euertit omnia regna Canahan; & in eorum poſſeſsionem, tamquam in legitimam hereditatem, Iſraelem, populum ſuum, miſit. Dominus enim cum ſit uniuerſæ regionis, quos uoluit, expulit; & in eorum ſedibus, qui nomen illius infandis flagitiis offenderant, populo ſuo hereditatem aſsignauit. Domine, nomen tuum eſt ſempiternum; Domine, monumenta poteſtatis, & miſericordiæ, quæ in ui huius ſanctiſsimi nominis explicantur, nullis ſæculis interibunt. Dominus enim populo ſuo, calumniis oppreſſo, cauſſam adiudicabit; & iniurias, illi, per uim, illatas, ſeueriſſime uindicabit; &, quamuis fuerit a ſeruis ſuis offenſus, eos, quos delictorum pœnitebit, in gratiam, cum clementia inſigni, recipiet. Veriſimæ igitur religionis hic fructus eſt, ut Dominum, & Deum, habea-

Laudate nomen Domini.

Quoniam Iacob elegit.

Quia ego cognoui quod magnus eſt Dominus.

Domine nomen tuũ in æternum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

habeamus,omnia cõuentem, & animaduertentem,infinita potentia,fide, bonitate præcellẽtem, nobis in uotis,& precibus, occurrentem; qui iacentes excitet;oppressos subleuet;& iniurias, suis impositas,acerrime persequatur. At Dij,quos gẽtes,cum summa sollicitudine, & mentis angore, per summam dementiam,adsciuerunt,quam poterunt habere uim, ad cultores suos, ope aliqua tenuissima,fulciendos? Ex argento enim,& auro, manibus hominum,facti sunt. Os habent, & non loquentur;oculos habent,& non uidebunt; aures habent,& nõ audient;& ita certe ficti sunt, ut ore animam ducere,respirando, non queant. Similes illis fient, qui faciunt eos, & qui in illis præsidia uitæ constituunt. Vt enim humana forma præditi sint; humanis tamen sensibus orbati sunt. Muti enim sunt ij, qui laudes Domini sermonibus non usurpant; cæci sunt, qui opera Diuina non uidẽt; surdi sunt, quorum aures disciplinæ cælesti minime patent;mortui denique sunt, qui a spiritu Diuino derelicti sunt. O gens, Israelis satu edita, fidem sanctissimi patris imitare; uitamq. in Dei laudibus perpetuo celebrandis consume. O sacerdotes,qui genus ab Aharone ducitis,patris uestigiis insistite; & Deo laudem, sine intermissione, tribuite. O Leuitæ, qui sacerdotibus operam datis, Domini laudes concinite. Vos omnes, qui Deum timetis, quacumque ex parte terrarum uenitis, (neminem enim,qui fidem rite colit, Diuina benignitas excludit) exhortor, ut Dominum, qui uos tantis muneribus auxit, & tantis ornamentis honestauit, laudibus summis efferatis;neque uos ullo tempore capiat tã insignis misericordiæ,atque bonitatis,obliuio. Laudes autem omnes,ex Sione, hoc est, ex Ecclesiæ sanctæ intimis sedibus,proferãtur; cum nihil illi summo Domino,qui habitat Hierosolymis, gratum, & acceptum,esse possit,quod extra Ecclesiæ suę fines,ad illius gloriam,comparetur. Omnes igitur rite, & sancte,in hoc unum studium,totis animi uiribus, incumbite,ut omnes cogitationes,& actiones,ad Domini laudem,& gloriam, conferatis.

Domus Israel benedicite Domino.

Confitemini Domino quoniam bonus. Psal. 135. Apud Heb. 136.

EAsdem laudes eodem spiritu persequitur, ita, ut singulos uersus (sic enim interdum Musicæ leges, maioris iucunditatis gratia, facere admonebant) eadem sententia concludat. Ait igitur: Laudate Dominum,quia benignus est;& misericordia illius est sempiterna. Laudate Dominũ;cui omnes Diuinæ mentes obtemperant;quia misericordia illius est sẽpiterna. Sola potentia sua nixus,res magnas, & nimis admirandas, efficit; quia misericordia illius est sempiterna. Qui singulari sapientia cælestem naturam fecit, atque perpoliuit; nam misericordia illius est sempiterna. Qui ita dilatauit terram, ut ex aquis emineret; quia misericordia illius est sempiterna. Qui astra, ui,& splendore magno,constituit;quia misericordia illius est sempiterna: Solem,ut principatum, die retineret; nam benignitas illius est sempiterna: Lunam uero,& Stellas,quæ nocte dominatum tuerentur;quia benignitas illius est sempiterna. Qui Aegyptios,cum sobolis eorum primitijs,concidit; quia benignitas illius est sempiterna. Hæc omnia gesit nimis acriter, & ita uehementer, ut dubitare nemo possit, quam benigne consuleret suis, & quanta seueritate persequeretur pietatis inimicos; benignitas enim illius est sempiterna. Vis enim Diuina clare perspecta fuit,cum,diuiso in partes mari rubro, per medium gurgitem uiã aperuit populo suo; misericordia enim illius est sempiterna. Itaque per medium mare traduxit populum suum;ut ostenderet, nihil interuenire posse,quod cursum pietatis impediret; misericordia enim illius est sempiterna. At, cum hostes, furore,& amentia,cæci. Hebræorum uestigia persequerentur,Dominus Pharaonem, & uniuersum illius exercitum,in medio maris rubri, præcipitem exturbauit,& fluctibus, impetu magno consluentibus,oppressit;quia benignitas illius est sempiterna. Qui deduxit populum suum peruastã, & horridam,Arabiæ solitudinem, ita, ut nullius rei penuria,homines, illius fidei commissi, premerentur;quia benignitas illius est sempiterna. Qui percussit reges magnos; nam benignitas illius est sempiterna. Præcipue uero Seon, Regem Amorrhæorum,suæ ferocię,atque uiribus,presidentem; quia benignitas illius est sempiterna. Et Hog, Regem Basam,populo,maximis uiribus, occurrentem;quia benignitas illius est sempiterna. Et terram,eorum impijs uidelicet possessoribus ereptã, in pacificam hereditatem suis distribuit; misericordia enim illius est sempiterna. Cum abiecti,& afflicti, opem illius suppliciter implorauimus,respexit nos, ut ab ærumnis, quæ nos premebant, erueret;nam misericordia illius est sempiterna. Et nos ex hostium nostrorũ immanitate clementer eripuit; misericordia enim illius est sempiterna. Neque solum nostri miseretur; sed cunctis animantibus alimenta large suppeditat; nam benignitas illius est sempiterna. Laudate igitur, omnes, qui estis beneficiis immortalibus obligati, Deum,qui uniuersam cæli uim, & splendorem,& amplitudinem,uirtute,imperio, potestate infinita,complectitur; misericordia enim illius est sempiterna. Nam, si cæli machinam,si mundi totius concinnitatem;si legis sanctitatem, nostri caussa constituit:si præsentiam suam, in nobis uindicandis,ttam sæpe declarauit; si peccatis nostris ignouit, & ad firmam spem gloriæ immortalis excitauit; quid aliud est nobis faciendum, quam, ut omnem uitam, ad misericordiam illius celebrandam, conferamus?

Confitemini Domino quoniam bonus.

Et excussit Pharaonẽ.

Qui dat escam omni carni.

Super flumina Babylonis illic sedimus. Psal. 136. Apud Heb. 137.

MIsericordiæ quidem Diuinæ recordatio, est laboris alleuamentum;angoris, & mœstitiæ,laxamentum; salutaris unlnerum medicina; peregrinationis diuturnæ solatium; singulare uitæ præsidium; solidæ, & expressæ,uoluptatis inuitamentum;& iccirco cernimus,illius memoriam, frequentissime a uiro sanctissimo, atque sapientissimo,repetitam. incidunt tamen tempora,tantis doloribus,atque difficultatibus, implicata;ut sit,animum, mærore perculsum,& ruinis oppressum,erigere,difficillimum. Nam mala, quibus clementiæ Diuinæ recordatio medicari conatur, peccatorum conscientia uehementer amplificat;maxime uero,cum pœnæ,peccatis inflictæ, ita mentem deprimunt, ut uix queat ad cæli conspectum oculos excitare. Cum uero priscis temporibus Israelis posteritas, propter impietatis scelus, atque perfidiam, grauibus admodum plagis afflicta fuerit,tum nulla grauior,& calamitosior,olim exstitit ea, qua,euersis Hierosolymis, in miserrimam seruitutem abducta Babylonem fuit. Eam autem cladem uir sanctus cum mente Diuina prospiceret;quasi præsentem,sub persona eorum, quibus erat ea calamitas subeunda, acerbissime lamentatur. Sic igitur eos, qui eam cladem pertulere,patriæ casum, & ruinam, deplorantes inducit. Super Babylonis flumina consedimus, eaq. loca lacrymis,& lamentis, compleuimus, dum recordaremur tui,Sion. Veniebat enim nobis in mẽtem illa templi sacrosancti celebritas,illa religionis sanctitas,illa sacrificiorum frequentia,illi festi dies, quibus Domini misericordiam carminibus elegantissimis,& cantibus suauissimis,in astra ferebamus; cum simul nobiscum instrumenta mustica Domini laudes concinerent. Hæc enim oía summæ uoluptatis studia, simul cum patriæ totius iucunditate,nobis erepta sunt. In media igitur illa regione, quæ tantam nobis uim extremæ cladis inuexit,in salicibus,quæ ripas fluminis uestiebant, appendimus cytharas nostras. Quid enim nobis erat opus cytharis, in tantis acerbissimi doloris angoribus? Musicę namque studium, otium,& tranquillitatem,requirit;nos,sæuissimis aduersæ tempestatis fluctibus eiecti, frangebamur: mentis alacritatem flagitat;nos uero,mente depressa,in luctu,& squalore ,uersabamur: animi libertatẽ postulat; nos hostibus impurissimis seruire cogebamur,& cogitatione tã funesti casus ita eramus doloribus intercluſi, ut neq. liceret nobis, neque liberet,aliud,quã exitiũ patriæ,quã flãmis exuri conspeximus,acerbissime lamentari. Quin etiam,ut uulnus magis refricarẽt,& dolorem nostrum uehementius augerent,hi,qui nos captiuos abduxerant,in lamentis nostris insultabant, & a nobis petebant, ut iucunde caneremus. A lacrymis,inquiunt, abstinete; & lætum carmen, quo oblectemur,nobis concinite,ex illis, quæ canere soliti eratis in Sion. Hæc illi nobis,pro imperij iure,precipiebant. Nos uero,ad hæc,Quo modo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Hoc quidem responso, postulata importuna reiecimus. Numquam enim libidinem canendo laudauimus; numquã modis mollibus, & effeminatis, homines ad tupitudinem illeximus; numquam, carminibus nostris,tyrannis adulati sumus;num quam,falsis laudibus, commenticios Deos ornauimus:omnia cantica nostra in Diuinis laudibus uersabantur; & in maximarum uirtutum studiis excitandis consumebantur. Ciuitas,assueta mendaciis,inquinata flagitiis, cõstricta sceleribus,dedita simulacris,artibus magicis, atque perniciosis,imbuta, carmẽ Diuinum fastidit, & laudes uirtutis aspernatur. Fieri igitur non potest, ut carmen Diuinum, in terra aliena, quam Dominus detestatur, aut a nobis cani, aut ab impiis ciuibus cum iucunditate audiri,possit. Præterea,studia sunt uarie temporibus accõmodanda. Alia namque studia,tempora tranquillitatis plena requirunt;alia,tempus acerbum,& luctuosum,exigunt. Quid enim est minus humanum, aut magis intempestiuum,quam,in tempore communis calamitatis, qua uniuersi a florente statu concidimus, lætum carmen modulari? Vidi, ciuitatem sanctam ciuium sanguine funestari;uidi,muros,& mœnia,disturbari;uidi,ciues meos, qui crudelissimam necem effugerant,spoliari,dinexari, raptari, ædesq. magnis sumptibus ædificatas inflammari;&,quod fuit omnium malorum maximum, uidi templum Domini sanctissimum disiectum, & exustum, monumenta gloriæ Diuinæ in cinerem redacta,& religionem ab hostibus uerissimæ religionis exstinctam, & nomẽ Domini ludibrio haberi,& maledictis indignissime conscindi;& tamen lacrymis modum statuam? & animum ab assiduo mœrore reuocabo? O ciuitas Hierosolymitana,patria mihi carissima;ego ut tui memoriam deponam? oblitusque tui casus acerbissimi,cytharam pulsem? aut uoce mea carmen modulate proferam? Prius obstupescat manus mea, & lingua mea palato fortiter implicita teneatur, ne sonitum uocis articulatæ, qui percipi plane possit, emittat, quam ego tuæ cladis obliuiscar? omnes mei sensus intereant, si non, quoties aliqua species iucunditatis oculis meis obuersata fuerit,sensum doloris,quo gratia tua crucior, lætitiæ alicuius mihi oblatæ uoluptatis anteponam. Respice nos tandem aliquando clementia tua, Domine; & immanitatem,qua sumus ab illis afflicti,a quibus minime conueniebat,ulciscere. In nostris malis,cum multa nobis acerba,& luctuosa,contigissent, tum nihil acrius eorum uoluptate, qui nos pessime oderant, animos nostros uulnerabat. In his autem, qui maiore nos immanitate persecuti sunt,Idumæi fuere. Quo quid indignius existimari potest? Gentem, eodem principe generis propagatam, nobis uicinitate, & fœdere, coniunctam, adeo fuisse humanæ imbecillitatis immemorem, ut nullam nobis misericordiam tribueret, neque cogitaret esse se eisdem calamitatibus, quibus nos oppressi sumus,obnoxiam? Non solum nihil

Super flumina Babylonis.

Si oblitus fuero tui Hierusalẽ.

Memor esto Domine filiorum Edom.

Quia illic interrogauerunt nos

Universidad de Deusto
Biblioteca

nobis humanitatis gens impia, & immanis, impertiuit; neque solum nobis, in rebus perditis, insultauit; uerum & hostes nostros stimulauit, ut nos funditus perderent, opesq. nostras exhaurirent; nihilq. omnino nobis, quo aliquantulum ab inuecta calamitate respirare possemus, intactum relinquerent. Euertite, inquiunt, euertite; nudos, & manes, constituite; infundum earum rerum, quas possident, penetrate; nolitote eis quid quam remittere, quo rursus animos a debita calamitate reficiant. Hęc, precor, Domine, qui misericordiam amplexaris, & immanitatem exsecraris, memoria teneas; ut uicem nostram, cum opportunum fuerit, ulciscaris. Afflicti quidem sumus, in sordibus, atque luctu, uersamur; sed solatio tuæ benignitatis utimur, quæ numquam illis, qui fidem in te firmissime locatam habuerunt, defuit, neque deesse umquam poterit. Israelis enim tandem recordaberis; & Persas, atque Medos, in Babylonios incitabis, qui Babylonem euertent, & stragem gentis impurissimæ facient, ita, ut ne tenue quidem uestigium splendoris antiqui in terra, scelere omni contaminata, remaneat. O Babylonis resp. quam horribilis pernicies, atque uastitas, tibi tandem ab hostibus fortissimis inferenda est. Erunt enim omnes fauore Diuini nominis incensi, & incitati, ad te funditus euertendam. In omnes enim, eorum furor ita sæuiet, ut ne teneræ quidem puerorum infantium ætati parcendum existiment. Itaque beatus numerabitur is, qui natos tuos, in uitam recenter ingressos, ad rupes, nimis inclementer, alliserit. Et, si tyrannicæ huius ciuitatis euersores, & afflictores, beati reputandi sunt; quanto beatiores erunt illi, qui, non sub Cyro, sed sub Christo, militauerint, ut ciuitatem, sordibus impuram, immanitate truculentam, mortifera lue pestilentem, sub imperio Satanæ constitutam, exscindant, & stirpem sceleris, & impietatis, euellant, & propagines uitiorum succrescentes, antequam uires colligant, sine mora ulla dilacerent.

Qui dicũt, Exinanite.

Filia Babylonis misera.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Psal. 137. Apud Heb. 138.

CElebrat hoc carmine Dauid, amplissimum, & immortale, beneficium, quo fuit ille, cum uniuerso fidelium hominum cœtu, ab impotenti Satanæ dominatu, opera Christi, liberatus, & in firmissimam spem gloriæ immortalis adductus. Itaque ait: Toto corde meo debitam laudem tribuam, in angelorum conspectu, tibi, summe Domine, qui genus humanum ad angelos sanctos, a quibus odio capitali dissidebat, aggregasti; & terram cum cælo, mirabili fœdere, coniunxisti. Diuinis igitur mentibus, in gloria tua, carminibus, & cantu, celebranda, socius adscribar; nec ab hoc studio, ullo umquam tempore, desistam. Supplici mente, potentiam tuam, in templo sancto tuo, uenerabor; nomenq. tuum laudibus extollam. Vis enim tui nominis, priscis sęculis ignoti, & mysticis integumentis inuoluti, tunc explicatur, cum operibus admirandis misericordiæ tuæ magnitudo, & ueritatis tuæ constantia, declaratur; misericordiæ magnitudo perspicitur, cum, nullis hominum meritis illectus, eos a tenebris in lucem uindicas, & a tyrannide peccati liberatos iustitiæ muneribus exornas; ueritatis autem tuæ lumen ostenditur, cum illud summum beneficium, quod te nobis allaturum promisisti, summa fide tribuis; & ea, quæ fuerãt a te cum patribus sanctis pacta, conseruas. Olim quidem, cum populum tuum, ab hostibus oppressum, & libertate spoliatum, in statũ, unde conciderat, reuocabas, aliqua ex parte tui nominis rationem exponebas. Nam, & misericordię munere fungebaris; & in data fide permanebas. Verum illa omnia beneficia minuta erant, & angusta, huius comparatione, quod uniuerso generi hominum præstitisti. Nunc enim uerbi tui constantiam, decus, & magnificentiam, super omnem tui nominis explicationem, qua maiores nostros erudiebas, mirabiliter extulisti. Illis enim libertatem, breuis æui spatio definitam, conferebas; nobis autem libertatem sempiternam attulisti: illos, in terram, unde fuerant expulsi, restituebas; at nunc, ius nobis cælestis, atque sempiternę, ciuitatis concessisti: illorum caussa, tyrannos mortales concidebas; nunc autem, ut nos a cruciatibus sempiternis eriperes, tyrannum immanissimum, qui imperium sempiternum in tenebris obtinet, ex regno, quod in supera regione possidebat, in inferam regionem detrusisti. Nunc igitur nominis tui uim, rationem, sententiam, operibus uehementer admirandis benignitatis infinitæ, & ueritatis sępiternę, multo clarius, quã priscis tẽporibus explicatã, cernimus; multoq. fortius uirtuti illius innitimur. Itaq. nox abscesit, Sol sempiternus exortus est: dies igitur cãdidus mentibus nostris illuxit. quo quidẽ nomen tuum sane fideliter imploraui, & exaudisti me; in animaq. mea robur inuictum multiplicasti. Celebrent te omnes reges terræ: non enim notitiam nominis tui Iudææ finibus angustissimis definiri uoluisti; sed in omnes gentes, & nationes, uerborum tuorum salutarem disciplinam inuexisti. Itaque iosti omnes, quamcumque illi regionem incolerent, uerba tua gratissimis animis audierunt; &, ita, iustitiam assecuti, Regiæq. dignitatis ornamẽtis exculti sunt. Legis igitur tuæ sanctitatem, disciplinæ puritatem, caritatis ardorem, Diuinarum rerum studiũ, omniumq. uirtutum laudes, & decora, quæ Christi optimi maximi sanctionibus, & institutis, continentur, harmonia iucundissima concinent: gloria namque Domini, in Christo explorate perspecta, & cognita, multisq. signis in oculis omnium gentium constituta, nalde illustris, & ampla est, in omniq. sæculorum æternitate prædicanda. Principes enim terræ, abiecta despiciunt, quamuis ipsi plerumque sordibus turpiter inquinati sint. At Dominus, qui solus est altus, & excelsus, quamuis in solio sempiterno infinitæ Maiestatis insideat, non tamen humilitatem despicit; sed in humiles, & abiectos, oculos suos coniicit; & eos, qui se in-

Cõfitebor tibi Domine.

In quacunque die inuocauero.

Et canent in uiis Domini.

Quoniam excelsus Dominus.

se insolenter extollunt, multo ante, quam ad honores immodicos adspirent, notos habet, ut eos de statu deiiciat. Hæc igitur probitas illum adegit, ut genus humanum ruinis stratum erigeret; & hostem generis humani, imperij magnitudine præfidentem, de solio deturbaret. Quis igitur, qui complexus fuerit animo hanc tam insignem Domini summi clementiam, hostis immanis minas extimescet, quamuis se periculis omnibus circumuallatum adspiciat? Si in medium summæ calamitatis incidero, tu me e faucibus ipsius mortis in uitam reuocabis; manuq. tua, inimicorum meorum furorem, & immanitatem, franges; dexteraq. tua, semper inuicta, mihi salutem firme cõstitues. Dominus, pro me summum pretium impendet; Domine, misericordia tua sempiterna est: opera igitur manuum tuarum ne deseras. Tuere perpetuo beneficium tuum; &, quem profuso sanguine redemisti, perire minime permittas.

Si ambulauero in medio tribulationis.

Domine probasti me. Psal. 138. Apud Heb. 139.

MVlti fuerunt olim homines non uulgari ingenio præditi, Diuinæ tamen uirtutis, atque probitatis, ignari, qui nullo modo adduci poterant, ut crederent, Deum res humanas curare. Mentem enim Diuinam dicebant in rerum cælestium moderatione tãtis esse curis implicitam, ut non posset rebus infimis prouidere; neque, si posset, Maiestatis esse ducebant, Diuinæ uirtutis altitudinem hominum negotiis intẽdi. Nam, qui rebus humilibus admiscetur, uix poterit infamiã utilitatis effugere. Hominem autem uidebãt esse simulacro, atque adeo umbrę, persimilẽ; omnesq. res humanas uarie turbari, atque commisceri; nihil esse periculis uacuum; nihil metu, & sollicitudine, liberum; nihil firmo, & constanti, iudicio, constitutum; sed omnia, in uarias partes, inconsidera tissimę temeritatis, & insaniæ, fluctibus, agitari; & ea etiam, quæ uidebantur altissimis nixa radicibus, momento temporis exstingui. Hoc autem exemplis summorum Principum confirmabant; quorum splendorem, & dignitatem, statuebant esse inanem quandam imaginem, atque uisum nocturnum, quod hominibus somno consopitis illudit. Cum igitur omnia humana, fortunæ quędam ludibria reputarent, ea Dei procuratione prorsus indigna iudicabant. Vt autem aliqui faterentur, Deum uniuersi generis humani rationẽ habere, non tamen ita, ut fieri posse suspicarẽtur, illum nominatim singularis hominibus posse cõsulere; hæc inhęrebat in multis opinio; & ita, cum singulas hominum actiones a Deo minime animaduerti iudicarent, sempiternam sibi scelerum impunitatem hi, qui plurimum poterant, confidentissime pollicebantur. In quanto autem errore, & amentia, uersarentur, quis non uidet? Mentis enim Diuinæ uis, cum sit immensa, & infinita, non operibus defatigatur; non curis obruitur; nõ ita negotiis maioribus impeditur, quo minus in terræ uiscera penetret, & ea etiam, quæ sempiternis tenebris abdita sunt, euoluta perspiciat: prouidentia autem, qua rebus minimis consulit, Maiestatem non imminuit, sed illustrat, & uehementer amplificat. Quid enim est magnificentius probitate? Quid autem est probitati magis consentaneum, quam, cunctis benigne facere? Quod est autem clarius benignitatis argumentum, quam, humiles euehere, abiectos erigere, afflictos consolari, & tenebris sepultos in lucẽ reducere? Hoc principes terræ nõ faciunt; aut, quia non possunt; aut, quia nolunt. Nõ posse quidem, est imbecillitatis; nolle uero, uel improbitatis, uel inuidiæ. At Dei potentia nullis terminis arcetur; & probitas nullo fine concluditur. Sic autem rebus omnibus a se conditis præsens adest, ut, etiam in minimis plantis, & in tenuissimis animantibus, admirabilis sollertia Diuinæ mentis appareat. Quod si nihil est in terris ab illius procuratione derelictum, quo modo non multo magis homines, quorum caussa naturam uniuersam fabricatus est, tuebitur, & conseruabit? Si fatentur, cælum illius moderatione conuerti, & ratos, & æquabiles, siderum cursus illius sapientia definiri; intelligant, humanam mentem esse cælesti natura præstantiorem. Est enim humanus animus, Diuinæ mentis effigies; sempiternæ uirtutis imago; ad cuius saluté, & incolumitatem, omnia, quæ cernimus, dirigun tur. Nec enim propter cælum creati sunt homines; immo cælum, ut hominum usibus seruiret, a Deo, singulari ratione, & ordine, designatum, & constitutum fuit. Cum tamen homini liberum sit, uel Diuinæ legi subdi, uel imperium summi Domini, & optimi parẽtis, aspernari, (aliter enim non posset Diuina iustitia, cuius munus est, bonis præmium, improbis supplicium, statuere, exitum ullum reperire) cum aliquid in uita turbatur, non Diuinæ obliuioni, quæ nulla esse potest, sed temeritati hominum, qui Diuinum imperium recusãt, adscribendum est. Qui enim se a moderatione Diuina non subtraxerit, sed totum animum suum ad Domini nomen adiunxerit; singulari Domini ipsius ope, & gratia, multo clarius, quam cælum, sempiterna claritate, & gloria, splendebit. Huius autem singularis prouidentiæ, qua Dominus singulis hominibus, cum beneficium illius non ingrate repudiant, omni ratione consulit, Dauid, hoc elegãtissimo carmine, clarissimum testimonium dat. Ex quo quidem, & quantæ curæ Deo nostro simus, percipiemus; &, quam detestabilis furor eorum sit, qui tantum beneficium aspernantur, intelligemus. Sed præstat, ipsum sanctissimũ Regem audire, quam plura in hanc sententiam commentari. Sic enim ait: Domine, explorasti, & inspexisti tu quidem me, intimosq. sensus animi mei perspectos, & cognitos, habuisti. Tantam uero, & tam singularem, curam mei status semper habuisti, ut ea etiam, quæ a me, sine iudicio, geruntur, non absque uoluntate tua ministrentur; &, quæ, sine cogitatione aliqua, magni sane ponderis, naturali, & usitato, motu, perficio, moderatione tua complectaris. Itaque, cum uel sedeo, uel exsurgo, id diligenter attendis; cum aliquid cogitatione meditor, id multo ante consideras; cum ingre-

Domine probasti me.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ingredior, uiam meam examinas; cum accumbo, sessionem meam uigilanter excutis; & omnes actiones meas singulari ratione præponderas.

Quia non est sermoin lingua mea

Ante quam uerbis exprimam conceptus meos, & lingua mea, quod animo concipio, proferat, id totum mente complexus es; &, quod est a me, ante quam aliquid aggrediar, excogitatum, mente circumspicis; &, quod studia mea consequitur, cura, & studio, circumuallas; manuq. tua, qua omnia, quæ sunt a te condita, coerces, & contines, me sustentas, præsidioq. tuo circumsæpis. Mirabiliter profecto se ostendit in mea natura penitus informanda, & exornanda scientia tua; ita; ut eam perfecte consequi non queam: ita sublimis, & excelsa, est, ut a cogitatione mea longe remota sit. O summe Domine, salutis meæ uindex, & custos, si tibi otium a mundi curatione fuisset, quæ maiora a te in me beneficia iudicio tuo singulari conferri potuissent? ita enim mihi consulis, quasi tibi nihil aliud esset summo studio, & alacritate, peragendum. Sed quo maior, & amplior, est in me clementia tua, eo magis iudicium tuum, si parum fuero gratus, extimesco. Quo enim a spiritu tuo fugiam, cum omnia potestate infinita complectaris? Si enim adscendero in cælum, tu illic es; si lectus meus in infera regione fuerit instratus, illic tuæ potestatis amplitudo consistet. Si luce fugam adornare uoluero; &, ut me iudicio tuo subtraham, auroræ pennas assumpsero, & extremos maris fines præcipiti cursu petam, inde manus tua extrahet me; apprehendetq. me dextera tua. Quid si dixero? Tenebris densissimis occultabor, & nocturnam caliginem, nempe, quæ me ex horribili magnitudine Diuinæ seueritatis eripiet, diem existimabo: ibi nullæ tenebræ tibi obscuritatem afferre poterunt; & nox, sicut dies, illuminabitur; neque minus omnia tibi obscurissima nocte, quam die clarissima, patebunt, atque dilucescent. Itaque neque naturæ cælestis altitudo; neque inferæ regionis accubitus; nec extremæ profundissimi maris oræ, neque lucis splendor, neque caliginis horror, neque quidquam aliud me poterit a iudicij tui discrimine, si tibi non fuero uigilanter obsecutus, educere. Reliquum igitur est, ut te implorem, & obtester, ut mihi mentem injcias, qua uiam tuam non deseram, sed in illa perpetuo, atque diligenter, incedam. Tu enim renes meos, iam inde ab utero matris meæ, undique protexisti; meq. totum misericordia tua complexus es. Gratias tibi semper agam, qui opere nimis admirando me formasti; animamq. meam notitia tantæ benignitatis non mediocriter instruxisti. Etenim ne tenuissimum quidē os meum fuit a tua prouidentia, & moderatione, seclusum, cum me in abdito, atque retruso, loco materni uentris effingeres, & arte singulari super ossium soliditatem, neruos, arterias, atque uenas, intexeres.

Mirabilis facta est.

Quia tu possedisti renes meos.

Ut dixi, Forsitan tenebræ.

Quin etiam, ante quam essem anima mea, quam in corpus inclusisti, mirabiliter informatus, informem fetum oculi tui conspexerant, & omnes partes corporis mei, in libro sapientiæ tuæ designatæ, & exædificatæ sunt; quæ deinde, cum antea nullam formam haberent, in dies adoleuerunt, & perfectæ, & absolutæ sunt, ita, ut nihil ad illius statum esset præterea requirendum. Qui igitur tam singulari ratione corpori meo prospexisti, quanta tandem misericordia animum meum cumulabis? qui tantis subsidiis, atque muneribus, terrestrem naturam præstulisti, quantis opibus cælestis mentis naturam exaggerabis quam admirabile pretium, & pondus, est eorum donorum, & munerum, quæ in animum meum magnificentissime congessisti, Domine? quam inexplicabilis sapientia cogitationum tuarum exstat, & eminet, in operibus, quę in me fingendo, & nimis artificiose formando, perfecisti? quanta copia superat eorum summa eam, quæ est in me, numerandi facultatem? Deficiunt uires; obruimur numero; succumbimus oneri; recensere non possumus; cum numerare conamur, intelligimus, beneficia in nos tua, multitudine, maris arenam superare. Persto tamen, & uigilo; &, quoad licet, summam facere nitor; & in eo frustra contendo; & interim a te minime diuellor. O detestabilem, & exsecrandam, impiorum hominum nationem, qui bona Diuina repudiant; qui pestifera mala furenter amplexantur; qui ueritati sempiternæ assentiri nullo pacto uolunt; qui cuncta officia uitæ mendacio, & inanitate, metiuntur; qui neque beneficiis ad honestatem, propter uoluntariam cæcitatem mentis, allici possunt; neque suppliciis ullis, seueritate Diuina propositis, a sceleribus deterrētur; qui fontem benignitatis odio immani persequuntur; qui totis animis auctori furoris, & turpitudinis, adhærescunt. O, quis illos, qui nulla ratione corrigi, & emendari, & a summo sceleris gradu reuocari, possunt, tuo iudicio, summe Domine, occisos adspiceret, ne reliquos homines exemplo contaminarent. Viri scelestissimi, qui multū estis in sanguine, atque cæde, uersati, multisq. mortalibus causſam funestissimæ cędis attulistis; a me discedite. Odi, Domine, conuictum, & consuetudinem, eorum, qui in te conuicia ingerunt; qui per nomen tuum falso iurant; qui pietatem ementiuntur; cum sint summo scelere impietatis, & immanitatis, efferati. Non est autem meum, amare eos, qui te oderunt: numquam cum illis societatem inibo, quos tu a consortio tuo longissime repulisti. Summo namque scelere me adstrictum iudicarem, si me cum illis coniūgerem, qui cum probitate tua, & sanctitatis tuæ lege, bellum perpetuo gerunt. An non omnes, qui te oderunt, Domine, odio semper habui? & cōtra eos, qui tibi aduersantur, incensus sum? Perfecto certe odio illos insectatus sum &, tamquam hostes, ex aduerso constitutos, nimis acriter impugnaui. Tu nosti, Domine, tu nosti, quam pura mente me ad tuum sanctum nomen adiunxerim; & quam singulari fide beneficia tua recognouerim; & quid quid in me pietatis est, tuæ gratiæ, & non mihi, acceptum retulerim. Explora me, & respice cor meum, nulla labe sceleris adspersum: proba me; & uide, quibus uiis insistam; num insit in me ullum iniquitatis contagium; corrobora mentem meam, ne umquam a me legis tuæ uiæ deserantur; & in uiam æternam dirige me.

Mihi animis honorificatu.

Si occidēris Deus peccatores

Quia dictis in cogitatione.

Proba me Deus.

Eripe

Eripe me Domine ab homine malo. Psal. 139. Apud Heb. 140.

DAuid, circumuentus hominum perditorum fraudibus, & insidiis, Dei opem suppliciter implorat; &, dum inimicorum sceleratum animū exponit, eorum mentem, qui Christum scelestissime persecuti sunt, luculentissime discribit.

Eripe me Domine.

Ait igitur: Nulla pestis, nulla calamitas, est cum ea uastitate, & exitio, quod improbi hominis calliditas, atque malitia, communibus rebus infert, aliqua ex parte, conferenda. Feritas enim, armis pestiferæ rationis armata, remp. uniuersam mortiferis uenenis inficit; sceleris pestifera lue contaminat; atque facit denique, ut ciuium multitudo humanitatem exsuat, & in innocentis exitium furenter, & temere, concitetur. Quid igitur cogitari potest in uita, homine malo, nocentius? Te igitur oro, & obsecro, precibusq. summis obtestor, Domine, ut me ab homine malo liberes; & a uiro, ad uim, ad iniuriam, ad oppressionē, inferendam, ualde propenso, me custodias. Quam uero causſam adducere possunt homines huius odij, quo ab illis, per summum scelus, impugnor? Nullam prorsus. Neminem læsi; nullum facinus in eorum perniciem conflaui; nulli eorum iniuriam intuli, quæ sit ab illis, iure aliquo, uindicanda. Sed mala mens, & peruersus animus, sponte sua malum machinatur, & bellum perpetuo molitur. Acuerunt linguam suam, instar serpentis; & sub eorum labiis aspidis uenenum fraudulenter occulitur. Itaque micant linguis, & stridēt, & sibilant, & maledicta iaciunt; & tæterrimum sermonis impurissimi uenenum impudenter exhalant; quo homines incautos, & nihil hostile metuentes, interimant. O importunum, & immane, scelus, hominum, qui tanto studio illi perniciem afferre conantur, a quo nullum umquam malum accepe runt, sed potius bona quam plurima consecuti sunt. Eos enim & impietatis furor exagitat; & peruersæ malitiæ truculentia transuersos a mente, & ratione, deducit, ut mihi pessime noceant. Eripe me, Domine, de manu hominis impij; & a uiri crudelis impotentia, cuius omnis labor in eo consumitur, ut me prolabi, atque ruere, compellat, erue me. Homines superbi, & insolentes, qui uirtutem simulant, & ueræ uirtutis studium exsecrantur, occulte laqueum parauerunt, in quem præceps inciderem; rete funibus extenderunt, quo impeditus adstringerer; tendicula struxerunt, quibus interceptus occumberē. O pestiferam nocendi homini beneficentissimo cupiditatem. Potuissent ne maiore contentione pestem illi machinari, a quo fuissent iniuriis grauissimis offensi, ea, qua peniciem illi moliti sunt, cui multis beneficijs obligati fuerant? Verum ego, in tantis hostium insidiis, & in tantis uitæ acerbitatibus, non aliud mihi perfugium comparaui, nisi tantum illud, quod est in Dei benignitate, & gratia, constitutum. Sic igitur Deum allocutus sum: Domine, Deus meus es tu: præbe igitur clementissimas aures tuas orationibus meis. Nam te unum colo; te uenerer; te diligo; omnia studia mea ad gloriā tuam conferuntur; omniaq. uitæ meæ præsidia in te solo posita sunt. Es enim tu Deus meus, & Dominus meus, salutisq. meæ robur, atque firmamentum; &, quoties acies hostiles impetum in me faciunt, tu a meo capite, præsidio, quo me cingis, cuncta pericula propulsas. Ne uoti compotes homines impios efficias; ne, quod conantur, ad exitum ullo modo perducant; ne, successibus elati, insolentius exsultent. Quid enim experunt illi? Quid curant? Quid moliuntur? Religionis interitum; pietatis exitium; gloriam iusti deletam; studium iustitiæ restinctum. O scelus; o portentum; o facinus cruciatibus sempiternis ulcicendum. Summa malorum, quæ me, eorum opera, circumsistunt; sollicitudines, quas mihi sermonibus impurissimis struunt, in eos recidant; & eisdem cladibus, quas in me inuehere contendunt, obruantur. Cælestis potentia, in ultione summæ impietatis, emineat; seuerissimum iudicium contra hostes mei nominis exerceatur; carbonibus incensis, a cælo demissis, exurantur; in altissimas speluncas detrudantur, e quibus numquam exsurgant. Sic, Domine cadant, sic pereant, sic malis opprimantur, ut omnes intelligant, eos non casu ali quo concidisse, sed iudicio tuo pœnas facinoris sceleratissimi pependisse. Vt igitur olim, dum quin que ciuitates cælesti incendio conflagrarunt, ita fuit illud horrendum supplicium omnibus explorate perceptum, ut nemo dubitare posset, gentem illam, infandis sceleribus infamem, ab ira tua iustissima pœnas debitas pertulisse; sic nunc ita in perfidiam perditæ gentis animaduerte, ut omnes mortales intelligant, eam tui nominis offensione uexari; stimulis agitari; malorum flammis excruciari; atque tandem in sempiternæ miseriæ regionem præcipitem detrudi. Duobus enim se crimi- nibus pestilentissimis alligauit. Vnum fuit, maledicentiæ uenenum, quod passim, ut innocenti, insolentius exsultent. Quid enim experunt illi? tem ignominiæ maculis deformaret, effudit; alterum fuit, summæ iniquitatis facinus exsecrandum, quo iusto pestem, & exitium, comparauit. At nullus umquam uir, maledicentiæ morbo corruptus, stabilem in uita sedem possidebit; & uir iniquus, qui per uim alienas opes diripit, in uenatoris immanis, & importuni, manus incidet, ut in sempiternum exitium compellatur. Vt igitur ab hostibus meis, probris, atque maledictis, petulantissime conscindar; & eo neruos omnes intendant, ut me uita spolient; eo solatio semper utar, quod certus sum auxilium cælestē mihi minime defuturum. Scio enim, quod cognoscet Dominus ius inopis, & afflictī; & pauperes, qui sese ad iusti nomen adiunxerint, sententia liberabit. Itaque iusti, uictoria potiti, laudabunt nomen tuum; & omnes, qui rectum animum gerunt, in conspectu tuo sedes sempiternas obtinebunt.

Ne tradas me a desiderio meo peccatori.

Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum.

Vir linguosus non dirigetur in terra.

Abscondērunt superbi laqueum mihi.

Dixi Domino, Deus meus es tu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Domine, clamaui ad te. Psal. 140. Apud Heb. 141.

MIra sollicitudine tueri nititur uir sanctus statum suum; &, cum hostium insidias metuat, tum seipsum in primis extimescit. Nullæ enim sunt insidiæ magis metuendæ, quam illæ, quæ nobis a nobis ipsis, singulis horis, intenduntur. Cupiditas, stimulos admouet; libido, faces coniicit; uoluptas, animum liquefacit; ira, mentem eripit; amor, odium, metus, spes, & reliqui motus, qui uigent in sensibus nostris, ita frequenter rationem conturbant, ut uix sui iuris esse possit. Cum uero corpus nostrum animis obsequatur, necessario fiet, ubi animus fuerit furibunde concitatus, ut ille motus insanus, atque turbulentus, foris emineat; multaq. turbet, quæ sanari uix possint. Ex omnibus tamen furoris instrumentis, nullum est lingua pestilentius. Primum enim, præsto semper est: deinde, nihil est illa mobilius, nihil, quod effrenatius, in quamcumque partem temeritas impellat, efferatur: tum, nihil impuro sermone aut libentius excipitur; aut longius excurrit; aut ad plurium perniciem tendit: postremo, cum facillime in animis dissipatus rumor insideat, difficillime potest ex animis, falso testimonio corruptis, euelli. His igitur rationibus inductus uir sapiens, Deum precatur, ut non modo a se hostium impetum imprimat; sed multo etiam magis linguę pericula propulset. Neque alienas tantum linguas timet, sed suam etiam ueretur. Fit enim sæpenumero, ut homo sanctus, seu conuicio lacessitus, seu inuidia læsus, seu indignitate turpitudinis offensus, maledictum iaciat, cuius se deinde ualde pæniteat. Blanditias autem, & lenocinia, linguæ mendacis exsecratur, seueritatem ueræ orationis exquirit. In hanc igitur sententiam Deum alloquitur: Domine, neque contentio, quæ nunc instat, mediocris est; neque periculum, quod impendet, est contemnendum, sed maxime formidandum. Hostes sunt multi; opes, quibus oppugnor, ingentes; odium, est immane; ingenium, multiplex, & acutum: cogor igitur maximis uocibus auxilium postulare. Ad te igitur clamaui; ut acceleres, oro, & imploro. Hostes enim non procrastinant; sed, quantum possunt, in me euertendo celeritatem suscipiunt. Nocendi autem festinationi festinanter est occurrendum: hostisq. uigilantis impetus est uigilantissimo præsidio reprimendus. Auribus igitur percipe uocem meam, quoties ad te clamo, lege sanxisti, ut mane singulis diebus agno fieret, & uespere similiter agno litaretur, & odores simul incenderentur, ut diei principium a religione duceretur; & diei finis eodē modo esset religionis sanctitate conclusus. At tibi neque hostiarum sanguis iucundus esse potest; neque terrestres odores te uoluptate ulla pelliciunt. Quid ergo est in caussa, cur huiusmodi sacris, aut suffimentis, honores tibi institui uelles? ut hominum mentes signis in religionis officio continerēs, & eos, signis eruditos, ad notitiam earum rerum, quæ signis designantur, instrueres. Odoramenta namque tibi gratissima sunt orationes hominum sanctorum. Hæ sunt, quæ in cælum penetrant; quæ te mirabiliter oblectant; quæ iram tuam placant; quæ beneficia tua consequuntur. Te igitur, quantum possum, oro, & obsecro, ut oratio mea in conspectu tuo sit tibi pro matutino sacrificio; &, quoties in cælum manus meas intendero, ut opem tuam flagitem, hæc ardens mentis intentio in locum oblationis uespertinæ a te clementer accipiatur; ut, quod signis illis exprimitur, ipse fructu salutari percipiam: quod quidem tunc perfecte fiet, cum tu omnes ab animo meo maculas impuritatis absterseris. Illæ namque tibi preces gratissimæ sunt, quæ a mente purissima depromuntur. Cum uero linguæ flagitio maculæ turpitudinis, & iniquitatis, animis admodum frequenter inurantur; te precor, ut custodiam ori meo apponas, & ostium labiorum meorum diligenter occludas, ne uerbum ullum ex me prodeat, quod uel in religionis sanctissimę dedecus redundet; uel labis ullius maculis innocentes adspergat. A periculis, quæ ex hominum familiaritate, & conuictu, frequenter inferuntur, erue me. Meum igitur animum coerce, & contine, ne uerbis petulantibus, actionibus impuris, studiis pestilentibus, assentiatur; ne impietatis ulla officia designet; ne sit mihi iucundus eorum cibus, qui sunt iniquitatis sceleribus inquinati. Cum iustis perpetuo uiuam; illorum sermonibus oblectabor; illorum exemplis, & institutis, animum moderabor; & ex illorum familiaritate, & consuetudine, singularem fructum capiam. Quid, si fuerint molesti, & queruli, & reprehensores, & emendatores, assidui? Id uolo, id cupio, id omnibus summis fructibus antepono. Coerceat me seueriſsime iustus. Tunc enim officio summæ misericordiæ persungetur; cum me uehementer, & acriter, increpuerit. Vt enim bonus Chirurgus dolorem murere minime ueretur, dum modo salutare remedium uulneribus inflictis adhibeat; qui uero nimis indulgens est, exitium indulgentia machinatur; sic acerba iusti oratio, salutaris est; adulatoris autem sermo, auribus dulcis, atque iucundus, noxius, & pestilens, est. Ego igitur ipse, qui acrem hominis iusti orationem admodū libenter audio, blandam adulatoris orationem detestor. Numquam patiar, ut unguentum hominis impuri, ex odoribus ualde pretiosis, artificio summo, confectum, caput meum perungat: orationem illius, in meam laudem, multis ornamentis, excultam, magnisq. dicendi luminibus illustratam, non audiam; non agnoscam; non ab illa caput meum contundi, & perfringi, sinam. Cum enim me lenit, nullerat; cum opem pollicetur, interimit; cum laudat, ignominia deformat. Deinde, quo modo illorum orationes mihi placere possunt, de quorum sceleribus, atque flagitiis, apud Dominū, in ora-

Domine, clamaui ad te.

Dirigatur oratio mea sicut incen sum.

Pone Domine custodiam ori meo.

Corripiet me iustus misericordia.

Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis.

in oratione mea, querimoniam frequenter habeo? Principes eorum, apud quos nomina bonorum, per calumniam, deferuntur, ministris impurissimis libenter abutuntur, per loca saxosa, & prærupta, deuoluantur; &, ad maius eorum cruciamentum, audiant, orationes meas tibi non ingratas exstitisse; teq. mihi omnia maximæ dignitatis ornamenta, & insignia, contulisse. At, quanto studio, & sollicitudine, in nobis euertendis elaborant? Vt enim manus agricolæ terram aratro uertit, atque proscindit; sic homines impij nos contundunt, uiresq. nostras infringunt, ut pæne ad mortem, sepulturamque, perducant. Tantum, & tam acerbum, insitum est improbis, pietatis, & sanctissimæ religionis, odium. Tu uero, Domine, cum oculos a te numquam deiiciam, cum omnem meam fidem in te locatam semper habeam, ne animam meam a te diuelli, uerissimaq. uita destitui, patiaris. Libera me a fraudibus, & calumniis, quas intendunt mihi iniuriæ, & iniquitatis, architecti. Perinde enim, atque aucupes, ut laqueis aues irretiant, perpetuo meditantur; sic isti, fraudes semper excogitant, quibus impeditum capiant. Incident omnes simul impij in eadem retia, quæ mihi parauerant; at ego illæsus transibo; cursumq. meum sine ulla prolapsione conficiam.

Sicut crassitudo terræ.

Voce mea ad Dominum clamaui. Psal. 141. Apud Heb. 142.

HOc quidem Psalmo nos docet uir sanctus, quam salutaris sit assidua Diuinæ benignitatis recordatio; & mens, perpetuo studio, & meditatione, in Dei bonitate defixa; & oratio denique cum fide inflammata in periculis emissa. Nam obsessus undique tenebatur; copiæ Saulis eum ita circumdederant, ut nullum ei effugium pateret. Erat igitur salus omnino desperanda, cum opem Domini admodum fidenter imploraſſet: Qui Saulem potestati illius tradidit. Tantum igitur abfuit, ut a Saule necaretur, ut ipse potius uitæ Saulis, quem occidere poterat, clementer ignosceret. Sic autem mirificum illum casum exponit, & Dei clementiam gratissima mente prosequitur. Voce (inquit) mea ad Dominum inclamaui; uoce mea ad Dominum supplices preces adhibui. Intimam animi meditationem in illius conspectum profudi; angorem, & afflictionem, in qua uersabar, exposui. neque enim is supplicis uoces aspernatur; nec inopis fidem repudiat; nec gemitus eorum, qui sunt iniuria uexati, contemnit. Itaque, cum spiritus meus angeretur, atque plane deficeret, tu notas omnes uitæ meæ rationes habuisti; & huius puritatis, & innocentiæ, quam perpetuo studio secutus sum, rationem cognouisti; &, quanta malitia, & iniquitate, hi, quibus numquam ullo pacto nocui, fraudes in meum exitium occulte moliti sunt, oculis tuis adspexisti. neque, cum ad dexteram respicerem, neque, cum alio oculorum aciem intenderem, quem piam uidebam, qui me animo amico uellet intueri, beneficiorumq. recordari, erat mihi fuga penitus intercluſa; nemoq. erat qui opem mihi afferre, uitamq. meam tueri, conaretur. Vidi, perspexi, rebus acerbis, & afflictis, expertus sum, omnes opes opes humanas in summa uanitate uersari; esseq. dementissimos omnes, qui hominum gratia, atque promissis, innituntur. Ad te, igitur, Domine, clamores edidi; & dixi, Tu es spes mea, quamdiu in hac uita mansero; &, post hanc uitam, hereditas mea, immensitate benignitatis tuæ, est in terra uiuentium præclarissime constituta. Sic igitur fiet, ut numquam, in hac uita, patrocinio tuo destituar; nec, in futura, a possessione sempiternæ hereditatis expellar. Intende ad precationem meam; quia nimis diuexatus sum; libera me ab illis, qui me acerrime persequuntur: nam uiribus, atque potentia, me longe superant. Educ me ex obsidione, & tenebris, quibus includitur anima mea, ut nomen tuum laudibus summis efferam; & iusti me circumsistent, ut gratulationem, cum gloriæ tuæ prædicatione, significent; cum uiderint me muneribus tuis magnificentissime cumulatum.

Voce mea ad Dominū

In deficiendo ex me spiritum meum, & tu cognouisti semitas meas.

Clamaui ad te Domine

Domine exaudi orationem meam. Psal. 142. Apud Heb. 143.

PErsequitur uir sanctus idem argumentum; & ostendit, quibus periculis cinctus sit; quantis uiribus oppugnatus; clementiamq. Diuinam uehementer implorat, in hanc sententiam: Domine, exaudi orationem meam; auribus percipe preces meas; ueritate tua, & iustitia tua, litem meam dirime. Iudicium tuæ ueritatis emineat, in refutanda eorum falsitate, qui me sceleris, & proditionis, insimulant: iustitiæ tuæ splendor elucescat, in eorum supplicio, qui tam insignem iniuriam, in hominis innocentis exitium, conflant. Tu enim, qui mentem meam explorate cognitam habes, scis, me ueritate summa niti; iustitiæq. firmamento stabiliri: quod aduersarij non faciunt, qui me, subnixi mendaciis, infectantur; &, iuris sanctitate neglecta, in statum, atque uitam meam, nimis crudeliter inuehuntur. Sed, quid ego? Iustitiam mihi assumam, cum sim & communibus humanæ naturæ morbis obnoxius, & propriis uitiorum sordibus inquinatus? Non prorsus. Nemo enim est, in uita, tanto studio Diuini iuris incensus, ut non sæpe labatur, & miserrime concidat, & cui non sit uenia frequentissime postulanda. Te igitur suppliciter oro, ne summo iure mecum agas; ne ue causſam meam, ad exactissimam legis tuæ normam, dirigas. Quis enim poterit, in conspectu tuo, ab omni impuritatis labe liber, & immunis, exsistere? Cum igitur ius postulo, iustitiæque uim pro me facere defendo,

Domine exaudi.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo.

Quia persecutus est inimicus animá meam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de communi iustitiæ ratione loquor, ad quam in hac uita misera, & calamitosa, peruenire possim; & non de cõmuni iniuria conqueror, sed sceleris atrocissimi truculentiam, & immanitatem, lamentor. Hostis enim meus animam meam, cum immani crudelitate, persequitur; uitam meam in terram profundere conatur; in tenebras me includere summo studio nititur; ut memoriam nominis mei, tamquam memoriam hominis multis ab hinc sæculis excisi, exstinguat, atque sepeliat, uehementer elaborat. Illius igitur opera, fuit spiritus meus intra me curis acerbissimis afflictatus; & cor meum magna sollicitudine, & angore, conturbatum. In hac tanta malorum tempestate, & animi fluctuantis agitatione, quo me præsidio muniendum esse duxi? Quæ mihi subsidia comparaui? Illa certe, quæ sunt in benignitate tua, quæ numquam illis defuit, qui fidem sancte coluunt, & in te tota mente respiciunt, posita, & constituta. Antiquitatis enim memoriam replicabam; & mecum mente repetebam cuncta opera tua; & in factis tuis admirandis summo studio meditabar. Cogitabam enim, maiores nostros, qui gratiam tuam fuerant consecuti, ab hostibus suis fuisse uexatos, afflictos, maximisque incommodis circumuentos, & in periculis innumerabilibus constitutos; & tamen ab omnibus fuisse clementia tua liberatos. Quo circa, minime dubitabam, fore, quin tu, similiter, a malis, quæ me circumsistebant, eriperes. Hac igitur fiducia, ad te manus intendi; opem tuam contento studio flagitaui; tui spiritus cupiditate flagraui; &, ut tellus arida pluuiam, ad fructum ex se proferendum, desiderat; sic ego gratiam tuam ardentissime concupiui. Nihil enim sine te fieri a nobis ullo modo potest, o summe Domine, quod sit in uera laude ponendum. Quidquid igitur boni cogitamus, molimur, efficimus, tibi acceptum referimus; opera nostra, opera tua sunt; in nostris actionibus, te unum summe laudandum, & prædicandum esse confitemur. Cum igitur sine te nihil a me geri possit, quod salutem pariat, festina, Domine: periculi enim magnitudo dilationem non patitur: & exaudi me: deficit enim spiritus meus: ne auertas faciem tuam a me; ne similis fiam illis, qui in profundam caliginosæ regionis uoraginem deprimuntur. Vita namque, salus, & dignitas mea, uoluptas mea, solatium meum, tui uultus splendore, specie, & gratia, continetur. Illo igitur a meo conspectu remoto, mors incitatur; honestas eripitur; dolor incurrat; mæror, & luctus, ingrauescit. Si igitur a me faciem tuam remoueris, mortuis, atque plane sepultis, annumerandus sum. Ne differas igitur opem; & fac, ut mane clementiæ tuæ magnitudinem mentis auditione percipiam: in te enim spem salutis collocatam habeo. Clementiæ igitur tuæ celeritatem incita; atque perfice, ut bene mane fructum tuæ benignitatis experiar. In te namque spem meam firme constitui. Demonstra mihi uiam, in quam ingrediar, ut tibi placeam. Ad te namque, orando, & obsecrando, totam uim meæ mentis erexi. Cum igitur excitata fides numquam sine fructu in gratiam tuam respiciat; cum oratio, uehemens, & assidua, omnia, quæ a te poscit, facillime consequatur; & ego firmissimam fidem in bonitate tua locauerim; & in precandi studio omnes uires animi ad te uehementer intenderim; non dubito, quin sis mihi subsidio festinanter occursurus. Hac igitur fiducia confirmatus, in oratione mea persto; & obsecro, ut liberes me ab hostibus meis, quando ad te solum supplex, tota mente, confugio. Multæ quidem sunt hominum disciplinæ; artes sunt innumerabiles ab illis sollerter excogitatæ, & inuentæ; sed, quæ ualeant ad salutem, & ad immortalitatem erudiant, nullæ sunt. Omnes igitur illas despicio; in tuamq. disciplinam me totum trado, quæ sola me potest florentem, atque beatum, efficere. Instrue igitur me uerissimæ sapientiæ disciplina; ut omnes actiones meæ ad tuæ uoluntatis obsequium dirigãtur. Tu enim Deus meus es; nullum alium Deum colo; te unũ metuo; te solum ueneror; te summe diligo; in te solo omnem meæ salutis spem repositam habeo: spiritus igitur tuus uitalis, atque salutaris, qui nõ terrore homines condicione seruos exanimat; sed benignitate filios ad studium gloriæ immortalis incendit; me deducet in terram, opibus, & ornamentis, iustitiæ, & æquitatis, illustratam, in qua sunt præmia sempiterna omnibus, qui cum iustitia uixerint, egregie constituta. Serui inutiles sumus, licet legi tuæ pareamus; officio namque debito fungimur; & iccirco nullo uinculo iuris adstringimur. Cum igitur te propitium nobis exhibes, nõ, quod nobis est iure summo debitum, sed, quod est nominis tui gloriæ deferendum, ordine mirabili dispensas. Te igitur, quantum possum, oro, & obtestor, ut non propter me, (satis enim mihi indignitatis meæ sum conscius,) sed propter nomen tuum, mihi uitam tribuas; &, propter iustitiæ tuæ splendorem, eximas ex angustiis animam meam, in quas est, inimicorum meorum in iuriis, atque fraudibus, inducta. Propter misericordiam tuam, eris acer, & infestus omnibus, qui me crudelissime persequuntur: euertes igitur inimicos meos; & perdes omnes, qui uehementer affligunt animam meam: seruus enim tuus sum.

Memor sui diuum antiquorum.

Doce me facere uoluntatem tuam.

Velociter exaudi me.

In misericordia tua disperdes inimicos meos.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam.

Benedictus Dominus Deus meus qui docet. Psal. 143. Apud Heb. 144.

BEllum non potest ullo modo feliciter, sine uiribus, & usu, atque peritia, rei militaris, administrari. Vtrumque autem, dono Dei, atque munere, continetur. Is enim est, qui uires dat; qui scientiam suggerit; qui eos, quos uult uictores efficere, opibus instruit, & bellandi peritia confirmat. Quod cũ multi non intelligant, gloriamq.

Diuinam

Diuinam ad se transferre conentur, non solum fructum status florentis amittunt, uerum & in iram atrocissimam Dei incurrunt, ut tanto grauiorem pœnam subeant, quanto fuerat uictoria parta, ad opinionem hominum, clarior, & memorabilior. Huic amentiæ, atque sceleri, numquam se præbuit affinem Dauid. Nam uires, ingenium, uictorias, opes, & belli decora, omnia denique uirtutis egregiæ monumenta, ad Deum refert; neque sibi Diuinæ benignitatis gloriam usurpat; sed, in omnibus claris operibus, Deum, auctorem totius decoris, & honestatis, agnoscit. Et, cum principi proposita esse debeat communis Reip. felicitas, ostendit uir sanctus, se, in bello gerendo, non popularem nominis inuicti famam, & celebritatem, sed tranquillum patriæ statum, spectauisse. Ita tamen statum Reip. quem se cupere testificatur, exponit, ut multo magis in Christi Regis amplitudine, & felicitate, quam in sua, litteris exornanda, mentẽ suam uerset; & studium, & operam, consumat.

Benedictus Dominus.

Itaque ait: Summis, atq. sempiternis, laudibus celebretur excelsus Dominus; cuius ui, potentia, beneficio, uictoriæ pariuntur; regna stabiliuntur; hostium conatus pestiferi repelluntur; & hominum fidelium multitudo, tuta, & incolumis, in omni rerum discrimine, conseruatur. Ille namque, est fortitudo mea, qua hostiles acies perrumpo; ille, est prudentia mea, qua bellum cum laude gero; ille, sollertia & industria mea, qua cogitationibus eorum, qui nos adoriuntur, occurro. Non solum enim me corporis uiribus, & animi uirtute, corroborat; sed ingenio instruit; & consilio confirmat, quo bellum astute, callide, & sapienter, gubernem, ut uictoriam semper ex omni contentione reportem. Ille me benignitate complectitur; munitione protegit; in arce sublimi collocat; inuictoq. præsidio communit: ille, liberator meus est; ille, clypeus meus est: omnis spes mea clementia tantum illius innititur: is est, qui non solum bellum contra me commotum profligat, & uniuersos hostes meos conterit; uerum, quod non minus beneficium est, in pace perficit, ut omnis populus, imperio meo commissus, mihi libenter obediat. Cum hæc tanta in me collata beneficia considero, naturæq. meæ humilitatem, & fragilitatem, meam reputo, ingenti admiratione defixus, obstupesco. Domine, quid est homo, ut illum prouidentia tua dignum æstimes? Quid est filius hominis, ut illius rationem habendam existimes? Homo, est ipsi uanitati simillimus; & ætas illius, instar umbræ celerrime declinantis, elabitur. Et tamen illum erigis, & extollis, & in dignitate summa constituis. Superbia igitur eorum hominum, qui tibi impudenter aduersantur; qui bellum perpetuo contra legem tuam comparant; qui nomen tuum despiciunt, ferenda non est; sed durissimis supplicijs acerbissime uindicanda. O summe Domine, qui sedibus sempiternis insides, & cælo semper inuecheris, cælestem naturam inclina, & ex illa, tamquam e curru, descende; ut in hominum scelus animaduertas, & impium facinus ulciscare. Vim tui nominis inuicti, signo tuæ Maiestatis admirando, demonstra; ut olim, cum legem ferebas, effecisti; ut homines, pauore concussi, contremiscant. Tange montes; & tactu etiam leuissimo repente fumabunt: uibra fulmina; & hostes dissipabuntur: emitte sagittas; & conturbati disperibunt. Emitte manum tuam e cæli fastigio; & uincula, quibus impedior, ui magna perfringe; & libera me e calamitatibus innumerabilibus, quæ uitam meam, opera hominum alienorũ, undique circumsistunt. Licet enim natura ciues haberi uelint, non tamen ullo modo ciues, sed exteri, & peregrini, atque adeo hostes acerrimi, numerandi sunt, qui tantis sceleribus adstricti sunt. Os enim eorum uanitatem ubique profundit; dextera eorum fraudes perpetuo concinnat. Hi sunt, qui contra statum, atque uitam meam, insidias comparant; qui bellum nefarium, omni odio penitus imbutum, contra fidem, contra religionem, contra Dei ipsius beneficentiam, moliuntur. Quamuis autem multis in locis in me amplitudinem tuæ benignitatis ostenderis, nunc uel maxime, quantæ curæ mea uita tibi sit, nouo beneficio demonstrabis, cum me nunc ex illorum manibus exemeris. Nouo, & insigni, beneficio cumulatus, nouum tibi carmen psallam; & ad testudinem decem chordarum laudes tuas cantabo. Tu enim es, qui das salutem Regibus: iustos namque, qui Regiæ uirtutis opibus instructi, & ornati sunt, non solum saluos, sed etiam amplissimis rebus ornatos, esse uis.

Deus canti cum nouũ.

Tu es, qui Dauidem, seruum tuum, hostium multitudine circumsessum, a gladio, qui sanguinem illius, incredibili auiditate, petebat, eripuisti. Eripe me; libera me, e manu hominum profligatorum, qui a legis tuæ sanctitate mentem prorsus alienam gerunt, & sunt in ciues suos tæterrimi; quorum sermones uanitatem perpetuo meditantur; quorum manus dexteræ, nixæ mendaciis, scelestissimum facinus aggrediuntur. Quod si (ut fido) illorum manus euasero; dabo operam, ut mumere mihi commisso cum laude perfungar; præsidioq. tuo fultus, Reipub. uniuersam florentem, bonisq. omnibus affluentem, reddam.

Cum uero Reip. bene constitutæ fundamentum, sit in recta iuuentutis educatione constitutum; euenit, postquam fuerimus a seditionibus, & inimicorum fraudibus, liberati, ut filij nostri, ab initio adolescentiæ liberaliter instituti, grandescant, ad similitudinem ramorum uirentium, ex arbore fructifera pullulantium, ut, cum fuerit opportunum, ex se uberes fructus edant. Similiter filiæ nostræ, bene, atque pudice, domesticis institutis enutritæ sunt, ut anguli domus ornati, & expoliti, atque templi eleganter ædificati, similitudinem referant. Itaque non solum honestatis, & elegantiæ, laudibus excellent; sed etiam, pro parte sua, domum fulcient, ita, ut non solum pudore, & sanctimonia, uiris decori, & gloriæ, sint; uerum & illis industria, & sedulita-

Quorum filij sicut nouellæ plantationes.

Domine quid est homo.

Domine inclina cælos tuos, &.

Universidad de Deusto
Biblioteca

te, sua, in re familiari uigilanter administranda, non mediocre adiumentum afferant. Neque res interim rustica, quæ tempore belli rerum omnium conturbatione deseritur, erit neglecta. Dabitur enim a nobis opera, ut agri colantur; ut uineæ instituantur, ut arbores conserantur; ut horrea sint plena frugibus; dolia, uino, & oleo, redundent, penuariæ cellæ refertæ continuo sint; & recens annona ueterem consequatur. Neque pecuaria quidem res erit nostro fauore, & prouidentia, destituta. Hoc etiam erit nobis curæ, ut pastores sint naui, & industrii, in gregibus pascendis. Ad hunc igitur modum, greges nostri fetum multiplicabunt; & numerus in dies augescet; nostriq. boues, & arabunt arua, & ferent onera, multisq. modis usui uitæ nostræ seruient. Neque sit interim bellicus furor, qui otium turbet, & muros, machinis admotis, labefactet, aut ciues in exsilium migrare compellat. omnis etiam furor intestinus, & ciuilis tumultus, in foro conticescet; omnisque popularis seditio, iuris æquabili moderatione comprimetur. Hic erit status Reip. florentis, atque beatæ; hæc cura incumbit principi, inimicorum fraudibus liberato, ut sic Rempub. administret, & omnibus illius partibus sic diligenter inuigilet, ut nihil, quod ad illius usum pertineat, desideretur. Populus, cui hæc omnia sunt, beatus existimatur. Verum beatæ uitæ ratio non his bonis, sed bonorum auctore, continetur. Beatus igitur ille tantum populus dicendus est, cuius Dominus Deus eius est.

Promptuaria eorum, eruditantia.

Non est ruina macerie ideſt nõ interruptio, neque emigratio, neque clamor in plateis noſtris.

Nam, si pax, si fecunditas, si ciuium multitudo, si uirtutum disciplina, si frugum abundantia, si ouium, & boum, ingens numerus, si recta, & æquabilis, iuris administratitio, si ciuium concordia, si opes, & munitiones, ad defensionem Reip. necessariæ statum Reip. felicem, atque beatum, faciunt; hæc omnia ab illo perenni bonorum omnium fonte profluunt, qui exhauriri numquam poterit. Si uero aliæ sunt opes multo maiores, & ardentius expetendæ, nempe, quæ sint fixæ, stabiles, atque sempiternæ, atque plane Diuinæ, quarum affluentia felicitas summa continetur; ille certe populus beatus est, qui Deum colit, & diligit, & illi semper adhæret, & in illius tutela, & patrocinio, delitescit, & opibus illius egregie cumulatur.

Si Regnum igitur humanis bonis expletum, beatum est existimandum; quid erit de Regno, Diuinis bonis exaggerato, censendum? Summa igitur orationis est; ut omnis uitæ beatæ ratio in gratia Diuina, quam Christi Regnum cunctis, qui se ad illius studium applicant, importabit, collocanda sit.

Exaltabo te Deus meus. Psal. 144. Apud Heb. 145.

ORationes humanæ, laudes Diuinas consequi non queunt. Viri tamen sancti, Diuina uirtute præditi, faciunt, quod possunt; &, in laudibus celebrandis, ad illum usque terminum progrediuntur, qui est eis a Spiritu sancto præfinitus. In primis uero Dauid, dũ Deum laudat, sic in hoc genere orationis excellit, ut eius oratione, neque grandius quidquam, nec elegantius, nec ardentius, possit excogitari. In hoc autem hymno præcipue Diuinę orationis amplitudo mirabiliter exsultat. In hanc autem sententiam Dei laudes exaggerat: Efferam te, Deum meum, & Regem meum, laudibus summis, atque sempiternis; nomenq. tuum sanctissimum, insigni prædicatione, decorabo; nec umquam oratio mea de tuæ uirtutis amplitudine conticescet. Singulis diebus opera tua laudabo; nomenq. tuum sempiternis ornamentis illustrabo; omniaq. studia mea in gloriam tuam perpetuo dirigentur.

Exaltabo te Deus meus.

Magnus est, & excelsus, Dominus, perpetua laudatione prædicandus; nullaq. mens, nullum ingenium, poterit umquam magnificentiam uirtutis eius uel explicare dicendo, uel explorare, & inspicere, cogitando. Nam immensum, & infinitum, decus intelligentia finita comprehendi non potest. Memoria tamen antecedentis, & consequentis, ętatis, multa complectitur; uariisq. temporibus opera nimis admiranda monumentis excipit, quæ posteritatis commemorationi traduntur, quæ aliis deinde successionis ordine monumentis egregie cumulantur; ita, ut in omnibus sęculis Diuinæ probitatis splendor cunctis nationibus eluceścat. Itaque generatio generatui, cum egregiis laudibus, tuę clementiæ tributis, explicabit opera tua; potentiæq. tuæ uirtutem splendidæ orationis luminibus illustrabit.

Magnus Dominus.

Omnes igitur, decus, gloriam, magnificentiam, tuam uerbis extollent; & ego simul, in rerum admirabilium, quas in omnibus ætatibus edis, meditatione perpetua, uersabor. Illi quidem exponent uim, & potentiam, qua hostes tui nominis contriuisti, & terrorem, quem multis mortalibus incussisti, memorabunt; & ego simul magnitudinem roboris tui monumẽtis, ad æternam memoriam, consecrabo. Memoriam summæ benignitatis tuæ, inflammato studio, celebrabunt; & iustitiam tuam laudibus summis exornabunt. Clemens, & benignus, est Dominus, ad iram minime concitus; eaq. de caussa supplicia differens, ut pœnitendi spatium det; ad misericordiam uero ualde propensus, beneficiorum magnitudinem accessionibus miris amplificans. Bonus est Dominus, non uni tantum genti, non paucis hominibus, sed omnibus, qui fidem coluerint, & ad illius se nomen adiunxerint, & opem illius imploraverint. in omnibus illius operibus, exstat, & eminet, misericordia eius. Cęlum, sidera, cęlestis splendor, orbium cęlestium conuersiones, dierum & noctiũ uicissitudines, temporum uarietates, amplitudinẽ misericordię Diuinę admodum luculenter aperiũt; terræ fruges, herbarum, & arborũ uarietates, florum odores, fructuum sapores, animantiũ, partim cicurum, partim ferarum, uarietas, & multitudo, utilitates innumerabiles, quæ ex his rebus omnibus capiuntur, quanta sit Diuinæ misericordię

Misericors & miserator Dominus.

diæ magnitudo, clare demonstrant. Aeris modico calore temperati, & fluctibus agitati, salubritas; elementorum, pro rata portione, distinctio; & fœderis inter illa, immutabili lege, connexio; & ab aliis ad alia, ordine naturæ, nimis admiranda traductio; sine qua uita hominum permanere minime posset; uniuersæq. naturæ consensus, & conspiratio; quam admirabilis sit misericordiæ Diuinæ fructus, ostendit. Lex Domini, quæ mentem illuminat, quæ rationem instruit, quæ noxia repellit, quæ salutaria præscribit, quæ uiam ad immortalitatem munit, num parum aperte docet, quanta sit Diuinæ probitatis amplitudo? Quid de iudicijs dicam? Illis enim, & bonis consulit, & multitudinem absterret, & improborum malitiam, qua nullum malum taetrius est, exscindit; multosq. minus supplicium sontibus, atque sceleratis, quam meriti erant, statuit; ita, ut, etiam in miseriæ sempiternæ regione, ratio quædam misericordiæ Diuinæ posit animaduerti. Vnde liquido constat, in omnibus operibus Domini misericordiæ lumen exsistere. Laudabũt igitur te, Domine, omnia opera tua; & sancti tui in perpetua prædicatione beneficentiæ tuæ uersabuntur. Cum uero reliqua decora tua ore pleno laudauerint, tum uel maxime gloriam Regni tui laudibus sempiternis extollent, & uirtutis tuæ robur inuictum enuntiabunt. Referent enim, quanta ui Satanæ tyrannidem deleueris, & peccati uires exstinxeris, & Christi Regnum fundaueris, & Remp. cælestem lege sempiterna conseueris, & inuicto præsidio stabilieris.

Confitentur tibi omnia opera tua.

Gloriã Regni tui dicent.

Sic autem notam facient cunctis hominibus potentiæ tuæ magnitudinem, Regniq. salutaris decus, & gloriam, Euangelijq. disciplinam; eosq. e tenebris taeterrimis in lucem clarissimam uindicabunt. At hoc Regnum, quod in explicatione Diuinæ ueritatis, & in luce uerissimæ dignitatis, & in fructu summæ felicitatis, consistit, nullo annorum spatio terminabitur. Magna quidem imperia in terris eminebunt; multi Principes, hominũ opinione florẽtissimi, Regijs opibus latissime cõtinuatis, innumerabiles nationes sibi subijcient; sed imperia tandem omnia ita concident, ut nullum sui uestigium; quod memoriam antiqui decoris aliquo modo repræsentet, in terris impressum relinquant. Omnia mors occupabit; obliujo conteret; perpetua quædam nox tenebris sempiternis omnes terrenas opes, quas hominum uulgus nimis admiratur, obrutas, atque sepultas, continebit. Solum Regnum tuum omnibus sæculis clarum, & excelsum, permanebit; imperiumque, dominatione clarissimum, continuata Diuinæ generationis serie, in perpetuum uigebit; ita, ut nulla uetustas, Christi tui magnificentiæ finem sit allatura. O maiestatis summę mirabilem clementiam, & benignitatem. Immensa potentia non aspernatur imbecillitatem; decus infinitum non contemnit; & despicit abiectionem; & (quod est multo magis admirandum) iustitiæ incorruptissimæ sanctitas, nõ incidit spem salutis illis, qui ius Diuinum uiolauerant. Fulcit enim Dominus omnes, qui corruunt, & collapsos, quos ruinæ pœnitet, in amissum statum restituit. Nec hominibus tantum, quantum gratia omnia cõdidisti, sed omnibus animantibus terrestribus, & aquatilibus, prospicis; ita, ut nullum sit animal, tam minutum, quod non prouidentia tua sustentetur. Oculi igitur omnium in te tuentur; & tu das escam tempore opportuno. Naturæ namque ipsius indigentia loquitur, cum necessitas apparet; insitaq. cultus libet formæ penuria uocem quodammodo mittit, ut ad benignitatem inflectat uniuersæ naturæ cõditorem, per omnia commeantem, ut minimarũ etiam rerum genera tueatur, atque conseruet. Ita que manum tuam aperis, ut expleas cunctorum animantium uoluntatem; &, secundum quod uniuscuiusque natura requirit, illis large, atque munifice, necessaria alimenta suppedites. Itaque uita omnium in benignitatis tuæ largitate consistit.

Allcuat Dominus omnes qui.

Iustus Dominus in omnibus uijs.

Itaque uita omnium in benignitatis tuæ largitate consistit. Si brutorum animantium curam habet, quæ nullo iure propinquitatis naturam Diui nam attingunt; quid hominibus faciet, quos imagine suæ claritatis impressit; quos in fidem, & gratiam, recepit; quos secum amoris sanctissimo fœdere deuinxit? Illos in calamitate destituet? Nullo pacto. Iustus enim est Dominus, in omnibus actionibus suis? Fieri igitur non potest, ut pacta minime seruet: sanctus est in omnibus operibus suis? Inuicto igitur præsidio pericula omnia ab illis, qui sunt in illius patrocinio, longissime propulsabit. Præsto namque semper est Dominus omnibus, qui opem illius implorant; ita tamen, ut ue re, & ex animo, clementiam implorent, & fidem studio incenso retineant. Neque solum opem præsentissimam omnibus, a quibus fideuter inuocatur, admodum clementer affert; uerum & eorum notis obsequitur; petitiones exaudit; salutemq. illis, cum dignitate summa, constituit. Omnes enim Dominus, se diligentes, fide complectitur; gratia fulcit; prędidio defendit; opibus auget; honoribus illustrat; at impios euertet, sempiternoq. supplicio mactabit. Semper igitur laus Domini in ore meo uersabitur; & omnis homo ad illius imaginem, ardenti studio iustitię, ueritatisq. sanctitatis, informatus, sanctum illius nomen, in omni sæculorum æternitate, summis laudibus celebrabit.

Lauda anima mea Dominum. Psal. 145. Apud Heb. 146.

ADhortatur, & admonet, uir sanctus omnes, qui Deum pura mente uenerantur, ut num quam de laudibus Diuinis sileant; & omnes etiã uires animi sui, quantum potest, incitat ad nomẽ Domini, oratione perpetua, celebrandum, in hanc sententiam: Laudate Dominum; beneficiaq. illius, quibus est is ornati, mente recolite, ne in crimen ingrati animi, quo nihil sceleſtius esse potest, incidatis. Tuque, anima mea, quibus opibus aucta, & cumulata, sis, memoria repete; omnes sensus excita; uires assume, quibus in Dominum mẽtem semper intendas; nomenq. illius extollas; & gloriam, sine intermissione ulla, testificeris. Quãdiu in uita permansero, Deum laudabo; & omnes ingenij

Lauda anima mea Dominum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ingenij uires,ad extremum usque spiritum, in illius laudibus,cantu,& oratione,celebrandis,insumam. O mortales,qui uehementer estis de rerum uestrarum statu solliciti, multaq. simul præsidia studio nimis anxio comparatis, multamq. operã in Principum gratijs acquirendis, atque retinendis,frustra consumitis;nolitote fidẽ habere Principibus. Quamuis enim magnas opes habere uideãtur,homines tamen sunt. Homines porro salutem dare non possunt. Nec enim est in illis fides,ut uelint;neque, si maxime uelint, inest in illis robur, ut possint. Sunt enim mortales; eorumq. uita est breuissimo spatio præfinita. Eorum namque spiritus efflabitur;ipsiq. in terram,in qua mentem nimis defixerunt,redibunt, ut in puluerem redigantur;illa die,qua uita spoliandi sunt,omnes eorum cogitationes interibunt. Amentes igitur sunt, & exsecrandi, qui opibus illorum innituntur; illeq. tantum sapiẽs,atque beatus est, qui spem in Deo; quem Iacob sanctæ coluit, collocatam habet; ipsiusq. summi Domini,quẽ ueretur,& diligit, ope, gratia,præsidio,sustinetur. Hanc enim coniunctionem, atque fiduciam, neque mors dirimere potest,cum Dominus ipse uita sempiterna sit;neque perfidia uiolare, cum Diuina probitas nulla labe perfidiæ,atque dedecoris,adspergatur. Quid autem de potentia dicendum? Erit ne quidquam, quod immensam illius potentiam impediat, quo minus ea,quę se facturum ostendit, summa cum fide perficiat?Is enim est, qui cælum exstruxit;terram fundauit; & omnia similiter, quæ cæli ambitu,terræq. gremio,continentur, fecit, & informauit, & opere excellenti perpoliuit; qui ueritatem sempiterna constantia tuetur,ita,ut neminem umquam spes in illius benignitate repolita frustrata sit;qui iudicium cum æquitate summa constituit; qui iniuria oppressos erigit;qui esurientibus panẽ porrigit; & uinctos e uinculis educit; criminibus alligatos omni crimine liberat; peccati neruos elidit;& ex hominibus iniustis homines puros,& sãctos,efficit;muneribusq. Diuinis eos,qui in flagitiorum sordibus uersabantur,exornat. Dominus ẽcorum oculos aperit,ut cælestia, atque Diuina, conspiciant; Dominus mentes in terram depressas erigit,ut ad cęleste decus adspirent; Dominus diligit iustos, ut eos secum Diuinorum bonorum communione consocíet. Dominus conseruat aduenas,& peregrinos:gẽtes enim alienigenas,quæ ab illius antea sacris abhorrebant, in ciuitatem suam dicat, &, in stirpem sanctissimæ nobilitatis insitas, ornamentis iustitiæ sempiternis illustrat; Dominus,uiduarum patronus, atque iudex,est; pupillorum pater est; omnes miseros,& afflictos, clementissime sublenat,& in dignitate cęlesti constituit;uias autem, quas homines nocentes,& facinorosi, qui in uiam iustitiæ redire nolunt,sed ad extremum in scelere perseuerant, ineunt, inuecta calamitate,& exitio,peruertit. Quę enim cogitãt, quæ moliuntur,quæ contendunt,ad nihilum recident; &,cum grauissimas, & difficillimas,actiones,felicitatis comparandę gratia,suscipiunt,summis miserijs,atque sempiternis, obruuntur. Regnũ uero Dei,quod Rex, ab illo cælesti Sioni præpositus,de illius sententia,fideliter,& sapienter, & feliciter, administrat,in perpetuum,summa cum gloria,permanebit; imperiumq. illius, in omnes generationes, continuata moderatione, pertinebit; ut omnis consequens ætas facile possit fructum sempiternæ salutis excipere. Laudate igitur Dominum,omnes,qui ad tanta bona perfruenda conuocati fuistis.

Nolite cõfidere in Principibus.

Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius.

Qui custodit ueritatem in sęculum.

Laudate Dominum, quoniam bonus est. Psal. 146. Apud Heb. 147.

Laudate Dominum, quoniam.

MVnus institutũ persequitur uir ad immortalem gloriam natus; & Regni sempiterni decus,& gloriam,luculentissimis uerbis, quantũ potest,exaggerat. Ait enim: O uiri sancti, Deum laudate. Quid enim melius,quid utilius,quid salutarius,fieri a nobis potest? Si laus enim uerissimæ pulchritudini,& honestati,debetur; cur non illam summi,atque sempiterni, decoris elegãtiam, nulla labis ullius contagione maculatam,omnibus rebus pulchris causſam elegantiæ, & concinnitatis,afferẽtem, laude perpetua celebrabimus? Si laudis muneribus sunt gratiæ, pro beneficiorũ multitudine,& amplitudine,referẽdæ; quid aliud est nobis in uita faciendum,quam summis laudibus optimum parentem afficere, qui nos finxit, informauit,ornauit, redemit,instruxit, aditumq. nobis ad immortalitatem patefecit?Si utilitas sequenda est, dũ Dei laudes oratione persequimur, amor incitatur; studium inflammatur; imitatio excitatur;similitudo consequitur;atque postremo status Diuinus acquiritur.Quid igitur excogitari potest exercitatione Diuinæ laudis celebrandæ, uel ad officium iustius, uel ad decus elegantius, uel ad fructum melius? Dei igitur nostri laudes concinite. Est enim in huius laudis meditatione uoluptatis eximię summa iucũditas,& honestatis decus excellens,summũq. totius dignitatis, & honestatis ornamentum.Dñs Hierosolymã cęlestem ędificauit;mœnibusq.firmissimi scinxit;inuictissimis præsidiis instruxit;Dominus,ciues, in exsiliũ pulsos,atque dissipatos, opinionibus turbulentis infectos, in uarias sententias distractos, in fidei sanctæ,& inuiolatæ, consensum,& conspirationẽ, reducet; uerumq. Israelis genus in unius Reip. formam reuocabit. Non enim afflictos abiicit;nõ sanctos repellit; non ueniam petentes aspernatur.Is sanat omnes, qui animum conscientia sauciũ,flagitiorumq.dolore oppressum, gerunt; & eorum morbis,quos impuritatis pœnitet,salutare remedium adhibet. Cum autem hominibus tanta cura,& sedulitate,prospiciat;naturæ totius moderationem non intermittit. Innumerabilẽ enim stellarũ numerum recensẽt;earumq. singulas nominatim appellat.Singulis enim certũ munus detulit;ut omnes, ad uniuersę naturę stabilimentũ, coniunctis uiribus, operam nauarent. Magnus, Dominus noster est, magnaq. uirtute, & ingenti robore, prædituſ; intelligentiaq. illius nullo termino

Aedificauit Hierusalem Dominus.

Qui numerat multitudinem stellarum.

mino continetur; nullius mente, & cogitatione, comprehenditur;&, cum rebus omnibus, & uniuersis,& singulis,intenta sit, nullo munere,aut labore,tam uariæ,& tam multiplicis,curationis obtunditur. At, quanta æquitate res humanas Dominus administrat?Mansuetos enim fulcit,& ope salutari confirmat; impios autem, & immanes, prosternit, & in terræ labes altissimas detrudit. omnes sensus uestri, in Dei gloriam dirigantur; nocibus,cum insigni suauitate, modulatis, & instrumentis musicis, aptissime concinnatis, Deo gratias semper agite; cytharis, Domini nostri laudes concinite. Is obducit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam; ut e montibus herbam eliciat. Iumentis pabulum large suppeditat; & coruorum pullis, a parentum cura derelictis,qui opem illius inclamant, alimentum præbet. Indigentia clamores edit;misericordia immensa,afflictæ naturæ uoces exaudit; subsidioq. miseris clementer currit. Qui igitur armentis, & gregibus,qui brutis animantibus, pabulum, tanta benignitate, suppeditat;quid hominibus faciat,quorum causſa non solum animantia, sed cælum, & astra,condidit, uniuersamq. naturam excellenti artificio fabricatus est?Verum,ut gratiam illius ineamus, & conseruemus, animaduertendum diligenter est,quibus artibus illi cari esse possimus. Non solum enim,ut alamur;uerum etiam,ut in bellis uictoriam consequamur,est nobis opus illius subsidio,sine quo neque famis tempore sustentari,neque belli tempore hostiles impetus propulsare,licebit. Quo modo igitur illum propitium ita semper habebimus, ut numquam ab illius ope deseramur?Vitæ puritate,religionis sanctitate, & sempiternæ legis studio. Neque enim equitatus, robore,& multitudine,ducitur;nec hominis robusti uiribus,& proceritate,delenitur. Propitius est Dominus illis,qui nomen suum timent;&, qui misericordiæ suæ fiducia nituntur. Itaque uera religio,atque firma fides, uictoriam,de maximis, & ferocissimis,exercitibus,reportabit. O ciuitas sancta,o cælestis Hierosolyma, lauda perpetuo Dominum: O mons Sion,in quo sempiternum templum ædificatum,& cõsecratum est,& in quo mysteriis sanctissimis ad studium Diuinitatis initiamur; nomen Dei tui perpetua laudatione decorandum suscipe. Seras enim portatum tuarum sempiterno robore firmauit: ne umquam ullis, uel hominum, uel dæmonum, opibus perrumpi possent; filiosq. tuos muneribus Diuinis ornauit, ut semper in medio tui lumina cælestis benignitatis eminerent. In terminis tuis pacem constituit,ut animi secum,stabilitate gratiæ, concordarent; ut ciues amoris inter se fœdus, constantia summa,conseruarent;ut omnes essent Deo,a quo immani odio dissidebant,caritate sempiterna deuincti. Ne autem uires languescerent;& ita,defessus laboribus, uictoriam hosti aliquando concederes;cælesti pane satiat te;mentemq. tuam reficit, & recreat, iucundissimis Diuini spiritus alimẽtis. Mittit uerbum suum in terrã;& humanos animos, rebus terrenis addictos, ad cæli conspectum,ui,& impetu,sui sermonis exsuscitat; tamq. celeritatem eloquij salutaris incitat, ut intra breuissimum tempus extremas oras mundi notitia sempiternę lucis illuminet.Niuem,ad candentis lanæ similitudinem,in terras spargit;nebulam,instar cineris,oculis offundit;glaciem suam, in frusta dispertitam,proiicit; intolerandam uim frigoris, quam is abscessu Solis efficit, quis sustinebit?Calore uitali,qui est rebus cunctis immersus, omnia uigent, & fulciuntur, statumq. suum facillime retinent; eo autem procul amoto,tristitia contrahit terras; flumina conglaciant; uapores in sublimi concrescunt; humores, agitatione frigescentis aeris, in spumam rediguntur;offusa pruinę caligo lucẽ eripit; glacies,in aere,uentorũ impetu, per fracta, atque dissipata, & cõminuta, percutit animantia, perrumpit arbores, excutit fruges;&,si ultra modum progreditur, omnibus satis exitium,& uastitatem,infert; & frigoris immanitas, terrorem mortis illis, qui uersantur in agris, iniicit. Sic est Diuinæ lucis, & illius uitalis caloris, absentia. Frigent animi; studia uitæ conglaciant; turbidi motus excitantur;densa caligo,cæli totius adspectum adimit; mentis stupore officia coercentur; uirtutis fructus intereunt; frigus illud,quod,abscessu sempiterni Solis,efficitur,sustineri non potest;sed Dominus (quemadmodum fieri uerno tempore solet,cum Sol rursus ad nos appropinquat,ut terras, reddito calore,lætificet) uerbum suũ rursus effundit, cuius calore glacies liquefacta diffunditur; cuius spiritu flumina labuntur;animi, tenebris emersi, reuirescunt; mentes exhilaratæ reuiuiscunt,& fructus uberrimos profundunt.Hi tamen uerbi Diuini tam mirabiles, atque tam salutares, effectus, non omnibus innotescunt, quia non omnes illius uim in penetralia sui cordis admittunt; sed illis tantum,qui Iacob,uiri sanctissimi, fidem imitantur; qui Israelis uestigiis ingrediuntur; hoc est, qui Deo minime repugnant,illiusq. munera, & beneficia,grata uolũtate,memoriq. mente,prosequuntur.His enim uerbi sui uim,& efficientiam,denuntiat; his solum iudiciorum suorum rationem, & æquitatem,demonstrat.Reliquas autem nationes uniuersas a cognitione sui spiritus excludit; a iucunditate suæ familiaritatis expellit; non est illis concessum, iudicia Diuina contueri. Vos igitur, qui tanto lumine completi fuistis, qui tantis muneribus, atque præsidiis, redundatis, Dominum laudibus sempiternis afficite.

Præcinite Domino.

Non in fortitudine equi.

Pſal. 147. Apud Heb. idem cum superiori. Lauda Hierusalem Dominum.

Qui emittit eloquiũ suum.

Emittet uerbum suum, & liquefaciet ea.

Laudate Dominum de cælis. Psal. 148.

EXtra se rapitur uir excelsus, Diuinisq. ignibus exardescit,dum mente,Dei immensam probitatem,& sapientiam, contemplatur; maxime uero, dum Christi Regnum cogitat, dum Satanæ Regnum euersum,& exstinctum, cõsiderat, dum salutem sempiternam,& dignitatem cęlestẽ, hominum generi tribuendã,mente prospicit;uniuersamq. naturam,maximis uocibus, ad tantum beneficium celebrandum, exhortatur. Laudate, inquit,

Laudate Dominum de cælis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inquit,laudate Dominum, de sedibus summis, & excelsis, omnes beatæ mentes, quæ cœlum incolitis. Laudate nomen illius, omnes angeli eius; laudibus illum extollite, omnes exercitus eius. Laudate eum, Sol, & Luna. Laudate eum, Stellæ, clarissima luce micantes; splendorq. cælestis, in commemoratione Diuinæ laudis, exsultet. Cælum etiam inferius, ex superiore nexum, & aptum, in quod uapores attenuati sublimes eueluntur, Deum laudet; & aquæ etiam, quæ superam ipsius aeris regionem capessunt, Diuinas laudes eiferant. Laudent uniuersæ rerum formæ nomen Domini, cuius nempe uerbo, & imperio, creatæ sunt; & cuius ui, ratione, consilio, cohærent, & permanent; & in locis sibi assignatis insistunt.

Quia ipse dixit, & facta sunt.

Noui namque orbis splendor exoritur; apud omnes rerum naturas gloria Domini clarius illustratur; nomenq. illius nunc, multo, quam antea, magnificentius excellet. Nouam cæli, atque terræ, faciem finxit; nouam fabricam exstruxit; nouum naturæ uniuersæ decus intulit; &, quod erat fluxum, & interiturum, admirandis muneribus instaurauit. Orbem nouum fundauit, qui in omni æternitate permanebit; legem Diuinam sanxit, quæ numquam præteribit.

Laudate Dominum de terra.

Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes immẽsi maris gurgites, in quos ille clarissima luce penetrabit; Domini laudes, quantum potestis, efferte. Ignis, grando, nix, glacies, uentorum procellæ, Domini laudes prædicate. Omnes enim, ut illius imperio celeriter obediatis, uestram uim terris ostenditis. Montes, colles, ligna, fructifera, cedri, feræ, iumenta, serpentia, uolucres, Reges terræ, uniuersi populi, Principes, & omnes, qui ius in terris administratis, iuuenes, & uirgines, senes, & pueri, nunc summis laudibus Domini nomen extollite. Quid hoc est? Num fuit nomen illius in naturæ totius informatione parum clarum, & illustre? Num, cum legem dedit, obscuram uirtutis suę significationem dedit hominibus? Num parum in Regum maximorum euersione gloriam suam nobilitauit? Qua igitur nouitate impulsus, uniuersum mundum impellis, & incitas, ut nouis hymnis, & canticis, & acclamationibus, Domini nomen extollant?

Quia exaltatum est nomẽ eius.

Quia, inquit, omnia opera, quæ memoras, magnitudine huius longe uehementius admirandi operis obruuntur. Omnia siquidem, quæ designauit, & constituit, populi sui gratia fecit: ad electorum enim gloriam omnia opera Domini conferuntur. At Regnum populi sui hucusque humile, & imbecillum, uidebatur, exiguisq. terminis, & angusto temporis spatio, definitum. Satanæ tyrannis uigebat; numina falsa nomen Diuinitatis obtinebant; errores innumerabiles hominum mentes imbecillas occupabant. Nunc uero solum Domini nomen in populis, qui fuerant pestiferis opinionibus infecti, colitur, & celebratur, & in cælum Diuinis laudibus effertur. Illius gloria agnoscitur; illius maiestas, & amplitudo, timetur; illius probitas amatur: animi, multis flagitiis inquinati, formam cęlestem recipiunt; imaginemq. Diuinæ pulchritudinis in terra referunt; & sunt cęlestibus annumerati. Laudes igitur Domini in terra, & in cęlo, omnium uocibus efferantur. Extulit enim, amplificauit, & stabilíuit, Regnũ populi sui. Iam igitur non erit angustum, neque ulla uetustate delendum, sed terminis ampliſsimum, opibus ornatiſsimum, præsidiis firmiſsimum, tempore sempiternum. Ingens igitur laudis materia in Regno Christi celebrãdo est oblata cunctis sanctis, hanc uitæ puritatem, & sanctimoniam, Diuina gratia consecutis. Hi autem sunt ueri Israelis filij, non sanguinis ratione, sed fidei imitatione, & pietatis exemplo, propagati. Hic enim populus Domini censendus est, qui Deo suo, fide, religione, puritate, caritate, uotis ardentibus, precibus assiduis, ap propinquat. Vos igitur, sancti homines, quibus æquum est, cum sitis Dei filij, & uniuersa natura gratuletur, Deum perpetuo laudate.

Cantate Domino cãticum nouum: laus eius. Psal. 149.

Cãtate Domino cãticum nouum.

NEc intermittit uir sanctus studium; nec officio suo contentus esse potest, nisi omnes, quos habet fidei socios, atque participes, ad communionem Diuini muneris inuitet, &, sanctis omnibus admixtus, Christi Regnum laudibus summis extollat. Ait igitur: Deum laudibus celebrate; nouum carmen in laudem illius concinite; Dei laus, in sanctorum hominum conuentu, omnium canticis exornata, personet. Nouum enim beneficium, & donum, nouum hymnum optimo iure requirit; & sanctorum multitudo, æquum est, ut sanctitatis auctorem laudatione sempiterna prosequatur. Non opus est, ut exitus ex Aegypto cum Pharaonis exitio celebretur; sed, ut uera libertas animorum, cum infestissimi dæmonis euersione, & peccati demersi ruina, & interitu, prædicetur. Non sunt nunc gratiæ, pro sedibus terrenis, multis casibus obiectis, agendæ; sed pro firma, & stabili, iustitiæ cælestis hereditate, & possessione, in qua locati sunt omnes, qui se, cum incensa fide, ad nomen sanctissimi Regis adiunxerunt, dies festi, cũ nouis carminibus, agitandi. Lætetur Israel, conditoris sui, a quo tantum, & tam admirãdum, beneficium accepit, beneficentia; & ciues, qui Sion incolũt, Regis sui amplissima maiestate, imperio sempiterno, opibus summis, atque Diuinis, exsultent. Omnibus modis animorum lætitiam indicent; signis, uoluptatem, in qua uersantur, aperiant; choros ducant; tympana pulsent; ad cytharam canant; & Deo, cum mentium alacritate, carmina dicant. Summa namque benignitate complectitur Dominus populum suum; & mites, atque mansuetos, salutis sempiternæ muneribus exornabit. Non enim superbos, & insolentes, sed humiles, atque moderatos, in gratiam recipit; non ferocęs, & immanes, sed clementes, & ad lenitatem, & misericordiam, propensos, in suis numerat. Naturam enim importunam acerrime repellit; humanam uero, & ad bonitatem flexibilem, ad se libenter inuitat, & allicit. Ex his autem sunt, quos sanctitatis muneribus instruxit, opibusq. Diuinis locupletauit. Exsultent igitur sancti; tan-

ti; tantæ gloriæ, & decoris, amplitudine; neque solum in conuentibus, & publica celebritate, sed etiam secum, in cubilibus suis, magnitudine lætitiæ, & iucunditatis, efferantur. Secum ipsi psallant; secum saltent; secum tripudient; & in bonis, quibus affluunt, mente purissima glorientur. Vt enim impietatis comes est angor assiduus; ita pietatem necessario consequatur, opus est, exsultantis lætitiæ magnitudo. Itaque, ex eorum pectore, frequenter, & assidue, uoces erumpent, quæ Diuinas laudes exprimant, & gratissimos eorum animos testificentur; & interim iustissimi belli studium minime deponant. ancipites enim gladios manibus uibrabunt; ut gentium impiarum scelera acriter ulciscantur; ut populos crebris incursionibus infectentur; ut Reges uinculis adstringant; ut nobilitatem, quæ reges circumsæpit, manicis ferreis impediant. Arma namque sanctorum hominum, qui Principatum obtinent, non sunt humana, sed Diuina. nec enim est quidquam Dei uerbo ualentius ad acies profligandas, ad arces expugnandas, ad altitudinem, quæ Christi sanctionibus aduersatur, deiiciendam, & gentium multitudinem sub Christi Regis imperium, & ditionem, subiungendam. Sancti igitur, de sententia Dei, lege præscripta, orbem terrarum iudicabunt; & hac tam insigni gloria omnes, qui ueræ sanctitatis opibus exculti sunt, cum omnium admiratione, circumfluent. Deum igitur, o uiri, qui uos tantis ornauit beneficiis, laudibus sempiternis extollite.

Et gladii ancipites.

Laudate Dominum in sanctis eius. Psal. 150.

Laudate Dominum in sanctis.

TRiumphum clarissimum ducit summus imperator noster ex omnibus bellis, quę, cum ampla, & illustri, nominis sui gloria, confecit; cum peccati uires excidit; cum inferorum acies profligauit; cum tyrannidem hostis sempiterni deleuit; atque postremo, cum uim mortis ipsius exstinxit. Hæ uictoriæ cum totius cæli concentu, & angelorum frequentia, celebrantur; & ab hominibus sanctis, in terra, ad exemplum cęlitum, harmonia mirabili, concinuntur. Ait itaque uir sanctus: Laudate Deum; Dei præpotentis uim, & insignem gloriam, laudate; in sanctissimum illius templum, non manibus humanis exstructum, sed opera ipsius Domini mirabiliter ædificatum, in qua Maiestas illius semper insidet, studio inflammato, respicite; & in fortitudinis eius firmamento, laudibus perpetuis, illius probitatem, & clemẽtiam, celebrate. Laudate in illo, uirtutis, & roboris, immensitatem; laudate infinitæ maiestatis excellentiam, & magnitudinem; laudate eum, tubarum clangoribus; laudate, in testudinibus, atque cythara; laudate eum, tympanis, & choris; laudate eum, chordis uarie ad concinendum dispositis, & instrumentis, ad symphoniam, apte, & decenter, accommodatis; laudate eum, cymbalis clare, atque modulate, sonantibus; laudate eum, cymbalis sonitu uehementissimo perstrepentibus. Omnis spiritus celebret omnibus modis uictorias Domini; & numquam de uirtute, & clementia, illius conticescat. Laudate nomen Domini.

Ego Frater Petrus Ioannes Caragoza, Magister, Reuerendiss. Magistri Sacri Palatij socius, ex commissione Suæ Reuer. Pat. uidi, & perlegi totam hanc Paraphrasticam Psalmorum Dauidis expositionem Reuerendiss. Domini Hieronymi Osorio, Episcopi Siluensis. in qua nihil inueni, quod rectæ fidei, sanæ doctrinę, bonisq. moribus sit aduersum; sed, præter locutionis elegantiam, qua in omnibus suis operibus mirifice claruit, miram quandam seriei uniuscuiusque Psalmi periucundam explanationem, contextui maxime accommodatam, scituque dignissimam. Quamobrem censẽo in communem omnium utilitatem typis omnino fore mandandam. In quorum fidem Præsentibus propria manu subscripsi, die 15. Februarij. 1592.

Imprimatur. F. Barth. de Miranda. S. P. M. P. Ant. Vicesg.

F. Petrus Ioannes Caragoza, Magister, qui supra, manu propria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII
NEPOTIS
LVSITANI
CANONICI EBORENSIS
NOTATIONES
IN PARAPHRASIM
PATRVI SVI
HIERONYMI OSORII
EPISCOPI SILVENSIS
IN PSALMOS.

PROOEMIVM.

OMNIVM disciplinarum maximarum laude Dauidem floruisse, Psalmorum liber manifeste declarat. in illis enim multa sapienter disputat, quę ad uitæ moderationem, & ad totius Reip. salutem conseruandam, pertinent; de bonorum omnium postremo, & ultimo, quo omnia uitæ consilia sunt referenda, luculenter differit, infinitam Diuinæ mentis uim, rebus omnibus salutarem, in omnes commeantem, omnibus prouidentem, eleganter ostendit; naturæ fecunditatem, uniuersitatis pulchritudinem, describit; legis ueteris sensus subtiliter inuestigat; futura, quæ mente præuidebat, cum præteritis ita connectit, ut omnia in unum concinne redigat; de Iudæorum perfidia, de Christi in Tellurem aduentu, de illius Regno, de opibus sempiternis, plane, ample, & ornate, dicit; summa denique in eo uiguit in dicendo prudentia, & grauissimarum rerum tractatione admirabilis quædam sapientia: quamobrem nõ immerito uiri ingenio præstantes, plurimũ studij, & operæ in eo consumpserunt, ut tanti uiri sensus perciperent, & eos piis hominibus explanarent. Quos imitari cum sibi Hieronymus Osorius honestum esse iudicaret, singularis, quo pollebat, ingenio, & eruditione, Psalmos omnes, eo dicẽdi genere, quod Paraphrasim uocant, explicauit. Quamuis autem hic modus explicandi, antecedentia cum consequentibus ita coniungat, ut ea ante oculos proponat, sibique semper cohærens breuior exsistat, & nemini fastidium afferat, doctos delectet, & optime imperitos erudiat; his tamen, qui in litteris sacris parum sunt exercitati, aliquãdo molestiam parit, quia Hebræi, Græci, & Latini, sermonis inter se diuersitas obscu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

riorem aliqnando ſententiam reddit; qui merito deſiderabunt, ut aliqua fuiſſent longiori oratione ab auctore explicata. horum igitur deſiderio ut ſatisfaceremus, quædam in commentariolo hoc notauimus, quæ ad ſententiarum cognitionem aliquid lucis afferre poſſe uidebantur, etſi nos ualde ab hoc officij munere ingenij noſtri tenuitas reuocaret. quia uero laborem hunc noſtrum quibuſdam utilem fore uiri prudentes iudicabant, ad id, quod minime cogitabamus, animum adiicere non dubitauimus. niſi enim hi ad ſcribendum nos excitaſſent, numquam profecto hoc tantum munus ſuſcepiſſemus. multo enim nobis commodius fuiſſet eorum hominum iudicia taciturnitate effugere, qui, cum ſeipſos nimis ament, & ſint in ſui admiratione defixi, intelligentiam ponunt in aliorum litterarum faſtidio: fore tamen ſperamus, ut hominibus moderatis, & doctis, hic noſter conatus non ſit ingratus. nam illis quamuis nihil nouum afferamus, aliis tamen conamur, ad ſanctiſsimi uiri ſenſus percipiendos, aliquid adiumenti, & opis afferre. hoc autem ea lege perficiendum ſuſcepi, ut doctrinam minime oſtentarem, & breuitati ſummopere ſtuderem: non enim nobis ea mens umquam fuit, ut auram popularem ſectaremur; aut præclaris ſtudiis principum gratiam præferremus. Verum de his hactenus: & ad Pſalmorum intelligentiam animum conferamus: ſed, antequam propius accedamus, operæ pretium erit, aliqua paucis attendere. De auctore Pſalmorum uiri docti non idem ſentiunt: Oſorius autem Dauidem fuiſſe putat. Quamuis enim aliquorum Pſalmorum titulis Aſaph, & aliorum nomina inſcribantur, & in fine Pſalmi ſeptuageſimi ſecũdi ſcriptum reperiamus, Defecerunt laudes Dauid filij Ieſſe: ex primo tamen libro Paralipomenon manifeſte percipimus, Dauidem cantores primum in ordinem adduxiſſe, a quibus hymni coram arca fœderis concinebantur, quorum Principes fuerunt Aſaph, Heman, & Idithus, qui ſecundum illius decreta carmina modulabantur: quemadmodum his uerbis ſacræ hiſtoriæ auctor enarrat, Vniuerſi ſub manu patris ſui ad cantandum in templo Domini diſtributi erant, in cymbalis, in pſalterijs, & cytharis in miniſteria domus Domini iuxta Regem Aſaph, uidelicet, Idithus, & Heman: quo in loco eſt animaduertendum, illorum uerborum ſententiam (iuxta Regem) non eſſe aliam, niſi quod ij Regis præcepto, quæ ſibi ad canendum tradebantur, modulate canebant. unde effectum fuit, ne cantorum ordines turbarentur, ut Pſalmi ordinum illorum principũ nominibus ſignarentur; ut manifeſtum fieret, a quo canendi eſſent: quod etiam ex ſecundo libro Paralipomenon perſpicimus. nam Salomonis Regis ſtudium erga Dei cultum idem hiſtoricus commemorat. Sacerdotes, inquit, ſtabant in officiis ſuis, & Leuitæ, in organis carminum, quæ fecit Dauid Rex ad laudandum Dominum: quamobrem Chriſtus, & Apoſtoli nullam Aſaph, uel alterius, niſi Dauidis, mentionem fecerunt, cum multa ex Pſalmis teſtimonia depromp ſiſſent. Illud autem, quod ex Pſalmo ſeptuageſimo ſecundo attulimus, quam futile ſit argumentum, ex ipſius Pſalmi explanatione apparebit. Si quoque Pſalmorum inter ſe ordinem attentius conſideremus, eos nulla temporis habita ratione in unum fuiſſe redactos intelligemus. nam Pſalmus ille, tertium locum obtinet, quem Danid compoſuit, cum Abſalonem, tyrannidem occupantem, fugeret, ille uero alius, quem edidit, cum apud Regem Abimelechum fatui perſonam ſumpſit, trigeſimus tertius numeratur: quare Pſalmus ſeptuageſimus ſecundus, quamuis uerbis illis concludatur, & in Dauidis Pſalmis poſtremus habeatur, non ideo conſequens efficitur, ceteros, qui ſequuntur, Pſalmos a Dauide editos non fuiſſe. Si enim temporis ratio habita fuiſſet, poſtremum locum ille fortaſſe tenuiſſet. Satis igitur prudenter Oſorius, hanc de Pſalmorum auctore ſententiam ſequitur, quæ ſacræ hiſtoriæ, eſt maxime conſentanea, & Diuino teſtimonio uidetur fuiſſe confirmata; quam D. Ioannes Chryſoſtomus, & D. Ambroſius complexi ſunt. Fuit hæc quidem, ut Theodoretus refert, ſententia plurimorum. Modus autem dicendi eſt uarius, atque multiplex. ſunt enim multa, & uaria, de quibus sãctiſsimus Dauid in his Pſalmis diſſerit. ſæpe enim de iis rebus orationem habet,

habet, quæ illis temporibus ſingulari cũ omnium admiratione contigerunt; ſæpe, cum de ſeipſo loqui uideatur, ita humana omnia præteruehitur, ut omnium cælorum faſtigium ſubeat, mira Diuinaque commemoret; & in Chriſti Optimi, & Maximi laudibus prædicandis ita uerſatur, ut, abiecto legis uelamine, de illius diuinitate ſæpenumero orationem inſtituat. Quare Dauidis mentem Oſorius ita ſequendam ſibi eſſe duxit, ut Iudæorum ſenſus, qui ſemper tellure repunt, contemnat, quæ ad mores ſententia pertinet, eam perſequatur; & Diuina de Chriſto myſteria ſectetur. Pſalmorum uero tituli, quia ſæpenumero diuerſa inſtrumentorum genera ſignificent, ad quorum concentum Pſalmi canebantur, eos ſolum explanauit, in quibus uel rerum hiſtoria, uel arcani ſacramenti ratio contineretur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PSALMVS PRIMVS.

IN *cathedra pestilentiæ non sedit.*) Nihil Reip. funestius excogitari potest, ea hominum perditorum in scelere impudentia, qua uirtutis studium irrident, contumeliis scindunt, impunitamque peccandi licentiam maxime esse expetendam hominibus persuadent. hi enim optimis moribus pestem afferunt, ius omne conuellunt, rebus denique communibus exitium important, quamobrem sapienter satis Septuaginta interpretes fecerunt, cum eos, quos Derisores Hebræus uocauit, Pestilentiæ nomine significarunt. sic enim apud Hebræum legimus, In cathedra derisorum non sedit. Tres autem quasi gradus hoc in uersu describuntur, quibus ad detestandi sceleris summam peruenitur. primum enim, quis sceleratorum hominum consilium comprobat; deinde, illorum uestigiis insistens omnium scelerum maculis se contaminat; postremo, ut in omnium flagitiorum genere impune uolitet, uirtutem ludibrio habet, magistri personam assumit, & imperitam plebem imprimis sima doctrina instituit: Cathedræ enim nomen potius ad doctrinam, & ad doctoris personam, significandam pertinet, quam ad familiaritatis consuetudinem, ut multi existimant.

Non resurgent impij in iudicio,) Quia piorum hominum statum omnibus bonis circumfluentem descripserat, & impiorum in summas miserias eiectionem commemorauerat, eam nunc ad Dei iudicium refert. non enim impij poterunt illud fraudibus illudere. quamobrem non resurgent in iudicio, hoc est nulla ratione coram sanctissimo iudice caussam poterunt obtinere. Quod enim apud Hebræum In iudicio consistere, id apud interpretes In iudicio resurgere dicitur. Sequens uero oratio, nec peccatores in consilio iustorum a cœtu, communioneque piorum sceleratos esse expellendos declarat. quod enim cœtum, siue hominum iustorum congregationem, Hebræus appellauit, Septuaginta Græce βουλὴ reddiderunt. quod non solum sententiam, sed locum, in quem senatores conueniunt, ut de re aliqua graui sententiam suam quisque pronuntiet, & ipsos Iudices, & Senatores, congregatos significat, quemadmodum Latini scriptores nomen Consilij etiam usurpant: ut pro Quinctio inquit Cicero, Si apud hoc consilium ex opibus, & non ex ueritate, caussa pendetur, &, ad Atticum scribens, Veniendum, inquit, ne sit in consilium tyranni, si is de re aliqua bona deliberaturus sit. Sensus igitur est, Impij coram Deo Iudice caussa cadent, quod sancti homines sententia sua comprobabunt, & ad eorum communitatem minime coniungentur.

Psalmus 2.

HVnc Psalmum Paraphrasis auctor de Christo Opt. & Max. explicandum sibi esse persuasit; tum, quia Hierosolymis ille sanctorum hominum cœtus, cum sacerdotes, ac Principes Iudæorum, Petrum, & Ioannem, ab Euangelij prædicatione deterruissent, in illis, quas ad Deum preces fudit, in eadem fuit opinione; tum etiam, quia Diuus Paulus, ad Hebræos scribens, neminem umquam Angelorum a Deo Filium, præter Christum, fuisse appellatum affirmat. Cum igitur hoc in Psalmo ipse Diuinus Pater dicat, Filius meus es tu, non profecto tam Dauidem, quam Christum, compellat. Accedit etiam, quod Dauid, cum apud Hebron in regia dignitate fuit collocatus, non a pluribus Regibus, & Principibus, sed a solo Isbosteto, Saulis filio, oppugnabatur, quare illud de se immerito prædicaret, Astiterunt reges Terræ, & Principes conuenerunt in unum. Plurimi igitur ex nostris, & ex Hebræis, qui inter illos doctrina præcellunt, Psalmum hunc ad Messiam pertinere affirmant.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo.) Hunc Psalmum in dialogo sanctissimus Dauid scripsit. Diuinum enim Patrem ad Filium, & filium, atque Dauidem ad omne genus hominum loquentes inducit: hoc autem in uersu, Diuinus pater, ut gentium uæsaniam demonstret, quæ Christi imperium non solum detrectabant, sed & illius nomen ex hominū memoria euellere conabantur, hæc de filio pronuntiat, Ego constitui Regē meū super Sion: quemadmodum apud Hebræum, & Græcū quintę, & sextæ editionis librum legimus, & Aquila interpretatur. Diuinus enim pater ab omnium sæculorum æternitate prædefinierat, atque firmissime constituerat, ut Diuinus filius uerum Sionē ab hostis immanissimi tyrānide uindicaret, & illū suo imperio cōtineret, qđ Diuini patris decretū, quia filius, ut gētium doctor illis prędicauit, Septuaginta interpretibus potius uisum fuit, orationem hanc filio, & non patri tribuere.

Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genuite.) Quamuis ab omni æternitate Christus Dei filius exstiterit, non ita tamen uel in mundi fabrica, uel in legis institutis, illius numen illuxit, ut, labefactato mortis imperio, cum infinita uirtute se ipsum e mortuis excitauit, mirabiliter splenduit. non solum enim omnium, quæ fecerat, opus maximum perfecit, sed illud,

illud, quod a patre enixe postulauerat, cum in hunc modum precabatur, Clarifica me tu, pater, apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te, mirifice est consecutus. quare merito a Dauide tunc temporis a Deo genitus fuisse dicitur, quia hominibus, illum Dei filium esse, eo clarissimo immensæ uirtutis suæ argumento, patuit. Quem huius uersus sensum Paulus probauit, dum Antiochiæ Pisidiæ ad Iudæos orationem habuit. Illud uero, Dominus dixit ad me, nihil aliud, nisi summæ Diuini patris uoluntatis declarationem, continet, qua Christum est prosecutus, ut, illum suum esse filium, eo facinore declararet. Sicut enim superius a Dauide dictum fuit, In ira sua loquetur ad eos, hoc est, ea supplicia sceleratis hominibus imponet, ut satis manifeste percipiant, se in grauissimam numinis offensam incidisse, ita etiam hoc in loco, cum inquit, Dominus dixit ad me, nihil aliud significare uoluit, nisi quia Diuinus pater abunde satis illud præstabit, ut homines se Deum uerum, & quem misit Iesum Christum, esse cognoscant.

Apprehendite disciplinam.) Etsi multiplex sit ueræ disciplinæ uis, unus tamen est illius fons, & origo, Christus Dominus. Septuaginta igitur interpretes, quod Hebræus dixit, בר bar, hoc est purum, & electum frumentum, siue filium, hoc in loco Disciplinam sunt interpretati, quia nihil ab omni uanitatis suspicione magis liberum, nihil magis purum, quam Diuina disciplina, excogitari potest. ipsa enim sordes eluit, animum splendore Diuini luminis illustrat, & iucundissima suauitate complet. Osorius autem, Disciplinæ nomine, ipsum Dei filium significari existimauit. ille enim est uia, & ueritas, sempiternaque animorum lux, quæ illuminat, ut inquit Ioannes, omnem hominem uenientem in hunc mundum. quam sententiam eleganter Hebræus explicat, cum inquit, Osculamini bar, hoc est electum, purum, & filium. ita enim Dauid ut Sapientiæ disciplinam percipiant gentibus persuadet, ut filium Dei sub humana forma delitescentem non solum magistrum illis obseruandum esse affirmet, sed, si uera uelint sapientia potiri, hortatur, ut Diuinos illi honores adhibeant, præpotentemque rerum omnium Principem esse fateantur.

Psalmus 4.

Filij hominum usquequo graui corde.) Filios hominum eos apellat, qui uel opibus, uel nobilitatis splendore, ceteris excellunt. ea est enim Hebræis loquendi consuetudo ualde familiaris, ut nomine בני non solum quemcumque hominem, sed illum, qui inter alios dignitate, uel opibus, eminet, significent: quemadmodum auctor Diuinus illud usurpat, cum enarrat, Gedeonem cum trecentis militibus in hostium castra inuasisse, ut milites strenuos illos fuisse ostenderet. Graui uero corde, siue Græce βαρυκάρδιοι, hoc est uæcordes, a Septuaginta interpretibus appellantur, quia nullum potuit esse maius uęcordiæ argumentum, quam, sanctissimi Regis prudentiam, qui omnia uitæ suæ præsidia in Dei benignitate collocabat, Regnumq. suum hominum amore, & beneuolentia stabilire decreuerat, petulanter irridere. Quorum insaniam apud Hebræum his uerbis sapientissimus Rex eleganter perstringit: Filij hominum, usque quo gloriam meam ad ignominiam? Quasi diceret, Regiæ dignitatis splendor non in animo crudeli, & impio, uiget, sed in animi eximia erga omnes mansuetudine, & in ardenti Religionis studio, persatur; hoc est, decus meum, hæc nominis mei gloria singularis, sempiterno Dei præsidio stabilita. quę uos igitur dementia, & furor, exagitat, ut illam contumeliis proscindere non dubitetis?

Quoniam sanctum suum mirificauit.) Vox Hebræa beneficum, & pium hominem significat: pro qua interpretes ὅσιον, siue sanctum, eleganter reddiderunt. omnis enim sanctitatis splendor in pietate erga Deum, & erga hominum communitatem beneficentia, elucet. quarum uirtutum præsidio, quia Dauid Regnum suum confirmare studebat, in multorum incidit reprehensiones, quas his uersibus diluit.

Irascimini, & nolite peccare.) Quemadmodum Paulus hac oratione Ephesijs persuadet, ut si forte irascantur, ante solis occasum iram deponant, ita etiam Dauid reprehensores hortatur, ne, ira commoti, opus aliquod designent, atque ita sceleris flagitium in se ipsos committant. iræ enim impetus, cæcus, & præceps, exsistit. ne autem in scelus præcipitent, consilium sapientia plenissimum præbet. In cubilibus, inquit, uestris compungimini, ac si diceret, dum, noctis tempore, cura soluti, requieti operam datis, rem cum animis uestris cogitate, rationum pondera considerate, quarum aculeis animos uestros compungi permittite. Hanc sententiam Hebræus eleganter explicat. Sic enim inquit, In cubilibus uestris tacete, siue exspectate. utrumque enim uerbum Hebræum significat. In cubilibus igitur tacitos iubet silentio uacare, non animi sui studium reprehendere, sed rerum rationes examinare, & illarum euētus exspectare. quod si faciant, cognoscent, quantum humanis uiribus pietas excellat.

Psalmus 5.

Mane adstabo tibi, & uidebo.) Ex incensa pij hominis ad Deum oratione duo oriri solent, quæ animi statum firmant, & stabiliunt. alterum est firmissima auxilij Diuini præsto sibi futuri spes; alterum est Diuinæ benignitatis contemplatio, quæ suauissima iucunditate animum complet. quorum utrumque Dauid hoc in uersu orarione complectitur. Mane, inquit, adstabo tibi, &, ut Hebræus ait, præparabo tibi, hoc est, te adibo, & supplici prece uenerabor; & uidebo, nēpe tuę maiestatis sanctitatem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

infinitum tiirtutis robur, & immensam benignitatis uim toto animi studio contemplabor. Vnde mihi singularis uoluptas emanat, & auxilium tuum mihi ad futurum firmissime sperabo: nox enim Hebræa אדרה quam interpretes uertetrunt, Videbo, & attentis oculis speculari, & exspectare significat. Videbo igitur, idem ualet, ac si diceret, Te singulari cum uoluptate mecum cogitabo; &, ut auxilium feras, in te suspiciam, illudque firmissima fide exspectabo.

Psalmus 6.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui.) Minime mirandum est, si homo mortalis mortis uiribus succumbat; nec quidem ampla ex mortis acerbissimo uulnere gloriæ Diuinæ prædicandæ materia suppetit. mortuus enim eo munere apud homines fungi non potest, sed in inferno, hoc est in sepulcro, conditus, perpetuo conticescet. Infernum enim nomen in sacris litteris, pro tumulo, quo humana corpora conduntur, & proinde inferorum sede, & loco Purgatorio usurpari consueuit. Verum illud homines in admirationem benignitatis Diuinæ excitabit, si Deus ægroto salutem restituat: is enim, qui sanitatem fuerit consecutus, sanctissimum numen laudibus efferet, & homines intelligent morbos in scelerum pœnas sæpenumero contrahi, & gratiam Diuinam esse maxime salutarem. Hoc firmissimo argumento Dauid hoc in loco pugnat, ut salutem a Deo adipiscatur.

Psalmus 7.

Si reddidi retribuentibus mihi mala.) Saul eam ob caussam Dauidem mortis supplicio dignum esse asserebat, quia aduersum se res nouas moliretur. hanc inimicorum calumniam hoc uersu uir sanctus à se longe repellit. Si enim tanta regnandi libidine flagraret, multa impotentis animi argumenta præbuisset. nihil enim est tam sanctum, nihil tam legum præsidijs circumuallatum, quod dominandi cupiditas non prosternat, & labefactet. Cum igitur summa in eo semper animi moderatio eluxerit, immerito talem de eo Saul opinionem conceperat. eximiæ autem moderationis argumentum illud extitit, quia suis debita officia ardentissimo studio semper præstitit, & in hostes fuit beneuolentiæ magnitudine admirandus. Hanc sententiam Hebræus hoc in loco his uerbis explicat: Si ei, qui tranquille mecum degit, malum tribui, & erui inimicum meum inanis; erga suos benignitatem suam numquam fuisse exhaustã, sed semper uiguisse asserit, cum inquit, Si ei, qui tranquille mecum degit, malum tribui, erga hostes uero mansuetudinem, & beneuolentiam testatur, cum dicit, Et erui inimicum meum inanis, hoc est, Saulem ipsum, & sceleris sui satellites, qui me acerbissimo odio persequuntur, ego inanis, nulla, inquam, lucri spe adductus, a mortis periculo sæpenumero eripui, & a Palæstinorum seruitute liberaui. Si igitur familiares, & domestici mei non solum benignitatem meam sunt experti, sed & ipsi immanissimi hostes uita, & libertate fruuntur, quam ego illis comparaui, qua ratione scelus suum poterunt simulare, cum tam impudenter mihi tyrannidis occupandæ crimen obiciant? quasi ad regnum occupandum non mihi facilius fuisset eos hostibus necandos tradidisse, quam ab eorum manibus eripuisse. Septuaginta autem interpretes in prima uersus parte breuiter sententiam explicarunt; & tam domesticos, quam hostes Retribuentes appellarũt. utriq. enim tribuunt; illi, debita officia soluunt; hi, contra officium, & ius, beneficij loco exitium comparant: nisi potius usum fuerit, hostium mentionem ab eis solum fieri, domesticos uero silentio præteriri.

Exaltare in finibus inimicorum meorum.) Viri docti, dum huius uersus sententiam exquirunt, diuersas multorum opiniones referunt. nos autem Septuaginta interpretum mentem inuestigandam, & Hebræi explicationem considerandam esse duximus. Nomen igitur Grecum τέλος, quo Septuaginta utuntur, finem, terminum, metam, & scopum, significat. Principes igitur, & eorum consilia, & propositum, siue finem, & scopum, hoc nomine designarunt. ut is sit huius uersus sensus: O Domine, in hostium meorum principibus, & in eorum consiliis euertendis, ut illis, contra quam cogitarant, res accidant, numinis tui uis, summa cum nominis tui gloria, apud omnes gentes eluceat. Si uero Hebræorum loquẽdi consuetudinem obserues, in eam deuenies opinionem, ut Dauidem precari existimes, ut inimicorum suorum furorem Deus Opt. & Max. infringat, uel ut propter inimicorum iram, qua in suam perniciem insano impetu ferebantur, potentiam suam excitet, ut sibi opem ferat. Sic enim Hebræus inquit, Exaltare in furore inimicorum meorum. Nec quidem temere coniectura ad suspicandum ducimur, Septuaginta interpretes aliter, quam apud Hebræum scriptum reperimus, reddidisse; quia uox Hebræa Gaberoth, quę in libris Hebræorum hoc in loco reperitur, & furorem, atque iram significat, eisdem litteris, quibus Geber, apud Hebræos scribatur; Geber autem, idem apud illos ualet, atque si Latine dicas Trans, uel Eregione, & Econtra; interpretes autem uidentur in suis libris Geberot legisse, & ideo Græce uertisse, Exaltare Domine in finibus, & non in furore, inimicorum meorum: ut sit huius orationis sensus: Cum hucusque, Domine, in malis meis conniuere uidearis, excitare, quæso, & hostibus meis te in finibus oppone; quemadmodum, qui hostes a patria auertere conantur, eis in patriæ telluris terminis e regione sese contra opponunt, eorumq. impetum repellunt, ita tu uires tuas illis obiice, quibus collisi pereant.

Numquid irascitur per singulos dies.) Quemadmodum Paulus, ad Romanos scribens, in flagitiosorum hominum peccatis Deum non conniuere, sed, eorũ in uitiis perseuerantia, docet, iram Diuinam incendi; & in dies cumulari. Secundum, inquit, duritiam tuam, & impenitens cor thesaurizas tibi irãtia sanctissimus Dauid Saulem, eiusq. sceleris immanissimi satellites de Diuini numinis in eorum flagitium ira, atque odio admonet. Sic enim apud Hebræum hoc in loco ait, Deus irascitur quotidie. ac si diceret, Quamnis benignitas Dei, ut respiscatis, est in caussa, quare diuturni sceleris pœnas, nunc usque a uobis non exegerit, illud tamen pro comperto habetote, dum in scelere perseueratis, ad pristinam offensionem, singularem illius iræ quotidie fieri accessionem: quam sententiam Septuaginta interpretes, addita interrogatione, explicarunt. sic enim interpretati sunt, Numquid? id est, num eam de Deo opinionem habetis, ut existimetis, rerum humanarum ab eo curam non haberi, & iudicij æquitatem contemni? iurpiter uestra uos insania fallit. ille enim irascitur per singulos dies, supplicium differt, ut acerbius in uos, si in meliorem mentem non conuertamini, animaduertat. ira enim illius quotidianis uestris sceleribus magis magisq. augetur.

Psalmus 9.

HVius Psalmi titulus, quem auctor explicat, apud Septuaginta interpretes sic se habet, In finem pro occultis filij Psalmus Dauid. quis, qualis ue sit hic finis, quam difficile sit ratione percipere, nemo est, qui non uideat: nisi forte Finis nomine summã carminis perfectionem, aut rerum in eo explicandarum altitudinem, interpretes significare uoluerunt; uel illum, quem Hebræus victorem uocat, qui canentium chorum ducebat, ac moderabatur, siue ipsam victoriam ab hostibus partam, Finem nominarunt, quam composito carmine Dauid celebraret; illud uero, pro occultis filij, carminis materiam explicat. Apud Hebræum titulus hac inscriptione constat: Victori, Halmuth labben, idest Pro morte labben. Quamobrem multi in hoc Psalmo Dauidem arbitrantur de Goliatho agere, alij de Nabal, quem Labben, siue insipientem appellant: nec desunt, qui carmen a Ben, qui inter præcipuos cantores in historia sacra enumeratur, fuisse modulatum existiment, & ideo eo titulo fuisse insignitum asserant; uerum alij Labben alicuius Principis, opibus, imperijq. dignitate insignis, proprium esse nomen putauerunt: quos Paraphrasis auctor sequitur: Ob Labben igitur cædem carmen hoc Dauid composuit; & victori, siue canorum Principi illud modulãdum tradidit. Labben enim, hostis acerrimus, & uiribus potens, fuit Diuina benignitate interemptus. Septuaginta autem interpretes, quia Ben apud Hebræos Filium significat, & littera El, siue Lamed sæpenumero nominibus addatur, pro occultis, idest interitu, & cæde filij ex Hebræo uerterũt: ueluti, si pro Rhomi, nomine Græco, non Romanos, sed Viribus ualentes, Latine redderes; quia, ex sua originis ratione, Fortes, & Strenuos, significet.

Inimici defecerunt framęa in finem.) Quia dixerat, Dei uirtute immanissimi hostis uires fuisse labefactatas, illiusq. nomen penitus extinctum, ad illum eleganter orationem conuertit, ut hominis superbi insaniam ostendat, & infinitam Diuini iudicij uim luculẽtius prędicet. sic enim apud Hebræum legimus: O inimice, finitæ sunt solitudines in æternum, Ciuitates destruxisti: quasi diceret, Iam non amplius urbibus ualtitatem inferes, qui plurimas excidisti. Quam sententiam Septuaginta eleganter sunt interpretati, quamuis orationis tropum non retinuerint. tæterrimi enim hostis, arma, & uires absumptas fuisse affirmant, quibus tot urbibus exitium intulerat.

Periit memoria eorum cum sonitu.) Litterarum apud Hebræos nõ solum similis, atque fere idem est sæpenumero character, & forma: Sed idẽ prorsus nomen, ob liberum, & omni lege solutum uocalium usum, uarie pronuntiatum pro diuersis rebus usurpari consueuit. quare mirum uideri nõ debet, si ijdem uersus non eodem semper modo scripti reperiantur: ut hoc in loco contigit. quod enim Septuaginta Cum sonitu reddiderũt, aliter reddi potuisset; nempe, Cum ipsis; quemadmodum uiri docti affirmant: ut sit huius orationis sensus: Sunt hostes internecione deleti, & simul cum ipsis illorum memoria in tenebris iacet. Septuaginta uero huius Diuini facinoris famam, quæ in omnes gentes peruagauit, Sonitus nomine significarunt. Vox enim Hebræa, תמה ex diuersa uocalium coniunctione, diuersam significandi uim adipiscitur. המם enim Sonare, & המה Ipsos significat.

Constitue Domine legislatorem super eos.) Non solum Rex, & Reip. moderator, qui iustitiam colit, sed & tyrannus, qui omnia libidine sua metitur, leges conscribit. uerum ille, ut Reip. salutem constituat, & stabiliat; hic, ut illam dilaceret, uexet, & labefactet. A Deo uir sanctus huiusce modi legislatorem improbis hominibus exoptat, ut impiæ nationes, tyrannidis immanitate uexatæ, Dei uirtutem suspiciant: nomen autem Hebræum, pro quo Septuaginta interpretes Legislatorem reddiderunt, Timorem etiam, siue Timendum significat. Tyrannus enim, metu, in officio suos continet; Rex autem, amore, eos sibi deuincit.

Non mouebor a generatione in generationem sine malo.)

Universidad de Deusto
Biblioteca

malo.) Impius homo, dum uim Diuinam, omnia imperio coercentem, minime cogitat, eo dementiæ præceps labitur, ut in scelere felicitatem suã collocet, & sibi eam, cum in omni flagitiorum genere uolutatur, polliceri non dubitet. quod Dauid explicat, cum impium in hanc sententiã loquentem inducit: Non mouebor, ideſt, ab hoc florenti rerum mearum ſtatu numquam diuellar: ſine malo, ſupplendum eſt, ero: felix uitæ meę hucuſque curſus peractus, omnium malorum uacationem futuram promittit. quamobrem, totius mali expers, dego, & me nullus acerbior caſus afflictabit. Hic ſenſus, & Hebræorum loquẽdi conſuetudini, & totius orationis filo ualdè conuenit.

Quæretur peccatum illius, & non inuenietur.) Viri Sancti Reip. ſalutem rebus omnibus anteponũt; &, quamuis impij ſibi detrimenta plurima inferant, non propterea eis ſupplicium irrogari exoptant. uerum, ut Dei gloria apud omnes nationes clarius eniteat, & maiori cum admiratione ſplendeat, & Reip. ſalus cõfirmetur, ſæpe ad Deũ orationẽ habent. in qua eni xe ab eo contendunt, ut in impios animaduertat. quod cum Dauid feciſſet, quare a ſanctiſſimo iudice de impiis ſuppli cium ſumi debeat, rationem reddit, nempe, quia inde hominum communitati maximũ erat emo lumentum ſperandum. nam ſceleratorum homi num peccandi licentia in eo maxime remp. dilacerat, quia, & liberos ijſdem moribus, quibus ipſi ſunt imbuti, inſtituant, & exemplo ſuo alios ad ſcelus, & ad flagitium, inuitent, quod rebuſp. perniciem afferre conſueuit. Si igitur, inquit Dauid, in improbos, o Domine, animaduertas, & eos ex hominum memoria conuellas, non mediocriter religioni tuæ, & hominum cõmunitati, conſules: quæretur peccatum illius, & non inuenietur: nullus enim illorum ſceleris fructus reperiri poterit: neminem ſcilicet illorum impietatis exemplum ad flagitium trahet: nemo illius ueſtigia, ſupplicij metu perterritus, ſectanda eſſe indicabit: uiduarum, & pupillorum, grauiſsimæ de iniuriis ſibi illatis querimoniæ conticeſcent: hoc ſceleratã eſt hominis peccatum, hic illius fructus, qui, etſi diligenter quæratur, minime inuenietur, ſi uires illius exſcindantur, ſi radicitus ex hominum communione euellantur. Alij aliter explicant: quibus auctor prætermiſsis, hanc, quam diximus, ſententiam amplectitur.

Præparationem cordis eorum audiet auris tua.) Dei prouidentia ſanctorum hominum uitam ſingulari ratione ita moderatur, & regit, ut eis, quãuis acerbe laboribus afflictentur, opem præſtare differat, ut, dum ab hoſtibus acriter oppugnantur, eorum animi ad Diuinæ uirtutis imitationẽ uehementius incitentur, & poſtea eorum uotis ſatisfaciat. quod ex hoc uerſu manifeſte percipimus. Sic enim D. Hieronymus illum Latine reddidit, Deſiderium pauperum audiſti, Domine: præparaſti cor eorum: audiat auris tua. nam Deo eſt ualde gratum illud ſanctorum deſiderium, quo flagrant, ut Religio, ope Diuina confirmata, ab hoſtium immanitate reſpiret. uerum, quia temporis opportunitatem, &, ut inquit Chriſtus Dominus apud Lucam, momenta, quæ pater poſuit in poteſtate ſua, ignorant, eorum corda præparat, & Diuinæ uirtutis robore confirmat, ne laboribus ſuccumbant: cum uero ſibi opportunum uiſum fuerit, illorum optatis benigne reſpondebit. quod beneficium ut præſtò in illos conferat, Deum uir ſanctus precatur, cum inquit, Audiat auris tua. Hanc ſententiã breuius Septuaginta ſunt interpretati. Eſt autẽ animaduertendum, nomen Ἑτοιμασίας, pro quo Latinus Præparationem reddidit, apud Græcos Animi ad opus perficiendum alacritatem ſignificare. Septuaginta igitur interpretes ſanctorum deſiderium aſſerunt Deum minime latere, ab eoque ualde probari; & in laboribus, quos pro Religione perferunt, cordis eorum præparationem, ideſt, animi ſtudium, & alacritatem, benigne Deum proſequi, & munerari. Deus enim audire dicitur, cum merita cuiuſq. ponderat, & pœna, uel præmio, afficit: ut in libro Exodi, Audiui, inquit, clamorem eius; deſcendi, ut liberem eum. Tria Hebræus commemorat; primum, animi deſiderium, quod Deus benigne exaudit, & amplectitur; deinde, opem Diuinam, qua mens humana Diuinitus ſtabilitur; poſtremo, uiri ſancti preces, uel, ut alij reddunt, Dei benignitatem, qua ſuorum uota, cum opportunum eſt, complet. quorũ duo poſtrema Septuaginta in unum redegerunt.

Pſalmus 10.

Tranſmigra in montẽ ſicut paſſer.) Si uellemus ad uerbũ reddere, Latine etiãex Hebræo uerti potuiſſet, Tranſuola montem ueſtrum uolucris: ex quibus uerbis duas præcipue ſententias percipimus: quarum altera Dauidis amicorum conſilium continet: nam optimum eſſe perſuadebant, ut Dauid, ueluti auicula, montis alicuius cacumen, ſiluarumq. latibula, peteret, ut Saulis laqueos poſſet effugere. Altera uero, querimoniam Dauidis, & animi acerbitatem, complecti tur, quam ob hoc amicorum conſilium pertulit. Vt ſit ſenſus, Quo modo dicitis animæ meę, Trãſmigra, ſiue tranſuola montem, ideſt ſolum patrium uerte. quod non niſi maximo cum animi dolore fieri poteſt. Sed, quod omnem doloris ſenſum, & afflictationẽ, infinitis partibus ſuperat, eſt, quia montem hunc ueſtrum dicitis, ut deſeram, qui meus quoque iure haberi debet, ubi ardenti ſtudio ueram religionem colui, &, ut inſtar uolucris efficiar, ut inter gentes profugus uager, in quibus nullum pietatis ueſtigium reperitur.

Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt, iuſtus autem quid fecit.) Hæc oratio eſt eorum, qui Dauidis amici cenſebantur, qui quidem, ut Dauidi lucu lentius reſponderent, ad Deum illam cõuertunt. Quaſi dicerent: Quas tu o Domine leges ſanxiſti, & quæ ueluti repagula quædam poſuiſti, ne libido in perniciem humanæ ſocietatis prorumperet, ſceleratiſsimi tyranni, & ſuorum imporens animus euulſit, atque proſtrauit. Cum igitur leges ſileant, iniuria uolitet, & omnia tyranni immaniſsimi nutu gubernentur, iuſtus, quid ſibi reliquum fecit in quo uitæ ſuæ præſidium collocet? Lex enim, & religio, ſi uigeret, ſecure Dauid in patria manere potuiſſet: illis autem de medio ſublatis, omnis ſpes in patria manendi Dauidi eſt præciſa, & erepta. Hunc ſenſum ita Hebræus amplectitur, ut orationem ad Deum minime dirigat. quod Septuaginta fecerunt. nam id, pro quo iſti reddiderũt, Quæ perfeciſti, ille, Haſamot, dixit, quod quidem Poſita Latine uerti ex Hebræo debuiſſet. Vt uerſus ita conſtaret: Quoniam poſita deſtruxerunt. Quæ autem Poſita ſint dicenda, uiri docti diuerſe ſentiunt. D. tamen Hieronymus Leges illo nomine ſignificari putat: quem Paraphraſis auctor ſequitur. Huic autem amicorum orationi ſapienter Dauid ſequenti uerſu reſpondet:

Dominus interrogat iuſtum, & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.) Hæc Dei interrogatio ad uniuſcuiuſque operum examen pertinet. uerbum enim Græcum, quo Septuaginta interpretes utuntur, Inquirere, & Examinare, ſignificat; & uerbum Hebræum בחן Bachan, eiuſdem eſt notionis, quamuis Probare quoque ſignificet: unde effectum fuit, ut D. Hieronymus, & Chaldæus, aliter hunc uerſum explanauerint. Dominus, inquiunt, probabit iuſtum, impium diligẽtem iniquitatem odit anima eius. Putant enim, a Dauide inter iuſtum, & impium, diſcrimen aſsignari; quia iuſtus, Dei iudicio, beatitudine dignus cenſetur; impius uero, exſecratione, & odio. Verum Septuaginta interpretes primum Diuinæ mentis uim, quæ omnia in ordinem redigit, & ſuis ponderibus iuſtum, & impium, examinat, a Dauide commemorari exiſtimant, cum inquit, Dominus interrogat iuſtum, & impium, deinde ſceleratorum hominum in ſe ipſos odium, quo ſibi ipſis uitam eripere nituntur, explicari. ait enim, Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam: quod Solomon luculenter explicuit, cum de auaro in hanc ſententiam orationem inſtituit: Semitæ omnis auari animas poſsidentium rapiunt: ipſa namque auaritia, atque libido, quibus ſummo cum ſtudio ſeruiunt, miſeris modis eorum animos exedunt, atque dilacerant, nec non illorum mentibus eas tenebras offundunt, quibus obcæcati, exitiales exitus ſibi ipſis comparent. Vterque ſenſus ex Hebræo, ut notauimus, elici poteſt.

Pſalmus 11.

Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.) Horum uerborũ inter ſeſe duplex eſt diſtinctio. quidam enim hæc uerba, Labia doloſa in corde, a conſequentibus, nempe, Et corde locuti ſunt, diſtinguenda eſſe putant: quemadmodum Chaldæus, cum ea explicaret, ſeparauit: ita enim reddidit, Labijs adulationum in corde ſuo machinantur, & corde mendacium loquũtur: ut ſit ſenſus, blanditijs, & aſſentationibus, impij pernicie iuſto inferre cum animo ſuo cogitant, atque, amici perſonam dum præſeferunt, turpiter mentiuntur: nã illorum animi immani odio flagrant. Alij priora illa uerba, Labia doloſa, a reliquis ſeparant: ut, cum uates dicat, Labia doloſa, in impiorum hominum oratione plurimum doli, & fraudis, reperiri affirmet. Sunt autem impiorum Labia doloſa, quia corde, & corde locuti ſunt; ideſt, non ſincerum, & ſimplicem animum gerunt, ſed multiplici libidine implicatum. hoc enim illa eiuſdem nominis repetitio In corde, & corde ſignificat: quod eleganter D. Auguſtinus Duplex cor appellauit.

Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.) Apud Hebræum uerbum eſt פח Pucha, quod ſtare, loqui, atque laqueis adſtringere, ſignificat: pro quo Septuaginta interpretes πυρ' ῥ' ποιήσωμαι: & noſter Latinus reddidit Fiducialiter agam. Non ſolum igitur, quemadmodum Septuaginta ſunt interpretati, ex Hebræo uertere poſſemus, ſed, ut alij fecerunt, quirita hunc uerſum Latine explanarunt, Ponam in ſalute, illaqueabit eum, uel inſufflabit in eum: quaſi Dauid in hunc modum Deum loquentem induceret, Ego ſalutem meis comparabo, quos impius laqueis ſuis uretire, & euertere, cogitabit. Duo enim putant hoc in uerſu contineri: alterum eſt Diuinæ prouidentiæ infinita uis quædam ſalutaris, qua ſuis conſulit: alterum uero eſt impij peruerſus animus, in bonorum perniciem acriter incitatus: quorum primum Septuaginta interpretes tantum commemorant, & uerbi Hebræi Pucha aliam, ut notauimus, ſignificationem ſecuti, eandem Dei Optimi Max. uim in impios animaduertentem referunt. uerbum enim Græcum, quod noſter Latinus uertit, Fiducialiter agam, libere, & ſumma cum fiducia, & conſtantia, loqui ſignificat. Hæc igitur erit huius uerſus interpretum explanatio: ego eis, qui ſeſe mihi tradiderunt, ſalutem conſtituam; libere cum eo, ideſt cum impio, loquar; nihil me deterrebit, quin ſententiam dicam, qua meorum ſalutem ſtabiliam, & impios ſupplicijs acerbiſsimis damnem; hoc fidenter agendum ſuſcipiam; illudque ſine dubio perficiam, quia neq. benignitas mea poteſt umquam exhauriri, neque iudicium peruerti, aut uirtus eludi.

Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ.) Optima hęc eſt cognoſcendi ratio, ſi noua aliqua uiuendi diſciplina, cum ſit erroribus imbuta, & impietatis quædam officina exſecranda, ſanctimoniam tamen ſimulet, & fucata uirtutis ſpecie ad ſe homines alliciat. etenim, ut illam a Chriſti Optimi, & maximi mente profluxiſſe exiſtimemus, nullius inſiti ſceleris contagioni debet eſſe affinis: ſed opus eſt, ut uirtutum omnium ornamentis ſplẽdeat, ueluti argentum ignis flammis infictili uaſe ab aurifice diligenter purgatum, ſcoriis expulſis, enitet. Probatum enim terra, idem ualet, ac ſi Septuaginta dicerent, In uaſe fictili quo aurifices utuntur. hoc enim apud Hebræos ſignificat, בע לרל לאר Quamuis horum uerborum ſenſus diuerſis rationibus a multis explicetur, hic tamen,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen,quem attulimus, Septuaginta interpreti bus magis uidetur esse consentaneus.

In circuitu impij ambulant, secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.) Sensus est,ut Septuaginta interpretes existimasse uidentur, Impij malorum omnium acerbissima obsidione iustos circumuallatos oppugnant. Quid igitur, num in illorum ærumnis te,o Domine,conniuere est existimandum? Non sane. Sed improbos secundum altitudinem tuam, ideſt immensæ prouidentiæ tuæ consilie,opibus cumulasti: eorum enim scelera ad tuorum gloriam in ordinem rediges: uel sic,Impij malis omnibus iustos circumsæptos affligtant. uerum tu,o Domine,secundum prouidentiæ tuæ immensitatem,singularem generis humani curam numquam dimisisti,(uerbum enim Græcum non solum Multiplicasti, sed etiam Curasti Latine uerti posset) quo quidem in homines studio efficies,ut impietas non diu impune uolitet: Hebræus hanc eandem sententiam retinet. Sed, qui sint hi homines, quos Deus in summo honoris gradu collocari permittit, quorum impotens animus acerbissimi bonorum condicionem reddit,eleganter explanat:ita enim inquit,ut D.Hieronymus uertit,In circuitu impij ambulant, cum exaltati fuerint uilissimi filij hominum,חלח enim,quo uocabulo Dauid utitur,humilitatem,& abiectionē apud Hebræos significat. dum enim perditis moribus uilis, & libidinosus homo Luterus alios instituendos susceptit,dum Zuinglius, Oecolampadius,& alij e scelerum omnium sentina ad doctoris dignitatem emerserunt. quibus malis Resp. Christiana fuerit oppressa, in hac nostra misera temporum condicione,multæ, & nobiles Europæ Prouinciæ testantur. horum igitur similes cum rerum potiuntur, iusti in miserijs iacent, &, ueluti obsidione cincti, uix ullum e tantis malis exitum reperire possunt.

Psalmus 13.

Illic trepidauerunt timore, ubi non erat timor.) Prudenter satis Septuaginta interpretes,uerba illa addiderunt, Vbi non erat timor,ut Dauidis mentē clarius explicarent.nam impij,quamuis Deum esse negent,aut,si sit, res humanas illi minimę curę esse affirment, aut inaudita maioribus nostris, & intolerabili confidentia se illi gratos esse sibi ipsis persuadeant, & Diuini iudicij timorem abiiciant,nouumque libertatis genus constituant, non possunt in ipso scelere naturam humanam ita exuere,quin,ut inquit Paulus, opus legis non ostendant scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum,& inter se inuicem cogitationum accusantium,aut defendentium. Impius igitur, etsi dicat,Non est Deus, nolit, nolit, in scelere trepidat,ad quod perpetrandum tam audaciter proruperat, quia numinis uim ad illud uindicandum nullam esse impuro ore prædicabat, ob sceleris denique commissi flagitium, in quo non erat timor,ideſt, in quod Deum minime fore animaduersurum asseuerabat, toto corpore contremiscit, atque perhorrescit. quod maximum impietatis suæ argumentum illos ad sanam mentem conuertere debuisset.

Cum conuerterit Dominus captiuitatem populi sui, exsultabit Iacob,& lętabitur Israel.) Quamuis Iudęi, & aliqui uiri pij, & non mediocriter docti, a Dauide hoc in uersu libertatem illam significari existiment,quæ Cyri,& Darij,Persarum Regum, benignitate erat constituenda, Osorius tamen illam aliam prædici putat,in quam erant omnes gentes a misera peccati seruitute uindicandæ. nam Salmanasar, Assyriorum Rex, decem tribus, quę sub Israelis,& Samarię Regno continebantur,postquam subegit, in Mediam deducendas curauit: quarum urbes, & agros, suis distribuit: quemadmodum in sacra historia commoratur: qui, usque ad Romanorum Imperatorum tempora, quamuis Iudæorum ritibus instituti, regionem illam occuparunt. Vnde apud Iudæos Samaritani nomen, opprobrij loco habebatur: Nabuch uero nazer, cum Hierosolymam excidit,omnes, qui a Iuda, & Beniamino, originem ducebant, Babylonem ire edicto coegit; pauci autem,qui remanserant, exstincto ab Ismaele Godolia, in Aegyptum, fuga se receperunt: iam uero,Cyri, & Darij, temporibus,non solum maior pars tribus Iuda exsilium patriæ præferendum duxit, sed multi uiri principes,qui Hierosolymam uenerant, Babylonem reuersi sunt. Cum igitur duodecim tribus in miserrima seruitute uersarentur, & reliquæ duæ magna ex parte exsilium patriæ longe prætulissent, non profecto libertas illa, Zorobabelis opera constituta,in caussa exstitit,ut Iacob exsultaret,& lætaretur Israel, nisi quia futuram illam designabat, quam Isaias prædixit,cum inquit, In hoc monte faciet Dominus exercituum omnibus populis conuiuium pinguium,& præcipitabit faciem uim culi,& mortem in sempiternum.nam Abrahami ex promissione filij, ut eos uocat Paulus, in eam libertatem uindicati,incredibili gaudio perfundentur.

Psalmus 15.

Sanctis, qui sunt in Terra eius, mirificauit omnes uoluntates meas in eis.) Interpretes eam dicendi rationem,quam principio tenuerunt, hoc in loco cōmutant. dixerunt enim,Deus meus! es tu.quare hunc uersum Græce reddere potuissent, quemadmodum apud Hebræum legitimus,Sanctis,qui in Terra, & magnificis omnis uoluptas mea in ipsis. Vt sit filij ad Diuinum patrem oratio;qua excellens illud salutis humanę studium, quo flagrabat, patri offerebat. uerum, quia ipse omnia a patre acceperat, merito interpretes, ut apud Latinum legimus,reddiderūt. Apud Theodoretum hunc uersum ita scriptum reperimus; Sanctis,qui in Terra sunt eius,mirificauit Dominus omnes uoluntates suas in eis'.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum.) Nullum maius humanæ infirmitatis argumentum esse potuit,

potuit, eo, quod in idolorum cultu perspicitur. Vt enim in libro, qui Sapientia Salomonis inscribitur,uir sapientissimus testatur, inde originem suam idola habuerunt: quia homines, cum breui temporis spatio uitam sibi circumscriptam uiderent, ut hoc, quod non mediocre malum esse putabant,aliqua ratione resarcirent,illorum imagines a fabro fieri curarunt, quorum desiderio tenebantur, quibus postea immanis adulatio Diuinos honores adhibuit. a ligno igitur uitæ breuitati remedium quærebant, & ab eo, quod ipsi specie illa splendida, & stabilitate donauerant, corporis, & animi bona summisse postulabant: quo nihil potuit cogitari inanius,nihil infirmius. huius deplorandæ infirmitatis, quæ gentes omnes oppresserat,hoc in uersu fit mentio. Vocabulum Hebræum,pro quo Septuaginta, Infirmitates reddiderunt,nō solum tristitiam, & dolorem, sed & simulacrum,significat.quamobrem D.Hieronymus Hebræus ita Latine uertit, Multiplicabuntur idola eorum,quemadmodum Chaldæus, & Theodotion quoque interpretantur. Multipli catę sunt igitur infirmitates eorum.ea enim fuit hominum imbecillitas, & unitas, ut in ligno aut do omnem salutis spem collocarent: quam ut consequerentur,singulari diligentia propriæ infirmitatis signa a fabro fieri studebant, quibus cultum Diuinum adhiberent. In uaria autem superstitionum genera homines fuisse lapsos, mirum uideri non debet, cum in tanto scelere nullus esset subsistendi locus: sed unusquisque sibi Deos, atque religionem,pro libidine informabat. quod sequens oratio significat, cum dicitur postea, Acceleraverunt. effrenato enim impetu in hanc impietatem ferebantur,uel, ut inquit Hebræus,post alium acceleraverunt.nam tanta fuit deorum multitudo adscita,& tam ardente studio illorum cultus institutus,ut miseri homines, inter sese dissidentes, in diuersorum deorum cultus præcipites ruerent.

Funes ceciderunt mihi in præclaris.)Hoc fuisse priscis hominibus in more positum,ut tellurem funibus metirentur,ac diuiderēt,Amos satis manifeste testatur. Filij tui,inquit ille,& filiæ, in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur. Quod etiam ex Psalmo septuagesimo septimo percipimus.ita enim legimus,Diuisit eis terram in funiculo distributionis. Funes igitur cecidisse in præclaris, nihil est,nisi,amplam sibi hereditatem obuenisse.

Increpauerunt me renes mei.) Renum nomine in Litteris sacris, hominum sensus, & consilia,significari,ex Hieremiæ libro est manifestum. Sic enim ille in Iudæorum simulatum pietatis studium inuehitur: Prope es tu,Domine,ori eorum, & longe a renibus eorum. Qui loquendi modus, animantium naturæ est ualde consentaneus,quā Hebræi in dicendo uehementer obseruant. nam in renibus humidorum, quibus animal sustentatur, fit salutaris quædam perfusio: unde in illis non mediocre inest uitæ præsidium, & cum iecore,& corde,admirabilis communicatio. Increpandi autem uerbū, quo noster Latinus est usus, non ita est explicandum,ut alicuius culpæ admonitionem,uel obiurgationem,illo significari existimemus. uerbo enim Græco,quo Septuaginta usi sunt, hæc subiecta notio est: Docuerunt me, atque instruxerunt; & uerbum Hebræum, quo, Dauid hoc in loco utitur, eandem significandi uim habet. Sensus igitur horum uerborum ille erit, quem in Paraphrasi auctor sequitur, & explanat.

Delectationes in dextera tua usque in finem.) In hoc eodem uersu dixerat, Adimplebis me lætitia:cum uero statim hæc uerba adiungat, Delectationes in dextera tua, equidem uel omnium uoluptatum Deum perennem esse fontem affirmat, unde illæ suis emanant; uel Delectationis nomine aliquid, quod a lætitia differat. Nomen Hebræum,quo Dauid utitur,pro quo interpretes Delectationes reddiderunt, non solum iucunditatem, sed pulchritudinem, & decorem, significat.quamobrem suspicari merito possumus, tria illa,quæ Christus a Diuino patre obtinuit, a Dauide hoc in uersu commemorari. nam primum est illud consecutus, quemadmodum Isaias eum commemorantem inducit, Spiritus Domini super me,eo quod unxerit Dominus me,ad annuntiandum mansuetis misit me: nempe, ut homines salutari doctrina instituerent, qua instructi, uiam, quæ in uitam nullis sæculis interituram ducit, ingredi possent. quod Dauid prædixit, cum inquit, Ostendisti mihi uias uitæ: deinde illud etiam est assecutus, ut futurorum bonorum Pontifex esset,sicut Paulus,ad Hebræos scribens, admirabili cum eloquentia disseruit. illius enim sacerdotij amplitudo Deum hominibus conciliauit: ex qua conciliatione eximiæ uoluptates oriuntur,quibus humanæ mentes circumfluunt. hoc namque est Pontificis officium singulare,ut pro hominibus apud Deum preces effundant, Sanctissimi igitur Pontificis Christi uirtute, omnis uera uoluptas, quæ a solo Deo proficiscitur, continetur. ex illius enim plenitudine, inquit Ioannes, nos omnes accipimus. quare addit etiam Dauid, Adimplebis me lætitia, qua scilicet meos etiam cumulabo, ut darem eis, inquit Isaias, coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mæroris. Postremum denique fuit illud, quod Paulus in hunc modum Corinthiis scripsit, Propter quod exaltauit eum Deus,& dedit illi nomen,quod est super omne nomen, hoc Diuini splendoris decus eximium, hanc immortalem nominis sui gloriam, qua Christus etiam mentibus illis cælestibus longe præcellit, atque omnia sub suo imperio,& ditione, continet,Delectationes usque in finem, uel, ut D. Hieronymus uertit, Decores sempiternos Dauid appellauit.

Psalmus 16.

Vt non loquatur os meum opera hominum propter uerba labiorum tuorum, ego custodiui uias duras.) Quia improbi,& scelerati,homines Dauidem simulatę pietatis accusabant, ut illorum calum-

Universidad de Deusto
Biblioteca

calumniam uir ſanctus coerceret, Deum, cui nihil etiam in intimis animi receſsibus abſconditum latere poteſt, de animi ſui integritate teſtatur. Verum duobus modis uerba hæc inter ſeſe diſtingui poſſunt.nam ſic legi,& explicari, non inſul ſe poterunt,Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas, ut non loquatur os meũ opera hominum.ideſt,cum me tot tantisq. erumnis uexari permiſeris,numquam in me illud ſceleris flagitium commiſi,ut hominum opera,& facinora,loquerer;nempe,ut uirtutem ſimularem: quod hominis nefarij eſt opus, ut ea ſimulatione perniciem bonis inferat. blande enim impij loquuntur, cum tamen exitium inferre moliantur. hæc hominum opera numquam, ut tu ſcis, Domine,ego ore protuli: numquam enim fraudulenta oratione perniciem alicui comparaui. Vel,ut auctor facit,in hunc modum explanabimus, Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas,ut non loquatur os meum:quaſi diceret, Summa cum diligentia animum meum examinaſti;&,ut aurifices argentum cõflant, me ærumnarum flammis exercuiſti; & tamen numquam id ſceleris,quod mihi hoſtes mei obijciunt, a me commiſſum fuit; nempe, ut os meum loquatur,quod in animo non haberem.Quem ſenſum Hebræus amplectitur.Sic enim inquit,Quod cogitaui, non tranſuit os meum. quod enim in animo habeo, illud ore profero; nec mens mea plus aliquid deſignat, quam oratio, quæ ab ore meo proficiſcitur.Deinde,uerbis illis,quę ſequuntur,nempe,Opera hominum,ſiue In opere hominum,ut uertit D. Hieronymus, actiones ſignificari putat, quæ humanæ ſocietatis communionem reſpiciunt. Vt ſit ſenſus, Opera hominum, ideſt, quod ad actiones humanas pertinet,quantum humanæ imbecillitati licet, nihil cogitaui, nihil perfeci,quod propter, ſiue ad, uerba labiorum tuorum non referrem, atque informarem. &,ut hoc officio melius fungi poſſem,eadem uerborum tuorum uirtute ſtabilitus, ego cuſtodiui uias duras. Hoc in loco eſt animaduertendum, interpretes ἐφύλαξα dixiſſe,pro quo noſter Latinus reddidit,Cuſtodiui:Græcis uero non ſolum Cuſtodire,ſed Obſeruare, & Vigilias diſponere, ſignificat. quam ſignificandi uim uerbum Hebræum,quo Dauid hoc in loco utitur, etiam obtinet. Vox igitur Cuſtodiui eodem modo hoc in loco uſurpatur, quo Moſes in libro Geneſis, poſtquam Adamum ex horto illo fuiſſe eiectum narrauit,ea utitur;Collocauit,inquit, ante Paradiſum uoluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque uerſatilem,ad cuſtodiendam uiam ligni uitæ. ne ſcilicet Adamus uiam, quę ad lignum uitę ducebat, ingredi poſſet. Simili quoque ratione Dauid,Cuſtodiui,inquit, uias duras, uel uias latronis, ut uertit D. Hieronymus, & eius,qui diruit, atque diſrumpit, ut nomini Hebræo ſubiecta notio poſtulat, ne in illis ſubſiſterem,aut ambularem, eas omni animi ſtudio obſeruaui,uigilanterque perſpiciebam, ne, aliqua fraude captus,in eas imprudens inciderem. Latronis autem nomine, cuius uię omnium malorum ſunt pleniſsimę, quis niſi ille indicari debuit, qui,ut inquit Ioannes,ab initio peccat?

Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.) Dauid eorum operam, & ſtudium,qui tam immani odio illi perniciem moliebantur, & acerbiſsimis modis uexabant, Dei frameam, ſiue rompheam, ut Septuaginta uerterunt,Latine Gladium,eleganter appellauit. improbi enim, & impij, homines, dum pios, & iuſtos, dilacerant, ſi quid in illis non laude dignũ exſiſtit,imprudentes, & inuicti, radicitus euellunt.nam Chriſtiana uirtus, illorum immanitate,ſi otio languebat, excitatur, & miras Diuini ſplendoris acceſsiones conſequitur. uerum,cum imbecillitas humana diu labores ſuſtinere non poſsit,pij,& iuſti,ſæpe ad Deum preces fundunt, ut ab erumnis, Diuina uirtute,liberentur:ut hoc in loco Dauid, Eripe, inquit,animam meam ab impio,frameam tuã ab inimicis manus tuę: duo obnixe poſtulat, primum, ut uitam ſuam a crudeliſsimo hoſte tueatur;deinde, quia optime nouit,Dei prouidentia ſibi ab impio ea mala inferri, obſecrat, ut iam tandem ab impij manibus gladium extorquere uelit, quo ipſe ceditur.Eripe, inquit,animam meam ab impio,& frameam tuam ab inimicis manus tuę eripe. Hanc huius uerſus ſententiã Hebræus amplectitur. Sic enim illum explicat, Eripe animam meam ab impio, gladio tuo; ideſt ab impio,quo inſtar gladij tuorum,ſi quæ ſunt uitia,reſecas, quam ob cauſſam illius ſcelera permittis, & toleras. Niſi Chaldęũ ſequi malueris, qui hunc uerſum ita explanat. Erue animam meam ab impio,qui dignus eſt,ut tuo gladio confodiatur. Quia igitur impij illo, quod diximus, munere funguntur, dum iuſtos affligant; Dauid hoſtes ſuos, manus Dei inimicos uocat. manus enim Diuina, in ſacra Scriptura, Dei prouidentiam ſignificat, quæ res omnes in ordinem reuocat, ut in pſalmo trigeſimo octauo legimus, Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris,etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Quia autem prouidentia Diuina impiorum hominum improbitate utitur, ut ſuos in uirtutis ſtudio exerceat,a Dauide Inimici manus tuæ dicuntur.

A paucis de terra,diuide eos in uita eorum.) Illorum mores,& uitæ condicionem, commemorat, quos Diuinę manus inimicos dixerat. Sic enim eſt oratio inuicem connectenda, Eripe animam meam ab impio,frameam tuam ab inimicis manus tuæ, a paucis, inquam,de terra. Paucos de terra eos uocat, qui opibus præſtant, & ita ſunt telluri addicti,ut numquam mentem a rebus interituris auertant, quos huius ſæculi filios Paulus appellat: nec nomen Hebræum חלקם Chelcon, quo Dauid utitur, ab ea ſignificandi ratione abhorret. non ſolum enim terram, quæ incolitur, ſed tempus etiam, ſignificat. quamobrem Hebræum ſic Latinum reddere poſſemus, A uiris terræ,uel ſæculi,ſine temporis. Hanc ſententiam Hebræus, ea,quæ conſequitur,oratione, mirifice exornat. illam enim in hunc modum concludit,

Pars,

Pars eorum in uita:quaſi diceret, Quorum pars, ideſt hereditas,ſtudium, cura, & ſollicitudo, in præſentis uitæ illecebris conſumitur, cum de futura uita nihil cogitent. Septuaginta uero interpretes multo aliter hanc ſententiam interpretantur, Diuide, inquiunt, eos in uita eorum. Diuidere autem, uel ad hereditatem conſtituendam pertinet, ut eſt illud, Diuiſit eis terram in funiculo, &, Quando diuidebat altiſsimus gentes, quando ſeparabat filios Adam. Vel ex illa eijcere ſignificat, ut lege Diuina ſancitum erat, ut, qui certum flagitij genus commiſiſſet, a populo Dei diuideretur. Orationem igitur ad Deum Septuaginta cõuertunt;ac ſi Dauid,admirantis more,diceret,Hos filios ſæculi, hos uoluptarios homines bonis cumules, illis hereditatem ampliſsimam comparas, ut de abſconditis tuis ſit eorum uenter adimpletus? Hęc explanatio cum Hebręo, & ipſis Septuaginta interpretibus, atque oratione conſequenti, eſt magis conueniens, quam illa, quæ aſſerit, impiis ut exitium afferatur, Dauidem precari.

Satiabor cum apparuerit gloria tua.) Hæc Diuinæ gloriæ uis, tantæ lætitiæ effectrix, quæ nam ſit, Hebræus eleganter explicat: Satiabor, inquit, cuigilando imaginem tuam. uir enim pius,non ſolum, cum mortem obierit, bonis omnibus affluet, quia eius, quam nemo uidit umquam, niſi filius, qui eſt in ſinu patris, adſpectu fruetur; uerum etiam inter uiuos, dum in tellure uerſatur uitæ ſuæ condicio, quamuis acerbiſsime uexetur, multo magis eſt expetenda, quam illorum ſtatus, qui opibus, & imperio,florebant: quoniam, cum pietatem, & iuſtitiam, ardenti ſtudio colit, incredibili iucunditate cumulatur. nam Dei imago, in illius animo inſita, e ſomno quodammodo excitatur, & ad Diuinæ lucis ſplendorem oculos uertit: cum hoſtium immanitas eum exagitat, cum ærumnę opprimunt, cum denique mors acerbiſsima imminet, tunc in hominis imbecillitate Dei imago, quam merito Gloriam interpretes appellarunt, ſplendet, Diuinumque ſemen, ut Ioannes uocat,uberrimos fructus effert, quibus animus,mirifice ſatiatus, gaudio exſultat. Cum igitur,inquit, gloriæ tuæ imago,quam in mentibus noſtris expreſsiſti, tuæ lucis ſplendore colluſtrata, a corporis contagione ſe ipſam ſeuocauerit, ueriſsimis bonis affluam.

Pſalmus 17.

Aſcendit ſuper Cherubim, & uolauit ſuper pennas uentorum.) In arca fœderis duo erant poſiti Cherubini, qui, humanam ſpeciem habentes, in alterutrum reſpiciebant, alas uero alter uerſus alterum ita extendebat, ut utriuſque alæ in medio arcæ ſedis formam imitarentur, in qua uirtus Diuina inſidebat: unde Hebræorum genti oracula fundebantur. quare dicebat ille, Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare. Dauid igitur, cum Diuinam uim, qua munitus, hoſtes ſuos fuderat, & Regno tranquille potiebatur, hoc carmine celebraret, in Chriſti uictoriam, & Regnum, intuebatur.quare, cum Dei, Optimi, & Maximi, iram,qua in impios Iudæos erat animaduerſurus, prædiceret, Adſcendit, inquit, ſuper Cherubim; ut manifeſte ſignificaret, eundem rerum omnium Dominum, qui Iudæis tam benigne proſpiciebat, eorum atrociſsimi ſceleris offenſione commotum, Cherubinis, equitantis more, inſidentem, illis exitium illaturum. nomen enim Hebræum, quod Adſcendit Septuaginta uerterunt, Inſidere, & Equitare, ſignificat. Quia uero mentis Diuinę uis in rebus agendis eſt infinita, illa uerba adiungit, Et adſcendit ſuper pennas uentorum. nam uentos, qui celerrime diſcurrunt, infinitis partibus ſuperat. quamobrem D. Hieronymus uertit, Transuolauit ſuper pennas uenti. Et in libro ſecundo Regum, in quo hic Pſalmus totus ſcriptus reperitur, hunc uerſum ita eſt interpretatus. Et uolauit,& lapſus eſt ſuper pennas uenti.

Apparuerunt fontes aquarum.) Eſt apud Hebræos nomen אפיק Apich, quod Aquam rapide fluentem, & fluminis alueum,ſignificat. quamobrem Septuaginta hunc uerſum interpretantur, Apparuerunt apich, ideſt fontes aquarum, noſter uero Latinus in ſecundo Regum libro, ex Hebræo uertit, Apparuernnt effuſiones maris. Alueos fortaſſe Effuſiones dixit: per eos enim aquæ effuſæ diffluunt: aquarum autem nimiam copiam, & impetum, omnia ſecum rapientem, Maris nomine ſignificauit: quamuis apud Hebræos Mare, & Aquæ, eodem ſignificentur uocabulo. Chaldæus denique in hunc modum explicat, Apparuerunt profunditates aquarum. Cum ergo Dauid, allegorijs a tempeſtate deſumptis, grauiſsimam exidij calamitatem, qua Iudæorum reſp. corruit, nobis ante oculos proponat,is erit huius uerſus ſẽſus,quaſi diceret, Aquarum uis Iudæorum remp. ita obruit, ut nulla illius pars ſalua permanſerit. tantus enim fuit malorum impetus,tãta,&tam uehemens, aquarum copia, ut flumina alueos deſeruiſſe ſuos, & omnia in Iudæam confluxiſſe, atque in ea ubique fontes ebulliſſe, uideantur: nam ceterarum gentium atrociſsimæ clades, ſi cum Iudæorum reip. interitu conferãtur, leues iure optimo haberi debent. nihil enim malorum excogitari poteſt, quod Iudæos non acerbiſsime uexarit,ac ſi omnia malorum genera,cuneo facto,in eos impetum dederint.

Cum ſancto ſanctus eris.) Pro eo,quod Hebræus חסיד Chaſid, ideſt Beneuolum,& Miſericordem, dixit,Sanctum Septuaginta interpretes reddiderunt. in eo enim eximiæ ſanctitatis ratio uerſatur, ut non ſolum debita officia ſoluamus; ſed, quę minime debemus,libẽter preſtemus:omnes autem, ut inquit Paulus, miſericordia Dei indigent: eam uero Deus benigne illis tribuit, qui eam afflictis impartiuntur. nam iudicium, inquit Iacobus, ſine miſericordia, illi, qui non fecit miſericordiam: &, Beati, inquit Chriſtus apud Matthæum,miſericordes,quoniam ipſi

Universidad de Deusto
Biblioteca

misericordiam consequentur. Cum sancto igitur, o Domine, sanctus eris, quia misericordia tua illis opitulatur, qui in alios sunt misericordes.

Cum uiro innocente innocens erit, & cum electo electus erit.) Nomen Hebræum גבר Gebar, hominem uiribus præstantem, imperio præcellentem, uirtutumque ornamentis circumfluentem, significat: quem Septuaginta interpretes Innocentem appellarunt. In singulari enim innocentiæ laude ponendum est, cum is, qui uiribus, & opibus, abundat, moderate se gerit: nam in hoc officij munere omnis honesti, & decori, uis maxime uersatur. quamobrem noster Latinus, in secundo Regum libro, hunc uersum ex Hebræo Latine sic reddidit, Et cum robusto perfectus. Sensus igitur hic erit: Erga uirum innocentiæ laude præstantem, ita te geres, ut ille manifeste cognoscat, nihil tibi magis esse gratum, quam uitæ integritas, & innocentia illorum, quos opibus cumulasti. Cum enim eum possis exscindere, tuebere, præsidioque tuo circumuallabis, ut nomen tuum innocentiæ laudibus non solum efferatur, sed ut totius perfectionis te esse auctorem omnes homines fateantur. Cum electo autem, id est, cum eo, qui, nullo simulationis fuco, hominum studia aucupatur, neque amicitiam simulat, tu quoque electus eris, illi fidem tuæ promissionis cumulate persolues, & studium, quo erga tales duceris, in eo tuendo manifestum efficies: (nomen enim Hebræum, quo Dauid hoc in loco utitur, Electum, purum, & sincerum, significat) uerum, cum peruerso, qui legem tuam spreuit, nomen tuum nefarie uiolauit, peruerteris, hoc est, ita te geres, ut quodammodo te ipsum deseras, & ab insita benignitate ad seueritatem se uoces. nam illi aditum ad uitam sempiternam interciudes, misericordiam denegabis, supplicium acerbissimum impones: quod a te, in omnes beneuolentissimo, plurimum abhorret. itaque, si quando, in homines iratus, acriter animaduertis, eorum crimini id est referendum. nam, quemadmodum illi in uitæ suæ moderatione se gerunt, ita tu quoque uim tuam erga illos moderaris, & regis.

Quoniam in te eripiar a tentatione.) Quod Septuaginta interpretes παραπικρον dixerunt, id est locum piratarum incursionibus infestum, Latinus Tentationem interpretatur. גדוד Gedud uero, nomen Hebræum, quo Dauid utitur, Exercitum, siue Militum turmam, significat; qui, ut prædam capiant, hostium fines excursionibus infestant. quamobrem, si Hebræum totidem uerbis uelimus Latine reddere, sic nobis dicendum erit, In te exercitum curram. Dauid igitur fore constanter asseuerat, ut ipse, Diuino præsidio circumuallatus, hostium suorum impetum facili negotio infringat. illorum enim insidias uitabit, uires, quibus uitam sibi eripere conabantur, in nihilum rediget. eosque summa cum laude superabit, & ut solent uictores, eos in fugam coniectos persequetur. Nec quidem, A tentatione eripi, ut Latinus inquit, est aliud, nec quod Hebræus dicit, In te exercitum curram, aliquid aliud significat. Latinus enim insidias ab hostibus Dauidi comparatas respicit, Hebræus illorum impetum, qui in Dauidem ferebantur, uterque Dei præsentiam, qua Dauid stabilitus hostiũ insidias declinare, & in eorum exercitum inuadere, atque tandem illum prosternere, sperabat.

Filij alieni mentiti sunt mihi.) His uerbis aliqui uiri docti putant, illorum hominum mentes significari, qui, cum Religionem Christianam odio haberent, Christo Optimo Maximo, aut rerum magnitudine coacti, aut alicuius lucri spe adducti, nomina dederunt: quemadmodum gentes, quæ sub Dauidis ditionem uenerant, fidelem illi operam pollicebantur, cum nihil magis, quam interitum illius, & Regni exitium, cuperent. Verum, quia uiri sancti, Diuino spiritu afflati, fore prædixerunt, ut gentes Christianæ religionis studio flagrarent, &, totius simulationis fuco abiecto, pietatem, modestiam, iustitiam, & reliquas uirtutes, amplecterentur, pro Saliunca, ut inquit Isaias, adscedet abies, pro urtica crescet myrtus. Paraphrasis auctor hunc uersum ita explicandum esse existimanit, ut filij alieni illi sint habendi, qui ab Israele originem minime ducunt: eos enim, qui armis ab Israele dissidebant, sacræ Litteræ Alienos uocant, qui Christo, uero Dauidi, mentiuntur, cum, Euangelij doctrina imbuti, impiam superstitionem exsecrantur, & abiiciunt. fidem enim, commenticijs numinibus datam, prudenter frangunt. ut eam uero Deo adhibeant: quo dicendi modo scriptores Latini usi sunt, ut Horatius, cum inquit, Tibi tollit hinnitum apta quadrigis equa. Filij igitur alieni mentiti sunt Christo, cum primum illud Isaiæ effatum exitum suum est consecutum. Ecce gentem, quam nescijebas, uocabis, & gentes, quæ te non cognouerunt, ad te current; a Dauide autem rege, quia gentes belli impressione fuerunt subactæ, ei filij alieni mentiri dicuntur: ut est illud, In multitudine uirtutis tuæ mentientur tibi inimici tui: nam, cum illi spe uictoriæ in prælium ducerentur, eos illorum opinio fefellit; quia sub Dauidis imperio, & ditione, ceciderunt: hic autem dicendi modus, quantopere ad gentium Ecclesiæ mysterium explicãdum sit aptus, & conueniens, diximus.

Filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt a semitis suis.) Eandem gentium ad Christi disciplinam conuersionem Dauid oratione prosequitur: gentes enim, postquam fidem fefellerunt, quam falsis Diis dederant, operibus carnis, ut ea uocat Paulus, interitum attulerunt, &, ut ipse inquit, induerunt spiritus nouitatem: quamobrem Dauid hæc uerba cũ antecedentibus adiunxit. quorum sententia, ut melius percipi possit, illud est animaduerdum, uerbum Hebræum, נבל Nabal, quo Dauid utitur, eandẽ significandi uim obtinere, quam apud Latinos habent,

habent, Cadere, Diffluere, & a naturali succo, quo alimur, destitui; pro quo Septuaginta reddiderunt, Inueterati sunt: quasi dicerent, Gentes, ueluti senio confectæ, peccati uiribus fractis, in omnium scelerum genera cursum, quem tenebant, deseruerunt, idest autem, claudicauerunt a semitis suis. Hunc tamen uersum ex Hebræo Diuus Hieronymus uertit, Filij alieni diffluent, contrahentur in angustijs suis. Chaldæus autem ita explanat, Filij alieni consumentur, & migrabunt de prætorijs suis. Neque quidem imperite alij uertunt, Filij alieni diffluent, & pauebunt in penetralibus suis. uerbum enim חרג Charag, pro quo Septuaginta interpretes reddiderunt, Claudicauerunt, Pauere significat; nec non, & uoci Hebrææ, quam Semitas sunt interpretati, Claudendi, & Clausi, notio est subiecta; quare diuerse in sacris Litteris illud explicari solet. Vt igitur Septuaginta interpretum sententiam retinere possimus, & Hebræum minime reiiciamus, ita poterit hic uersus explicari: Quemadmodum Dauidis hostes, metu consternatis, omnino uiribus destituebantur, &, in interiori æde inclusi, pauebant, ita etiam ueri Dauidis hostes, qui nomen illius totis uiribus oppugnabant, timore perculsi, uires amittent; cursus sui, quo in scelera ferebantur, uestigia inflectent; & in mentis suæ recessibus sanctissimum illius iudicium, perhorrescent.

Psalmus 18.

Dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat scientiam.) Hæc uerba diuersis possunt rationibus inter se connecti. primum enim, Dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat scientiam, quia hæc dies sequentem diem constanti ordine fore demonstrat, & hæc nox aliam quoque consecuturam docet, & perpetuam noctium, & dierum, esse successionem. Deinde, ita poterunt conjungi, & separari, ut dies diei, & nox nocti, nihil aliud sit, nisi constans dierum, & noctium sibi inuicem succedentium ordo. qui quidem admirabilis concentus eructat uerbum, hoc est, Diuinæ mentis, omnia gubernantis, uim ostendit, & sapientiæ, ac uirtutis immensitatem indicat. Vel denique dies præsens, diei, quæ præteriit, eructat uerbum, & nox nocti indicat scientiam: temporis enim spatio, ad scientiam fit non mediocris accessio, ut dies una præcedenti diei, & subsequens nox antecedenti nocti aliquid noui attulisse uideatur, quo magnos in sapientiæ studio progressus faciamus.

In omnem terram exiuit sonus eorum.) Cælorum concentus, ueluti ornatissima quædam, & uehemens, oratio, Diuinæ mentis uim hominibus persuadet: quo officij munere, Apostoli multo quidem illustrius functi sunt. quare in illos maiori cum ratione hic sonus, & oratio, conuenit, quæ in omnem terrarum orbem peruasit. Sed, quis est iste cælorum sonus? קו Cau, Hebræis filum significat, quo fabri utuntur, ad cuius normam opus perficiunt, pro quo Sonum Septuaginta reddiderunt. quamobrem Soni nomine hoc in uersu, cælorum ambitum, quo res omnes coercent, significari, nonnulli existimant: alij uero, admirabiles cælorum effectus explicari, putant, quos Cæli, quemadmodum artifices quidam Diuina norma instructi perficiunt: alij denique Cælorum ordinem, concentum, & harmoniam, Sonum appellari affirmant, quia Diuinæ sapientiæ sit singulare præconium.

Ab alienis parce seruo tuo.) Duo sunt apud Hebræos nomina, quæ parum inter se charactere differunt. alterum est זר, alterum uero זד: illud Alienum significat, hoc uero Insolens, atque Superbum: Septuaginta Zarim legisse uidentur. In nostris uero libris Zedim legimus: quem admodum Iudæi omnes, & D. Hieronymus legit, & interpretatur. Dauid igitur Deum precatur, ne aliquod sceleris flagitium, inani gloria elatus, suscipiat: hominem autem, infinitis malis obnoxium, insolenter se gerere, quam ualde sit a ratione alienum, nemo est, qui non uideat. Ab alienis igitur, hoc est a superbia, & ab insolentia, ab iis quoque hominibus, qui intolerabili fastidio tument, uirtutis Diuinæ præsidio eripi, enixe contendit. superbia, enim, & insolentia, & qui sunt animo inflati, iure optimo Alieni dicuntur: quia nihil naturæ nostræ imbecillitati minus poterit esse consentaneum, quam superbia inflari, & insolentiæ fastu ceteros fastidire, & aspernari. Verbum autem Parce eo modo hoc in loco usurpatur, quo Virgilius eo est usus, cum inquit, Parce pias scelerare manus, iam parce sepulto. Et Horatius, cum Architæ Mathematici interitum commemorat: At tu, nauta, uagæ ne parce malignus arenæ, Ossibus, & capiti inhumato Particulam dare.

Psalmus 19.

In nomine Dei nostri magnificabimur.) Eximia est nominis Christiani uis, & amplitudo. nam, cum humile, & abiectum, haberetur, & uiribus humanis esset omnino destitutum, falsorũ Deorum imperium, opibus fundatissimum, ueri Dei nomine inuocato, subegit, excidit, labefactauit. unde illius admirabile, cum operum incredibili magnificentia, decus, & ornamentum, proficiscitur, quod Septuaginta, animo secum reputantes, hunc uersum ita uertendum esse merito existimarunt, In nomine Dei nostri magnificabimur. Verum Hebræus hanc Ecclesiæ Christianæ magnificentiam eleganter in hunc modum explicuit, In nomine Dei nostri uexillũ feremus. Quorum uerborum sensus ex illo Isaiæ loco percipi potest, ubi de Ecclesia Christi uir ille ita prædicit, & Deum in hanc sentẽtiam loquentem inducit, Ecce leuabo ad gẽtes manũ meam, & ad populos exaltabo signum meum, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas in humeris portabunt, uultu in terra demisso adorabunt te.

Domine saluum fac regem, & exaudi nos.) Apud Hebræum hic uersus diuersam, eamque præclaram, sententiam continet. sic enim se habet, Domine serua, rex exaudiet cum inuocauerimus eum. Diuinum patrem Dauid ueneratur, & obsecrat, ut salutem conferat, Christi uero Regis in nos benignitatem pollicetur: Regis enim est hoc officium singulare, ut suos tueatur, atque defendat, presertim cum ipse sit iustus, & Pontifex, ut pro totius populi peccatis ad Deum preces adhibeat. patrem igitur uir sanctus orat, & ab eo salutem postulat, quam se consecuturum sperat, quia Christus, Sanctissimus Rex, & Pontifex, piorum preces exaudiet, ut ipse pro nobis aduocati officio fungatur. Interpretes autem, Dauidem, salutis humanæ desiderio flagrantem, hanc apud Deum patrem orationem instituisse putant, qua summisse precatur, ut in certamine illo, quod Christus erat pro generis humani libertate cum truculentissimo hoste initurus, illi, ut homini opem afferret, & tandem suis precibus satisfaceret, quibus summa contentione postulabat, ut generi humano per Christi sanctitatem salutem daret.

Psalmus 20.

Pones eos dorsum.) Dorsum, siue humeri, impositum sibi onus sustinent. quare imperij iugum, cui subiicimur, & ipsam seruitutem, atque obœdientiam, sacræ litteræ Humerum appellant. sic enim Esdræ secundo libro, de Iudeorum rebellione, ipse Esdras apud Deum orationem habuit, Contestatus es eos, ut reuerterentur ad legem tuam, ipsi uero superbe egerunt, & non audierunt mandata tua, & dederunt humerum recedentem: nefarium Iudæorum studium, quo legis iugum detrectabant, recedentem Humerum nuncupauit. Dauid igitur, cum dicit, Pones eos dorsum, illos durissimo gentium imperio fore opprimendos uaticinatur. Iudæos namque humeri condicionem subituros presensit. quemadmodũ enim Humerus est ideo a natura fictus, & uiribus firmatus, ut onera sustineat, ita illi iustissimo Dei iudicio, ac si fuissent ad seruitutem nati, diuturnæ, ac grauissimæ seruitutis onus sustinebunt.

In reliquis tuis præparabis uultum eorum.) Illos denique, quasi signum, quod sagittis feriat, sanctissimus Iudex sibi proponet, & continuatis calamitatibus uexabit; qui uero ex tot, tantisq. illatis cladibus superstites euaserint, nullo in statu erunt, eos infectabitur, affliget, & malis omnibus affectos excruciabit, donec dicant, Benedictus qui uenit in nomine Domini: interim uero, dum Christi nomen impiè oderunt, illorum faciem, ueluti scopum, sagittis percutiet, quod Hebræus eleganti oratione refert: sic enim inquit, In funibus firmabis contra uultum eorum. In fundibus Deus Optimus, & Maximus firmare dicitur, illorum more, qui toto corpore incumbunt, ut arcum ualde uehementer intendant, ut acerbius percutiant. quo enim arcus chorda est magis intensa, & manibus ad pectus adducta, uehementius scopum ferimus. Septuaginta uero interpretes, non in funibus, sed in reliquis, dixerunt, fortasse, ut Iudæos, qui, Hierosolyma excisa, per omnes orbis terræ regiones uagantur, significarent; uel, ut futurum esse indicarent, ut, quamuis nullum iam supplicij genus excogitari posset, quo Iudæi non fuerint oppressi, illud postremo acerbissimum luent, quia etiam in miserabili exsilio, in quo sunt, preparabis ultum eorum, quem emissis sagittis acerbissime ferias, ut numquam libertatem consequantur, sed malis undique oppugnentur, donec perfidiam suam detestentur, & Christi Optimi, & Maximi Maiestatem uenerentur. Alij autem diuersam explicandi rationem sequuntur: sed opus est, ut uideant, si prima ultimis, & ultima medijs, conueniant.

Psalmus 21.

Longe a salute mea uerba delictorum meorum.) Christus Opt. & Max., ut debitum nostris sceleribus supplicium solueret, & Dei chirographũ, quo in genus humanum sempiternum suppliciũ constituerat, proprio sanguine deleret, uulneratus est, ut inquit Isaias, propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & posuit Dñs in eo, iniquitatem omnium nostrorum: hinc uoces, acerbissimi doloris, quo excruciabatur, indices, emittit: hinc delictorum meminit, quorum pœnas sustinebat. Longe igitur, inquit, a salute mea uerba delictorum meorum: quasi diceret, In summis ego doloribus, quibus discrucior, preces ad Deum patrem summa contentione fundo, nullum tamen illæ mihi alleuamentum afferunt, delicta, inquam; generis humani corpore meo sustineo, acerbissime excrucior, ob doloris magnitudinem, uehementer inclamo: sed uoces meæ (quæ iure optimo delictorum meorum dici possunt, quia sumpsi hoc mihi, ut generi humano Dei gratiam conciliarem) non me ab his doloribus, quibus distineor, eripiunt. In libris Hebræis, quibus hoc tempore utimur, legimus, Deus Deus meus, quare me dereliquisti, longinquus a salute mea, a uerbis שאגתי Saagati, hoc est Rugitus mei, interpretes autem Segioti uidentur legisse: quod uero Hebræus Verba rugitus dixit, Paulus eleganter explicuit: sic enim de Christo ad Hebræos scribit, Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq. ad eum, qui posit illum saluum facere a morte, cum clamore ualido, & lacrymis offerens: idem est enim, Cum clamore ualido, & lacrymis, precari, quod Verba rugitus, leonum more, profundere.

Non ad insipientiam mihi.) Nullum est maius stultitiæ argumentum, quam, cum imbecilles simus, & densissimis ignorantiæ tenebris offusi, uelimus, ut Deus, cum primum nobis ita uisum fuerit, præsto adsit; si uero opem non statim afferat, aut de illius potentia, aut de sapientia, dubitemus, & precandi studium remittamus, ac si nobis, quid sequendum sit, uel fugiendum, nisi ille lumen sui splendoris nobis præferat, teneremus. Reuela, inquit Salomon, Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ, & eos beatos appellandos censet, qui ad sapientiæ fores pernoctant, atque uigilant. Clamaui igitur, inquit Dauid, uel potius ille uersus Dauid, humanæ salutis auctor, per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi, uel non ad silentium mihi, (ut apud Hebræum legimus) quasi diceret, Quamuis diu, noctuque te obnixe orem, ut mihi opituleris, & opem afferre differas, non ideo diffido, te mihi auxilium laturum: quamobrem non silebo, sed in eo persistam, ut preces ad te fundam. scio enim, quia præpotens, & beneuolentissimus sis, rerum omnium princeps: si ergo silemus, imprudenter facimus: orandum enim nobis semper esse, Christus Dominus præcipit. Hoc autem silentium Insipientiam interpretes merito appellarunt. nihil enim a uera sapientia magis abhorret, quam, in summa uitæ ignoratione, aliunde salutem exspectare, quam a Deo assiduis precibus postulare negligas. Non igitur, inquit, in eam stultitiam incidi, ut de te uel male opinarer, uel de mea orandi contentione aliquid remitterem.

In conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.) Illud apud omnes gentes est in more positum, ut, dum alicui, ob eximiam illius dignitatem, honorem exhibemus, nos ipsos abiicimus; si uero aliquo admirando facinore Deus præsentiam suam hominibus declarat, in terram prostrati, illius Maiestatem ueneramur: quod officij munus Reges, & Principes, Christo persoluent, In conspectu, inquit, eius cadent omnes, ut auguste scilicet, & sancte, cum uenerentur, sese abiicient, qui quidem descendunt in terram, hoc est, in terram usque prostrati, cultum Diuinum ei præstabunt.

Et anima mea illi uiuet.) Hæc oratio cum ea, quæ anteceſsit, est connectenda. rationem enim continet, quare gentes, abiecta superstitione, Christum Dominum uerum Deum esse fatebuntur, & Diuinos ei honores exhibebunt. nempe, quia, ut illarum salutem constitueret, humanam naturam induit; &, dum in tellure uersabatur, ita uixit, ut non sibi, sed nobis, natum fuisse, & uixisse, satis manifeste demonstraret, usque adeo, ut ipsam uitam pro generis humani libertate profundere minime, dubitauerit. Ideo inquit Isaias, Dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam suam: ad eundem fere modum Dauid prædixit, Anima mea illi uiuet. ad hoc enim libertatis humanæ opus perficiendum omnes suas cogitationes, & studium, conferebat; nec tam iucunda illi manẽs uita erat, quam ut amissa genus humanum a peccati tyrannide liberaret. Hanc sententiam Hebræus clarius explicat. Sic enim hoc in loco inquit, Et uitam sibi minime seruabit. nam uerbum חיה Chaiah, quo Dauid utitur, ipsimet Septuaginta interpretes in Psalmo centesimo decimo octauo, nihil aliud significare existimarunt, quam Vitam seruare, uel, ut noster Latinus reddidit, Viuificare, cum inquit, Eloquium tunm uiuificauit me: hoc tamen in loco, ut sententiam clarius explanarent, ab Hebræo discesserunt.

Psalmus 23.

Qui non accepit in uanum animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo.) Omnis uitæ bene constitutæ ratio in duplici officiorum genere uersatur: alterum erga Deum pietatem complectitur; alterum uero erga hominum societatem fidem continet: hoc ab illo proficiscitur, & ab illo si colligatum non pendeat, non potest consistere: utrumque Dauid perpetuo studio obseruandum ei esse asserit, qui in cælesti Dei monte inter beatissimas illas mentes sedem, & domicilium, sit habiturus: omnes autem, tam Iudæi illis temporibus, quam nunc Christiani, singulari ratione adstringuntur, ut legem Diuinam numquam uiolent: qui autem hoc sacramentum frangit, Diuinam Maiestatem impie offendit: qui autem illud totis uiribus seruat, officio suo egregie fungitur: quod quidem Dauid illis uerbis significat, Qui non accepit in uanum animam suam: nam apud omnium fere hominum nationes, Per animam iurandi consuetudo semper uiguit. Iurauit Dominus exercituum, inquit Hieremias, per animam suam, quoniam replebo te hominibus quasi brucho, & super te ulcusma cantabitur: nec non & Amos, Iurauit, inquit, Dominus Deus in anima sua, detestor ego superbiam Iacob: qui igitur non accepit in uanum animam suam, is est, qui fidem Deo datam non fefellit, qui sacramentum non uiolauit, quo se Diuinæ legi deuinxit. Ex Hebræo autem hunc uersum Latine sic etiam reddere possemus, Qui non accipit in uanum animam eius, hoc est Dei. Deum enim in testem adducimus, cum iureiurando cum illo fœdus sancimus, quo nos illius legem numquã uiolaturos promittimus. Illud autem officium, quod ad hominum communitatem pertinet, illis uerbis significatur, Nec iurauit in dolo proximo suo.

Psalmus 24.

Dirige me in ueritate tua.) Veritatis duplex est ratio, atque uirtus; altera, in firmo animi studio cernitur, cui oratio numquiam repugnet; altera, in factis elucet: hanc אמת Emet, illam uero מיכה Amucah, Hebræi appellant: hoc uero in uersu, nomine Emet, Dauid utitur; illius igitur ueritatis mentionem facit, quæ in operibus Diuinis maxime enitescit: lex autem, cum præclarũ sit opus, &, ut docet Socrates

Universidad de Deusto
Biblioteca

apud Platonem in Minoe, sit ueritatis inuentio, merito quidem lex illa, digitis Dei primum in tabulis lapideis insculpta, postea uero in hominũ animis Diuinitus scripta, Veritatis nomine significatur. in ea enim, omnis uera sapientia, hominis institutio, & salus, continetur. hac ergo ueritate, uitam suam dirigi, Dauid ardenter cupit. quod quia obtinere non poterat, nisi Deus ipse illius actiones moderaretur, animumque uirtutis suæ præsidio firmaret, illud enixe orat, & contendit, cum inquit, Dirige me in ueritate tua.

Semen eius hereditabit terram.) Quemadmodum Isaias, Assyriorum exitium prædicens, ait, Non consurgent, nec hereditabunt terram, hoc est, Assyrij penitus delebuntur, ut non possint ali quando pristinum statum adipisci, quem hereditario iure obtinere debuerant; sic etiam Dauid de iustorum sobole illud affirmat, Et semen eius hereditabit terram, nempe, paternam hereditatem consequetur, & illa tranquille potietur.

Quia unicus, & pauper sum ego.) Quamuis Septuaginta μονογενὴς dixerint, pro quo noster Latinus Vnicum reddidit, non ideo erit existimandum, Danidem se Vnigenam, siue unicum parentis sui filium, appellasse, cum plures fratres habuit; sed Vnicum se esse affirmat, quia solus, & ab omnium ope sit destitutus. quam quidem sententiam Hebræum nomen יחיד Iachir, quo ipse utitur, manifeste declarat.

Innocentes, & recti adhæserunt mihi.) Dauid ad misericordiam Deum inflectere ea ratione conabatur, quia cum omni præsidio destitutum immanissimi hostes summis uiribus oppugnabant. Qui igitur sunt illi innocentiæ laude uiri præstantes, qui ei adhæserunt? Puritas, & æquitas, inquit Hebræus, custodient me. hæ autem uirtutes, cum in officijs maxime uersentur, prudenter satis interpretes ἀκακίαν, & ἁπλότητα, eas dixerunt, nempe, innocentes, & recti. quemadmodum alio in Psalmo interpretati sunt, Lauabo inter innocentes manus meas. quod apud Hebræum legimus, Lauabo in innocentia manus meas. Coniectura autem ducimur ad suspicandum, hoc in loco, Innocentiæ, & Aequitatis nomine, illarum uirtutum ornamentis uiros excultos significari, qui quidem Dauidi adhæsisse dicuntur, quia, illorum exempla secuturus, innocentiæ, & æquitatis, studio, toto pectore operam nauauerit. Sensus igitur hic erit, ut ille affirmet, se firmissima spe teneri, fore, ut salutem consequatur, non quia inani cuidam fidei, & spei, sit addictus, sed quia fuerit insignes innocentiæ, & æquitatis, nomine uiros imitatus, & animi puritatem, nullo simulationis fuco contaminatam, iurisque æquabilitatem, fuerit amplexus. quorum enim mores sectamur, nobis illi adhærere dicuntur.

Psalmus 25.

Re renes meos, & cor meum.) In corde, & renibus, maximam cogitandi uim inesse, Hebræi existimant: ideo, Renum, & Cordis, nomine, mentis humanæ intimos recessus significant: eos uero diligenti examine Dauid animaduerti cupit, ut, Diuino testimonio, mentis suæ puritas, & innocentia, manifesta fieret, uerbum enim Hebræum, pro quo interpretes reddiderunt, Vre, non solum Comburere, sed Conflare, & igne admoto, ut aurifices faciunt, a sordibus aurum purgare, significat.

Psalmus 26.

Vt uideam uoluptatem tuam.) Aliqui libri Latini, librariorum negligentia, habent, Vt uideant uoluntatem tuam, cum tamen Septuaginta interpretes τὸ ἡδύπαθες, hoc est Iucunditatem, scripserint: nomen autem Hebreum נעים Noham, pulchritudinem præcipue significat, ut ipsi interpretes aliquando uerterunt, & Symmachus hoc in loco transtulit, nec quidem a uoluptatis significatione multum abhorret. a uerbo enim Naham originem ducit, quod in sacris Literis Oblectare aliquando significat: totius uero solidæ uoluptatis fons, & origo, est Diuinæ pulchritudinis contemplatio. hæc enim bonis numquam interituris animum satiat: uoluptatem autem uidere minime dicimur, sed illa frui: at uero pulchritudinem singulari cum uoluptate, natura duce, contemplamur. quare hic uersus non parum eleganter explicari posset, si ex Hebræo ita Latine redderemus, nempe, Vt uideã pulchritudinem tuam: utrumque tamen pulchritudinis scilicet Diuinæ adspectus, & ex eo uoluptas delibata, ueram beatitudinem efficiunt. nec enim ab illius adspectu uoluptas, nec ab illa uoluptate adspectus, separari potest.

Ne tradas me in animam tribulantium me.) Quemadmodum apud Latinos est multiplex Animæ significatio, ita etiam est apud Hebræos nominis נפש Nephes, quod Animam significat. Quia igitur anima uiuimus, uitam eo nomine significamus, ut in libro Iudicum Ieptem ad tribũ Ephraim dixisse legimus, Vocaui uos, ut præberetis mihi auxilium, & facere noluistis, quod cernens posui animam meam in manibus meis: Mentem quoque, & animum, quo scimus, & intelligimus, significat. Lauda, inquit Dauid, anima mea, Dominum: animus autem humanus, cum multis sit ægritudinibus obnoxius, & illis adeo uehementer agitetur, ut sæpe in seipsum nõ mediocris sceleris flagitia committat, in sacris Litteris animi morbi, & crimina nomine ipsius animi, nuncupãtur. In libro enim Leuitici, legislator, cum legem sanciret, ne quis sanguinem gustaret, ita inquit, Ego dedi illum uobis, ut supra altare in eo expietis pro animabus uestris, & sanguis pro animæ piaculo sit. Simili igitur dicendi ratione Dauid, animam inimicorum, in hoc uersu, hostium suorum libidinem, & impotentiam, appellauit.

Mentita est iniquitas sibi.) Nihil mendacio Ieuius, nihil inanius, excogitari potest. dum enim peruersus homo, mendacio, id quod expetit, consequi sperat, seipsum turpissime fallit. insanientis enim,

tis enim, ut inquit Salomon, hominis instar, uo lucres pedibus insequitur. quamobrem improbitas, dum falsi criminis testimonium aduersus iustum defert, ut illi uitam eripiat, sibi mentiri dicitur, quia ipsa, ea facinore, sibi perniciem pariat. Testis iniquus, inquit Salomon, iudicium irridet, & os impiorum deuorat iniquitatem: parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus. Apud Hebræum ita legimus, Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & homo mendax. Est autem orationis amplificatio: quasi diceret, Testes, pecunia corrupti, me, testimonijs suis, sceleris condemnant, & homo mendax calumnijs nomen meum dilacerat, qui, cum me calumnijs uexat, seipsum fallit. in eo enim pugnat, ut mihi opem tuam, sibi autem perniciem, comparet.

Psalmus 27.

Et refloruit caro mea.) Ea est animi cum corpore coniunctio, ut, si animus tristitia sit affectus, corpus etiam afflictetur, & aliquando contabescat; si uero lætitia efferatur, illud quoque uires assumat, & quodammodo uireat. Non immerito igitur interpretes, ut lætitiæ magnitudinem, qua Dauidis animus fuerat cumulatus, explicarent, ex Hebræo Græce uerterunt, Refloruit caro mea: nam Hebræus sic inquit, Exsultauit cor meum: singulari quidem gaudio se fuisse perfusum Dauid hoc in uersu significat, quod Symmachus ad animi hilaritatem, Aquila uero ad gloriationem, retulit, Septuaginta uero interpretes in corpus etiam cumulate redundasse affirmant, illiusque magnitudine effectum fuisse, ut, cum antea corpus, omni succo destitutum, fere emortuum iaceret, lætitiæ magnitudine fuisse amissas uires assecutum, instar agri, qui, hiberni temporis frigoribus exustus, omni uiriditate erat orbatus, ueris autem calore tepefactus, herbis, & floribus uestitus, omnium oculos ad se alliciat, atque delectet.

Psalmus 28.

Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.) Antiqua lex de sacrificiis tam diligenter sanxit, ut Hebræi, illa religione imbuti, facilius possent a sensuum consuetudine abduci, & umbris, atque imaginibus, excitati, rem ipsam mentis oculis intueri, nempe, ut generis humani Saluatorem Christum Optimum, & Maximum, possent non solum animo contemplari, sed omni studio amplecti, idq. explorate cognoscere, nihil laude dignum, quod ab illius sanctitate non pendeat. uictimarum enim cæde, gens illa ad Christi nomen excitabatur, & ad ueræ uirtutis decus, & amplitudinem, instituebatur. nam Moses, postquam erga Deum, & erga generis humani societatem, officia in tabulis lapideis scripta edidisset, uictimarum ritus instituit, quibus pietatem in animis inhærentem demonstrarent, nullumque esse ueræ uirtutis ornamentum intelligerent, quod a Christi meritis non esset delibatum. nec quidem hircorum sanguinem præpotens rerum omnium Dominus expetebat, ut ipse apud Isaiã Iudæis obiicit, Plenus, inquit, sum: holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem uitulorum, & agnorum, & hircorum, nolui: cum ueniretis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus uestris? Elegãter etiam Hieremias a legis sacris ad ueræ uirtutis decus Iudæos auocare oratione nititur. Circumcidimini, inquit, Domino, & auferte præputia cordium uestrorum. Quamobrem Dauid, cum pios homines fuisset hortatus, ut uictimas afferrent, ne existimarent, omnem sanctitatis uim in uictimarum sanguine esse collocandam, adiungit, Afferte Domino gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius. Quasi diceret, Eas uictimas commemoro, quas hæc pecudum cædes, hęc sanguinis effusio, significat, & a nobis exigit; nempe, religionem, fidem, & incensum uirtutis studium: quæ quidem uictimæ Diuinum nomen laudibus efferunt, & immensæ illius Maiestati conueniunt. Oblationem, inquit ille, & holocausta, noluisti, aures autem perfecisti mihi: &, quoniam, si uoluisses, sacrificium dedissem, holocaustis non delectaberis, sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum: hanc denique optimam legis ueteris disciplinam hoc in uersu Dauid luculenter tradit, & auctor ornate satis explicat.

Comminuet eas tamquam uitulum Libani dilectus, quemadmodum filium unicornium.) Seueriſsimæ tempestatis uim sapientissimus uir, & excellens poeta, describit, qua cedri, altissimis radicibus nixæ, euulsæ sunt, &, hinc, & inde delatæ, exsilientes uitulos imitari, & ipsi montes, Libanus, & Sarion, illius impetu perculsi, ueluti unicornes, subsaltare uiderentur. Hunc huius uersiculi sensum Hebræus etiam tenet. sic enim ille inquit, Exsilire faciet eas tamquam uitulum, Libanum, & Sarion tamquam filios unicornium: comminuet igitur eas tamquam uitulum Libani, hoc est, altissimas cedros tempestatis uis ita conuellit, ut, instar uitulorum, qui in Libano pascuntur, uisæ sint subsaltare. ex eo enim loco, ubi antea erant, in alium eas tempestas detulit, Et dilectus tamquam filius unicornium. Est autem Dilectus, mons Sirion in Palęstina. sic enim Septuaginta sunt interpretati: quamuis illi aliter, quam hoc tempore Hebræi, legisse uidentur. Quemadmodum enim, si Moria montem, in quo Salomon templum ædificauit, uisionem nomines, quia talis sit Hebræi nominis nis, & notio: sic nomen Hebræum Dilecti uocabulo explicarunt. Dilectus igitur, hoc est, ut nunc apud Hebræum legimus, mons Sirion, ut rhinoceros subsaltauit, tanta enim fuit illa tempestas, ut montes commouere uideretur. Sicut denique in alio Psalmo, ut lætitiæ magnitudinem significaret, dixit, Montes exsultauerunt, ut arietes, & colles, sicut agni ouium; ita hoc in uersu inquit, Comminuet eas tamquam uitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius unicornium, ut tempestatem maximam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ximam,quę illis temporibus fuit excitata,in con spectu poneret.

Vox Domini præparantis ceruos.) Ceruæ, ut Aristoteles, refert, octo mensibus uterum gerunt: quo tempore solitudinem uehementer appetũt: cum uero tempus instat, ut fetum in lucẽ edant, latibula deserunt,ad uias se conferunt, ut prope illas pariant: qua de re multo ante Aristotelem Iobus, uir omni admiratione dignus, ornatissimo dicendi genere ita disseruit: Parturientes ceruas obseruasti? dinumerasti menses, conceptus earum,& scisti tempus partus earum? Incuruantur ad fetum,& pariunt,& rugitus emittunt. Maxima igitur illa tempestas fuit,quæ ceruas ita uexauit, ut ante tempus a natura constitutum in latibulis parere cogerentur, quæ non nisi prope uias, acerbissimo cum doloris sensu, pariebant. Vox itaque Domini, hoc est uentorum uis, eo impetu in siluas irrupit, eoq. timore illas cõpleuit, ut ceruas præpararet, ut parerent. illę enim, metu exanimatæ, uterum continere non potuerunt. Hanc sententiam Hebræus amplectitur. Sic enim inquit, Vox Domini parturire fecit ceruas.

Dominus diluuium inhabitare facit.) Duæ sunt horum uerborum sententiæ: altera, quæ in Dei summæ erga suos benignitatis prædicatione uersatur, quia, cum ceterę uicinæ regiones aquarum illuuione periissent, Palæstinam, in tanta aliorum clade, saluam,& incolumem, seruauit. Dominus igitur diluuium inhabitare facit, hoc est, Diuino munere effectum fuit, ut, cum uicinę gentes aquarum ui obruerentur, pij homines Palæstinam, securi,& ab omni molestia liberi, incolerẽt. Hũc sensũ Aquila, & Symmachus amplectũtur. Altera uero Diuini iudicij sanctitatem laudibus effert: non enim casu aquarum uis effusa tellurem illam occupauit, sed Dei in illarũ gentium scelera animaduersione: Dominus, inquit, diluuium inhabitare facit, hoc est, sublatis incolis aquæ tellurem illam tenuerunt: quo Dei iudicio impij homines poterant explorate cognoscere, quia sedebit Dominus Rex in æternum, illum nempe prępotentem esse rerum omnium Principem, cuius imperio aquæ obœdiunt, atque, illius uirtute immissæ, tantam telluris uastitatem attulerunt.

Psalmus 29.

Præstitisti decori meo uirtutem.) Dauid, postquam totius Palæstinæ imperium obtinuit, in monte Sione ædes exstruxit, quas, ut lege sancitum erat, sollemni ritu Deo dedicauit, in cuius festi celebritate carmen hoc edidit, ut ipsius Psalmi titulus declarat. Victis igitur hostibus, Hierosolyma capta, deletis Iebusæis, arce Sionis munita,& ampliss imis ædificatis ædibus, satis manifeste cognouit, ut auctor Sacræ Regum historiæ libro secundo commemorat, Regnum sibi in omnes Israelis tribus esse, Dei benignitate, cõstitutum, & illius singulari præsidio stabilitum; hanc autem Regiam dignitatem, familiæ splendorem, arcis, domusq. amplitudinem, הררי Harri montem meum Hebræus nominauit: quemadmodum Aquila uertit, & quincta sacræ Scripturæ ex Hebræo Græca editio habet. ita enim illius rerum status erat Diuinæ uirtutis robore firmatus, ut, instar altissimi montis, nulla ui nutare posse uideretur. Meum quoque montem fortasse Sionem montem appellauit, ubi imperij caput, arcis munitissimæ præsidium, erat collocatum, & Dei ope circumuallatum: pro quo Septuaginta prudenter quidem Decus meum reddiderunt. nihil enim Regia dignitate ad splendorem illustrius, nihil munitissimæ arcis præsidio ad hostes repellendos firmius, nihil domus amplitudine ad uitæ iucunditatem commodius, reperiri potest. Quæ omnia ad eximiam quandam nominis dignitatem pertinent. Hoc igitur decus, quo Dauid mirifice enitebat, Dei ope erat diligenter sæptum, ne, facili negotio, aut imminui, aut deformari, posset. Sic enim inquit: Ego dixi in abundantia mea non mouebor in æternum, Domine in uoluntate tua præstitisti decori meo uirtutem, hoc est, existimaui me numquam a florenti statu, in quo eram, fore deiiciendum, quia tu, præpotens Domine, illum uirtute tua firmaueras: uerumtamen auertisti faciem tuam a me,& factus sum conturbatus. immensa est enim prouidentiæ tuæ uis, qua res omnes moderaris, & regis;& ea est hominum condicio, ut, si tu mihi non opituleris, si, uirtutis tuæ præsidio, hoc decus meum non tuearis, ex hoc profecto dignitatis fastigio in summas calamitates decidã.

Psalmus 30.

In firmata est in paupertate uirtus mea.) Quæ fuerit hæc Dauidis paupertas, quæ tam uehementer illum afflixit, nomen חנוני Hanoni, quo hoc in loco Hebræus utitur, manifeste declarat. Sic enim apud Hebræum legimus, Infirmata est in Hanoni uirtus mea. Hanoni autem iniquitatem meam significat, siue pœnas sceleri debitas, quas sustineo: dum igitur Deus Opt. Max. in Dauidis peccata animaduerteret, aut illum morbo distinebat, aut odio inimicorum uexabat, aut hostium incursionibus premebat, aut eorum insidiis, in quos plurima ille beneficia contulerat, circumsæptum mortis formidine perterrebat. has autem ærumnas, quibus, ob errata, quæ in uita commiserat, premebatur, iniquitatem suã,& pœnas, merito nuncupauit, quibus debilitatus, succũmberet, nisi Deus Optimus, & Maximus seueritatem puniendi clementer remisisset. Quia autem nullius indigentia maior esse potest, quam illius, qui, omni præsidio destitutus, ab hostibus acerrime, oppugnatur, & ab illis, qui plurima ei officia debebant, opprimitur, iure optimo interpretes, eas, quas Dauid sub ire calamitates cogebatur, Paupertatis nomine indicarunt, quæ quidem Christum Optimum, & Maximum, cuius Dauid imaginem gerebat, uehementius afflictauit, in cuius ore dolus non est inuentus, sicut obstupuerunt in te multi, inquit Isaias,

Isaias, sic inglorius erit inter uiros adspectus eius,& forma eius inter filios hominum,& Dominus uoluit conterere eũ in infirmitate, iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. dum ergo nostris sceleribus debita supplicia subiit, humanæ naturæ imbecillitas illis quodammodo cedebat. Cauete, inquit Isaias, ab homine, cuius spiritus in naribus eius. ea enim erat totius corporis, grauissimis ærumnis oppressi, forma, ut simul cum anhelitu animam efflare uideretur. quamobrem, inquit, infirmata est in paupertate uirtus mea, hoc est in maxima hac, in qua uersor, orbitate, tanta est suppliciorum, quæ sustineo, acerbitas, ut uires ad illam perferendam me omnino deficere uideantur.

Ego dixi in incessumentis meæ.) Id quod Mentis excessum noster Latinus dixit, Septuaginta Ecstasim appellarunt. hic uero animi motus, a malorum impendentium cogitatione, uel cum mala undique circumueniunt, sæpe oriri solet. mens enim humana, ea, quæ imminent, mala perhorrescit: illis uero, quibus acerbius excruciatur, aliquando succumbit: dum autem hoc in statu uersatur, in excessu, uel in ecstasi esse dicitur: uerbum autem Hebræum, quo Dauid utitur, Festinare, ac Trepidare, significat: quemadmodum D. Hieronymus, Aquila, & Symmachus reddiderunt: a quibus non multum dissident Septuaginta interpretes. Ecstatis enim est, mentis, ob timoris magnitudinem, uehemens quędam commotio.

Psalmus 31.

Et tu remisisti impietatem peccati mei!) Grauissimi morbi ui prostratus Dauid, iacebat, quo in sceleris sui pœnam opprimi se optime nouerat: sceleris igitur commissi dum acriter se ipsum accusat,& acerbissimo doloris sensu, ob Diuinæ Maiestatis offensionẽ, excruciatur, morbo tandem liberatur,& tu, inquit, remisisti impietatem peccati mei: peccatum enim Dauidis non solum Deum offendit, sed morbum illi inuexit. quare duo est Dauid supplici prece consecutus; nempe, ut offensam Deus Optimus,& Maximus dimitteret,& pœna, quam infixerat, eum liberaret. Hanon enim, quo nomine Dauid utitur, ut alio in loco diximus, peccatum, & pœnam peccati, significat, Septuaginta uero interpretes Impietatem peccati dixerunt.

Psalmus 34.

Effunde frameam, & conclude aduersus eos.) Frameæ, cum Germaniæ historiam scribit, Cornelius Tacitus meminit. hoc uero in loco Gladium Latine diceremus, quo stricto ut sibi opitularetur, Dauid obnixe a Deo contendit: illud uero Conclude aduersus eos, apud Hebręum sic se habet, סגר Segor aduersus eos. Nomine autem Segor plurimi Hebræorum ea armorum genera significari putant, quæ, singulari cura comparata, ad periculosissima tempora seruantur. Vt is sit uersus huius sensus: O Domine, non mediocres sunt hostium meorum uires, quibus me oppugnant. gladium igitur, ut me tuearis, stringe,& nullum armorum genus omittas; sed ea omnia tibi assume, ut prœlium aduersus eos in eas. Immensa est enim prouidentiæ Diuinæ uis; & uariis, & diuersis, rationibus impios prosternit;& pios ab illorum manibus eripit: alij uero, quemadmodum Septuaginta interpretes, non Segor, sed Sagar, uerbum esse existimant: quod quidem Claudere, siue Intercludere, significat. Vt in hunc modum Dauid orationem apud Deum instituat: O Domine, gladium tuum ne diutius in uagina contineas: hostes in meam perniciem, ut uides, præcipiti cursu feruntur. gladium igitur educ,& conclude aduersus eos; hoc est, uiam hostibus meis interclude. si enim illis stricto gladio obuiam ieris, nulla eis nocendi uia patebit, ut mihi detrimentum inferant. Dic igitur animæ meæ, Salus tua ego sum, id est, ope tua iacentem animum meum erige; & præsentiam tuam, qua me in labore subleuas, & in maximis periculis tueris, hominibus declara.

Quoniam gratis absconderunt.) Hoc semel admonuisse, non erit alienum, nempe id, quod Septuaginta Gratis sæpenumero dixerunt, non benignitatem, non gratiam, significare, sed idem prorsus esse, ac si dicerent, Sine caussa.

Sterilitatem animæ meæ.) Ἀτεκνία, pro qua noster Latinus Sterilitatem reddidit, Orbitatem Latine diceremus; in eas enim angustias ingrati homines Dauidem adduxerunt, ut omnium præsidio esset orbatus.

Cum mihi molesti essent, induebar cilicio.) Apud Hebræum ita legimus, Cum illi ægrotarent, ego lugubri ueste induebar: quincta, & sexta editio habent, Cum ipsi molestia afficerentur, Symmachus reddidit, In ægritudine eorum. hoc autem Chalah Hebræis significat, ut D. Hieronymus interpretatur: Septuaginta uero, nulla morbi facta mentione, caussam referunt, quare Dauid ex illorum ærumnis lætitiam potius capere potuisset, quam debuisset mœrore affici; quia scilicet ei molesti erant: tantum uero abfuit, ut uir sanctus in eorum malis lætaretur, ut, singulari dolore affectus, ueste lugubrem assumeret. Ita igitur sententiam explicabimus: Cum illi mihi molestias omnibus modis afferant, & propterea eos odio habere occasio daretur, non solum non odi, sed in illorũ malis ego non mediocriter dolebam, &, lugubri ueste indutus, dolorem significabam, quo illorum caussa afficiebar.

Congregata sunt super me flagella, & ignoraui, dissipati sunt.) Si de flagellis loquitur, quo modo dissipati sunt? Si hostes, qui eum oppugnabant, sunt in fugam coniecti, quid cõuenit, illud, quod sequitur, adiunxisse? Domine, quando respicies: Vt igitur sententiã percipiamus, primum est nobis illud ponendum, uiros eloquentia præstãtes sæpenumero illis nominibus uti, quæ aliarum rerum sunt propria, ut certum aliquod hominum genus significent: quemadmodum apud Homerum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum Achilles Agamemnonem κυνῶπα uocat, ut illi effrenatam animi cupiditatem obiiciat; & in libro Regum secundo, Abnercum, Isbosetho ex postulãs, inquit, Numquid ego caput canis sum aduersus Iudam? Et ipse Dauid, ut Iudæorum singularem impudentiam, & efferatam crudelitatem, significaret, eos Canes, & Tauros, appellat: Hoc autem in uersu, eorum mores, & uitam, Inquienter exprimit, qui eum tam acerbe diuexabant: Congregata sunt, inquit, super me flagella: quicumque iustos affligunt, quamuis hoc sint digni nomine, illi tamen uere, & proprie, Flagella a Dauide nominantur, qui, cum sint animo fracti, & abiecti, totius q· Reip. sentina, pios illudunt, & maledictis configunt. quod hominum genus Hebræus נכים, hoc est Percussos, uocauit. Interpretes autem eos Flagella eleganter satis appellarunt. nam ij, qui publice flagris cæduntur, sunt omni dedecore infames: homines igitur, insigni turpitudine notati, & oppressi dedecore, & infamia, cum illis coibant, qui, opibus suis inuixi, Dauidi perniciem moliebantur: ut non solum potentium gratia, & uiribus, premeretur, sed ei homines abiectissimi petulanter male dicerent, dissipati sunt; hoc est, distorto ore irridebant. dum enim tales cachinnantur, os ita aperiunt, ut ipsi dissipari uideantur, nec compuncti tentauerunt me. nulla enim iniuria lacessiti, in me maledicta iaciebant, & in meam perniciem uires comparabant. Hebræus autem sic inquit, Et non siluerunt cum adulatoribus parasiti: nam abiecti illi homines parasitos compellarant, ut Dauidem non solum maledictis onerarent, sed, dum petulanter in eum inuchebantur, cachinnos tollerent.

In iracundia terræ.) Etsi in libris Græcis nulla Terræ fiat mentio, illius tamen non solum Hebræus, sed Latinus etiam noster, commeminit. quare hanc ueram esse Septuaginta interpretationem existimamus. Quid autem sit, In iracundia terræ dolos cogitabant, ex Hebræo colligimus. Quod enim interpretes Iracundiam terræ Græce uerterunt, ille רגעי ארץ Righei arez dixit. Ragah autem scindere, & quiescere, significat: quare ita hunc uersum aliqui uiri docti explanant, ac si Dauid diceret, Inquietos terræ dolos cogitarunt: uerum, cum uox Hebræa, רגע. Scindere etiam significet, nomen quidem רגעי Righei, ab ea deductum, hiatum quoque, ut Hebræi docti interpretantur, sine dubio significabit, ac si Scissiones terræ diceremus, quas Iracundiã terræ Septuaginta dixerunt, quia solis ardoribus terra irasci uideatur, cum multis in locis labes fiant, & ipsa ad non mediocrem altitudinem desideat. Sensus igitur uersiculi hic erit: Hostes mei, non iam de abiectis hominibus, sed de iis, qui rerum potiuntur, loquor; erga me benecuolentiam nefarie simulant; uerbis, & oratione, mihi bona precantur: cum uero eo conueniunt, ubi, ac si essent in antris, & terræ uisceribus, nemo testis adsit, uitæ meæ exitiales fraudes moliuntur.

Psalmus 36.

Inimici Domini, mox ut honorati fuerint, & exalta ti, deficientes quemadmodum fumus deficient.) Mirum profecto uideri alicui potest, Dauidem hoc in loco hanc de impiorum interitu sententiam asseruisse; cum alibi admiretur, qua ratione impij prosperis rebus diutius utantur, quam ratio humana pati uideatur; & Hieremias cum Deo in hunc modum expostulet, Quare uia impiorum properatur? Bene est omnibus, qui præuaricantur, & inique agunt? plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum. Si igitur proficiunt, & faciunt fructum, &, ut ille inquit, de absconditis tuis adimpletus est uenter eorum, saturati sunt filiis, & dimiserunt reliquias suas paruulis suis, quomodo, mox ut honorificati fuerint, & exaltati, quemadmodum fumus deficiẽt? Apud Hebræum hic uersus sic se habet, Inimici Dei יקר כחים bi, iachir, carim, hoc est, ut, quod optimum agnorum deficient, in fumo deficient: agnorum adeps erat in pretio, quia Deo Optimo, & Maximo offerebatur. illud ergo fore affirmat, quod Hieremias a Deo obnixe contendit, cum inquit, Congrega eos quasi gregem ad uictimam, & sanctifica eos in die occisionis. Quem admodum igitur agnorum adeps, in ignem iectus, excitato fumo, consumitur; sic etiam impij homines, cum opportunum fuerit, delebuntur, eorumque interitus, sacrificij instar, sanctissimum iudicem sempiternis laudibus esse prædicandum, testabitur: Septuaginta autem interpretes, in impiorum exitio quodammodo sollemne sacrificium confici, hac oratione docent: Inimici Domini, mox ut honorificati fuerint, & exaltati, quemadmodum fumus deficiẽt. quidquid enim Deo in sacrificium offertur, illustre decus consequitur, & a sacerdote, ut lege sancitũ erat, uersus fœderis arcam, in altum efferebatur. mox igitur, tpe scilicet a Deo præstituto, cũ honorificati fuerint, & exaltati, cum eo impietatis scelerati hoſes summa cũ audacia peruenerint, ut de eis supplicii sumi debeat; quemadmodũ, si sacrificium erat faciendũ, uictima Deo dicabatur, donumq. Deo nuncupatum a terra in altum a sacerdote efferebatur; sic impij, sollemni ritu, Diuinæ animaduersionis iudicio, in nihilum redigentur. hi enim sactificij uicem sustinebunt; &, sicut aliis sacrificiis contigit, quæ in honore habebãtur, & coram arca fœderis fiebant, ipsi quoque consumentur; &, ut adeps, in ignem iectus, fumum Deo gratissimum excitabat, ita impiorum supplicio, & sanctissimi iudicij, & immensæ Dei benignitatis, splendor hominibus collucebit.

Psalmus 38.

Mensurabiles posuisti dies meos.) Aliqui sunt uiri docti, qui Septuaginta interpretes uertisse putant παλαιάς, hoc est, ueteres posuisti dies meos: prudentius tamen Ioãnes Chrysostomus, & Gregorius Nazianzenus, sanctissimi, & doctissimi uiri, existimarunt παλαιστὴν enim legũt. Est autem apud Græcos παλαιστὴ, mensura, quam Geometræ Palmum uocant, Hebræi uero זרת Tephahc appellãt. quo nomine Dauid hoc in loco utitur. quãobrem, tũ ex Hebræo, tum etiam ex Græco, hic uersus Latine sic uerti potuisset: Palmos posuisti dies meos: hoc est, breuissimo tpis spatio uitã meam concluſisti. eam enim mensus es palmo. Quam lectionem noster Latinus obseruauit; & ideo inquit, Mensurabiles posuisti dies meos: breui nempe mensura, ut est palmus, usus es, intra quam dies uitæ meæ coercuisti.

Psalmus 39.

Cogitationibus tuis non est, qui similis sit tibi.) Postquam, generis humani gratia, magnifica, & admiranda opera a Deo Optimo, & Maximo effecta fuisse affirmauit, ea, quæ ad salutem animorum constituendam designauit, atque perfecit, nulla umquam dicendi ratione explicari posse asserit. Ex illorum autem consideratione fieri manifestum, Diuinam naturam, ceteris rebus omnibus infinitis partibus excellere. Quod quidem, quemadmodum Hebræus explicet, considerare lubet. Sic enim ille inquit: Cogitationes tuas erga nos, non ordinare ad te. Quasi diceret, Plurima quidem, o præpotens rerum omnium princeps, in genus humanum beneficia contulisti, quæ in hominum animis maximam debuissent admirationem commouere: ea tamen, quæ adhuc non perfecisti, & umbris quibusdam inuoluta futura significas, cum infinitis partibus superent, nemo, nec ipsæ quidem mentes cælestes poterunt ordine recensere, & animo comprehendere. sunt enim magnitudine immensa, & numero infinita. hæ autem sunt tuæ erga nos cogitationes, nempe, ut Diuinus filius tempore a te præstituto humanam naturam induat, &, ærumnis obnoxius, terras lustret. has quidem cogitationes non ordinare ad te, non poterit quis aut dicendo consequi, aut cogitando percipere. Quam sententiam sapienter quidem Septuaginta interpretantur, cum inquiunt, Cogitationibus tuis non est, qui similis sit tibi. Totius enim naturæ, siue quæ cæli ambitu coercetur, siue quæ in cælorum omnium fastigio uiget, uim, atque uirtutem, immensitas benignitatis, & potentiæ tuæ, qua genus humanum a peccati tyrãnide in libertatem uindicabis, longe superat.

Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.) Moses in Deuteronomij libro legem sanxit, ut, si quis seruus post sextum seruitutis annum libertate frui nollet, in seruitutis uoluntariæ signum auricula illius perfoderetur. quare Dauid, hoc in uersu, ut admirabile illud Christi Domini studium explicaret, quo incensus, humano generi salutem erat daturus, inquit, Aures autem perfodisti mihi. Cuius orationis sententiam interpretes luculenter satis exponũt. Aures, inquiunt, perfecisti mihi. Vera enim aurium perfectio in singulari obœdientia consistit. Vnde illa Dei iustissima de populo Israelis querella est orta: Abierunt post balim, me autem nõ audiuerũt, & Israel, Si audieris me non erit in te Deus recens. Verum D. Paulus in epistola, quam ad Hebræos scripsit, cum ex hoc loco argumentum sumeret, uersum hunc ita refert: Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. More suo Diuinus Paulus sententiam retinet, quamuis uerba aliquando immutet; ut illud, Exsurge qui dormis, & illuminabit te Christus; & illud, Qui crediderit, non confundetur; cum apud Isaiam legamus, Qui crediderit, non festinet: in eo autem maxime pugnabat Paulus, ut Hebræis persuaderet, legis ueteris sacris Deum humano generi minime conciliari potuisse; idq. summi sacerdotis secundum ordinem Melchisedech Christi Optimi, & Maximi sanctitate fuisse perfectum, qui corporis sui semel oblati sacrificio peccatum omnino deleuit, ut amplius legis sacrificiis opus non esset, quę pro peccato quotannis fiebant. Vt igitur uehementius aduersus Iudęos illud concluderet, sic orationem instituit, ut, aurium nomine omisso, corporis. sine quo aures esse nõ poterant, uocabulum posuerit. corpore enim Diuinus pater ineffabili ratione filium induit, & illius aures perfecit, atque perfodit, cum filius, admirabili humanę salutis studio, & erga patrem obœdientia, se cruci affigendum tradidit, ut sanguine suo pro nobis litaret. Ita uero, summa cum eloquentiæ ui, Paulus totam rem conficit. Impossibile, inquit, est, sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata; & ideo, ingrediens mundum, dicit, Hostiam, & oblationem, noluisti, corpus autẽ aptasti mihi, holocaustomata, & pro peccato non tibi placuerunt: & paulo post sic argumentationem concludit, Aufert primum ut sequens statuat, in qua uoluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel: si auriũ nomine uteretur, non ita quidem eleganter concluſum esset argumentum. Non igitur Paulus aliam, quam noster Latinus, interpretationem sequitur, sed illam, maxima cum differendi ui, explicat, & exornat. Illud autem nos minime latet, in libris Græcis hunc uersum, ut Paullus illum prodidit, scriptum reperiri.

Psalmus 42.

Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui letificat iuuentutem meam.) Eleganter Symmachus hunc uersum est interpretatus. Ad Dei, inquit, altare adscendam, ad Deum lętitiam mei lętantis, uel, ut refert Theodoretus, ad uoluptatem lætitiæ meę. Hebræus autem eandem sententiam amplectitur, eamque hoc modo explicat: Introibo ad altare Dei, ad Deum lætitiam exsultationis meę, Solidę enim uoluptatis fons, & origo, est Diuina bonitas. unde Dauid, cum acerbe a Saule uexaretur, non mediocre solatium hauriebat. inde omnes lętandi rationes emanant. Hoc quidem ille asserit, hoc pleno ore testatur: iuuentus uero quodammodo uiret, & lętitia perfunditur. in ea enim naturę uis maxime uiget, atque floret. quamobrem Septuaginta interpretes, ut significa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſignificarent,Dauidem nulla umquam,in uita,ſo lida iucunditate affectum fuiſſe,niſi ea, que adeo fuiſset delibata, reddiderũt ad Deũ, qui lætificat iuuentutem meam; ac ſi dicerent, Quamuis me in ſtatu florenti collocatum uiderem, ex rebus próſpere fluentibus nullam caperem uoluptatem:eam enim inanem ducerem, niſi illius effectricem Diuinam benignitatem intelligerem, quam totius lætitiæ meæ eſſe cauſſam affirmo, & predicat.

Pſalmus 43.

NOn fuit multitudo in commutationibus eorum.) De huius uerſus ſententia non mediocris fuit opinionum uarietas. Quidem enim a Septuaginta interpretibus ſcriptũ fuiſſe putarunt, Non fuit multitudo ὐκ τοῖς ἀλαλάγμασιν αὐτῶν hoc eſt, in acclamationibus ipſorum. Acclamationem uero, clamorem illum intelligunt,quem hoſtes,dum prœlium ineunt, uel dum aduerſam aciem proſternunt, toto pectore excitant. Vt ſit ſenſus: Non magnus fuit hoſtium numerus,qui, uictoria parta, clamoribus omnia compleuerũt, & Iudæos in fugam conuerſos inſequebantur. Alij uero in ea fuerunt opinione, ut exiſtimarent, interpretes ex Hebræo Græce ita uertiſſe: Nõ fuit multitudo ὐ τοῖς ἀλαλάγμασιν αὐτῶν in cõmutationibus eorũ,ut noſter Latinus eſt interpretatus: quæ quidem interpretatio ualde cum Hebræo conuenit. nomen enim Hebræum מכהיר Machir,quo Dauid utitur, iure optimo Commutationem dixeris; cum a uerbo מכהה Machahe originem ducat, quod Loco mouere ſignificat. Verſus autem ita explanabimus:Non fuit multitudo,hoc eſt,hoſtiũ exercitus fuit numero paruus,in commutationibus eorum,nempe,qui Iudæos coegit,ut ſolum patriũ mutarent,& Babylonem in ſeruitutem proficiſcerentur.Quidam uero, nomine Machir, pretium ſignificari, aliquot ſacræ Scripturæ locis adductis, probant: ubi uero nos legimus, Non fuit multitudo eſt uerbum Ribah, quod Augere ſignificat. quare uerſum hunc Latine ita reddunt, Et non auxiſti ex pretijs eorum.quę quidem interpretatio cum antecedenti uerſu non parum congruit,Vendidiſti populum tuum ſine pretio, & non auxiſti ex pretiis eorum. quaſi diceret, Populum tuum,nulla accepta pecunia,quam tibi cumulares, Aſſyriis, & Chaldæis,tradidiſti: adeo uili eum æſtimaueras, ut nullo eum pretio dignum putares.

Et declinaſti ſemitas noſtras a uia tua.) Huic orationi eſt illud, Non, adiungendum, quod uates poſuerat, cum inquit, Non receſſit retro cor noſtrum. Vt tota hæc ſit negantis oratio,quemadmodum Hebræus quoque habet, & D. Ioannes Chryſoſtomus notat.Non receſſerunt,inquit ille,greſſus noſtri a uia tua.

Pſalmus 44.

AVctor, cum de huius Pſalmi materia præfatur,in eo non niſi flores,& lilia,Diuinique amoris feſtiuitates, reperiri affirmat. quod quidem ex ipſius Pſalmi titulo cognoſci poterit, qui apud Septuaginta interpretes ita ſe habet: In finem pro ijs, qui commutabuntur, filiis Core,ad intellectum, canticum pro dilecto. Apud Hebræum autem hunc gerit inſcriptionem חי לבנ Lamnazecha ſuper lilijs, filiis Core, intellectus canticum amorum. Quid nomine Lamnazecha,& liliorum, ſanctiſsimus uates ſignificet, nec apud noſtros, neque apud Hebræos,conſtat; nam Menazecha, quia a uerbo Nazach originem ducit, quod Vincere,& Vrgere ſignificat, non immerito uiri docti,pro Lamnazecha,Vincenti,& Victori,reddiderunt.Sed,quia in tertio Regum, & ſecundo Paralipomenon libro, ij, qui a Salomone fuerunt templi fabricæ præfecti conſtituti, hoc nomine appellantur, a Dauide etiam cantorum præfectum eo nomine ſignificari putamus, qui eam curam gerebat, ut cantores optime ſonum modularentur,quo carmen concinne caneretur.quamobrem is, Cantorum caput,& finis, merito dici poterat; quemadmodum Septuaginta ſunt interpretati. In finem igitur filiis Core, hoc eſt præfecto cantorum, qui a Core originem ducebant, traditum eſt hoc carmen,ut caneretur. Lilia uero aliqui Hebręi,muſica quędam inſtrumenta eſſe exiſtimant, in quibus lilia quidam erant inſculpta: hæc tamen lilia auctor ad Diuini amoris uim pertinere putat. rerum enim admirabilium effector, eſt amor. in cuius cognitione Socrates apud Platonem ueram contineri ſapientiam putat. animos enim ita commutat, ut reuocet mentem a ſenſibus,& cogitationem a conſuetudine abducat:quemadmodum illa,quæ antea ſcelerum maculis erat contaminata, omnium uirtutum ornamentis fuit exculta,quia ueri pulchri, & totius pulchritudinis auctoris,amore flagrauit;&,quæ antea,libidinum æſtu flagrans,nullum ex ſe uirtutis fructum ederet,flores, & lilia,eſſet.Dimiſſa ſunt tibi,inquit ille, peccata multa,quia dilexiſti multum: gentes denique,incredibili animorum conuerſione,impietatem,qua erãt imbutæ,abiecerunt;Chriſti,Cruci affixi,Diuinitatem ſpiciunt, & uenerantur; quia eas amor immutauit.Vt de uero amore illud poſſimus affirmare,quod Latinus poeta Phyllidi tribuit:

Phyllidis aduentu noſtræ nemus omne uireſcit,
Iuppiter & læto deſcendet pluribus imbri.

Hanc Diuini amoris uim,hac animorum commutationem, interpretes, Liliorum nomine ſignificari,arbitrati ſunt. Quamobrem,illo omiſſo, Pro iis inquiunt, qui commutabuntur. Tituli ergo ſenſus hic erit:Canticum,ſiue carmen in finem filiis Core, ad cantorum ſcilicet, qui ex familia Core cenſentur, principem; hoc eſt, illi ad canendum eſt traditum,pro iis,qui commutabuntur. Quod quidem carmen de nouo Liliorum genere, & admirabili animorum conuerſione, tractat: ad intellectum, hoc eſt, amoris ſcientiam erudit pro dilecto, & de eo agit, qui merito ab omnibus eſt ſummopere diligendus.

Adducentur Regi uirgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi.) Vt ſententia huius uerſus clare percipi poſsit, illud eſt animaduertendum, Eccleſiam Chriſti, quæ Regina a Danide appellatur, duobus modis conſiderari poſſe, uel ut omnes iuſtos complectitur,& Diuinæ gloriæ ſplendore ad ſponſi latus colluſtrata ſedet; uel ut ipſa quoſdam quaſi progreſſus facit,ut, tandem abſoluta,perfectionem ſuam conſequatur. qua quidem ratione,in tellure uerſatur:& illius quædam pars hinc quotidie in cælum diſcedit, donec tota illuc cõmigret,ut ſponſi adſpectu ita fruatur, ut numquam ab eo diuelli poſsit. Si hoc in ſtatu Eccleſiam contemplere, Dauidis mentem facile conſequeris. dum enim ille Eccleſiæ laudes prædicat,illud ſore affirmat, ut ipſa, Diuinis ornamentis exculta, ſponſo offeratur, illa, inquam, quæ primum floruit,& futuræ fundamenta iecit. Adducentur,inquit,uel,ut Hebræus habet, adducetur regi Eccleſia, nempe Regi ſponſa, quæ noſtræ religionis principes Apoſtolos, & illius temporis fidelium piorum cœtum,apud ſe continebat; ad cuius nomen gentes ſeſe coniungẽt, Virgines, inquit, poſt eã, quæ quidem ardentiſsimo animi ſtudio illius ueſtigiis inſiſtent, nulloque tormentorum genere deterreri poterunt, quin doctrinam Euangelij ſectentur, ut eiuſdem matrimonij iure potiãtur.gentes enim,fidei uinculo,cum ea, quæ anteceſſerat,Eccleſia coniunctæ,unam,eandemque communitatem efficient. quæ eſt Regia hæc ſponſa, de qua uates noſter agit. quæ quidem gentes Virgines appellantur, tum ob ſponſę,& ſponſi,nomen,tum ob fidem data,qua fore promiſerant,ut ſe ab omni ſuperſtitionis,& libidinum,contagione ſeuocarent. quæ quidem tibi, o ſponſe, præpotens rerum omniũ princeps, offerentur, ut tibi in omnium ſæculorum æternitatem ſeruiant.

Memores erunt nominis tui Domine.) Hæc oratio ita Dauidi tribui poteſt, ut ipſe affirmet, Regiam uirginem, tot tantisq. bonis cumulatam, grati animi officium ardentiſsimo ſtudio ſolutu ram,ut munere illo fungatur,quo ſponſus apud Salomonem ab ea poſtulat,cum inquit,Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum,ut ſignaculum ſuper brachium tuum. Apud Hebræum tamẽ,& in quibuſdam libris Græcis,& Latinis, ita legimus, Memor ero nominis tui. ut Dauid animi ſui ſtudium his uerbis oſtendat, quo flagrabat, ut Diuinæ benignitatis laudes, ob tantum in genus humanum beneficium collocandum, perpetuo prædicaret.

Pſalmus 46.

ELegit nobis hereditatem ſuam, ſpeciem Iacob, quem dilexit.) Ex omni hominum genere Deus Opt.& Max. eos elegit,qui ab Abrahamo originem ducebant, ut eis ſui cognitionem traderet, & ex Aegypto in Palæſtinam adduceret, quam, expulſis incolis, ſub illorum poteſtatem redigeret. quamobrem hęc natio Hereditas Dei appellabatur,& erat;ut Moſes,Deũ orãs,inquit, Domine Deus, ne diſperdas populum tuum, & hereditatem tuam, quam redemiſti in magnitudine tua: quę quidem quamuis intra Paleſtinæ terminos cogebatur,Diuino tamen conſilio erat tẽpus prędefinitũ,quo illa longe, lateq. pateret, & Solis Orientis,ac Occidentis,curſu terminaretur.quod Zacharias eleganter explicuit.ſic enim inquit, Abſq. muro habitabitur Hieruſalem præ multitudine hominum,atq. iumentorum, in medio eius.Hoc autem Diuinum effatum fore gentium conuerſione complendum, Malachias hac oratione teſtatur: Ab ortu Solis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Hanc huius hereditatis futuram amplitudinem Dauid hoc in uerſu prædicit:Elegit,inquit,nobis hereditatẽ ſuam,quæ antea erat anguſtis terminis circumſcripta, eam mirum in modum nobis amplificauit, & ſpeciẽ Iacob,hoc eſt, & Iacobi nomen decus, & gloriam, Diuinis ornamentis cumulauit.nam illius nomen totum terrarum orbem occupauit; & gentes filij Iacobi cenſentur,quia illius obœdientiam,& fidem,amplectuntur. Leua, inquit Iſaias, oculos tuos, & uide:omnes iſti congregati ſunt,uenerunt tibi, omnibus his uelut ornamẽto ueſtieris,& circumdabis, eos uelut ſpõſa,& dices in corde tuo,Quis genuit mihi iſtos?

Quoniam dij fortes terræ uehementer eleuati ſunt.) Dij in ſacris Litteris ſæpenumero ij appellantur, qui potẽtia,& imperio,ceteris antecellũt:quemadmodũ alio in loco eos Dauid nominat, cum inquit,Vos eſtis dij omnes, & Deus ſtetit in ſynagoga Deorum. in medio autẽ Deos diiudicat. Viri igitur principes, qui tellurem ſub ſuo imperio continebant,tenebris impietatis offuſi,in omnium peccatorum ſordibus miſerrime iacebant. Vbi primum uero ad Deũ Abrahami ſe applicarunt, Euangeliique doctrina, atque norma, uitam moderari uoluerunt, mirum eſt, quantis muneribus a Deo exculti in cælorũ omnium

Universidad de Deusto
Biblioteca

fastigium efferebantur. Hæc explanatio cum Latino conuenit, & ab Hebræo nõ disiidet. hic enim sic ait: Quoniam Deo scuta terræ, hoc est ij, quibus illud officium incumbit, ut iuris æquabilitatem tueantur, iniuriamque, ut scuta quædam, propulsent, ad quod officij munus præstandum illis fuit imperũ delatũ, Christo Opt. & Max. adhæserunt, & uehementer eleuatus est: hac enim omnium gentium conuersione effectum fuit, ut Sanctissimum Christi nomẽ in omnes orbis partes summa cum laude peruaderet. nam hæc Principum, & Regum, inexspectata, & repentina, cõmutatio, qua animi submissionem induerunt, &, resecatis libidinibus, iustitiã, & sanctimoniam, coluerunt, contemptisq. uoluptatibus, seueriorem uitæ disciplinam sunt secuti, maximũ fuit Christi Diuinitatis argumentum.

Psalmus 47.

Fundatur exsultatione uniuersæ terræ mons Sion.) Libri Græci hoc in uersu a seipsis dissident. quare, & sancti patres in illius explanatione non omnino inter se conueniunt. Vt autem, quid Dauid senserit, assequamur, illud est in memoriam reuocandum, Hierosolymæ agrum, ut antiqui historici prodiderunt, nõ fuisse natura perbonum, loci autem opportunitate effectum fuisse, ut Hierosolyma totius Orientis urbs præclarissima exstiterit. quod Diuinæ prouidentiæ referimus, ut nobis Ecclesiæ Christi imaginem exprimeret. Versum autem hunc ita Hebræus explanat, Pulcher termino, gaudium uniuersæ Terræ mons Sion: quam orationem Iudæi ut explicent, aeris salubritatem miris laudibus efferunt, ægrotos enim affirmant, qui ex aliis locis Hierosolymam deferebantur, recreatos, sanitatem consequi: quod etsi illis libenter concedamus, eam tamen agri pulchritudinem exstitisse, numquam nobis, quamuis disrumpantur, persuadere poterunt, illa enim, non nisi florum uarietate, herbarum uiriditate, arborum uiridantium amœnitate, fructuum copia, & frugum ubertate, continetur, quæ in arido solo reperiri non poterant. Dauid ergo, cum ueram Hierosolymam, cuius hæc terrestris in rupe sita figurã gerebat, attẽtius animo contemplaretur, fore cognouit, ut ipsa, in Dei præsidij rupe collocata, quamuis naturæ, peccati labe contaminatæ, corruptela esset deprauata, Diuinis tamen muneribus exculta, omnium uirtutum fructus uberrimos ferret. quamobrem apud Hebræum, iuxta puncta Massoretarum, inquit, Pulcher termino gaudium uniuersæ terræ mons Sion: prudenter quidem Septuaginta, Fundatur, inquiunt, exsultatione uniuersæ terræ mons Sion. non enim uerba uatis, sed mentem, explicare conati sunt. ueri enim Sionis fundamenta in ueræ uirtutis soliditate sunt iacta, non ut unius gentis sedes, & domicilium, esset, sed ut omnes hominum nationes intra se contineret, quas sempiternis bonis cumularet.

Psalmus 48.

Quique terrigenæ, & filij hominis.) Septuaginta interpretes prudenter satis, eos, quos Hebræus filios Adam appellat, Terra genitos dixerunt. nam inter filios Adam, & filios איש, hoc est Viri, uel, ut Latinus noster legit, Hominis, illud est apud Hebræos discrimen, cum inuicem opponuntur, ut hominum uulgus filij Adam dicantur; nobiles uero, & opibus affluentes, filij איש nuncupentur: ut hoc in loco his nominibus, duos hos hominum ordines Dauid ad audientiam sibi præstandam excitat.

Et pretium redemptionis animæ suæ, laborabit in æternum, & uiuet.) Rationem affert, quare potentium amicorum, & affinium, studiis, atque opibus, nemo consequi possit, ut a supplicio mortis constituto coram sanctissimo iudice liberetur. nam pretium redemptionis animæ suæ, hoc est, omnium hominum, siue ij diuitiis, & potentia, præstent, siue tenues sint, & pauperes, rara erit libertas, atque redemptio. Hebræi enim, quod rarum est, Pretiosum uocant. Cum igitur omnes in eodem periculo uersentur, nemo, amicus nemo affinis, etiam si sit ille maximis opibus abundãs, poterit fratrem, uel amicum, a mortis perpetuæ supplicio uindicare: laborabit in æternum, ut Latinus inquit, & uiuet adhuc in finem: inanis erit omnis labor in pecunijs coaceruandis in sumptus, in amicitijs, & affinitatibus, comparandis incredibilis quædam sollicitudo non poterit perficere, ut is salutem consequatur, & uita sempiterna perfruatur. Deus enim iustis ponderibus iudicium exercet. Hebræus hunc uersum ita refert, Pretiosa redemptio animæ suæ, ut requiescat, & uiuat in æternum. Quasi diceret, Vix poterit quis obtinere, ut requiete, & uita æterna, potiatur. sumus enim omnes, ut inquit Paulus, filij iræ. Quo pacto igitur amicus in eo iudicio, quod Deus exercebit, amico proderit, frater fratri opem feret, cum omnes, de sua salute solliciti, ueniam sibi postulabunt? multi enim, ut Christus inquit, sunt uocati, pauci autem electi.

Non uidebit interitum, cum uiderit sapientes morientes, simul insipiens, & stultus peribunt.) Illa hominum adeo inconsiderata opinio, qua sibi persuadent, in diuitiis salutis præsidium esse collocandum, cum opes humanas fragiles, & inanes, esse quotidie experiantur, unde ortum habuerit, ostendit. In hunc autem mentis errorem incidunt, quia nemo uidebit interitum, hoc est, quia nemo mortis uim, omnia demolientis, mente consideret, eos quidem, qui sapientiæ humanæ laude præcellebant, mori conspiciunt, insipientes quoque mortis impetum non effugient, ut quotidiana uita manifeste declarat. nec tamen miser homo illorum casu ducitur ad naturæ humanæ fragilitatem considerandam: quæ quidem impendentis, & omnia deuastantis, mortis obliuio, est in caussa, ut miseri mortales uiribus suis fidant, diuitiarum præsidio se satis tutos esse arbitrentur.

Postea

Postea in ore suo complacebunt.) Scelerati homines, qui omne ius pecunia metiuntur, illudque pro nihilo putant, ut opes suas augeant, non solum se ipsos fallunt, dum diuitiis confidunt, quæ nullam possunt illis opem afferre, sed & posteritatem in eundem errorem adducunt. maximas enim uires habet in maleinstitutis hominibus maiorum exemplum, atque doctrina, quæ quidem incredibilem malorum uim in uitam humanam semper inuexit. nam, postea quam illorum uita, ut ceterorum animalium, breui tempore, fuerit consumpta, nullumq. illis uitæ præsidium ingentes opes attulerint, tanta est cõceptę in animo opinionis uis, ut posteritas illorũ in uita moderanda rationem laudet, & totis uiribus sectetur. Hęc est huius uersus sententia: quamuis uiri docti, & Hebræi, inter sese in illius explanatione dissentiant. Est autem animaduertendum, illud, quod nos legimus, Postea, ad posteritatem esse referendum. In ore igitur suo posteri ὁλογήσουσι, ut aliqui legendum esse putant, hoc est filij parentum pernicioſa doctrina imbuti, sceleratissimos illorum mores laudibus efferent. Hebræus autem sic habet, Et posteri eorum in ore suo ירצו Irsu. Verbum est רוּם Razah, quod apud Hebręos significat Velle, Placere Currere, atque Perficere: In ore ergo suo complacebunt, nempe, quia maiores illos suos ita uixisse posteri affirmabunt, ut illorum quoque uiuendi rationem ceteris omnibus longe præferendam esse iudicent, & eam sibi ualde placere, & amplectendam esse, prædicabunt, atque omni animi studio esse obseruandam sibi persuadebunt.

Et dominabuntur eorum insti in matutino, & auxilium eorum ueterascet in inferno a gloria eorum.) Iustorum uita quamuis malis afflictetur, citius tamen, quam impij homines arbitrantur, eos Deus Optimus & Maximus Diuinis, atque sempiternis, bonis cumulabit. Id enim, ut inquit Paulus, quod in præsenti est momentaneum, & leue, tribulationis nostræ supra modũ in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur. quod quidẽ Dauid in huius uersus principio etiã affirmat, cum inquit, Et dominabuntur eorum iusti in matutino. In matutino autem, nihil est aliud, quam, Præsto: quo loquendi modo sæpe Dauid utitur: ut in Psalmo quincto: Quoniam, ait, ad te orabo, Domine, mane exaudies uocem meam. Et in Psalmo quadragesimo quincto, Adiuuabit eã Deus mane diluculo, hoc est, præsto aderit, & quam primum eam præsidio suo confirmabit. Iusti igitur, post breue miseriarum tempus, quod erit instar illius temporis spatij, quod inter noctis tenebras & aurorã labitur, in impios iudicium exercebunt, & sempiternum a Deo imperium consequentur. Iudicabunt nationes, inquit Salomon, & dominabuntur populis. Hic est horum uerborum sensus: nisi potius illud, In matutino, ad eũ Diuinæ gloriæ splendorẽ referẽdum putes, quo iusti, in cęlorum oĩum fastigio collocati, enitẽt. Quasi diceret, Iusti in matutino, hoc est, summæ dignitatis decore cõspicui, & in splendidissimo honoris gradu constituti, in impios, & sceleratos, homines animaduertent. fulgebunt enim, ut inquit Salomon, iusti, tamquam scintillæ. Prior tamen explanatio magis est conueniens. Impiorum autem quam diuersa sit condicio, ipse uir Diuinus statim explicat, cum inquit, Auxilium eorum ueterascet, in inferno a gloria eorum: primum affirmat, illud præsidium, quod miseri homines humanis opibus sibi compararunt, uetustate quadam, & senio, necessario fore consumendum. omnia enim dies euertit, & penitus exstinguit. quare, inquit, auxilium eorum ueterascet: deinde fore prædicit, ut impij, ex amplissimis palatiis, uel, ut interpretes uerterunt, ex illustri apud suos nominis gloria deturbati, in inferorum regione misere iaceant: uel, ut apud Hebræum legimus, Et infernus domicilia eorum. quos enim nullæ ædes, quamuis amplissimæ, capiebant, hos tumulus paruus coercebit, & in inferorum sedibus ipsa uis Diuina, scelerum uindex, perpetuo cruciabit. A gloria igitur illa, qna fulgebant, corruentes, in inferno, supplendum est, erunt. hic est enim Hebræorum loquendi usus familiaris.

Psalmus 51.

Dilexisti uerba præcipitationis.) Eleganter Septuaginta interpretes, pro eo, quod Hebreus Verba exitij, dixerat, Vorba καταποντισμοῦ, reddiderunt. Catapontismos autem, in pelagus submersionem significat. nihil enim impius ille Doeg animo moliebatur, aut oratione persuadebat, nisi, ut eos, qui Dauidi opẽ aliquã attulerant, in malorum omnium pelagus precipites ageret.

Psalmus 54.

Constitutus sum in exercitatione mea.) Hoc in loco, quod Septuaginta ἐν ἐδολιοχίᾳ ex Hebræo reddiderunt, noster Latinus. In exercitatione, dixit. Hebræus, Vociferor, inquit בשיחי Besichi Sichi autem Orationem, & Meditationem, atque Opus, significat. Meditatio autẽ, quædã est animi exercitatio: & apud scriptores Latinos, qui eloquentiæ laude floruerunt, usus obtinuit, ut Meditatio, animi exercitatio diceretur. Sensus autẽ is erit, ut Dauid precum suarum cõtentionẽ significet, qua doloris magnitudo, quo erat affectus, manifesta satis efficiebatur. Vt aũt Septuaginta interpretes cum Hebræo, & Latino, conciliemus, ita erit oratio explicanda, ac si Dauid diceret: Ego toto pectore uoces attollo, summi doloris, & tristitiæ meæ indices, in oratione, quã ad te habeo, & in meditatione, qua de insidiis, mihi ubique paratis, de immani in me hostiũ odio, & de uitæ meæ statu, attentius cogito. quare tristitia opprimor, & multus sum in ea oratione, & precibus, quas ad te fundo.

Exspectabam eum, qui saluum me fecit a pusillanimitate spiritus.) Malorum uim, quam Dauid perpeti columbæ uolatu effugere exoptat, Turbinem, & Tempestatem, eleganter appellat. Sic enim apud Hebræum legimus: Festinarem, ut

Universidad de Deusto
Biblioteca

me eriperem a turbine,& tempestate. Septuaginta autem interpretes,Exspectabam, inquiunt, liberatem me a pusillanimitate spiritus, & tempestate. Danidis mentem,qua non nisi præsidio Diuino confidebat, nobis ante oculos proponunt; deinde turbinem, Pusillanimitatem spiritus uocant. Spiritus enim,siue uentus,in angustum locum coactus,dum ad superiorem aeris regionem non potest euadere, & ab eo loco repellitur,quia non possit, ob aliorum corporum impedimentum,lenius spirare, toto impetu in terram diffunditur: quamobrem Spiritus pusillanimitas dici merito potuit.

Psalmus 55.

Multi bellantes aduersum me, ab altitudine diei timebo.)Hic uersus quãuis aliter in libris Græcis legatur, hæc tamen lectio, quã noster Latinus amplectitur,Hebræo magis cõuenit:quamobrem hanc uerã esse Septuaginta interpretum ex Hebræo Græcam uersionem, & ab eis ita scriptũ fuisse,ut noster Latinus reddidit, merito est existimandũ.Sensus autem uarius, & multiplex, exsistit. nã apud Hebræum ita legimus: Quoniã multi prœlium ineũtes mihi מרום Marom: יום Iom timebo.Hæc uerborum distinctio, diuersam sententiam efficit. Marom autem,Hebræis altitudinem, & excelsum, significat; Iom uero,diem. Sic igitur uersus explicari poterat: Hostes mei, etsi me acerrime oppugnent, multitudinem mihi,in meam scilicet defensionem, pugnam capessunt: Marom, hoc est, o excelse,uel in excelso, cælestes nẽpe milites, quibus salus mea est commissa,pro mea libertate strenue dimicant. quamobrem die quidem, dum mihi hostes exitium moliuntur,timebo; uerumtamen in te spes mea collocata animum meum cõfirmabit. Diei enim nomen in sacris Litteris sæpenumero ærumnas, labores,&exitium,significat: ut est illud Abdiæ, Non despicies diem fratris tui; & apud Dauidem, Memento, Domine, filiorum Edon,in die Hierusalem;& alia sexcenta, quæ recensere,alienum fore iudicamus. Hunc tamen sensum Septuaginta interpretes non amplectuntur;sed inimicorum Dauidis operam,& studium singulare, quo ei necem comparabant, hoc uersu significari,putauerunt. Multi igitur, inquit uir sanctus, aduersus me bellum decernunt, me totis uiribus oppugnant: ab altitudine diei timebo: qui fieri potest, ut tantam malorum uim sustinere non perhorrescam? Non enim mala,quę me undique obsident, sunt mediocris momenti, sed singularia,sed pestifera, & exitiosa, ut illis nihil iam addi posse uideatur. (Diei enim nomine, ærumnas significari, diximus. Altitudo igitur diei, non mediocres ærumnas, sed maximas, & grauissimas,significabit) uerum ego tibi salutem meam commisi: quare spero fore, ut ab hostium meorum immanitate liberer.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo saluos facies illos.) Improborum hominum in suam perniciem studium Dauid in superiori uersu, & in huius principio, eleganter commemorat. illi enim,inquit,in insidiis sese occultant, uestigia pedum meorum obseruant: non est hoc illorum aduersum me studium nouum,sed inueteratum: insidias enim has mihi comparant, sicut iam diu sustinuerunt animam meam: nihil enim illis acerbius euenire potest, quam sistum suam, qua flagrant,sanguine meo non exstinguere. hoc namque unum summis uotis expetunt.Exspectauerunt,inquit Hebræus, animam meam.Cum igitur is esset inimicorum Dauidis in scelere obstinatus animus, consequentibus uerbis Deum alloquitur, atque interrogat, Pro nihilo saluos facies illos? Pro quo Septuaginta Nihilum reddiderunt, Hebræus אן Auen dixit, quod Vanitatem, Mendacium, Afflictationem,& Iniquitatem,significat. Pro nihilo igitur, o sanctissime iudex, pro uanitate scilicet, cui seruiunt, pro mendacio,quo calumnias machinantur, quibus me affigant, pro iniquitate, qua me patria expellere, & uita priuare, summopere conantur, salus a te erit illis constituenda? Non quidem. In ira enim, ut Latinus inquit, populos confringes. Hic uerus esse huius uersus sensus merito uideri debet: etsi diuersi auctores diuersa sentiant.

Psalmus 56.

Eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus.) Benignitatem Diuinam sibi præsto affuisse, prædicat; &,quanto in periculo fuisset constitutus,commemorat. Inter leones enim, qui ei uitam eripere conabantur, iacebat. humanæ igitur mentis imbecillitas non poterat imminentis mortis periculo non perturbari. quamobrem singulari angebatur tristitia:uerum, in ipsa acerbissima rerum suarum condicione, Dei benignitate nixus, requietem capiebat.Quamuis, inquit, conturbatus, tamen dormiebam, hostes urgebant, mors imminebat, quam ut effugerem, nullæ mihi erant opes. ualde ergo uehementer animo commouebar, ob periculi magnitudinem eram perturbatus; iucundissimum tamen somnum capiebam, quia salutis meæ spem omnem in Deo collocaueram, qui me tandem ab his malis eripuit. Hunc sensum Septuaginta interpretes amplectuntur, qui non multum ab Hebræo dissident. Sic enim ille inquit:Mittet Dominus misericordiã suam,anima mea inter leones, iacebo inter להטים Lohatim, hoc est, ardentes. Filios Ziphei a Dauide Ardentes appellari, aliqui existimãt: sed D.Hieronymus, & omnes fere Hebræi Leonum feritatem significari putant. Oratio autem ita erit connectenda: Illud firmissime fore spero, ut Deus misericordiæ suæ opem mihi afferat: anima mea, hoc est uita mea inter leones uersatur: sed,benignitatis Diuinæ, mihi affuturæ, spe confirmatus, inter ipsos leones, omni immanitate flagrantes, iacebo.

Exsurgam

Exsurgam diluculo.) Verbum עור Hhur', quo Dauid utitur,non solum Exsurgere, ut apud Latinum legimus,sed, & Suscitare, significat. Duplex igitur huius uersus erit sensus. Aut enim sanctissimus uates affirmat,se ipsum ante Solis ortum ad laudes Diuinas prẽcinendas e lectulo excitaturum,aut illam auroram summis a se uocibus fore suscitandam, quæ generis humani tenebras dispulit, illam, inquam, in qua libertatis humanæ auctor se ipsum e mortuis suscitauit. Hic mirificus est sensus, Dauidisq. mente dignus, qui ex Hebrẽo manifeste percipitur. namsic ille Latine reddi potuisset, Suscitabo auroram.

Psalmus 57.

Supercecidit ignis, & non uiderunt Solem.) Improborum hominum conatus aduersus pietatem, quam sint inanes, similitudinibus adductis, ostendit. instar enim fluentis aquæ, illi omnino dilabentur, &,ueluti cera ignis ardore consumitur, uel, ut ait Hebræus, ueluti limax, &, ut uertit Diuus Hieronymus, ueluti uermis tabefactus,tarde nimis progreditur,ipsoq. incessu diffluit; sic impij non poterunt, quem sibi proposuerant, cursum ad scelus perficiendum tenere. supercecidit enim ignis, & uon uiderunt Solem: nam Diuini iudicij in eos animaduersio, instar ignis, exardescet, & illorum conatus ita comprimet, ut mulieris abortionis similes efficiantur;& non uiderunt Solem:quemadmodum enim fetus in utero gignitur,& singulari cum natura industria alitur, ut in lucem edatur, si tamen abortu exstinguitur, lucis usura minime fruitur, & Solem non uidet; sic illorum conatus, qui, incredibli cura, aduersus iustos,& pios, homines parabantur, finem suum minime consequentur. ignis enim Diuinę uindictæ eos ad nihilum rediget. Vt de illis merito affirmari possit, quod non uiderunt Solem, sed abortu quodam perierunt. Hic sensus cum antecedentibus, & consequentibus,maxime conuenit, & ab Hebræo nihil omnino differt; sic enim ille habet: Sicut בפלאשת Nephel escet, hoc est abortio mulieris, & non uidit Solem. Nephel aũt a Naphal uerbo originem ducit, quod Cadere significat, & Septuaginta interpretes reddiderunt Supercecidit; pro Escet autem legerunt Esse, quod Ignem significat, & ideo uerterunt Supercecidit ignis. Quãuis autẽ inter eos in oratione sit aliquod discrimen, dum sententia omnino sit eadem, alienum erit,hoc in loco explicando diutius morari.

Antequam intelligerent spinę uestræ rhamnum, sicut uiuentes, sic in ira absorbet eos.)Rhamnus, fere arbustum est, ad ignem alendum aptum. Antequam igitur sceleratorum hominũ conatus,qui, ueluti spinę,iustos pungunt, & afflictant, exitus suos consequantur, & felici rerum successu augeantur, ut qui instar spinarum erant, nec sese efferebãt,sed occulte insidias, & fraudes, moliebantur, iam,instar rhamni,arbusti magnitudinẽ obtineant, ut aperta ui iustorum uitã opprimãt, Deus Opt. & Max. sicut uiuentes in ira absorbet eos:dicuntur spinę, & arbusta uiuere,dum succo nutriuntur, ut debitam suę naturę magnitudinẽ consequantur. Improborum ergo studia sanctissimus iudex, in medio cursu, quã inania fuerint, declarabit.eo enim tempore,quo illis res prospere fluebãt, eos,ueluti crescentes spinas,radicitus euellet,atque dissipabit. Apud Hebrẽum aliter hunc uersum legimus. nã nomen Hebræum סיר Sir,Lebetem,siue Ollam,significat.Lebetem aũt, cum feminini generis notam gerit,ut hoc in loco סירת Sirot legimus; Spinas uero numquam fere,nisi in plurium numero, & masculini generis nota fuerit insignitum. quam nominis uim, Septuaginta interpretes in Psalmo quinquagesimo nono obseruarunt; cum illud sunt interpretati. pro eo enim Ollam reddiderũt. Sic igitur uersus Latine reddi,& explicari potest:Antequam ollæ uestrę rhamnum intelligant,sicut crudum,sic ira ut turbo rapiet eos.Similitudo ab edacibus,& famelicis,eleganter sumitur. antequam enim ollæ uestrę,o impij,rhamnum intelligant,hoc est uim ignis,rhamno excitatam,percipiant,sicut crudũ: quemadmodum scilicet,dum adhuc carnes in ollis non sunt elixæ,eas tamen homo edax,& famelicus,edit,sic Diuina animaduersio, uelut turbo, uos,dum iustis perniciem machinamini, dissipabit, hoc in uos iudicium ille nõ negligenter exercebit,sed studiose, & auide,ac si carnium uestrarum desiderio flagraret,ut famem depelleret.Hic est uerus,& proprius huius uersus sensus: quamuis ille,quem primum explicuimus,non omnino alienus uideri debet.

Psalmus 58.

Famem patientur, ut canes.) Hostes suos famelicis canibus comparat.hi enim,dominante fame, acriori ui latibula perlustrant, & uocibus omnia complent,ut aliqua ratione famem depellant.Eleganter igitur Hebræus, Latrant,inquit,ut canes.

Fortitudinem meam ad te custodiam.)Omni præsidio Dauid erat orbatus, & nulla ratione poterat,nisi,ope Diuina, a suis ceruicibus perniciem propulsare.Saulis igitur uires Deo infringendas reseruabat.quamobrẽ,inquit, fortitudinem meã ad te custodiam; hoc est, nullæ in me sunt uires, quibus inimici acerbissimi,& Regis potẽtissimi, opes contundã,ne peream.Tibi igitur,o Dñe,me ipsum committo; a te fortitudo, qua illi possim resistere, proficiscetur; & eam ad te gratissimo animo referam; quemadmodum, & firmissima spe teneor, ut illa mihi præsto adsit. tuum enim erit hoc in me beneficium singulare,si Saulis insidias,si immanitatem,qua me persequitur,effugiam.Hanc sententiam Hebræus dilucide his uerbis exponit:Fortitudinem illius tibi seruo: quasi diceret, Saul opibus excellit, & uiribus pollet. quo pacto ego,inops,& inermis,amicorum præsidio nudatus,ex illius manibus me eripiam? tuę partes erunt,o Domine,ut illius potentiam coerceas,ne mihi necem afferat. hoc non uiribus humanis,sed tibi soli,committendum duxi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum.) Eleganter Dauid inimicorum suorum,& impiorum Iudæorum,mores, depingit, qui Christum, humanæ libertatis uindicem, totis uiribus oppugnarunt;deinde unicum remedium prædicit,quo adhibito, gens hæc impietatem abiiciet,& Christianam religionem summa cum laude amplectetur. Impij autem homines in mendacio maximam nocendi uim collocatam esse perspiciebant; ideo mendacia conflabant; falsa crimina obiiciebant;testes,ut perniciem,inferrent, pecunia subornabant; uerumtamen delictum oris eorum, sermo, ut inquit Hebræus; &, ut legit Theodoretus,labiorum suorum, quod scilicet ore impie protulerant, ipsa eorum oratio, fatebatur, mendacij scelere fuisse contaminatum: admirabilis enim fuit hac in re Diuinæ prouidentiæ uis, ut, dum calumniam singulari cum fraude illi moliebantur,eamq. pietatis uelamine tegebant, ipsi se mendacij scelere adstrictos esse prædicarent. nam apud Pontium Pilatum,læsæ Maiestatis reum Christum Dominum fecerunt, cum nihil aliud ardentius desiderarent, quam Romani imperij exitium; nihil in ore haberẽt,nisi Messiæ imperium, quod propediem futurum esse asserebant. num parum manifestum erat,dum Christi nomen Pilato detulerunt,ipsam illam Messiæ futuri spem, & florentissimi illius Regni prædicationem, luce clarius testari, summum fuisse ab eis flagitium perpetratum? Quid, cum eum impietatis accusarunt, non ne eadem die fassi sunt, Verehic filius Dei est? profecto, nisi illos immanis quidam fastus occupasset, & intoleranda superbia mentem eripuisset, numquam uerum Iudæorum Regẽ,in asina insidentem,ut futurum prædixerat Zacharias,contemnerent;numquam iustitiæ magistrum tanto odio persequerentur. Quid igitur remedij poterit excogitari, ut gens hæc resipiscat?Nullum profecto aliud, nisi quod uir sapientissimus commemorat, Comprehendantur in superbia sua, sentiant superbiam, qua erant inflati, perniciem sibi attulisse, & de exsecratione, & mendacio, annuntiabuntur, exsecrationem,& mendacium,annuntiabunt,inquit Hebræus.impij enim Iudæi, nec signis admirandis exhibitis,in meliorem mentem redire uoluerunt;sanctitatis auctorem exsecrãtur, impio ore aduersus eum mendacia confingunt; in tanto animorum scelere num de illorum salute erit desperandum? minime quidem. propterea inquit, In consummatione,in ira consummationis,& nõ erunt; apud Hebræum sic legimus, Confice in furore confice, ut non sint. Hoc unum iam reliquum est, o sanctissime Domine, ut gentem hãc a tanta cecitate auertas. benignitatem tuam illa respuit. suo igitur malo tui iudicij animaduersionem sentiat, eam internecione dele, eos, qui remanserint,exsilio mulcta,seruitute opprime, ut, tantis malis cum se circumuentos uideant, se sui sceleris pæniteat, & toto animi studio dicant, Benedictus qui uenit in nomine Domini. Hic est horum uersuum sensus: quorum sententia cum Mosis, & ceterorum Prophetarum,mente ualde uehementer congruit;qui fore prædixerunt, ut Iudæi, post diuturnam seruitutem,infinitis malis exagitati,mentis oculos aperirent,& Christum, uerum Messiam, Optimum, & Maximum, ardentissimo animi studio colerent.

Psalmus 59.

Moab olla spei mei) Moab, sanctissimi uiri Lot filius fuit, cuius posteritas eodem etiã nomine significatur: Lot autem hospitalissimus fuit, eaque laude adeo excelluit, ut mentes etiã beatissimas aliquando hospitio reciperet, ut sacra historia commemorat. quamobrem hoc in loco Dauid Moabitas ad patrium hospitalitatis studium excitat,quo quidem eos, religione Christiana suscepta, flagraturos prædicit. Moab olla spei meæ. Hebræus uero inquit, Moab lebes lotionis meę: hominis enim hospitalis illud erat præcipuum in hospites officium, ut illorum pedes a sordibus abluerentur, quemadmodum Abrahamum, & ipsum Lotum,hospitibus præstitisse legimus. quod Christus Dominus Pharisæo obiicit ab eo imprudenter fuisse prætermissum,& a Magdalena fuisse lacrymis sibi persolutum. Homerus quoque,cum Telemachum Vlyssis,& Pisistratum Nestoris filium,a Menelao hospitio fuisse susceptos commemorat, eos, antequam uescerentur, ad balneum deductos fuisse, unguentoq. delibutos, affirmat.Hoc autem officij munus a Moabo hospitibus persoluendum, non solum illius hospitalitatem declarat,sed singularem in peccatorum sordibus abluendis curam significat. Olla autem spei a Septuaginta interpretibus dicitur,quia hospitalitas hominem de uia fessum recreat; & nos ea spes maxime in itinere subleuat, qua fore speramus, ut optimo hospitio utamur: quod Olla spei eleganter dicitur.

Mihi alienigenæ subditi sunt.) Sepuaginta interpretes Philisteam Alienigenas uocant. Quia uero non potest maior lætandi ratio excogitari, quam sub illius Principis imperio degere, qui maximis sapientiæ ornamentis sit excultus,& iustitiam ita exerceat, ut non mediocres misericordię partes sibi assumant; gentes profecto, quæ sub Dauidis ditione uenerant, singulari lætitia circumfundi debuerant;quæ uero ad Christi,ueri Dauidis, imperium se applicarunt, qua uoluptate cumulabuntur?tãto profecto maiori,quantum Dauidi Christus antecellit. Philisteam igitur Dauid apud Hebræum hoc in uersu ad lętitiam his uerbis excitat: Super me, o Philistea, exsulta.nempe, quia tyrannidem a tuis ceruicibus propulsaui, institutis sanctissimis te moderandam suscepi, quibus dum te subiicis, uera libertate frueris. Quamobrem Septuaginta interpretes inquiunt, Mihi alienigenę subditi sunt. ex hac enim seruitute,omnia bona emanant,quę nec tinea consumit, nec ferrugo cuertit.

Psal-

Psalmus 61.

Non ne Deo subiecta erit anima mea.) Quicumque, alacri animo, se, suaque omnia, Deo committit,is profecto illius potentiæ, & benignitati, maxime confidit. quam quidem animi affectionẽ eleganter Hebræus hoc in loco significat, cum inquit, Non ne Deo animus meus silet, siue quiescit? humanus enim animus, Dei benignitati,& potentiæ,fidens, atque studio ardenti se illius imperio subdens, quamuis sibi perniciem parari conspiciat, non se ipsum deserit, silentio quidem Diuinæ prouidentiæ uim secum considerat, numen illius ueneratur, & quiescit: illud enim certo scit,quod Paulus asserit, cum inquit, Diligentibus Deum omnia cooperanrur in bonum.hoc in statu erat ille, cuius in laboribus requietem,& sapientiæ plenissimum silentium, interpretes Subiectionem merito appellarunt,qua Deiuoluntati subdimur. ex ea enim requies illa,& silentium,oritur. Voces quidem uir sanctus in laboribus emittit, preces ad Deum supplex adhibet; sed, in ipsa oratione,& precibus, Deo silet; silet, inquam, & quiescit, quia non proprio consilio, se, suaque, gubernari autumat, sed ea omnia ad uoluntatem Diuinam refert,ut ipse,totius sanctitatis architectus, in summa tristitia constitutus,exemplum,quod imitaremur,præstitit. Pater, inquit, Transeat a me calix iste, sed fiat uoluntas tua. Non ne igitur, inquit Dauid, animus meus seipsum Deo tradidit, illiusq. uoluntati seipsum subdidit?non ne silet, & quiescit, illius fide stabilitus, qui numquam suos deserit, atque salutis firmissima spe mirifice recreatur? Optimus loquẽdi modus, quo etiam Isaias,cum Rege Achaz loquens, utitur: Vide,inquit, ut sileas, noli timere.

Verum pretium meum cogitauerunt repellere.) Pretij nomen, insigne uirtutis decus significat, quo Dauid plurimorum animos ad se alliciebat, & imperio dignus iudicabatur. שׁאת enim, nomen Hebræum,quo Dauid utitur, excellentiam, & dignitatem quandam, singularem designat; quæ ab interpretibus τιμὴ dicitur. Est autem τιμὴ, honoris cultus, dignitas, & cuiusque rei pretium. improbi igitur illi homines, falsis criminibus obiectis,Dauidis nomen dedecore afficere conabantur,ut animos hominum ab eo alienos rẽderent, & a dignitatis gradu, quem preclaris facinoribus, pro Reip. salute editis, sibi comparauerat, summa cum iniuria, deturbarẽt: quorum immanitate exagitatus, inquit, Cucurri in siti, omnium ope, & præsidio, orbatus, in uastissima solitudine uagari compellor.

Verumtamen uani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris,ut decipiant ipsi de uanitate in id ipsum.) Quæ sit hominis proprijs uiribus nixi condicio,luculenter profectoexplanat. Vani,inquit,sunt filij hominum,& mendaces,inanes eos cogitationes sollicitant, & acerbe nimis exedunt;quæ uero cogitant, inani spe deuorant, &, ut ea consequi possint, mendacio seruiunt. quid igitur illis inanius? nihil profecto. adeo, ut in stateris (sic enim est hæc oratio distinguenda) si librę iudicio res cõmittatur, sine dubio euenier, ut decipiant ipsi de uanitate in id ipsum, ut ipsã inanitatem ipsi uanitate sua fallant, idest, ut ostendant,se uanitate ipsa inaniores esse,cum nihil esse inanius ipsa inanitate homines cogitarent.Quam sentẽtiam dilucide quidem Hebræus nobis ante oculos proponit.Sic enim inquit: Solum uanitas filij hominum,mendacium filij nobilium,ascendendo in libram ipsi a uanitate pariter, scilicet superabuntur.

Psalmus 63.

Defecerunt scrutantes scrutinio.) Hostes Dauidis non labore fracti mentem mutauerant,defecerunt, inquit,non quia spem illius interficiendi dimisissent, uel, conscientiæ ui adducti,se a tanto scelere reuocassent,sed ideo defecisse dicuntur scrutantes scrutinio, quia omnes nocendi artes, ut nulla amplius excogitari posset, ut perniciem Dauidi inferrent,adhibuissent, & nihil,ut Virgilius ait,inexpertum, intentatumq. reliquissent. Hanc sententiam uerbum Hebręum תם Tamam confirmat; pro quo interpretes hoc in loco reddiderunt Deficere: id enim Consumere,& Perficere,apud Hebræos significat, ut noster Latinus multis in locis uertit: quemadmodum in Hieremię Lamentatione uidere licet. Sic enim ille populum suum alloquitur: Misericordia Domini,quia non sumus consumpti,Et alibi, Completa est iniquitas tua filia Sion. Et in libro tertio historiæ Regum,Perfectum,inquit,auctor, est opus columnarum. In his autem locis idem uerbum Tamam apud Hebræum inuenitur. Quę igitur impij homines moliebantur, summa cum iniuria perfecerunt; eas insidias, quas excogitabant, singulari cum fraude collocarunt; quodcumque denique scelus animo conflarunt,incredibili audacia perpetrarunt. Hunc explicandi modum,ob uerbi Hebræi significandi rationem, multi sequuntur;sed illum,quem in principio notauimus, interpretes amplectuntur. illorũ enim hominum fraus,& dolus,eo peruaserat,ut perfectionem suam,ut ita dicam, fuerit assecuta, nec iam illi nocendi arte ulterius progredi poterant, & ideo defecerunt scrutantes scrutinio, quia nihil scrutari poterant, quod antea non perfecerint. Illud autem est animaduertendum, ab Hebræo hæc uerba inter sese distingui. nam Scrutantes scrutinio cum sequentibus coniungit; si autem solum legas,Defecerunt,sensus idem erit, ut patet.

Accedet homo,& cor altum.) Malefici homines, ut ea, quæ in Dauidis perniciem excogitarant, perficerent, in eo maxime pugnabant, ut illius consilia explorata penitus haberent, quibus illusis, eum in certum exitium traherent. Accedet igitur homo,ut inquiunt interpretes, amicitiam nempe simulat, cum odio flagret, & cor altum, siue,ut nomen Græcum etiam significat,profundum. uelut enim profundum pelagus, scelera excogitata ita in se coercet, ut eorum nullum

appa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

appareat argumentum, quo uir bonus commoueri posſit, quin ſua conſilia cum eo communicet. tanta eſt improbi hominis fraus, tam nefaria amicitiæ ſimulatio. Hoc ſceleratorum hominum ſtudium Hebræus clarius explicat, & uerba aliter, quam Septuaginta, diſtinguit, ut ſuperius diximus. Scrutati ſunt, inquit, ſcrutinio intimum hominis, & cor profundum, quemadmodum Aquila, Symmachus, & Theodotion, reddiderũt: Septuaginta autem interpretes eo adducti ſunt, ut uerterent, Accedet homo, & non intimum hominis, quia nomen קרב Chereb, quo Dauid, iuxta Rabbinorum puncta, utitur, uerbum קרב Charab eſſe putauerunt. Senſus uero idem prorſus ex utraque lectione elicitur, ut ſumus interpretati.

Exaltabitur Deus, ſagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum.) Diuini iudicij ſanctitas apud homines magnopere enitet, cum improbis reſipiſcendi tempus benigne concedit, & ad uirtutis ſtudium excitat, eoſdemque in ſcelere contumaces ſupplicio afficit. benignitatis enim infinitæ decus, cum iuſtitiæ benignitate ita coniungitur, ut ſeparari numquam poſsint. quamobrem minime mirandum eſt, ſi, quod Hebræus de Dei in improbos animaduerſione affirmauit, interpretes exiſtimauerint, id ad Diuini nominis gloriam pertinere. nam apud Hebræum hunc uerſum ita legimus, Sagittauit in eos Deus ſagitta ſubito, & fuerunt plagę eorum; ideſt, Deus uindictam de improbis ſumit: cum enim opportunum eſt, eos ſagitta iudicij ſui tranſuerberat, & plagæ illis impoſitæ ualde uehementer eminent. Interpretes autem, ob eam, quam diximus, cauſſam reddiderunt, Exaltabitur Deus: uerum ab Hebræo diſſident, cum inquiunt, Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum: quo in loco eſt animaduertendum, nomen Hebræum פתאם Pitom, quo Dauid utitur, a uerbo פתה Patah deduci, quod apud Hebræos ſignificat, Animum ad ea, quę rationi ſunt minime conſentanea, applicare: unde nomen פתי Peti, Inſipientem, & Stultum, & Puerum, D. Hieronymus interpretatur, quia tales, nullo iudicio, in quamcumque ſibi oblatam ſententiam rapiuntur. quamobrem Hebræi nomen פתאם Pitom excogitauerunt, quod idem apud illos ſignificaret, quod Mox, & Repente apud Latinos, pro quo interpretes hoc in uerſu Νηπίων reddiderunt, hoc eſt, Infantium. ſine Stultorum. nominis enim Hebræi originẽ explicarunt, cum propriam, & ſingularẽ, illi ſubiectam notionem minime obſeruarent. quamuis paullo ſuperius, hoc etiam in Pſalmo, illam interpretentur, cum inquiunt, Subito ſagittabunt eum: quorum interpretationem ſi ſequi, ut oportet, uelimus, hunc uerſum ita explanabimus. Exaltabitur Deus, illius nomen apud omnes nationes ſummis laudibus efferetur, quia rectiſsimo iudicio res humanas moderatur, & regit. de cuius prouidentia, qua mundus adminiſtratur, cum homines dubitaſſent, quia improbi, & ſcelerati, impune ſcelerati, impune ſcelera, & flagitia, committere uiderentur, hanc opinionem Diuina in eos animaduerſio ex hominum animis euulſit. nam ſunt ſagittę paruulorum. Stulti paruuli uocantur. nemo autem eſt magis infans, & maiori ſtultitiæ dedecore inuritur, quam qui libidini ſeruit, & uitiorum ſordibus inquinatur. horum autem fuerunt ſagittę, quibus, cum opportunum fuit, eos Deus Optimus & Maximus tranſuerberauit. ſupplicium denique illis fuit conſtitutum, quod, uelint, nolint, ſuſtinuerunt; & factæ ſunt plagę eorum; ideſt, & plagæ illis impoſitæ non fuerunt leues, ſed factę ſunt, grauiſsimę nempe exſtiterũt, ut earum conſideratio ad Dei laudes prædicandas humanum genus excitaret.

Infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.) Hic uerſus in libris Græcis non eodem modo legitur. Quod fuit in cauſſa, ut uiri docti multas, & uarias, explanationes adhibuerint: noſter autem Latinus eam uidetur fuiſſe ſententiam ſecutus, quæ magis Hebræo conuenit: & ita Septuaginta fuiſſe interpretatos arbitramur. Verbum autem כשל Caſcal, quo Dauid utitur, & pro quo interpretes Infirmatę ſunt reddiderũt, apud Hebræos Impingere, & uiribus debilitari, ſignificat: quare poſſemus Hebræum Latine ſic explicare, Et linguam ipſorum eis faciet impingere. Infirmatę igitur ſunt contra eos linguę eorum, quia, ſanctiſsimo Dei iudicio, impiorum lingua, quæ antea homini iuſto perniciem comparabat, tantum ſcelus perficere non poterit, ſed, uelit nolit, flagitij ſui teſtimonium ipſa proferet, & ipſis ſceleratis perniciem impinget.

Pſalmus 64.

Mirabile in æquitate exaudi nos Deus.) Quod interpretes Ἐν δικαιοσύνῃ, hoc eſt, In iuſtitia, dixerunt, noſter Latinus uertit In æquitate: Hebræus, ob punctа a Rabbinis addita, hunc uerſum ita legit, Horribilia in iuſtitia reſpondebis nobis, Deus ſalutis noſtræ. In ſacris autem Literis ſæpenumero Deus reſpondere dicitur, uel cum beneficium confert, uel cum mulctam irrogat. Quia uero ſanctiſsimus uates, Chriſtum Optimum & Maximum Dei templum appellauerat, omni ſanctitate pręcellens, quamuis poſtea orationem ad eum conuertat, interpretes orationis curſum non immutarunt, ſed eodem orationis filo ſententiam potius retinendam eſſe duxerunt. Verum, quę illa horribilia fuerunt, quę, ut inquit Hebræus, in iuſtitia reſpondebis nobis, Deus ſalutis noſtræ; aut quo pacto templum illud mirabile in æquitate, & iuſtitia, exſtitit? Horribilia autem facinora Chriſtus Optimus & Maximus cum infinitę iuſtitiæ ſplendore edidit, & admirandus in æquitate, & iuſtitia fuit, cum illud ſanctitatis ſuę meritis eſt conſecutus, ut ſpiritus paracletus, ut ille inquit, argueret mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio: de peccato, quia non crediderunt in me; de iuſtitia, quia ad patrẽ uado, & iam non uidebitis me; de iudicio autẽ, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Quid enim maiori umquam fuit admiratione dignũ, aut quod iuſtitiæ exemplum

plum magis horribile Deus Optimus & Maximus edidit, quam illud exſtitit, quod in Iudæorum cæcitate enituit, & in gentium conuerſione ſplenduit? nam Diuina Chriſti uirtute effectum fuit, ut nationes omnes priſtinam uiuẽdi rationẽ deſererent, & ſe impietatis ſcelere contaminatas fuiſſe faterentur. quæ quidem animorum commutatio Iudæos, qui Chriſtum contempſerant, & acerbiſsimo mortis ſupplicio affecerant, ſummæ perfidię damnauit. Quid, cum ad patrem iuit, & a diſcipulorum conſpectu diſceſsit? Ius profecto ſempiternę hereditatis adeundæ nobis comparauit, illud firmiſsime ſtabiliuit, & corpus, mortis telis paullo antea obnoxium, in Diuina ſede collocauit. Vnde omnis ſanctitas, & iuſtitia, in hominum animos emanauit, ut, qui in ſordibus uolutabantur, uirtutum omnium laudibus ornati, ſplenderent; illudque omnibus hominibus manifeſtum fieret, quanto in errore uerſabantur, cũ illum immani odio perſequebantur, qui, in Cælorum omnium faſtigium ſubiens, imperio ſuo rerum naturas continet, & moderatur: iudicium quoque in hoſtem generis humani exercuit: illum enim uinculis alligauit, & uaſa illius, nempe opes, & arma, quibus orbem terrarum ſubegerat, ſumma cum omnium admiratione, diſſipauit; atque immanis, & acerbiſsima, illius tyrannis eſt labefactata penitus, & exſtincta. Hæc horribilia in iuſtitia reſpondit nobis Deus ſalutis noſtræ: in his mirabile uiſum fuit, in æquitate ſanctiſsimum illud Diuini numinis templum, non opera hominis factum, ſed Diuino conſilio, & infinita uirtute, perfectum.

Exitus matutini, & ueſpere delectabis.) Illud eſt aduertendum, Exitus, ut apud Septuaginta interpretes legimus, in accuſandi caſu, & in multitudinis eſſe numero. Senſus igitur erit: Orientis, & Occidentis, plagas ſingulari lætitia cumulabis, uel, ut Hebræus inquit, laudantes efficies: præ gaudio enim, in Dei laudes uoces modulabuntur.

Pſalmus 65.

Qui exaſperant, non exaltentur in ſemetipſis.) Quos Hebræus In ſcelere contumaces, & Profligatos, appellauit, hi a Septuaginta interpretibus παραπικραίνοντες dicũtur, ideſt ad iram concitantes; quales illi exſtiterunt, qui Chriſtianæ doctrinæ pernicicm moliebantur, & hominum animos Chriſtiani nominis odio imbuebant. Eos noſter Latinus uocauit, Qui exaſperant: aſperi enim homines, & duri oratione, & moribus, Chriſtianos nimis acerbe tractabant, in eos maledicta iaciebant, & alios ad eiuſdem ſceleris ſtudium excitabant. Tales igitur non exaltentur in ſemetipſis, ſeipſos, inquit Hebræus, non ſubleuent, ideſt pereant.

Pſalmus 67.

Vrbabuntur a facie eius.) Hæc uerba apud Hebræum minime ſcripta reperiuntur; ſed prudenter ſatis fuerunt adiecta, gaudio enim animus humanus ualde commouetur, præſertim cum illud ex aliquo accepto beneficio proficiſcitur, quod longe, multumque rationem humanam ſuperat; ut illud exſtitit, de quo Dauid hoc in opere agit, Exſultate igitur, inquit, in conſpectu eius, & turbabuntur a facie eius, quia illud eſt in genus humanũ a Deo beneficium collocatum, quod animos hominum, & lætitia afficit, & admiratione complet. In cuius conſiderationem Habacuc, cum aliquando incideret, Conturbatus eſt, inquit, uenter meus a uoce, contremuerunt labia mea.

Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo, qui educit uinctos in fortitudine, ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulcris.) Horum uerſuum explanatio in Paraphraſi non reperitur. Librarij enim negligentia effectum fuit, ut periret. uerum tamen, ut damnum reſarcire aliqua ratione naleamus, illud erit primum a nobis ponendum, Domus nomine, familiam ſignificari. Sic enim apud Virgilium, incenſa Troia, Anchiſes, cum ſe fugæ committeret, Deos precatur, Dij patrij ſeruate nepotem. Et Cicero, ad Atticum ſcribens, inquit, Tota domus te reſalutat. Et Regum hiſtoriæ libro quarto, Eliſeus inquit, Surge, & nade tu, & domus tua: deinde, ſciendum eſt, eos, quos μονοτρόπους, uel unius moris, ut noſter Latinus uertit, Septuaginta interpretes appellarunt, non alios eſſe, ut Hebræus docet, quam qui inopes, & rebus omnibus orbati ſunt, & ideo ab Hebræo Solitarij dicuntur. hos igitur, qui ueræ uirtutis opibus erant deſtituti, hos, inquam, ſolitarios homines, a recta rationis uia aberrantes, & uniuſmoris, atque nefariæ ſuperſtitionis iudicio uitam moderantes, infinita Dei benignitas, ad ampliſſimam domum, quæ eſt Eccleſia Chriſti, & ad opes Diuinas, e miſerrima peccati ſeruitute uindicauit. cum enim eſſent peccati uinculis ualde uehementer adſtricti, illis ſoluti, iam ueræ libertate fruuntur. Similiter, ideſt, quemadmodum ij, qui ad Chriſti nomen, & imperium, ſeſe applicarunt, Diuinis bonis circumfluũt, ita eos, qui exaſperant, nempe, ut iam explicuimus, qui religionem Chriſtianam oppugnant, eo ſupplicio afficiet, quo nullũ grauius cogitari poſsit. eos enim, ut inquit Paulus, deſideriis ipſorum tradet, ut, ueluti cadauera ſepulcris condita, in ſordibus uiuant, uel, ut inquit Hebræus, rebelles ſolitudinẽ incolent, ubi belluæ, & monſtra, degunt. ubi nulla ſpiritus Diuini ueritas animum delectat, nullum iuſtitiæ decus allicit, ſed uaſti mores, feritas immanis, & libido effrenata, omnia occupat.

Dabit uerbum Euangelizantibus.) Confert prętérita cum futuris. nam, quemadmodum eo tempore, quo Hebræi per medium mare rubrum in alteram litoris partem tranſierunt, ſingularem Deus Optimus & Maximus materiam præbuit euangelizantibus, ideſt, ut inquit Hebræus, mulieribus bona nuntiantibus, ut more patrio laudes Diuinas modulate canerent, quo munere Maria, Moſis ſoror, & reliquæ feminæ, cantandi peritæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

di peritæ, sunt egregie functæ; sic etiam, cum genus humanum Christus Optimus Maximus in libertatem uindicauit, latissimus fuit Diuinarum laudum campus, quas pauperes, & imbecilli homines, atque fœminæ, ubique terrarum prædicarunt.

Si dormiatis inter medios cleros.) Verbum Hebræum שפת Scaphat, significat Disponere, & Limites præfigere. unde nomen שפתים Scephatim pro quo Cleros Septuaginta interpretes reddiderunt, originem ducit. Est autem Scephatim, locus certo ordine in partes distinctus, ille nimirum, ut Hebræi asserunt, in quo ollæ ponuntur. D. Hieronymus hunc uersum ex Hebræo, ita Latine uertendum esse duxit: Si dormiatis inter terminos. nam nomen Hebræum locum ordine quodam distinctum significat, ut diximus; terminus autem, locus est, limite quasi quodam ab alio separatus, qui agros inter sese distinguit, & separat. Quam quidem uocabuli Hebræi notionem Septuaginta interpretes secuti, Cliros dixerunt. Est autem Cliros, Sors. Sorte autem, quecuiq. pars hereditatis obueniebat, illam is obtinebat. unde effectum fuit, ut fundus, limitibus ab aliis distinctus, Cliros etiam diceretur. Merito igitur suspicari licet, terminos, siue limites, & locum certo ordine distinctum, hoc nomine ab interpretibus significari: qui autem sint hi termini, & qui locus sit iste, incertum est. Quidam enim ipsas Ollas ordine ad focũ collocatas, alij Tripodas, (est enim Tripos ex ferro ita constructus, ut locum intra se ordine distinctum contineat) alij locum, in quo ollæ ponuntur, esse existimant. quocumq. tamen modo Hebræum nomen, & Græcum, explices, hic erit uersiculi sensus: Si instar eorum, qui in abiecto, & sordido, loco iacent, scelerum maculis sitis coinquinati, Christi Optimi & Maximi sanctitate, & meritis, si ei nos ipsos tradere uelitis, auri splendorem obtinebitis.

Dum discernit cælestis reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon.) Fuit illud maximum Dei præsentiæ argumentum, qua semper piis hominibus adest, & eorum cœtum firmissimo præsidio stabilit, & tuetur, quia eos, qui rerum potiebantur, & in Christianam religionem immani odio inuehebantur, Deus Optimus & Maximus dissẽsionibus, atque dissidijs, exagitauit; quibus illi exagitati, sibi inuicem perniciem afferebant. Quod illi explorate cognoscent, qui Romanorũ Imperatorum uarios, atque lamentabiles, casus memoria euoluerint. Quam Diuinæ præsentiæ uim, & singulare in suos beneficium, Dauid, hoc in uersu, commemorat. Nec quidem nos latent diuersæ doctorum hominum, de hoc uersu, sententiæ. Verum, quia paullo superius Vates sanctissimus, gratiæ Diuinæ lumen, quo piorum animi erant mirabiliter illustrandi, adducta columbi argentei similitudine, prædixerat; cõsentaneum erat, ut, quod dictum fuerat, quasi præteritum, minime repeteret, sed Diuinæ mentis uim demonstraret, qua Deus impios euertit, qui Ecclesiæ sue perniciem moliuntur. Verbum Hebræum פרש Expandere, & Dispergere significat, pro quo interpretes hoc in uersu διασκορπιζειν reddiderunt. id uero Græcis idem est, quod Latinis Indicere, Decernere, atque Diuidere: quod noster Latinus uertit, Dum discernit. Dum ergo præpotens rerum omnium princeps, reges, qui super eam, nempe qui Ecclesiam suam totis uiribus oppugnabant, a se ipsis discernit, diuidit, & quodammodo dispergit, sanctissimo illius iudicio niue dealbabuntur in Selmon, hoc est, in propriam perniciem acerbissimo odio, & armis dissidentes, & impietatis scelere obcæcati, præcipites ruent, acerbissimoque supplicio affecti, mactabuntur. Supplicium autem Niuis nomine significari putamus: quemadmodum alibi idem Vates inquit: A facie frigoris eius quis sustinebit? Et Christus Dominus, Ibi erit, inquit, frigus, & stridor dentium. Selmon uero, mons est, ultra Iordanem, qui niuibus frequenter operitur. Erunt autem illæ niues, quibus Principes, Christiani nominis hostes, obruentur, earum instar, quæ in montem Selmon cadere consueuerunt. acerbissima enim supplicia in eos Deus irrogabit.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in uaccis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento.) Veteris legis ritus ueræ iustitiæ splendore aboleri exoptat. Ois autẽ priscæ illius religionis uis, atque ratio, in duplici rerũ genere uersabatur: alterũ, in sanguine erat positum; alterũ uero, in pecunia consistebat: illud, ad peccatorum piaculum erat sancitum; hoc autem, non solum, ut Dei offensionem a se Hebræi auerterent, sed ut testarentur, se non sui iuris esse, & sub Dei dictionem ex Aegyptiorum seruitute fuisse uindicatos. unde lege sanctum erat, ut filij maiores natu pecunia redimerentur. Qua de re Moses in libris Exodi, & Leuitici, luculenter agit. Pecuniam quoque Deo offerebant: cuius rei in quarto Regum libro fit mentio. hæc autem Dauid extingui ardenter cupiebat, quia legis perfectionis studio flagrabat. Increpa, inquit, feras arundinis; hoc est, uitulos tibi sacrificari prohibe. Quamuis enim huic tempori sacrificium huiusce modi conueniat, non tamen immensæ Maiestati tuæ congruit: uitulos igitur ne tãm diu patiaris tibi offerri, feras inquam, siue uitulos arundinis, nempe, qui saturi ad arundineta se conferunt, ut ibi se prosternant, & prostrati iaceant: unde, nisi fuerint, cum uaccis, quas rusticani homines ad id perficiendum adducunt, naturæ uiciõiuncti, ad templum tuũ nemo poterit abigere. hoc igitur sacrificij genus parum tibi gratum esse demonstra. illud iam perfice, cuius hæc uitulorum sanguinis effusio imaginem refert, ut tandem excludant eos, qui probati sunt argento, uel, ut inquit Hebræus, ut excludant conculcatum in argenteis fragmentis, ut intelligant homines, solidæ iustitiæ decus in eo minime uersari, ut sese quis coram arca fœderis abiiciat, argenti frustum offerat, filiumq. pecunia redimat. non enim propterea iustus haberi debet. uerus namque tui numinis cultus non solum cærimoniis, sed fide, benignitate, iustitia, & ceterarum uirtutum

tum studio, continetur, quas filius tuus, Diuinitate, & natura tecum omnino idem, sub humana forma delitescens, in hominum animis inseret. Hunc uersum Hebræi aliter explicant: quos aliqui uiri docti sequuntur.

Psalmus 68.

Et non est substantia.) Quod Hebræus Stabilimen, & Firmamentum dixit, interpretes Ὑπόστασιν dixerunt. Hypostasis autem apud Græcos Stabilitatem, remque exsistentẽ, præter alia, significat; noster uero Latinus reddidit, Substantia. Sensus igitur est, In eas sum calamitates delapsus, ut illi similis sim, qui in profundũ pelagus proijcitur. nullo enim in loco aut consistere possum, aut firme uestigium figere.

Psalmus 70.

Esto mihi in Deum protectorem. Hoc in uersu Hebræus aliquid amplius addidit, quod Septuaginta interpretes omiserunt, satis fore existimantes, si sensum explanarent. Sic autem ille inquit, Esto mihi rupes fortissima, ad quam confugiam: mandasti me seruare. Mandati nomine nõ solum eximiam illam Diuini patris in filium, & in eos, qui filio nomina dederunt, uoluntatem significant, sed mentibus illis cœlestibus illud fuisse munus impositum, ut salutis humanæ sint, ut inquit Paulus, administratores. hi enim, & Christo, ut homini, operam suam præstiterunt, & Ecclesiam, ut sacra Scriptura testatur, singulari cura tuentur.

Non cognoui litteraturam.) Nemo umquam uel auribus ea percepit, uel animo cogitare potuit, ut Isaias affirmat, quæ Christus Optimus & Maximus in nos contulit, beneficia. Id Diuino spiritu afflatus Dauid præsentiebat. quare, cum ueræ, & solidæ iustitiæ splendorem, & humanæ salutis constituendæ mysteria, laudibus celebrare uehementer cuperet, tantæ rei magnitudine oppressus, inquit, Non cognoui litteraturam. Aliqui libri Græci habent, Non cognoui. πραγματείας, pragmatiam. Alij uero habent, nõ cognoui γραμματείας ut noster Latinus legit. uertit enim, Non cognoui litteraturam. Grammatia, enim, Litteraturam, atque etiam, Numeros, significat. Dauid igitur his uerbis affirmat, fieri minime posse, ut humanæ salutis opus, admirabili ordine perfectum, aliquis mente percipiat, &, quæ sint in genus humanum a Christo beneficia conferenda, enumerando recenseat.

Hanc sententiam Hebræus satis quidem elegan ter explicat. ubi enim nos Litteraturã legimus, ille ספרות Sepherot dixit. ספר Sepher autem, est Numerus; Sepherot, ea, quæ numero sunt deducta. Quare Targhu ita hunc uersum explicuit: Non cognoui numeros eorum: quasi diceret, iustitiæ tuæ decus, & benignitatis immensitatem, qua generi humano salutem dedisti, semper sum mis laudibus prædicabo; uerumtamen iustitiæ tuæ ornamenta, & salutis nostræ præsidia, quæ a te sunt constituta, numero, & magnitudine, infinitis partibus mentis meæ intelligentiam superant. potẽtiæ igitur tuæ robur immensum, quantum uiribus potuero, laudibus efferre non desinam. Est autem hoc in loco Litteratura, siue Scriptura, Numerorum notæ, quibus rerum multitudinem numeramus.

Psalmus 71.

Descendet sicut pluuia in uellus.) Nomen Hebræum גז Gez, quidquid sit Tonsum significat. quamobrem illud merito interpretes, Vellus, sunt interpretati: Hebræi uero, alij, Pratũa grege ueluti tonsum, hoc in uersu a Dauide significari putant. pluuiæ enim humiditate, detonsum pratum iterum uiret, & herba mirum in modum crescit. instãr ergo pluuiæ fuit Christi Domini aduentus in terras. nam genus humanum, peccati ardoribus exustum, cum totius esset decoris, & honestatis, expers, ut pratum tonsum, pluuiæ beneficio cœpit singulari uirtutum omnium laude florere. Hic explicandi modus cũ antecedentibus, & consequentibus, mirifice congruit. Quem non pauci uiri docti libenter amplectũtur. Verum pluuia, in uellus effusa, aut ineptam illam rationem significat, qua Dei filius corpus ex uirgine matre sibi assumpsit, uel illius præsentiam significat, qua Ecclesiam suam a sordibus abluit, & ab ea minime discedit, & hominum naturam, cum non immutet, eam perficit, & corroborat.

Et erit firmamentum in terra in summis montium super extolletur super Libanum fructus eius.) Doctrinæ Euangelij progressus in dies maiores his allegoriis uir sapientissimus explicat. Singularem segetum ubertatem Interpretes, Firmamentum dixerunt. uberes enim segetes ita crescunt, & augentur, ut non mediocriorẽ firmitatem actis in tellurem radicibus consequantur. quæ si ex paruo frumenti numero, in tellure macra, & sterili, ut sunt montium cacumina, sint exaratæ, Dei benignitatem manifeste demonstrant. Tales igitur, inquit Dauid, Euangelij progressus erunt. פסת Pissat frumenti, ut apud Hebræum legimus, exigua scilicet frumenti portio solo sterili, & montium cacuminibus, committetur. nam pauci homines, & hi quidem imperiti, Euangelij doctrinam hominibus omni scelere contaminatis prædicabunt. in hac tamen tellure, peccatorum æstu uehementer exusta, erit firmamentum, idest admirabiles uirtutum omnium segetes crescent: quarum quidem fruges Libani ubertatem, & pulchritudinem, infinitis partibus superabunt.

Defecerunt laudes Dauid.) Nomen Hebræum תהלות Tephlot, non laudes, sed preces, significat. hæ autem Diuinis laudibus debent esse plenissimæ. cum enim de Deo nulla in re simus benemeriti, & illi omnia nostra debeamus, si ab eo aliquid impetrare cupimus, oportet, ut eius benignitatis magnitudine nitamur, & summis cum laudibus accepta beneficia in memoriam reuocemus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cemus. hæc est enim optima beneficium postulandi ratio,ut Aristoteles refert.quamobrem prudenter satis hoc in loco,non Preces, siue Orationes,sed Laudes,noster Latinus reddidit.

Psalmus 72.

Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.) Ἀπάτευτος est significatio illa,quam nutu facimus, cum aliquid minime probamus. quare ipsam quoque repulsam significat.Non est igitur respectus morti eorum, hoc est,nihil,præter uoluntatem, improbis accidit,quod illis molestiam exhibeat,& mortem acceleret. nullam enim repulsam ferunt, quæ eos de uita sua sollicitos reddat,sed,cum ea, quæ exoptant,feliciter consequantur, firmissima quoque corporis ualetudine utuntur,& maximis uiribus pollent: quare, & firmamentum in plaga eorum, ideest grauissimæ sunt plagæ illæ, quas hi ceteris hominibus infligunt.Hanc sententiam ex Hebræo percipimus. Sic enim inquit, ut ad uerbum Latine uertamus, Quia non ligamina, ut moriantur,& pinguis fortitudo eorum. Non ligamina,ut moriantur,quia improbi,cum fere nunquam morbis afflictentur, fit, ut optima sint ualetudine,& pinguis est fortitudo eorum, nempe robur eximium, & maximæ uires in illis uigent. De horum tamen uerborum sententia Hebræi inter se non mediocriter dissentiunt.

Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum,transierunt in affectum cordis.) Ne felix rerum cursus animum humanum nimis efferat, opus est, ut singulari sit sapientia præditus,quam cum improbi spernant,rebus prosperis adeo efferuntur, ut,suæ imbecillitatis immemores, scelera sceleribus cumulent. Prodiit, inquiunt interpretes, quasi ex adipe, iniquitas eorum,ex hac scilicet felici rerũ suarum condicione(quæ Adipis nomine significatur) illorum magna fit scelerum accessio.Illud autem,Quasi,fuit ab interpretibus positum,non ut similitudine rem nobis ante oculos ponerent, sed ut luculentius explanarent.Hebræus autem hunc uersum ita legit, Prominet præ adipe oculus. Intolerando enim fastu improbi ceteros despiciunt. quæ quidẽ singularis superbia, & insolẽtia,ab interpretibus Iniquitas appellatur,quã res prospere fluentes hoium animis secũ afferunt. Trãsierunt in affectũ cordis. Hebræus Transierũt inquit,cogitationes cordis. Multi hanc orationẽ ita explicant,ut ea significari putent improborũ nimiam apud mortales felicitatem; ut non solum rerum euentus illorum optatis respondeãt, sed multo magis prospere,quam cogitarant, illis eueniant. Verum singularem animi libidinẽ Paraphrasis auctor significari existimat, qua improbi,rerum suarum statu non contenti, aliquid noui semper exquirunt,ut,quæ antea animo designarant,iam minime placeant, maiora quotidie sibi proponant,& moliantur. hęc autem libido,est quedam animi affectio,ex nimia felicitate proficiscens, & in omnium scelerum genera præcipitans,quam interpretes Affectum cordis appellarunt,in quem scelerati homines, prosperis rebus inflati,quodammodo impelluntur.

Propter dolos posuisti eos.) Felix rerum humanarum condicio,illustri illa specie,oña hominum animos ad se allicit, summas in se fraudes inuoluit. nam, cum diuturnitatem polliceatur, breui tempore euanescit;& eos,quos pulchra illa specie deluserat, nanissimos existitisse demõstrat. quamobrem merito quidem interpretes,improbos, homines,qui opibus affluebant, & ideo nimium sibi arrogabant, propter dolos fuisse positos,affirmant. illis enim rebus inhærebant, quæ dolose blandiuntur. qui enim opes inanes, ueris,& solidis,anteponunt, iure optimo, Dei permissu,ut qui aranearum telis,ut inquit Iob,innituntur, miserabiliter concidunt: illorum autem in umbram sectando errorem, & lapsum, quia Deus summo consilio,& sapientia,permisit, Dauid ait, Propter dolos posuisti eos.Quam sententiam Hebræus his uerbis explanat, In lubrico posuisti eos,חלקות.Chalacoth enim, ut ipsi Septuaginta aho in loco sunt interpretati,Lubricũ significat. Improbi autem, opibus elati,in lubrico uersantur: rerum enim uicissitudine quodam modo impelluntur,ut miserrime labantur, & a pristino statu decidant. Theodoretus legit Propter dolos posuisti eis mala, quia scilicet fraudes moliuntur, ideo sanctissimo Dei iudicio malis afflictantur.

Psalmus 73.

Redemisti uirgam hereditatis tuæ.) Virgæ nomen,præter alia, imperium, & iurisdicendi auctoritatem, in sacris Litteris significare, ex eo loco percipimus,ubi idem auctor inquit, Virga directionis,uirga regni tui: & exillo Iacob,Non auferetur sceptrum de Iuda: est enim ibi, idem nomen שבט Scebet pro quo interpretes hoc in uersu Virgam reddiderunt. Redemisti igitur uirgam hereditatis tuæ: quia, cum gens Hebræa, quam ex omnium hominum nationibus, quasi hereditatem,tibi elegeras, misera in Aegypto seruitute premeretur, non Regiæ dignitatis splendore fulgebat, non sacerdotij amplitudine inter ceteras gentes eminebat: tua uero benigniate effectum fuit, ut a seruitute in libertatem uindicata,dignitate Regia,& sacerdotij sanctitate,inter alias nationes, longe præstaret. quod apud Mosem Deus his uerbis fore promiserat: Si ergo audieritis uocem meam,& custodieritis pactum meum,eritis mihi in peculium de cunctis populis, & uos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Illud est autem animaduertendum, hunc uersum aliter apud Theodoretum scriptum reperiri. Sic enim ille refert, Redemisti uirga hereditatem tuam. Quasi Dauid diceret, Populum tuum,o Domine,incredibili uirtute ex Aegypto in libertatem adduxisti.

Et non cognouerunt sicut in exitu super summum, quasi in silua lignorum securibus.) Libri Græci, hoc in uersu,inter se differunt, & omnes ab Hebræo non mediocriter dissentiunt. quidam enim habent,ut noster Latinus legit;alij uero, Et non cognouerunt, sicut εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος καὶ πέραν, ideſt, in ingressum supra. Orationis obscuritas cogit, ut,omissis,aliis,Hebræi interpretationem attentius uideamus. Sic igitur ille: Cognoscetur, inquit,ueluti superne attollens secures in condensa silua. Quam orationem uiri docti sic exponunt: Cognoscetur, hoc est oculis nostris multos perspiciemus,qui secures attollant,atque si ligna cęderent,ut filios Israelis trucident,uel cognoscetur, is scilicet maiori laude dignus esse iudicabitur,qui eam populi tui stragem ediderit,ac si siluam aliquam securibus exscinderet. Vt autem interpretum sententia percipi possit, est illorum oratio ita distinguenda, Et non cognouerunt,sicut in exitu super summum, quasi in silua lignorum securibus: Non cognouerũt,hoc est, eo impetu in nos, hostes irruerunt, ut cum hominibus sibi manus esse conserendas minime putarent. non enim nos inter homines numerabant: &,quasi in exitu, super summum, instar illorum,qui montis fastigium subeunt,ut securibus in condensa silua ligna cædant, ita illi ciuium stragem faciebant.

Tu siccasti fluuios Etan.) Nomen Hebræum Etan, nihil aliud significat, nisi Fortes, uel, ut, Symmachus interpretatur, Antiquos. Fluuios igitur Etan, hoc est aquarum copia ingentes, qui summo cum impetu fluebant,Diuina uirtute fuisse exsiccatos, commemorat.

Ne tradas bestijs animas confitentes tibi.) Hanc sententiam Hebræus eleganter, & uenuste quidem,explicat: Ne tradas,inquit, belluæ animam turturis tuæ.

Quia repleti sunt, qui obscurati sunt, terræ domibus iniquitatum.) Apud Hebræum ita legimus: Quia repleta sunt loca tenebricosa terræ ædes tyrannorum. Quam orationem diuersis rationibus uiri docti explicant. Illis autem prætermissis, aduertendum duximus, interpretes, ut aliis in locis faciunt, uerbis adhærere, alienum esse duxisse; ut clarius sententiam explicarent: cumque intelligerent, Dauidem hoc in opere de Hierosolymæ excidio, uel de futuræ Christi Ecclesiæ, impiorum tyrannide laceratæ, condicione, agere, uersum hunc ita interpretantur, ut, religionis caussa, maximam hominum multitudinem in carceres obducendam fore prædicet. Qui igitur, inquiunt, obscurati sunt, hoc est, qui ob religionem in loca tenebricosa sunt coniecti, repleti sunt terræ domibus iniquitatum;ideſt,impleuerunt terræ domos, quas scilicet ubique terrarum tyranni ædificauerant, ut in eis Christiani homines, uinculis adstricti, includerentur. non enim carceres tantam hominum multitudinem capiebant:domos,inquiunt, iniquitatum;quia sunt tyranni,nõn homines,sed scelerati, & impuri, sed belluæ immanes, sed ipsa iniquitas, & scelus.

Psalmus 75.

Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.) Hoc in loco est illa Christi Domini oratio in memoriam reuocanda,quam Lucas refert: Dico uobis,Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: ut significaret, publicanum hominem, qui summisse Deum uenerabatur, iustitiæ laude multum Pharisęo sibi confidenti præstitisse. Qui quidem dicendi modus nihil prorsus ab eo differt, quo interpretes utuntur, dum uersum hunc interpretantur. Illuminans, inquiunt, tu mirabiliter a montibus æternis. Quamuis enim montes æterni, nempe qui ab initio rerum sunt firmissime stabiliti, nulla ui commoueri posse uideantur, tu tamen ab eis mirabiliter illuminans, ideſt ea Maiestate enites, tantaque uirtute polles, ut infinitis partibus eos robore, & stabilitate, superes, qua tuos ab omni malorum impetu tueris, &, ut uictoriam de hostibus consequantur, munis, & circumsæpis. Nam,A montibus æternis illuminans, idem est, quod, montibus altissimis, firmitate, & robore, esse longe præstantem. Hanc huius uersus sententiã Hebræus hoc modo explicat: Illustris tu, potens præ montibus prędę. Montes prædæ eos appellat, qui magnitudine, & altitudine, cæteros ualde superant; quos interpretes, Montes æternos uocant, in quibus feræ latibulis se tegunt: uerum illud est in sacris Litteris satis usurpatum, ut ij, qui imperio, & opibus, affluunt, Montes dicantur: quemadmodum apud Isaiam legimus: Omnis uallis exaltabitur, & omnis mons, & collis, humiliabitur. Et alibi: Vtinam dirumperes cælos, & descenderes; a facie tua montes diffluerent. Non dissimili quidem ratione, hoc etiam in uersu,Dauid,Montes æternos, siue Montes prædę,Tyrannos appellauit: quorum uires, cum singulari feritate coniunctæ, Diuino fuerũt iudicio cõsumptæ.Quod Habachuc simili oratione fore prædixit, cum inquit,Contriti sunt montes sæculi, incuruati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius. Illuminans igitur a montibus æternis est præpotens rerum omnium princeps, quia nec altissimi montes, nec reges,quorum sunt imperia fundantissima, cum eo, uirtute, & stabilitate, ullo modo, comparari possunt.

Psalmus 76.

Memor fui Dei,& delectatus sum, & exercitatus sum,& defecit spiritus meus.) Diuinæ benignitatis memoria,& recordatio,etsi erat Dauidi iucunda, singularẽ quoque ei dolorẽ inurebat. dum enim eorum beneficiorũ memoriam repetebat,quæ in omnes large cõfert,qui illius benignitatẽ minime aspernantur,& quã facile acceptam offensionẽ oblitterat;singulari quidẽ gaudio effebatur.quare,Memor,inquit,fui Dei,& delectatus sum. uerum, dũ eandem benignitatem a suis spernendam fore multo ante uidebat, se lamentis dedebat:Exercitatus sum,inquit,hoc est,dum

Universidad de Deusto
Biblioteca

mẽtem in hac cogitatione infixam haberem, defecit ſpiritus meus, mærore ſcilicet afficiebar. Hanc ſententiam interpretes probaſſe uidentur, quia libri Græci eandem omnino referant. uerum Hebræus ſummum doloris ſenſum, quo Dauid, ob ſuæ gentis exidium, cruciabatur, his uerſibus eleganter exponit: Renuit, inquit, conſolari anima mea: memor fui Dei: uociferabar, loquebar, defecit ſpiritus meus. Merito quidem uir ſanctus, dum memoria Dei beneficia replicabat, quæ in Hebræorum gentem contulerat, uoces, ſummæ triſtitiæ indices, attollebat, tantoque in mærore uerſabatur, ut animus illum deficeret. Si enim lamentabile regni illius excidium ſingularem animo dolorem afferebat, profecto immenſæ Dei benignitatis memoria, qua gens illa ceteris gentibus uehementer excelluit, mærorem excitabat, qui minui non poſſet. non enim res ipſæ aduerſæ, tantopere animum affligunt, quam in ipſis præteriti temporis recordatio dolorem efficit.

Meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.) Hinc maxima doloris uis oriebatur, quæ Dauidis animum affligebat. præterita enim cum futuris conferebat. Cogitaui, inquit, dies antiquos, & annos ęternos in mente habui, quando Deus Optimus & Maximus ſingulari beneuolentia, & amore, Hebræam gentem eſt proſecutus; unde laudum Diuinarum ſingularem materiam ipſe nactus fueram, in qua totus uerſabar. quamobrem ait, Meditatus ſum nocte cum corde meo; hoc eſt, præteritũ tempus illud in memoriam adducebam, quo compoſitis carminibus celebraui. in huius rei conſideratione totus eram. exercitabar, nã multa mihi occurrebant, quæ intenta mente ponderabam, & ſcopebam ſpiritum meum: mentem enim in omnes partes uerſo, omnia animo luſtro, omnia tento, ut tandem illud ratione conſequar, numquid in æternum proiiciet Deus, (ut noſter Latinus inquit) aut, non opponet, ut complacitior ſit adhuc? ad ſingularem enim dolorem, quo excrucior, non mediocrem acceſsionem facit dubitatio illa, num gens Hebræa, ſempiternis perfidiæ tenebris offuſa, minime reſipiſcat. Nihil profecto hac oratione poteſt eſſe elegantius. temporum enim diuerſitatem complectitur, humanæ mentis affectiones, & motus, exprimit. Quam huius uerſus ſententiam Hebræus his uerbis declarat: Recordor carminum meorum, quæ meditatus ſum nocte cum corde meo: ſcrutatur ſpiritus meus, numquid in æternum proiiciet Deus?

Et dixi, Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelſi.) Omiſsis expoſitionibus, quæ in hunc locum adhiberi ſolent, ſi lubet, interpretum mentem ita explicemus: Suſpicio illa Dauidem uehementer ſollicitabat, ne forte Deus Optimus & Maximus ob immaniſsimi ſceleris offenſionem, ſibi a Iudæis illatam, eos ope ſua deſtitueret, & aditum ad benignitatem ſuam eis intercluderet. In hac igitur cogitatione totus defixus, & acerbiſsimo doloris ſenſu affectus, Dixi, inquit, Nunc cœpi. ipſa enim acceptorum beneficiorum memoria, me in ſpem futuræ ſalutis adducit, & non medio cre doloris alleuamentum affert: præteritorum quidem temporum, & gentis meæ ſtatus, Dei præſidio communiti, recordatio, morſu quodã dolorem efficit; quia fore proſpicio, ut, ex eo ſtatu deturbata, in ſummas miſerias corruat. hoc tamẽ dum attentius conſiderarem, dixi, Nunc cœpi, ab hoc nẽpe metu, animũ relaxare. ea eſt enim beni gnitatis Diuinæ immẽſitas, ut sẽper in ſupplicijs ſumendis maximas miſericordię partes gerat. dexteram ille ſuam hominibus tendit, nõ ſolùm ut puniat, ſed ut in ſuam amicitiam eos recipiat, quos ſuſcepti ſceleris pœnitet, & ad eum ſupplices adeunt. hæc mutatio dexteræ excelſi me recreat. ſic enim, infinita prouidentię ſuę ui, dexteram ſuã moderatur, & regit, ut, quos ęrumnis affixerat, cum opportunum fuerit, recreet, & bonis affluentes efficiat. Hoc eodem argumento in ſpẽ ſalutis Habachuc inducitur. Sic enim inquit: Cũ iratus fueris, miſericordię recordaberis, & pro iniquitate uidi tentoria Aethiopiæ, & pelles terræ Madiã: quaſi diceret, Cũ populi huius iniquitas, te alienũ ſibi reddidiſſet, ac ius ita poſtularet, ut eum omnino deſereres, ei ſumma beneficia contuliſti, Chuſani regis tentoria ei diripienda tradidiſti, Madianitarum opes in illius poteſtatem redegiſti. Hæc mutatio dexteræ excelſi Dauidis animum erigebat, & ab illa acerbiſsima ſollicitudine liberabat. Hebræus hanc huius uerſus ſententiam ſic explicat: Et dixi, hæc mea imbecillitas, ut uertit D. Hieronymus; &, ut alij interpretantur, Mors mea hæc; hoc eſt, hæc gentis meæ cladis, quam mente proſpicio, & ſuſpicio illa, qua uereor, ne perfidiæ ſcelere funditus intereat, ægritudo mea eſt, qua angor, & pereo: annorum dexteræ excelſi, memor fui operum Domini: ſcilicet, ut reſpirandi locum inuenirem, mentem meam ad annos illos reuoco, in quibus dextera Domini, ut gentem hanc tueretur, tot, tantaque facinora edidit. inde enim fore colligo, ut illi lumen præferat, quo tandem perfidiæ ſcelus deteſtetur, & ſeruatoris ſui gratiam ſibi conciliet: utrumque enim ab illo bonorum omnium auctore eſt firmiſsime ſperandum. ipſe enim perfidiæ tenebras ab eorum animis diſpellet, & munera ſua in eos conferet.

Pſalmus 77.

In campo Taneos.) Quam Tanim, Aegypti Vrbem, interpretes uocant, Hebræus Sohan appellauit, eam fortaſſe illi, Tanim eſſe, à maioribus acceperant.

Ideo audiuit Dominus, & diſtulit.) Cũ gens Hebræa in ſolitudine carniũ deſiderio teneretur, & manna, faſtidio intolerabili, reſpueret, de Moſe, & de Deo, querebatur. quãobrẽ, ut in libro Numeri legimus, nõ paruã Deus illius gentis partẽ, igne conſumpſit: quo, Moſis precibus, & oratione, exſtincto, coturnices ſunt inuectæ. Huius rei mẽtionem Dauid hoc in loco facit: interpretes autẽ, ut ſignifi-

ſignificarent, Hebræorum deſiderio Deum non ſatisfeciſſe, niſi poſtquam ſcelere illorum ſupplicium impoſuiſſet, reddiderunt. Audiuit Dominus, & diſtulit, Hebræus autem Audiuit, inquit, Dominus, & iratus eſt.

Primitias omnis laboris eorum.) Maximam naturæ uim in fetu, & educatione liberorum, cernimus: quæ quidem in homine magis, quam in ceteris animantibus, uiget. eſt enim homo animal rationis compos, & immortalitatis appetens: ideo non ſolum impulſu naturæ, ſed ratione duce, ad incredibilem filiorum caritatem ducitur; tum, quia inſitæ in homine uirtutis argumentum, atque excellens quædam ſignificatio eſt, ſui ſimilem alium gignere; tum etiam, quia, ſalua, & incolumi, prole, immortalitatem quodammodo aſſecutus eſſe uideatur. quæ in filios natu maximos præcipue conueniunt. hi enim paternæ uirtutis robur primum demonſtrant, & immortalitatem quandam parentibus reddunt. quamobrem eos parentes magis diligunt, & omni cura, & ſollicitudine, laborant, ut; quod a maioribus acceperant. patrimonium, opibus auctum, eis relinquant. Merito igitur hoc in uerſu Dauid Aegyptiorum filios natu maximos a Deo occiſos, Primitias, ut interpretes uerterunt, laboris eorum appellauit. nomen autem Hebræum, On, tum laborem, tum etiam fortitudinem, ſignificat. Percuſsit, inquit, omne primogenitum in terra Aegypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham: quas, quæſo, laboris primitias internecione deleuit, niſi eorum filios natu maximos, in quibus ſui ſpeciem primum parẽtes impreſſerant; quam ut immortalitate quodam modo donarent, omni ſtudio, & ſollicitudine, laborabant. Iam enim ſuperius dixerat, Dedit ærugini fructus eorum, tradidit grandini iumenta eorum, & poſſeſsionem eorum igni. Hanc explicandi rationem illa Iacobi uerba confirmant, Rubem primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei.

Pſalmus 82.

Alienigenę cum habitantibus Tyrum.) Qui fuerint illi, quos Alienigenas interpretes uocant, qui ſimul cum aliis gentibus, ad Hieroſolymæ exitium inferendum, ſocietatem inierunt, ex Hebræo percipimus. Sic enim ille inquit: Phelesth cum habitantibus Sor. Phelesth autem, eſt Paleſtina, ſic dicta, quaſi cinere eſſet adſperſa, &, ut ita dicam, inuoluta.

Pſalmus 83.

Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in ualle lacrymarum, in loco, quem poſuit.) Si hunc uerſum ex Hebræo ad uerbum uelimus Latine uertere, ita ille ſeſe haberet: Viæ in corde ſuo tranſeuntes per uallem הבכא Habaca fontem ponent. Habaca, Morum aliqui interpretantur. Vallis igitur, cuius hoc in loco fit mentio, Vallis mori, uel, ut in libro Iudicum legimus, pyrorum, dicebatur, per quam illis erat iter faciendum, qui ad terreſtrem montem Sionem proficiſcebantur. qua in ualle, tum ij, qui iter faciebant, ut ſitim exſtinguerent, tum etiam pij homines, ut eorum ſtudio, qui ædem ſacram, uoti cauſſa, inuiſebant, aliquid adiumenti afferrent, tellurem effodiebant, ſi forte aquam inuenirent, qua illi ab itineris labore ſe reficerent: uerum non ſolum Septuaginta interpretes, & Diuus Hieronymus hoc in loco, ſed multi ex Hebræis, nomine Habaca, fletum, ſiue lacrymas, ſignificari putant, & Moros, quia inſtar lacrymarum ſint, Habaca quoque dici arbitrantur: hoc enim nomen a uerbo, Bacah originem ducit, quod Lacrymari ſignificat. quamobrem Vallem hoc in loco lacrymarum ſignificari exiſtimant, quia in ea aquarum guttæ, inſtar lacrymarum, defluerent. Hos ego a Dauide Beatos appellari Iudæi aſſeuerant, qui religionis ſtudio uias illas animo luſtrabant, quæ ad Sionem ducebant, & alacri animo iter illud aggrediebantur, & ad uallem lacrymarum, ſitientes, perueniebant, ubi, effoſſa tellure, aquam reperire conabantur.

Hic ſenſus in terreſtrem Sionem non parum eleganter conuenit: terreſtris autem Sion, quę exidio eſt omnino labefactata, cæleſtis Sionis fuit imago, quæ nullis umquam ſęculis eſt interitura: quam Dauid mente proſpiciebat, cum de terreſtri orationem aliquando inſtitueret. Eos igitur, qui in cæleſti Sione ciues cenſebantur, cum bonis omnibus affluentes eſſe affirmaſſet, duo hoc in uerſu explicat: alterum eſt, Sionis ciuem, & beatum, a ſe appellari eum, qui non temeraria confidentia ſe iuſtum eſſe putat, ſed qui Dei imperio obediens fuerit, & aſcenſiones, id-eſt uias, quibus ad ueram uirtutis laudem peruenitur, in corde ſuo diſpoſuit, hoc eſt, de illis die, atque nocte cogitat; alterum autem, illum, dum in laboribus pro religione ſuſceptis uerſatur, ſingulari Diuini ſpiritus uoluptate cumulari. In ualle igitur lacrymarum ærumnis afflictus condicionem ſuam, ut imbecillitas humana poſtulat, lamentabitur: eo tamen in loco, & ſtatu, illum, quem poſuit, nempe Diuinum ſpiritum, in quo ſpes ſuas collocatas habet, ſibi adeſſe ſentiet; quem, inquam, ipſe iuſtus in malis omnibus, quibus cruciatur, ſibi ſingulare leuamentum, & eximium ſolatium, comparauit. illud eſt enim huic orationi nobis addendum, ut integram ſententiam percipiamus. In loco, quem, ideſt fontem, poſuit, uel quem poſuit, nempe, quem ſuæ ſalutis uindicem fore ſperauit, is præſentia ſua ærumnis leuamentum afferet, triſtitiæ ſolatium, & incredibili uoluptate animum perfundet.

Quia miſericordiam, & ueritatem diligit Deus.) Sanctis prudenter interpretes, in huius uerſiculi interpretatione ſe geſſerunt. Cum enim Græci homines Diuinum numen ſideribus ineſſe arbitrarentur, ne illorum errori, & impietati, ipſi quoque affines eſſe uiderentur, hunc uerſum

Universidad de Deusto
Biblioteca

potius explanarunt, quam ex Hebræo Græce uerterunt. Sic enim apud Hebræum legimus: Quia Sol,& clypeus noſter Dominus Deus. Sol autem,cũ in omnes lucis ſuæ ſplendorem diffundat, ſummæ benignitatis Diuinæ eſt argumentum. Quare Chriſtus, cum ſuos ad Diuini Patris benignitatem imitandam hortaretur, inquit, Qui ſolem ſuũ oriri facit ſuper iuſtos,& iniuſtos. Clypeus uero, militem ab hoſtium iaculis tegit,& ictus repellit. Diuina autem fides, & ueritas, in eo uehementer elucet, cum eos, quos ſecum fœdere deuincit, tuetur, & protegit. Sapienter igitur interpretes Solis nomen Deo non affinxerunt, uerſus tamen ſententiam dilucide explicarunt; nunc tamen, Chriſtianæ religionis doctrina ſtabiliti, omni ſuperſtitione de medio ſublata, Chriſtum Deum Optimum & Maximum pleno ore prędicamus, ueræ iuſtitiæ eſſe Solem, atque lucem, quæ illuminat, ut inquit Ioannes, omnem hominem uenientem in hunc mundum.

Pſalmus 86.

ET populus Aethiopum bi fuerunt illic.) Non erit alienum, ea, quæ in hoc uerſu, & in ſequentibus, ſunt obſcuriora, breuiter perſtringere. Diuus Hieronymus interpretes Græce uertiſſe *μήτηρ Σιών* affirmat, etſi in libris Græcis Mater Sion legamus. Hebræus ſic uerſum explicat: Tyrus, & Aethiopia iſte natus eſt ibi, & ipſi Sion dicetur, uir & uir natus in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. Primum admirabilem gentium omnium ad Religionem Chriſtianam conuerſionem Dauid eleganter explicat, cum inquit, Tyrus,& populus Aethiopum hi fuerunt illic,ſiue, iſte natus eſt ibi. eo enim ſtudio gentes ad Sionem, ideſt ad Eccleſiam Chriſti, ſe adiunxerunt, & illius ciuitatis iuris compotes effectæ ſunt,ac ſi in Sione natæ,& enutritæ fuiſſent. Accedit etiam,quia gentes, Chriſtiana doctrina imbutæ,ſacro lauacro a ſordibus, in quibus iacebant,ablutæ,renaſcuntur,ut Diuini ſplendoris luce fruantur. Deinde tantæ rei auctorem demonſtrat, cum inquit, Numquid Sion dicet,hoc eſt, tanti facinoris laudem non ſibi impie, & impudenter,tribuet,ſed ad illũ cum ſingulari gratiarũ actione, referet, qui in ea, humana forma indutus, naſci uoluit, qui eam primus condidit, & tantis opibus auxit, hoc ipſa Sion totis uiribus prædicabit, uel, ut Hebræus explicat, hoc in Sione,in Eccleſia Chriſti,erit omniũ ſermone peruulgatum,omnes hoc officij munus ſingulari cum diligẽtia perſoluent. ſummis enim uocibus conditoris ſui benignitatem prædicabunt, unde omnia bona, quibus illa affluit, proficiſci affirmabunt; idemque grata prædicatione ſæpius iterabunt. dicetur enim homo, & homo natus ea in eſt. Adiungit præterea uates Diuinus, Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum eorum, qui fuerunt in ea. Hebræus horum uerborum ſententiam hac oratione exponit, ut uertit Diuus Hieronymus, Dominus narrabit, ſcribens populos, iſte natus eſt in ea; uerbum enim Hebræum ספר Saphar,Numerare, Narrare, & Scribere, ſignificat. quid uero Dominus narrabit, quid perpetuis monumentis conſignabit, in ſcriptura populorum, & principum, qui fuerunt in ea, nempe, cum illi Chriſtianæ militiæ ſacramento ſeſe obligauerint, & eos ipſe Dominus in ſuorum numerũ adſcripſerit? Illud profecto memoriæ ſempiternæ conſecrabit, quod diu noctuq. in ore omniũ uerſari debet, quod ſcilicet iſte natus eſt in ea, quod rerum omnium princeps, ab omni licet minima concretione liber, humanam in ea formam induerit, atque, ut ceteri homines, mortis telis obnoxius, fuerit in lucem editus,nutritus,& educatus, huius tanti beneficij fama in omnes gentes peruadet. Poſtremo, carmen eleganter concludit, Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te. Omnes ad laudes Diuinas celebrandas Dauid,uel, ut alij putant, ipſe Chriſtus Optimus & Maximus hortatur, atque in Sione omnium animos hoc ſtudio flagrare affirmat, nec non rerum omnium affluentiam in ea mirifice redundare. lætantium enim omnium habitatio eſt in ea. lætantur, & qui carmina modulantur, accepta beneficia in memoriam reuocantes; & qui Diuini, & ſempiterni, boni, quod ardenter appetunt, conſequendi, ſpe firmiſſima eriguntur; & qui illius fructus, ut in hac uita licet, potiuntur. quare Hebræus eleganter profecto hoc in loco ait, Cantores ſicut tibicines, ideſt iucundiſsime uoces modulamini, inſtrumenta muſica ſummo cum artificio pulſate. omnes riui mei in te. Si orationem ad Dauidem referas,hic erit ſenſus, Omnes riui mei in te, omne ſtudium, uires, & ingenium, ad laudes tuas prædicandas conferam. Si uero orationem Chriſto Domino tribuas, multo quidem erit illuſtrior ſententia, & perelegans perſonæ mutatio. Quaſidiceret, Cantores, & tibicines, uos ad iucundiſsimum concentum hortor, quia omnes riui mei in te. cum enim rerum omuium naturæ,ea bona, quibus affluunt, ex mea benignitate delibata habeant, in te Sion omnium uerorum bonorum riuos, & flumina deriuo.

Pſalmus 87.

EXaltatus autem humiliatus ſum, & conturbatus.) Pluribus Septuaginta interpretes ſententiam explicant. Eſt apud Hebræos, Pun, dubitandi uox, ut apud Latinos eſt, Num: unde uerbum אפוכה Apunah, quo Dauid utitur, Animi pendere ſignificat,ita, ut in uarias cogitationes animus diſtrahatur: quemadmodum illis contingit, qui in maximis laboribus uerſantur. ſæpe enim ſpe melioris condicionis efferuntur, deinde, animo perculſi, miſere iacent: numquam enim animus, malis uexatus,requietis compos efficitur, ſed in uarias, multiplices ſgrationes ſeipſum uerſat, quas animi humani, in laboribus conſtituti, affectiones, & ægritudines, Hebræus

Hebræus uno uerbo. Septuaginta uero interpretes multis explicauerunt, cum inquiunt, Exaltatus autem humiliatus ſum, & conturbatus. Senſus igitur huius uerſus hic erit: Ego ab adoleſcentia mea grauiſsimas ærumnas ſuſtinui: num ſemper animi pendebo? num, dum in uita fuero,me acerbæ cogitationes exagitabunt? quibus aliquando exaltatus ſum,ut noſter Latinus inquit: boni enim exſpectatione nunc animus meus erigitur, ſed ſtatim malorum oneri ſuccumbit;& ideo ſemper pendet: Humiliatus ſum, & conturbatus ab ſpe illa, quæ animum meum ſubleuabat, ærumnis oppreſſus, quodam modo ob imbecillitatem humanam concido, & in ſumma perturbatione uerſor: hic eſt animi mei ſtatus, hæc acerba uitæ meæ condicio.

Pſalmus 88.

THabor,& Hermon.) Montes ſunt Palæſtinæ, quorum Hermon Solis ortum, Thabor autem occaſum reſpicit. quare eorũ nomine Orientis, & Occidentis Solis regiones indicauit.

Minoraſti dies temporis eius.) In ſacris Litteris ſe licem,uel miſeram,rerum condicionem, Temporis uocabulo ſignificari, manifeſtum debet eſſe iis,qui fuerint in illis mediocriter exercitati. Cũ igitur Dauid hoc in uerſu, ſingulari cum querimonia, lamentetur, non profecto tempus illud commemorat, quo Iudæi malis omnibus uexabantur.in maximi enim beneficij loco ponẽdum erat, tempus illud breui ſpatio fuiſſe definitum; ſed Temporis illius mentionem facit, in quo gens illa,rebus præclare geſtis, floruit: quod quidem breui euanuit. In aliquibus libris Græcis non legimus, Minoraſti dies *τῶν χρόνων αὐτοῦ*, ut noſter Latin⁹ legiſſe uidetur, ſed *τοῦ θρόνου αὐτοῦ*, ideſt, Throni ipſius, quemadmodum Diuus Auguſtinus legit, & explicat: quod cum Hebræo ualde congruit. nam ſic ille inquit: Minuiſti dies adoleſcentiæ eius. Iudæorum enim Regni florens illa ætas, atque iuuentus, breui conſumpta fuit. in primo namque ætatis flore poſt Salomonem fuit Regnum illud in duas partes diuiſum, ab Aegyptiis, & Aſſyriis, ſæpius uexatum, labefactatum, & tandem ad nihilum redactum.

Memorare,quæ mea ſubſtantia, numquid uane conſtituiſti filios hominum.) Non mediocris doloris ſenſu,ex futura gentis ſuæ clade, Dauidem fuiſſe affectum,hæc oratio ſignificat. non ſolum enim humanæ naturæ condicionem Deo in memoriam reuocat, ſed, ſingulari cum querimonia, obiicit,hominem ab eo non fruſtra fuiſſe conditum. Cum igitur homo ad uitam beatam ſit natus, & illius uita ſit breuiſsimo temporis ſpatio definita, quid poterat eſſe in cauſſa, ut Deus Iudæorum gentem tantopere malis omnibus exagitaret, & in eam benigne minime reſpiceret? Si enim homines ideo condidiſſet, ut eos mors abſumeret, moleſtiæ conficerent, & infera regio deuoraret, minime dolendum eſſet, Iudæos, ærumnis oppreſſos, tam diu in deteſtandæ perfidiæ tenebris iacere: uerum, cum eos ad ſempiternæ, & ſolidæ, felicitatis ſpem excitauerit,& maximis muneribus ornauerit,eorum caſum quis flebilibus modis non lamentetur? Memorare ergo, quæ mea ſubſtantia, dum tam uehementer in hanc gentem animaduertis: cogita, quæſo, quid ſim, imbecillus homo e puluere effictus, & breuiſsimo uitæ curſu in puluerem redigendus. quid ego, inquit Hebræus, quod tempus,uel,ut alij uertunt,quanti ego temporis: abiecta eſt enim,& humilis,naturæ humanæ condicio, ſi illi benigne non conſulas. numquid igitur uane conſtituiſti, ut Latinus interpres inquit, filios hominum? nempe, ut quotidiano naturæ fluxu laberetur, hoiem condidiſti, aut,ut mors in omnes hoſes ſæuiret? Non, opinor. nam ad honeſtatem, ad imperium, & ad dignitatem nullis ſæculis interituram, hominem formaſti. ne igitur hanc tibi gentem cariſsimam,tam diu ope, qua illam tuebare,deſtituas: ne perfidiæ ſcelere illam confici patiaris. Hæc, ni fallor,eſt Dauidis mens: & hæc explicandi ratio, antecedentia cum conſequentibus non inepte coniungit.

Exprobrauerunt commutationem Chriſti tui.) Hebræi, in ærumnis, in quibus erant conſtituti, in rerum ſuarum uaſtitate,in Hieroſolymæ excidio, in Regni denique miſerabili interitu, illa fide animos erigebant, qua fore ſperabant, ut res ſuæ, Meſsiæ, quem Chriſtum Græco nomine appellamus, opera, in melius commutarentur: nec illos opinio fallebat, niſi ambitio, & auaritia, eos ad obſtinatæ perfidiæ ſcelus impuliſſet. Diuinum enim de Meſsia erat oraculum, de illius imperio ſempiterno, de opibus Diuinis, de generis humani libertate: quæ omnia impij Iudæi,& abiecti, ad opes caducas, ad libertatem breui tempore circumſcriptam, referebant. pij autem, in Meſsia, nihil abiectum, nihil humile, nihil terrenæ concretionis contagione caducum, ſed excellens Diuini ſplendoris decus, ſummam ſempiterni honoris dignitatem, uitam denique omnibus bonis affluentem, & in omni æternitate duraturam, mente perſpiciebãt. impij igitur, dum inani illa ſpe ſe ipſos deludunt,in cauſſa ſunt, ut gentes effatum Diuinum irrideant, oracula deſpiciant, & in Meſsiam contumelias iaciant, quia Iudæos illa ſpe confirmatos in libertatem non uindicet. Exprobrauerunt, inquit, commutationem Chriſti. *Ἀντιμετάλλαγμα* quo nomine interpretes utuntur, a Græcis uſurpari ſolet, cum id ſignificare uolunt, quo præſtito, aliquid aliud accipiunt, ut priſcis temporibus fiebat, cum adhuc nummorum nullus eſſet uſus; uel quo aliquid redimitur: quod noſter Latinus eleganter Commutationem, uertit. Dum ergo Iudæi, perfidiæ tenebris offuſi, miſerrima ſeruitute opprimuntur, Chriſti nomen maledictis infigitur: fidem enim illam, oraculis Diuinis excitatã, inanem fuiſſe, barbaræ nationes iudicant, qua Iudæi, Meſsiæ aduentu, ſe e ſeruitute redimendos, & rerum ſuarum in florentem ſtatum

Universidad de Deusto
Biblioteca

commutationem fore sperabant. Hoc tantum beneficium a uiris sanctis tot ante sæcula prædictum, quamuis a Christo Optimo & Maximo fuerit in omne genus humanum collocatum; illud tamen quia Iudæi respuunt, eis fidem datam, uel minime a Christo fuisse seruatam gentes existimãt, uel oraculum Diuinum inane, & uanum, fuisse arbitrantur: quare sanctissimum Messię nomen apud illas ludibrij loco habetur. Hebræus hanc sententiam his uerbis explicat, Et exprobrauerunt uestigia Christi tui, ideſt, Messiæ tarditatem in opere perficiendo, quod pollicitus fuerat, contumelijs afficiunt. in eadem enim seruitute, in ijsdem tenebris, uersantur, cum interim plurimæ hominum nationes Diuina luce, & libertate, fruantur. Qua oratione Dauid, & suum erga Christi nomen ardens studium demõstrat, & uehementi ratione pugnat, ut Deum moueat, ut iam tandem a Iudæorum oculis perfidiæ tenebras dispellat: quia hac una in re non solum de Iudæorum gentis salute agatur, sed quia multum de illius nominis gloria detractum esse uideatur.

Psalmus 89.

NE auertas hominem in humilitatem.) Homo, in abiectionem, & singularem quandam humilitatem, a Deo pelli dicitur, cum morborum ui iactatur, & senio omnino conficitur, ut tandem morti debitum soluat. nam homo totius ægritudinis expers a Deo fuit conditus, & informatus. non enim, ut refert Salomon, Deus Optimus & Maximus mortem hominibus comparauit; sed ipsi sibi eam, scelere suo, attulerunt. cuius sceleris pœnam sanctissimo iudice exigente, homo in direptionem morti traditur, & illius uita est mors quædam censenda. quotidie enim homo, ipsius caloris salutaris ui, labitur, atque fluit: hunc naturæ fluxum, & lapsum, hanc ægritudinum, & impendentis mortis, uim, Septuaginta interpretes Humilitatem iure optimo appellarunt. nihil enim homine fragilius, nihil magis abiectum, & humile, reperiri poterit. oratio autem, quamuis deprecantis esse uideatur, illam Hebræus sic explanat, Deducis hominem in abiectionem. ut conteratur. Quæ quidem expositio cum sequenti oratione ualde conuenit, Et dixisti, Conuertimini filij hominum. hanc enim in nos sententiam protulisti, ut in puluerem redigeremur, ex quo primum fueramus efficti.

Sęculum nostrum in illuminatione uultus tui.) Peccatum uitæ breuitatem inuexit, ut in hoc carmine Dauid luculenter asserit. homines uero quędam in tenebris scelera committunt, quædam non dubitant in omnium conspectu admittere. Hæc Dauid commemorat, cum inquit, Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: illorum autem mentionem facit, cum ait, Sæculum nostrum in illuminatione uultus tui. nam ea, quæ sunt tenebriso culta, & in intimis animi nostri ecessibus cogitamus, Deo sunt manifesta. nihil enim illũ, ut sacra Scriptura testatur, latere potest. Sæculi autem nomine illa non inepte significantur, quia ea, quæ acta multis ante sæculis fuerunt, ipsa temporis condicione euanescunt, & ad nostram notitiam minime perueniunt. Accedit præterea uocabuli Hebræi ratio, & uis, quo Sæculum significatur, nempe עלם Holam: est enim quasi absconditum, ignotum, & tenebris offusum: apud Hebręum עלומים Halumim legimus, quod Hebræi usurpant, cum aliquid occultum esse indicant. Septuaginta igitur interpretes, suæ gentis more, sæculum ab occulti notione minime distinxerunt; nisi potius tibi uisum fuerit, uitæ humanæ cursum eo significari.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur.) Araneolæ, singulari sollicitudine, quasi rete texunt, intra quod uitam degunt, captisq. bestiolis eam sustentant: illud tamen quicumque tenuissimus aeris flatus rumpit: cui hominis uitam Septuaginta interpretes similem esse asserunt. nam homo, si ope Diuina a corporis consuetudine non auocetur, omnem uitam in rerum caducarum, & inanium, studio conterit, & ea sibi uitæ præsidia parat, quæ minimo etiam incitata impulsu labuntur. Hebræus autem hanc humanæ naturæ fragilitatem, instar motus in animo excitati, esse affirmat; qui nos ita ad loquendum impellit, ut intra labia uerba omnino pereant: inanis autem est hic animi motus, breuiq. euanescit, quemadmodum anni nostri, antequam id, quod cupimus, perficere possimus, acerbissimo cum doloris sensu deficiunt. Totum uero hunc uersum ex Hebræo sic uertere possemus: Dies nostri deficiunt in ira tua, consumimus annos nostros instar חגה Hegeh. Est autem, Hegeh, ille animi motus, quem diximus, labiorum cuiusdam commotionis effectrix, unde nulla perfecta oratio prodit. Hanc similitudinem Septuaginta fortasse omittendam sibi esse duxerunt, quia erat Græcis hominibus obscurior futura, & ipsis nimis erat difficile eam Græce explicare.

Superuenit mansuetudo, & corripiemur.) Mansuetudinem hoc in loco non illam animi moderationem Septuaginta intelligunt, qua iram intra rationis terminos compressam continemus; sed illum uirium defectum significant, qui humana corpora post iuuentutem consequitur. in iuuentute enim, humana corpora uigent; adueniente autem senectute, uel aliquo morbo, uis illa minuitur, & languescit, &, ut noster Latinus inquit, uenit mansuetudo; quia, dum uiribus pollemus, ardua quæque aggredimur; in senectute autẽ, & afflicta ualetudine, ab illis studiis quiescimus, quibus antea delectabamur. Et corripiemur, inquit ille, quia uiribus destituti desuimus, & tandem animam efflamus. quod eleganter Hebræus explanat: Cito, ait, excidimur, auolamus.

Dexteram tuam sic notam fac.) Quæ mente perficienda designamus, Dextra iudicamus, & Dextra agimus. Dextera quoque utimur, cum plagas imponimus. quare Diuinæ prouidentiæ uim, ut iam diximus, & in sceleratos animaduersionem,

sionem, Dextera Dei in sacris Litteris significat. homines autem quia peccata peccatis cumulãt, sanctissimo Dei iudicio fit, ut illorum uita sit breuior, quam esse debuisset, si pietatem colerent. hanc a sanctissimo iudice in scelus pœnam irrogatam, Dexteram Dei interpretes appellarunt: in cuius cognitione maximum ad uitam beatam consequendam pondus exsistit. imminentis enim mortis cogitatio, mentem a libidine teuocat, & ad peccatum omni studio fugiendum excitat; quia mortem hominum generi attulit, & Dei iram excitauit. Hanc igitur mentem ut hominibus tribuat, Deum Optimum & Maximum Dauid summisse precatur: Dexteram, inquit, tuã sic notam fac, & eruditos corde in sapientia. Si enim homines, humanæ uitæ, quam Diuini iudicij uis, & dextera, nimis in arctum deduxit, breuitatem secum animo cogitent, non mediocres sapientiæ fructus consequentur. Quam sententiam Hebræus sic explanat: Ad enumerandum dies nostros sic scire fac, & adducemus cor in sapientiam.

Psalmus 91.

ET senectus mea in misericordia uberi.) Libri Græci hoc in loco inter se dissident. plerique enim habent, Et senectus mea εν ἐλαίῳ πίονι, in oleo pingui; alij uero, ut noster Latinus, In misericordia uberi; Ex sacra historia percipimus, fuisse a Deo lege sancitum, ut Sacerdos, & Rex, unguento liniretur, cum primum Sacerdotij, uel Regni dignitatem obtineret. quod quidem certo cærimoniarũ ritu conficiebatur, ut eorum animos, qui in eo sunt dignitatis gradu locati, si officio suo fungantur, Diuini spiritus muneribus esse delibutos significaret. hoc autem animorum unguentum, a benignitate Diuina, perenni omnium bonorum fonte, in omnes emanat, qui Christi nomen uigenti fide uenerantur. Vnguento igitur uiridi, ut Hebræus inquit, Dauid senectutem suam fuisse perfusam, uel misericordia uberi fuisse confirmatam, refert, quia Diuino munere effectum fuerat, ut impiorum res, quasi herbæ Solis ardoribus exustæ, periissent; Regnum uero suũ, opibus floreret, & Christi Optimi & Maximi uirtute stabilitum, in omnium sæculorum æternitate esset duraturum.

Et bene patientes erunt, ut annuntient.) Sanctorum uita Diuinæ legis norma conformatur, & ab ea numquã discedit: lex autem Diuina, quid honestum sit, & decorum, ostendit: in officiis uero decorum non potest a iustitia secerni. est autem iustitiæ parens præpotens rerum omnium princeps ille Deus, a quo iustitiæ decus hominum mentes accipiunt. quamobrem minime mirandum erit, si sancti homines in omnium rerum statu bonis Diuinis affluant. nihil enim a Deo seiunctum habent. in senectute igitur eos beatæ uitæ propediem consequendę spes erigit; qua confirmati, efflorescunt, & ubertimos sapientiæ fructus efferunt. Pingues, inquit Hebræus, & uirentes, erunt, ut annuntient. reliquos enim homines ad uirtutis studium doctrina erudiunt, exemplo excitant, oratione persuadent. patiuntur illi quidem, ut interpretes uerterunt, dum grumnis afflictantur, quæ naturæ humanæ imbecillitatem consequuntur: uerumtamen bene patientes erunt: hæc enim mala spiritus Christi lætitia incredibili compensat.

Psalmus 93.

DEus ultionum libere egit.) In Deuteronomij libro Deus Optimus & Maximus se in iuriarum uindicem esse profitetur. Cum igitur Dauid grauissimam de improborum hominum scelere querimoniam deferret, ut Deum officij sui admoneat, eum ultionum Deum appellare non dubitat. est enim hoc proprium huius uniuersitatis moderatoris officium, ut iniuriam coerceat, iustitiam foueat, nocentes puniat, innocentes subleuet, & uirtutem maximis beneficiis muneret. Sic enim hominibus Diuinitatis suæ uim manifestam reddit: hanc autem notitiam cultus ille sequitur, quem pij homines ei, debito cęrimoniarum ritu, & religione, tribuunt. quamobrem Hebræus uidetur hunc uersum eleganter explicasse. Sic enim inquit: Deus ultionum illustrare: quasi diceret, O Domine, dum sceleratos homines uideo impune uolitare, non tantam mihi res meæ sollicitudinem afferunt, quam ipsa nominis tui caussa solicitat. non mediocriter enim apud homines gloriæ tuæ splendor obscuratur. Cum ergo sis Deus ultionum, officio tuo fungere, impios prosterne, ut apud omnes hominum nationes nomen tuum laudibus efferatur. Vetum interpretes, Deus ultionũ, inquiunt, ἐκπρεπῶς ἐποίησε σωτὴρ, ideſt, ut noster Latinus uertit, libere egit, uel summa cum libertate dixit. quo in loco est animaduertendum, Deum a seipso numquam deseri. unus enim, & idem, in omnium sęculorum æternitate sibi constat. quare officium suum numquam uiolat, & fidem minime frangit. Deus igitur ultionum cum sit, libere egit, semper, cum opportunum fuit, de sceleratis supplicium sumpsit; in eos sempiternæ mortis sententiam protulit. hoc igitur posito, quæstio illa Dauidis animum angebat, quare Deus ea ætate, cum impios diu sustineret, nomen suum maledictis configi pateretur. Vt autem hoc tantum malum auerteret, has preces adhibuit, Exaltare qui iudicas terram, & quæ deinde oratione prosequitur.

Qui fingis laborem in præcepto.) Tyranni est munus, & officium, quem iniquitatis sedem appellauit. illius enim dominatus, non iure, sed iniuria, nititur; non reip. florentem statum constituit, sed ærumnis plenum, laboribus afflictum, cæde, & insidiis, inquinatum. Apud Hebræum, hunc uersum ita legimus: Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis? qui fingit laborem in præcepto. quemadmodum sancti Patres aliqui sunt interpretati.

Psalmus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psalmus 95.

Sanctimonia, & magnificentia, in sanctificatione eius.) Omnis sanctitas, omnis religionis cultus, in tabernaculo illo a Mose constituto, & postea in templo Hierosolymitano, uiguit. Cum enim impietatis caligo Dei notitiam hominibus eripuisset, ille sibi tabernaculum illud, & templum, domicilium parauit, in quo Hebræi Diuinam lucem respiciebant, præceptis sanctimoniæ plenissimis instituebantur, & peccatorum piacula fiebant. uirtus igitur Diuina, & gloria, in eo maxime eniteba, & iure optimo Christi Optimi & Maximi imaginem gessit, & Sanctificationis nomine hoc in uersu significatur: quemadmodum Hebræi omnes, & Theodoretus, & D. Hieronymus interpretantur.

Psalmus 98.

Iræscantur populi.) Hebræorum gens in libertatem uindicata, & reliquarum gentium insidijs oppugnata, & armis obsessa, Christi Ecclesiam exprimebat. illa enim cum primum ex Aegypto in Palæstinam proficisceretur, Moabitę, & Idumęi, ei obuiam facti, armis uiam in Palæstinam intercludere conabantur. hostibus autem propedeletis, cum regionem illam sub suam ditionem teneret, uicinæ gentes singulari illius odio flagrabant, inuidia lacerabantur, & iracundia ardebant. Dominus igitur, inquit Dauid, sub suum imperium plurimas hominum nationes adduxit, religionem Christianam longe lateq. propagauit, gentes ergo, superstitionis studio ductæ, irascantur, inuidia contabescant, & illarum furorem imitentur, quæ priscis temporibus Hebræos totis uiribus oppugnabant. Hic enim illorum furor non piis hominibus, sed sibi ipsis, perniciem comparabit. Non ad iram uir sanctus gentes excitat: quemadmodum, nec Ioannes ad peccatum hortatur, cum ait, Qui peccat, peccet adhuc; sed Christi Regnum sempiternis opibus florentissimum celebrat, & gentium furorem prædicit, quo ita insaniunt, ut superstitionem fuisse deletam maxime doleant. Verbum Hebræum רגז Ragaz, quo Dauid hoc in loco utitur, Contremiscere, Pauere, & Irasci, significat. Quare hunc uersum uiri docti ita explicandum esse sentiunt, ut Dauid gentes hortetur ad Christi cultum, & uenerationem: Dominus, inquit, regnauit, uos igitur, gentes, ne illius Regnum uestris armis deleri posse existimetis, sed illius infinitam uirtutem perhorrescite.

Psalmus 101.

Et, qui laudabant me, aduersum me iurabant.) Non est uera laudatio, quæ perniciem ei machinatur, cui illa defertur, sed potius est simulatio exsecranda, qua, sub laudatoris nomine, hostis immanissimi feritas latet. Improbi, & scelerati, illi homines, si quando de Dauide sermo erat institutus, eam summis laudibus efferebant: uerum in illius perniciem coniurabant. Quamuis hæc expositio adhiberi possit, Græci tamen multo aliter, & perdocte quidem, explicant. quo in loco illud ex libro Iobi est in mentem reuocandum; nempe, in sacris Litteris Benedicere, pro Maledicere, aliquando usurpari. Ne forte inquit ille, peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic etiam fortasse Dauid ait, Qui laudabant, ideſt, qui me maledictis configebant. Quo ita constituto, Græci hunc uersum his uerbis interpretantur: Hi, qui me afflictant, iusiurandi loco me excipiunt, ideſt, ut Hebræi quoque asserunt, his me malis affecerunt, ut illis hominibus ego in exsecrationis locum subeam. hanc enim iusiurandi formam obseruant: Si uerum non dico, istius miserrimi hominis condicionem ego perferam. Illud autem est animaduertendum, quod uerbum הלל Halal, non solum Laudare, ut interpretes uerterunt, sed in Pohel, ut Hebræi uocant, Insanire potius significat. quare hunc uersum ex Hebræo ita Latine reddere possemus, Insanientes in me per me iurabant.

Psalmus 103.

Extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius.) Nomen Hebræum יהוה Iehihah, quo Dauid utitur, Cortinam significat: ex pluribus autem cortinis, sibi inuicem coniunctis, tabernaculum fiebat: quæ quidem ad Solis ardorem, aquarumque uim propulsandam, e caprarum pellibus parabantur, illæ præcipue, quæ superiorem tabernaculi partem occupabant, ut Moses in Leuitici libro refert. quamobrem, interpretes nomen Hebræum, Græce διφθέραν, ideſt pelliem, interpretantur. Cælum igitur, instar cortinæ, e pellibus sutæ, fuisse a Deo fictum, Dauid commemorat: cuius cõcauum, quibusdam quasi laquearibus, nubibus cõtexit: Qui tegis, inquit, aquis superiora eius. עליות Haliot non solum superiora, ut interpretes uerterũt, sed Cubiculum, & Cellam, significat. nubes autem ita in altum euehuntur, eoque ordine distinguuntur, ut cellę, & cubicula, quædam sub cæli complexu affabre facta esse uideãtur: neque per Superiora eius est aliquid aliud intelligendum, nisi huius, quæ inter cælum, & terram iacet, intercapedinis pars superior, quam nos suspicimus, suaque temperatione, uitalem uim rebus omnibus cõfert: in qua quidem cæli regione nubes, & imbres, coguntur, quas Hebræus eleganter Aquas nominat.

Producens fenum iumentis, & herbam seruituti hominum.) Vox Hebræa עשב Hesęb, qua Dauid utitur, etsi quamcumque herbam significet, hoc tamen in loco illam hoc nomine putamus indicari, qua homines uescuntur, aut illius fructu sustentantur. eam Septuaginta interpretes χόρτον appellarunt. Hoc autem herbarum genus, nullum fere fructũ edere ex se sine cultu hominum, & curatione, potest. quam agricolarum curam, & operam, Hominum seruitutem Dauid appellat. cui illa est proposita merces, ut eis tellus bene culta

culta uictum abunde suppediter. Vocabulum uero עברה Haborat, seruitutem illam significat, non qua serui dicuntur, qui libertate sunt spoliati, sed qua operam, & curationem, alicui rei impendimus. Diuino itaque munere efficitur, ut hominum opera, qua tellus colitur, (est illa quidem seruitus quædam, in quam peccato incidimus) ipsa tellus uaria fructuum genera ad uitam eorum sustentandam producat. Sensus igitur est: Tuo beneficio, o sãctissime Domine, eam tellus fecunditatem est consecuta, ut non solum bestiis uictum præbeat, sed hominibus, quos peccati ab illis nefarie suscepti uis in eam seruitutem adduxit, in qua tellurem, a cæli conspectu longius semoti, summo cum labore colerent, ut ipsa huic illorum operæ, & seruituti, fruges ferat, quibus alantur, & uiuant.

Herodij domus dux est eorum.) Herodium interpretes dixerũt, quam Hebræus חסידה Chesidah, nominat. Ardeolam a Græcis Herodium dici, multi existimant: Chesidah, uero, Miluum, uel Ciconiam, esse, Hebræi fatentur: Paraphrasis auctor illis assentitur, qui Ciconiam esse putant. nam Chesed, apud Hebræos misericordem, & pium, significat. Vnde hoc uolucrum genus Chesidah, ob pietatem, appellatur. eximiam uero ciconiarum erga parentes pietatem Aristoteles refert. parentes enim senectute confectos e nido egredi minime patiuntur, eos mirifice obseruant, & quotidianum eis uictum præbent. Accedit præterea, quod altissimarum cedrorum paullo ante mentio facta fuerit, in quibus ciconia nidum exstruxit, & instar ducis, ceteris auibus, ad nidos conficiendos, uiam ostendit, & eis quoddam quasi signum effert, cum in arborum cacumine nidum sibi comparat. ἡγέομαι autem, quo uerbo interpretes utuntur, itineris ducem se præbere significat, ꝑ quo Latinus reddidit, Dux est. Hebræus autem sic uersum hunc explanat: Ciconia abietes domus eius. Est autẽ Abies, siue ברוש Beros, apud Hebræos, cedri genus, in quibus ciconiæ nidos suos collocant.

Psalmus 105.

Initiati sunt Beel phehor.) In Numerorum libro legimus, Balam Moabitis persuasisse, ut, quãdoquidem armis Hebræorũ gentẽ a suis finibus pellere non potuissent, dolo, & fraude, illis perniciem molirentur. quod autem ille ominatus fuerat, contigit. nam Hebræi, Mohabitarum mulierum, quæ, pacto fœdere, in castra uenerãt, illecebris adducti, impurissimis sacris Beel phehor sunt initiati. Beel autem, simulacrum significat: Phehor uero, proprium alicuius loci nomen esse, uiri docti existimant; in quo Saturnus, aut Belus pater, siue Beel, colebatur. Sed magis uerisimile uideri debet, Phehor illis temporibus fuisse, quem postea Latini Priapum nominarunt. פער Phahar enim apud Hebræos est idem, quod Aperire, & Ore hiare. unde nomen Phehor Nuditatem significat: turpitudinem uero omnem Hebræi Nuditatem dicunt. quare huic Mohabitarum simulacro nomen Phehor iure optimo imposuerunt; cui perditissimæ mulieres sacrificia, omni impuritate plenissima, faciebant. ad cuius cultum Hebræos, libidine obcæcatos, pellexerunt; idque sunt consecutæ, ut Dei Optimi & Maximi (cuius præsentia Hebræi confirmati, Mohabitas uicerant) abscessu, parum abfuerit, quin penitus delerentur.

Vexatus est Moses propter eos, & distinxit in labijs suis.) Ipse Moses in scriptis reliquit, Hebręos, cum per solitudinem iter facerent, ad Cades per uenisse, ibiq. grauissima fuisse, ob aquarum pænuriam, in Mosem, & Aharonem, seditione commotos. cuius sceleris mentionem hoc in loco uir sanctissimus facit. Si quis autem totam hãc rem attentius non consideret, ei fortasse Dauid sacræ historiæ uidebitur repugnare. In Numerorum enim libro, Mosi, & Aharoni, Deus Optimus & Maximus perfidiam obiicit. Quia, inquit, non credidistis mihi. In hoc uero Psalmo Moses peccasse dicitur, quia orationem imprudenter instituit. Quamuis autem uiri docti Mosem dubitasse affirment, ne Deus illi populo, quas sibi fuerat pollicitus, ob ingrati animi offensionem, aquas subtraheret; idque Mosis peccatum fuisse asseuerent: nos tamen Dauidem potius sequendum esse existimamus, qui in orationis imprudentia illud collocat, & distinxit, inquit, in labiis suis. Quam quidem sententiam ex ipsa historia sacra percipimus. nam, orta populi seditione, Moses, & Aharon, in tabernaculum ingressi sunt, &, in terram prostrati, preces ad Deum ardentissimo studio effuderunt: quibus Deus ad misericordiam adductus, Mosem his uerbis alloquitur: Tolle uirgam, & congrega populũ tu, & Aharon, frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Hactenus est Dei oratio, qua sanctissimos uiros confirmauit, &, quid agere deberent, instruxit: quid uero Moses dixerit, & fecerit, uideamus. Sic autem Diuinus Scriptor historiam prosequitur: Tulit igitur Moses uirgam, quę erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram; dixitque eis, Audite, rebelles, & increduli, num de petra hac uobis aquam poterimus elicere? cumque eleuasset Moses manum, percutiens bis uirga silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ. Hæc Mosis ad populum oratio, fit missimam fidem ab eo uerbis Diuinis adhibitam fuisse, testatur: quin & silicem percusit. Quid igitur ei crimini dandum erit? quia, inquiunt Hebræi ad silicem orationem non habuit, cum Dominus illi præcepisset, dicens, Loquimini ad petram. Sit hoc quidem: sed quidã multo grauius illi Deus statim obiicit, quod acerbissima pœna mulctauit. sic enim in historia sacra auctor refert: Dixit Dominus ad Mosem, & Aharon, Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis: Moses uirgam accepit, ea non dubitauit silicem percutere, unde aquæ abunde emanarunt. quare ergo non credidit? quia, dum fidem Diuinis uerbis firmissimam adhibuisset, eam non ad Dei gloriam contulit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

contulit,nempe,ut,eo admirabili facinore, populum illum horraretur, ut omnem salutis spem in Dei benignitate collocaret. propterea inquit Deus,Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me. Sed Moses, ut auctoritatem suam apud homines constitueret, quam tunc temporis imminutam uidebat, imprudenter in illa uerba prorupit, Audite rebelles, & increduli, num de petra hac uobis aquam poterimus eijcere? Hic fuit sanctissimi illius uiri lapsus: hæc imprudens illa oratio,quamDauid hoc in uersu cõmemorat:hoc illud perfidiæ genus, quo in beneficiis Diuinis, quasi illorum simus auctores nomen, & famam, apud homines nobis parare nitimur, cum illa ad Dei gloriam, a quo acceperamus,incenso studio referre debuissemus.

Psalmus 107.

HIc Psalmus ex quinquagesimo sexto,& quinquagesimo nono constat. quare ea, quæ in eo obscuriora uidebuntur, ex illorum Psalmorum explanatione poterunt fieri manifesta.

Psalmus 109.

TEcum principium in die uirtutis tuæ,in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.) In libris Hebræo sermone scriptis, quibus hoc tempore cum pũctis Rabbinorum utimur, hunc uersum in hanc sententiam scriptum reperimus: Populus tuus uoluntarius in die fortitudinis tuæ, in splendoribus sanctitatis, ex utero ab aurora tuæ natiuitatis. Si ex Hebræorum Rabbinis fueris scisciatus, qui fuerit populus ille ad opus excellens tam uehementer excitatus? qui illi tam eximiæ sanctitatis splendores? Dauidis Regis sanctissimi laudes, & erga eum populi studia commemorant, præcipue uero Abrahami insignem pietatem,& illius fortitudinem,qua quinque reges superauit,in memoriam reuocant. Maxima, inquit, hominum multitudo, instar roris, qui ante auroram in tellurem cadit,ad Abrahamum illa die conuenit,qua Reges illos, qui Loth captiuum ducebant, insigni animi uirtute est prosecutus, &, inito cum eis prælio,gloriosam uictoriam reportauit. In splendoribus autem sanctitatis ex utero, quia, cum infans trium esset annorum, Deum omnium rerum esse conditorem,optime nouit. Illa uero uerba, Ab aurora ros natiuitatis tuæ,quidam ad excellens uirtutis decus, quod in Abrahamo iam ab infantia uehementer enituit, quidam uero ad hominum multitudinem, referunt,quæ ad eum confluxit. Rorem autem natiuitatis dici, quia, dum ille infans oues pasceret,sæpe roris copiam in agro sensu perceperat. Hęc Iudęos minime pudet effutire, & Dauidis mentem totis uiribus oppugnare. Ex utero, inquit ille, impij uero homines, postquam, inquiunt, fuit in lucem editus,& tertium ætatis annum ageret,ueri Dei notitiam est consecutus. O miseram mentis tarditatem: dum Dauidis sensum reijciunt, id, quod alij multo tempore, & singulari studio, consequi non potuerunt, infantulo tribuunt, nullumque Scripturæ sacræ testimonium afferunt, quo sententiam suam confirment; iam uero illam militum manum, quã Abrahamus breuissimo tempore confecit, cum roris copia quam imprudenter conferunt? Ex suis enim Abrahamus tercentis decem & octo nõ amplius collegit, cum quo Aner, Escol, & Mambre, se coniunxerunt. Multo quidem sapientius Septuaginta interpretes Dauidis mentem explicarunt. Cum enim præpotens ille rerum omnium princeps, qui humanam formam induit, uirtutis suæ infinitæ uim in hostis immanissimi tyrannide labefactanda declarauit, omnium hominum nationes ad illius imperium summa uolũtate, inflammato studio, sese applicarunt. Hunc autem gentium omnium in religione Christiana consensum, interpretes Principatum appellarunt. Sic enim illi Hebręum Græce uerterunt. Μετ' σῦ ἡ ἀρχὴ ἐν ἡμέρᾳ τῆς δυνάμεώς σου. ideſt: Tecum Principiũ,hoc est principatus in die uirtutis tuæ. Archi enim apud Græcos, non solum Principium, sed Principatum, & insignem inter alios præstantiam, significat: quemadmodum & Principij nomen a Latinis scriptoribus usurpatur: Dynamis autem, non ad mores, sed ad id uirtutis genus pertinet,quod in præclaris facinoribus gerendis perspicitur, & in rebus arduis maxime uersatur. Hic autem principatus, hoc fidelium regnum, quod sanguine suo Christus Optimus & Maximus constituit, & stabiliuit non est sordibus coinquinatum, nec sceleribus contaminatum, sed in splendoribus sanctorum. Quamuis enim multi, qui in eo censentur, flagitijs sint affines,sanctimoniæ tamen splendor in eo mirabiliter elucet, & omnium uirtutum incredibilis quædam concinnitas illud exornat, ut omnes, qui sanæ mentis sunt compotes,ad se uehementer alliciat. Sunt enim in eo diuersi, quos Paulus commemorat, hominum ordines, officiorum discrimina, dignitatis gradus, sacri, profanique distinctio, pacis studium, mutua caritas, uirtutis laus, legis obseruatio, Diuinæ monarchiæ similitudo, quam Diuinus spiritus in hoc Regno instituit, retinendam docuit, &, quamdiu res humanæ incolumes fuerint, duraturam promisit. Hic autem Diuinæ lucis splendor, multo ante, quam ille formam humanam sumeret, priscorum hominum mentes illustrauit. Ex utero igitur,antequam sciret, ut infantes faciunt, patrem, aut matrem nuncupare, ut inquit Isaias, Damasci uires, illius uirtute excisæ,ad nihilũ sunt redactæ, & Samariæ opes sub Assyriorum regis ditionem uenerunt: Diuina enim illius uis, antequam in lucem editus fuisset,de impiis supplicium sumebat, pios uero singulari animi uoluptate perfundebant. nam, quemadmodum ros aridam tellurem humore suo ita fouet, ut ipsa ex se herbescentem eliciat uiriditatem, sic illius in tellurem aduentus, a Diuino

Diuino patre,ab omni sæculorum eternitate,prędefinitus,hominum animos Diuinis muneribus cumulabat, eo maxime tempore,quo, in sanctissimæ Virginis utero, humano indutus corpore, latuit. tunc enim Diuinorum hominum affata exitum sunt consecuta,& cælitum mira cum hominibus consuetudo intercessit.Ab aurora igitur natiuitatis tuæ,ut Hebræus ait,&, ut interpretes inquiunt,ante luciferum genui te: hoc est, cum adhuc in matris utero esses,ac si iam pro generis humanis salute admiranda facinora edidisses, ego,tuis meritis adductus, in homines ea beneficia contuli,quæ illi minime merebantur. Quo in loco illud ex secundo Psalmo est in memoriam reuocandum,Ego hodie genui te; quod Diuinus Paulus, quemadmodum de Christo ex mortuis suscitato interpretatur, ita etiam hoc in loco Dauid,Christi natalem,a Deo patre, antequam rerum naturas conderet,præcognitum,& prædefinitum,nobis ante oculos ponit:qui quidem iam ab initio rerum hominibus exstitit salutaris, & mentibus illis cælestibus fuit beatæ uitæ, atque dignitatis,effectrix:ut uiri,Diuino spiritu afflati, suis scriptis prodiderunt.

Psalmus 110.

MAgna opera Domini exquisita in omnes uoluntates eius.) Duplex est cælestis iustitiæ fructus: alter,est Diuinæ mentis expressa quædam in animo iusti similitudo, dum se ad Diuini præscripti normam moderatur; alter,ex illo nascitur, Diuina scilicet in eum beneuolentia, & amor:iustos enim ipse iustitię Architectus amat: ille enim,cum opera sua diligat,iustitia uero omnibus illius operibus longe, multumque excellat, iustos quidem singulari, & patria, caritate complectitur: unde illud, Iusti consequuntur,ut omnia ad illorum gloriam a Deo dirigantur.nã, propter electos omnia condita fuisse,Sacra Scriptura refert. quapropter illis benigne semper, in optatis, in precibus, & in uotis, occurrit. ipse enim spiritus, ut inquit Paulus, postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. Gemitus autem spiritus explicari non possunt: quia ea beneficia a Deo consequuntur, quæ nec sensus umquam percepit, nec mens cogitatione complectitur. Hanc iustorum affluentem Diuinis muneribus condicionem Dauid hoc in loco commemorat. Magna,inquit,opera Domini. Si enim naturam uniuersi consideres, nihil pulchrius effingi posse iudicabis: si autem ea, quæ in salute generis humani constituenda perfecit, animo euoluas, merito admirabere. hæc autem omnia,exquisita sunt in omnes uoluntates eius, ideſt ad eorum, qui sunt eius, ut inquit ille, uoluntates. Vt enim iustorum optatis, & precibus, satisfaciat,multa,quæ admirationem mouent, infinita uirtute agit, & omnia in eum finem redigit, usque adeo, ut exspectatio creaturæ, quemadmodum Paulus inquit, reuelationem filiorum Dei exspectet.

Psalmus 111.

IVcundus homo qui miseretur, & commodat,disponit sermones suos in iudicio.) Qui a Septuaginta interpretibus χρηστὸς, ideſt Benignus, & Lenis,dicitur,merito Iucundus appellari potest.nihil enim benignitate iucundius, nihil lenitate suauius, afflictis hominibus uideri debet.Vir autem in ceteros beneuolus, &,ut Hebræus inquit, טוב Tob, hoc est bonus, & suauis, non solum iis, qui ærumnis afflictantur, miserationem tribuit,sed disponit,ut noster Latinus uertit,sermones suos in iudicio. Est autem apud Hebræum, uerbum כל Cul, quod Metiri significat, pro quo interpretes reddiderunt, Disponit. nec imprudenter quidem.res enim cum in finem aliquẽ dirigimus,& in certum ordinem reuocamus, eas rectæ rationis mensura dispensamus,atq. disponimus. דבר Dabar uerò, hoc est uerbum, & sermo,in sacris Litteris,res ipsas sæpenumero indicat: ut in Geneseos libro ipsi interpretes scriptũ reliquerunt: Non est factu Deo difficile' ῥῆμα, ideſt Verbum:cum nellent significare, Etsi naturæ uiribus fieri non posset,ut Sara,senio confecta, prolem gigneret,uirtuti tamen Diuinæ nulla naturæ impedimenta obstare posse,quin promissio Diuina exitum suum consequeretur. Quem locum D. Hieronymus ita uertit: Numquid Deo quidquam est difficile?In Euangelio quoque,eodem sensu, Verbum, usurpari, est manifestum. Sermonis igitur uocabulo,ut Symmachus interpretatur,& Theodoretus explanat,res ipsæ,nempe opes,significãtur,quas uir benignus,momento quodam, & iudicio, disponit, ut omnibus aliquid utilitatis impertiat.

Psalmus 112.

LAudate pueri Dominum.) Nulla ætas, aut condicio,quantumuis sit illa humilis,& abiecta, eo munere uacare debet, quod in laudibus Diuinis celebrandis perspicitur.ab eo enim mentem accepimus, animam hausimus, alimur, & sustentamur.quare, impositũ hoc a natura nobis munus abijcere,est in summo scelere ponẽdum.ueruum,quia iniustitię cum iustitia:& tenebris cum infinitæ lucis splendore,nulla est cõiunctio, consentaneum est,ut iusti,& probi,homines, eo maxime officio fungantur, qui omne studium, & uitam,ad Dei gloriam conferunt, & ideo singulari quadam ratione, Serui Dei nominari possunt. semper enim in Dei uoluntatem intuentur, & ad illius similitudinem se ipsos conformare, inflammato studio, nituntur. Hos Dauid ad id muneris officium præstandum excitat. nam uocabulum Hebræum,quo Dauid utitur,Seruos significat:pro quo interpretes παῖδες reddiderunt. παῖς autem non solum Puer, sed etiam Seruus, & Filius, dicitur. Accedit etiam, quod in sacris Litteris Pueri nomen, in ea significatione sæpenumero usurpatur: ut in Geneſis libro Lot his uerbis Angelos compellat: Obsecro,domini,declinate in domum pueri uestri. Et de Abrahamo

idem

Universidad de Deusto
Biblioteca

idem Diui nus auctor ita refert, Dixitque ad pueros suos, Exspectate hic cum asino: ego autem, & puer, illuc usque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad uos. Et sexcēta alia, quæ prætermittenda esse duximus.

Qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo, & in terra.) Multi, qui magnum in philosophis nomen obtinebant, cum summam Diuinæ mentis dignitatem animo cogitarēt, in eam opinionem lapsi sunt, ut omnem aliarum rerum curam a Deo remouerent: quia ei minime consentaneum esse existimabant, qui natura tantū excelleret, illarū cura distineri. Multo uero sapientius Plato, Deo, totius uniuersitatis curationem tribuit. nā, quia excellens quædam natura sit, & æterna, totius quidem uitij expers erit, atque bonus; & nemo bonus, id, quod molitus est, ope sua destituit; nemo sapiēs opus in certum aliquem finem non dirigit. si autem otium officio præfert, non mediocre in se ipsum flagitium suscipit. otium enim a timiditate, uel ex officij ignoratione, nascitur. aut enim, cum rerum sit omnium princeps, earum moderationem ad se pertinere omnino nesciret; aut, si sciret, timide eam fugeret, ne operæ succumberet, aut certe maleuoleillam negligeret. Eleganter igitur Dauid, & Diuinæ naturæ præstantiam effert, & illius prouidenriam, qua naturas omnes moderatur, hoc uersu celebrat. Quis inquit, sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, uel, ut Hebræus ait, quis sicut Deus noster sese attollens, ut habitet, idest, si Maiestatem admiratione, & hominum laude, dignam esse putas, Deus, quem ardenti studio colimus, in cælorum omnium fastigio domicilium sibi collocauit. quo cum adscendisse uideatur, & ualde longe a rerum naturis discessisse, in eas tamen infinita uirtute commeat. humilia enim respicit in cælo, & in terra, abiicit, inquit Hebræus, se, ut uideat in cælo, & in terra. nam, cum sit bonus, uitam, & salutem, omnibus rebus impertit, & se ipsum quodammodo abiicit, ut naturæ uniuersę benigne consulat. hic enim mundi ornatus, atque ipsi cælites, si cum eo comparentur, abiecti, & humiles, uidebuntur. Summa uero bonitas contineri non potest, quin opes suas effundat, quin omnia, quæ condidit in finem suū redigat, quin moderetur, & consulat. quod in Christi Domini in terras aduentu multo clarius elucet, quā in totius uniuersitatis molitione, conuenientia, & conseruatione naturæ.

Psalmus 114.

Placebo Domino in terra uiuentium.) Studiorum similitudo maximam uim habet ad coniungendas amicitias. Qui autem in terra uiuentiū degunt, sunt ij, qui Christi mortem imitantur, qui libidinem Cruci affixerunt, &, spiritu Christi e mortuis in ueram uitam suscitati, ab omni corporis contagione se se auocant, ut spiritu, seruiāt; & in eis Diuinæ mentis excellens quædam similitudo elucet, ut non ipsi, sed Christus in eis, ut inquit Paulus, uiuere uideatur: unde suauissima quædam inter eos, & Deum, oritur familiaritas, quæ omnium bonorū est effectrix. Quicumque autē in illorū numero cēsetur, Deo placet. Dilectus me⁹ mihi, inquit illa, & ego illi. Quam felicē uitæ condicionem, non otio, non inani confidentia, consequimur, sed præclaris rebus gestis, & actionibus, comparamus. quod Hebræus elegan ter indicat. uerbum enim הלב Halac, pro quo Septuaginta interpretes Placere reddiderunt, Ambulare, & Proficisci, significat; & ad studium significandum transfertur, quo alicui rei operam nauamus, uel quo in alicuius famililiaritate uersamur: ut de Enoch historia sacra, eum cum Deo ambulasse, affirmat, quia pietati ardentissimo studio uacauerit, & cum Deo fuerit arctissimo consuetudinis uinculo coniunctus. Hebræus igitur sic hunc uersum explanat. Ambulabo in conspectu Domini in terris uiuentium. idest, in terra eorum, qui uita fruuntur. non uirtuti otium præfertur, non insolens confidentia omne officij genus respuit, non decoris uim, & dignitatem, labe factat, sed in ea animum meum ad decus, & honestatem, excitabo, uitam ad Diuinæ uoluntatis normam moderabor. in conspectu enim Domini ambulabo, qui uirtutis studium in pijs hominibus Diuinis muneribus auget, & benigne amplectitur.

Psalmus 115.

Ego dixi in excessu meo.) Quid sit iste Excessus, in Psalmo trigesimo explicuimus.

Calicem salutaris accipiam.) Illud est Septuaginta interpretibus ualde familiare, ut pro uoce Hebræa, quę Salutem, & Opem, significat, Græce σωτήριον ubique reddant, quam noster Latinus Salutare uertit. Calicē igitur multiplicis salutis, & opis sibi allatæ, Dauid se libaturum affirmat. Quod autē sit hoc sacrificij genus, non omnino constat. Hebræi doctiores in ea sunt opinione, ut existiment, fuisse in more positum, ut pij homines, ob accepta a Deo beneficia, conuiuia agerent. Quem gratiarum agendarum morem, & institutum, a Dauide hoc in loco commemorari, putant. Hanc illorum opinionem non omnino contemnimus. eam enim uiri docti, & pij, amplectuntur. Nec desunt ex antiquis Patribus, qui putent, Calicis uocabulo Mortem significari. quam quicumque pro religione obire non dubitat, sanctissimum Deo sacrificium offert. Verum multo magis conueniens uideri debet, ut hac oratione uir sanctus illa sacrificia a se facienda fore asserat, quæ in gratiarum actionem lex Diuina instituit. quæ enim uouerat, se in atrio domus Domini soluturum pollicetur. Calicis autem uox multis, atque diuersis, modis in Litteris sacris usurpatur. Calix, inquit, meus inebrians, quam præclarus est: &, Spiritus procellarū pars calicis eorum: &, Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Et alia sexcenta: ex quibus, huius uocis quam pulchræ sint translationes, est ualde perspicuum. Quamobrem merito erit existimandum, Calicem salutis hoc in loco illud sacrificium

crificium appellari lege sanctum, quo gratiæ pro beneficiis acceptis Deo agebantur, & sanctissimum Christi sacrificium, pro generis humani salute oblatum, significabat, cuius repræsentatione Dauid, quem spiritus Christi Diuinis muneribus cumularat, ardenti studio litabat.

Psalmus 117.

De tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus.) Elegāter Hebræus uerbis oppositis utitur. Sic enim inquit, In מצר Hamezar inuocaui Dominum, & in מרחב Merchab exaudiuit me Dominus. Mezar autem, locum angustum significat, qui utrimque ualde sit compressus, & interclusus. Merchab uero, amplā loci latitudinem designat, per quam libere uagari possis. Dauid igitur, Cum in summas, inquit, essem angustias adductus, Dominum inclamaui, qui preces meas benigne audiuit, & me in locum latissimum deduxit, ubi nullæ malorum acerbitates me circumuentum opprimunt, sed suauissima libertate fruor.

O Domine, saluum me fac.) Alicuius librarij imperitia factum fuit, ut hunc uersum apud Latinum aliter, quam in libris Græcis sit scriptus, legamus, & cum Hebræo minime conueniat. librarius enim, ut sensum, quem probauerat, clarius ederet, illud Me addidit, cū apud Hebręum, & Græcum, sic se habeat, Domine, saluum fac, ut illi Regno, cuius laudes Dauid prædicabat, incolumitatem, & sempiternam felicitatem, precetur: etsi Theodoretus, quemadmodum Latinus uertit, legisse uideatur.

Constituite diem sollemnem in condensis usque ad cornu altaris.) Oratio Hebræa uariæ, & multiplicis, est hoc in loco sententiæ. nam uerbum אסר Asar, pro quo interpretes, Constituite, reddiderunt, Ligare significat; & uocabulum חג Chag, pro diei festi celebritate, & agno, in sacris Litteris usurpatur, עבת Habot autem, quod interpretes Condensa uerterunt, funem, siue opus e funibus exstructum, & arboris ramos, naturæ uī, uel hominum industria, inter sese innexos, significat. quamobrem uiri docti, de huius uersus sententia, quid sit iudicandum, diuerse sentiunt. quidam enim existimant, hac oratione homines a Dauide excitari, ut uictimas Deo immolent. sic enim ex Hebræo Latine uertunt, Ligate agnum funibus ad cornu altaris. Alij autem in ea fuerunt opinione, ut existimarent, Dauidem hortari, ut fideles summæ lætitiæ signification darent, & diem festum singulari cum gaudio celebrarent. quemadmodum Septuaginta interpretes arbitrati sunt, qui sic uersum hunc explicant: Constituite diem sollemnem in condensis usque ad cornu altaris. In condensis autem, idest, in maxima hominum frequentia, ut Theodoretus putauit. Sed multo sapientius Diuus Hieronymus, Frequentate, inquit, sollemnitatem in frondosis, usque ad cornu altaris. Vtramque expositionem auctor in Paraphrasi sua amplectitur, quia utraque Hebræo conuenit, & ad diem festum tabernaculorum hæc uerba ita referenda putauit, ut ad ueram animi libertatem Dauid potius respiceret, quam ad illam, in quam gens Hebræorum a Deo ex Aegyptiorum seruitute fuerat uindicata. Hunc autem diem festum Moses in Leuitici libro his uerbis sancit: A quintodecimo die mensis huius septimi erunt feriæ tabernaculorum. Et, paucis interiectis, adiungit, Sumetisque uobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo uestro.

Psalmus 118.

Beati, qui scrutantur testimonia eius.) Verbum בצר, quod interpretes Scrutari, & Exquirere, hoc in Psalmo sunt interpretati, apud Hebræos Custodire, & Obseruare, significat. nec quidem interpretum mens ab Hebræo dissidet, quia principium obtinendæ sapientiæ, ut docet Salomon, in eo studio maxime consistit, quo eam exquirimus, & illam rebus omnibus præferimus. quod si in homine uiget, numquam poterunt ab eo illius monita, & præcepta, contemni. ubi autem sapientia dominatur, & regit, omnia sunt sanctissimo legis uinculo inter se connexa, & deuincta. beata igitur uita, quæ tota ex sapientia pendet, non in præceptoum Diuinorum curiosa inuestigatione, sed in illorum singulari obseruatione, uersatur. non enim ulla ratione alia ueræ sapientiæ laudem comparamus, nisi cum Dei similitudinem, quantum fas est, imitari nitimur, & illius gratiam obtinere omni studio contendimus. nam uirtus, & sapientia, ut ait Plato, Diuino munere a Deo tribuitur, & sapientes sunt Deo similes, a quo singulari amore diliguntur. hoc autem cum Deo amicitiæ fœdus, Christi sanguine sanctum, non mentis acumine, non opibus, sed obœdientia, seruatur. Vos, inquit ille, amici mei eritis, si feceritis, quæ præcipio uobis. Et Ioannes asserit, eum, qui Diuinis iussis non obtemperat, & Deum a se cognosci dicit, mendacij crimine impudenter esse alligatum. Soli ergo beati dicendi sunt illi, qui ad legis Diuinæ normam uitam moderantur. Beati, inquit Hebræus, qui custodiunt testimonia eius, & in toto corde exquirunt eum.

Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici iudicia iustitiæ tuę.) Laudes tuas, inqt Hebræus, prædicabo in ישר לבב Ieser lebab, idest, in rectitudine, probitate, & æquitate cordis. hæc est enim uoci Ieser sententia subiecta, pro qua Septuaginta interpretes Εὐθύτητα reddiderunt, quod cum Hebręo ualde cōueniat. hanc uero sententiā noster Latinus ut explicaret, dixit, In directione cordis. Nemo autē eo animi studio laudes

Universidad de Deusto
Biblioteca

Diuinas effert, quod recta ratio postulat, quod animus rectus, & integer, in rebus Diuinis adhibere debet, quod ipsa æquitas, quæ inter Deum, & hominem, seruari debet, uehementer exigit, nisi prius se a corporis contagione longe seuocet, & Diuinarum rerum amore flagret. quæ quidem mentis affectio, non mediocris est iustitiæ, & rectitudinis, laus. omnis autem iustitiæ splendor a Deo proficiscitur. quamobrem sapienter Dauid, se, ut pium hominem decebat, inflammato studio laudes Diuinas celebraturũ affirmat, quia Diuinorum præceptorum fuerit disciplina instructus. ex ea enim omnis probitas, & æquitas, atque religio, emanat, quæ hominum animos cõfirmat, & stabilit, ut terrena pro nihilo putent, cælestia suspiciant, & in Dei laudibus celebrandis, eo, quo debent, studio uersentur. Confitebor igitur, inquit, tibi, in directione cordis, tibi, nempe, grato animo, pio, atque summisso, gratias agam, in eo, quod didici iudicia iustitiæ tuæ, idest, quia me præceptis tuis instituisti, & iudiciorũ tuorum lumen menti meæ prætulisti.

Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas.) Quia superius dixerat, In toto corde meo exquisiui te, nemini dubium esse poterit, Dauidem hoc in loco minime precari, ut in animo suo iustitiæ Diuinæ desiderium excitetur. Qui enim Deum omni animi studio consectabatur, illius profecto desiderio flagrabat: quin etiam præclara illa actio spiritus Diuini muneribus erat exculta. Sed interpretes obscurius desiderij magnitudinem explicarunt, quo Dauid tenebatur, ut Dei nomẽ apud omnes sempiternis laudibus efferretur. Concupiuit, inquiunt, anima mea desiderare, idest, omne animi mei studium, in tui nominis gloria amplificanda consumitur. nihil animus meus uehementer cupit, nisi desiderare iustificationes, si quando cupiditate conficitur: desiderando quidem quodammodo contabescit, ut iustitiæ tuæ lumen omnibus hominibus eniteat. Quam sententiam eleganter Hebræus his uerbis explanat: Fregit se anima mea; uel, contusa, & comminuta est, desiderio iustificationum tuarum. Qui loquendi modus, etsi apud Græcos, & Latinos, minime probetur, apud Hebræos tamen ualde excellit, &, quam ardẽs fuerit Dauidis studium, quo Dei gloriam ubique illustrari cupiebat, ostendit.

Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo.) Moses, ut ipse in suis scriptis prodidit, grauissima sæpenumero oratione, Hebræis, dum in solitudine uersabantur, persuasit, ut ardenti studio Deum colerent, & illius iram perhorrescerent: hoc enim pio timore humanæ uitæ felicitatem contineri asserebat; &, Dei nomine, iis, qui illius iudicia metuerent, Diuinam in rebus aduersis opem præsto affuturam pollicebatur. quo quidem officij munere, cum sibi mortis obeundæ tempus instaret, est præclare functus. Hac autem Mosis disciplina Dauid ad Dei cultum instructissimus, ut eam sibi opem afferat, Deum precatur, quam illius iudicia metuentibus se allaturum pollicitus fuerat. promissionem uero illam, Eloquium in timore Diuino appellat. Sic autem Hebræus Latine uerti potuisset. Statue seruo tuo eloquium timori tuo, hoc est, promissionis fidem, quam pio timori quodammodo dedisti, fore, ut, qui illo nitam suam moderarẽtur, tui numinis præsentia stabiliti, & Diuinis essent muneribus cumulati, in meis malis serua, atque eã libera. sum enim inter illos censendus, qui iudicia tua metuunt. Hæc expositio cum sequenti oratione ualde congruit. Quam promissionem piis hominibus factam, interpretes, Eloquium in timorem tuum, dixerunt, noster autem Latinus Eloquium in timore tuo appellauit. Quamuis alij aliter explicent.

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.) Quia benigne satis a Deo consultum sibi fuisse dixerat, nunc, ut tantæ benignitatis suauitatem, intelligentia complecti, & sensu possit quodammodo percipere, eam sibi mentem a Deo tribui, enixe postulat, qua illud consequi possit. inde enim hominis cum Deo summa coniunctio, & ueræ sapientiæ laus, proficiscitur. nam, qui benignitatem Diuinam attentius considerat, necesse est, ut illius amore uehementer flagret, &, Diuinæ consuetudinis iucunditate perfusus, quã futiles, & inanes, sint ceteræ uoluptates, manifeste perspiciat, easque pro nihilo ducat, quo in iudicio omnis uera disciplina, atque scientia, ad uitæ moderationem continetur. Bonitatem igitur, inquit Dauid, & disciplinam, & scientiam, doce me. Hebræi aliqui bonum sermonem, & intelligentiam, interpretantur; quidam uero ex nostris hominibus, Disciplinæ uocabulo, Diuinam in nostra scelera animaduersionem significari putant. ex ea enim scientia oritur, cum resipiscimus, &, optimi parentis monitis, ad uirtutis studium ducimur. Verum טעם Taham, pro quo interpretes Disciplinam reddiderunt, apud Hebræos pro Sapore usurpatur. Ciborum autem genera, quia sapore inter inter se differunt, & de illis iudicium facimus, eleganter ad iudicium, & disciplinam, significandã transferuntur. Si ergo sententiam, quæ huic nomini proprie est subiecta, uelimus amplecti, in ea erimus opinione, quæ asserit, Dauidem summis precibus a Deo postulare, primum, ut eius bonitatis immensitatem, ut homini fas est, sibi liceat intueri; deinde, illius suauitatis sensu perfundi, quæ quidẽ animum humanum ad se ita rapit, ut eum a corporis contagione seuocet, in quo maximarum rerum disciplina consistit: primum enim hominem instituit, ut, carnis illecebris spretis, ei mortem asserat, & mortis commentationem, in qua Plato ueræ sapientiæ laudem ponebat, assequatur, &, ut inquit Paulus, spiritu uiuat. ex hac gratiæ Diuinæ iucunditate, quæ optima est animi disciplina, Diuinarum rerum scientiam homo delibatam habet, qua postremum Dauid a Deo instrui obnixe contendit.

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes.) Septuaginta interpretes ex Hebræo Ἀδολεσχία uerterunt, pro quo noster Latinus Fabulationes reddidit. Est autẽ illorũ hęc huius orationis expositio:

Scelerati

Scelerati homines, ut in meam perniciem, nominis mei odium concitarent, summa sunt usi dicendi licentia, & incredibilli loquacitate maledictis me affixerunt. Vox enim Græca Loquacitatem significat. Sic autem hunc uersum illos fuisse interpretatos, uiri docti existimant; quia uox Hebræa, שיחות, qua Dauid hoc in loco utitur, diuersis solet punctis notari. Si autem primæ litteræ dextrum cornu puncto signetur, ut in nostris libris notatum reperimus, & Hebræi omnes hoc in uersu legendum esse asserunt, Foueam significat: quam lectionem uerbum, quod antecedit, ברו Caru, ualde confirmat: ab Hebræis enim pro Fodere usurpatur. ut uersus ita Latine uerti potuisset: Foderunt mihi foueas. Si uero sinistrum litteræ cornu puncto notetur, quemadmodum interpretes legisse uidentur, Sermonem, siue Confabulationes, significat. Est autem alterutra lectio, optima alterius explicatio. Qui enim calumnijs perniciem alteri comparat, qui maledictis illius famam dilacerat, qui in omnes partes linguam uibrat, ut ei uitam eripiat, is profecto foueam exstruit, in quam ille incidat, & obruatur; sed non ut lex tua. hoc autem praui animi studium a lege Diuina plurimum abhorret.

Anima mea in manibus meis semper.) Hic uersus apud Theodoretum ita est scriptus: Anima mea in manibus tuis semper. Latina tamen uulgata lectio, Hebræo est consentanea. Eius autem sententia, ex illa Ieptæ oratione percipi potest, qua ostendit, pro salute patriæ se mortis periculo uitam libenter obtulisse. Vocaui, inquit, uos, ut præberetis mihi auxiliũ, & facere noluistis. quod cernens, posui animam meam in manibus meis. Simili dicendi ratione Dauid, ut significet, se in maximis periculis uersari, dixit, Anima mea in manibus meis. Adiungit uero, Legem tuam dilexi; ut significet, nullum in rebus aduersis præsidium a se comparari, nisi illud, quod in incenso legis Diuinæ studio esset collocatum.

Iniquos odio habui.) Vox Hebræa סעפים Sehaphim, qua Dauid utitur, arboris ramos significat, pro qua interpretes Iniquos reddiderunt. quia uero cogitationes, instar ramorum, a corde, quasi ex stipite, oriuntur, & crescunt, ad illas quoque significandas eleganter transfertur. quare huic orationi diuersæ expositiones adhiberi solent. nemini autem dubium esse debet, a lege Diuina, quam Moses Hebræorum genti promulgauit, multa a Syris & a Græcis hominibus, arrepta fuisse, quæ in monumentis suis scripta reliquerunt. uerum, cum illorum animi terrenis rebus nimis essent addicti, ac sensuum iudicio res omnes metirentur, illa cum innumerabilibus erroribus commiscere non dubitarunt: unde uariæ, ac diuersæ, philosophorum sectę, ac disciplinę profluxerunt, quas hoc in loco a Dauide Ramos appellari, Hebræi asseuerant. &, qa a lege Diuina, sanctissima illarum parente, turpiter degenerarunt, a Dauide illas odio haberi. Alij autem existimant, nõ quoscumque sceleratos homines, odio dignos, a Dauide commemorari, sed eos, qui, animis cogitationibus inflati, fastidio quodã intolerabili, reliquum hominum genus a se reiiciunt, & iniurijs afflictant: uerum, quia inanes hæ, & uanissimę cogitationes sũt in causa, ut homines detestanda in se ipsos flagitia committant, merito quidem uir sanctus illas, ut totius iniquitatis effectrices, omni studio fugiẽdas esse, duxit. Quæ sententia uoci Hebrææ est subiecta; & eam Theodoretus, & Paraphrasis auctor, amplectitur.

Præuaricantes reputaui omnes peccatores terrę.) Auctor ille sacer libri, qui Salomonis sapientia inscribitur, cum illarum gentium, quæ tellurem illam incolebant, quæ postea sub Hebræorum ditionem redacta fuit, impietatem, & scelera, commemorasset, & Dei erga illas benigniratem extulisset, orationem ita instituit: Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem cogitemus iudicantes. dũ enim in illas Deus Optimus & Maximus primũ uespas emisit, quamuis eas uno temporis momento in nihilum redigere potuisset, suos ad benignitatem instituit; postea autem, cum illas omnino deleuit, ad iudicij Diuini metum suos excitauit. Diuina est enim hęc animorum institutio, quam ueræ sapientiæ splendor consequitur. Hac Dauid se fuisse imbutum asserit: Spreuisti, inquit ille, omnes discedentes a iudiciis tuis, quia iniusta cogitatio eorum: præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ, ideo dilexi testimonia tua: confige timore tuo carnes meas. Diuinam in sceleratos animaduersionem primũ commemorat; deinde, si interpretum explanationẽ sequamur, ex illorum infelici exitu in eam se opinionem deuenisse affirmat, ut omnes peccatores dementissimos existimaret. Hebræus tamen eleganter inquit, Spreuisti omnes discedentes a iudicijs tuis, quia iniusta cogitatio eorum, ut scorias cessare feciſti omnes peccatores terrę. Sunt enim flagitiosi homines quædam generis humani scorię, quæ, piis hominibus, quasi auro, permixtæ, cum opportunũ est, iudicio Diuino tolluntur. est enim genus hominum, ad Diuinitatem quandam natum, & institutum. Adiungit postea Diuinus uates, Ideo dilexi testimonia tua: nẽpe, quia, dum in impios animaduertis, maximas benignitatis partes geris; dum punis, miros tui amores excitas: nam impios, & sceleratos, de officio sæpe admones, & ad uirtutis studium hortaris: eosdem, nimium suę sententiæ, & sceleris, obstinatos, non statim capite damnas, sed leuiora eis supplicia imponis, si forte resipiscant. quia uero es totius iustitiæ parens, eos, qui ad meliorem mentem, nulla ratione, redire uolunt, labefactas: quare simul, & tui amorem in animo meo concitasti; & contremuit, ut inquit Hebræus, timore tuo caro mea; &, ut interpretes uerterunt, configi timore tuo carnes meas. a iudicijs enim tuis timui: nam iusti hominis uita, Diuinæ bonitatis amore, & iudicij sanctissimi metu, temperatur. Quam modestandæ uitæ disciplinam Dauid e iudiciorum Diuinorum sanctitate hausit, & his uersibus, ad sempiternam omnium sæculorum memoriam, consignauit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar.) Quare legem Diuinam Dauid auro, & ingentis pretij gemmis, prætulerit, ostendit. Est autem homo, ut inquit Plato, Diuinum animal, qui Diuina suspiciat, & iustitiam colat, ut conditoris sui similitudinem consequatur. Is autem, si naturæ suæ dignitatem tueatur, uitam ita moderabitur, ut numquam a recta ratione discedat, in qua omnis Diuinæ mentis similitudo mirabiliter elucet. Recta autem ratio, est Diuina lex, quam ille rerum omnium cõditor iam ab initio rerum in humana natura inseuit, & postea, lege scripta, illustranit, &, Euangelij tempore, Diuinis muneribus ornauit. Hæc cum sit hominis natura, qui eam non omnino exsuit, legem Diuinam rebus omnibus anteponet, quia ea Diuino splendore mentem collustrat, & in finem dirigit, quẽ omnes natura appetimus; nempe, quia Diuinæ naturæ compotes nos quodammodo efficit. Dilexi, inquit uir sanctus, mandata tua super aurum, & topation. Si ab eo quæras, quid in caussa fuerit, ut legem Diuinam tanti faceret: sapienter quidem respondebit, Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, ideſt, quia cum præceptis tuis me conformabam, in communi uitæ societate animi mei integritatem retinebam. nulla enim est lex, a te nobis tradita, quæ iustitiæ Diuinæ splendore non colluceat. Siue igitur ad naturæ legem mentis oculos conuertebam, siue ad scriptam, & ad Euangelij doctrinam, respiciebam, cum ad omnia denique præcepta tua, siue hæc, siue illa sint, quæ, cum opportunum fuerit, promulgabis, actiones meas referebam; ego qui dem dirigebar, nullis scilicet insipientię tenebris obcęcatus, a recęę rationis uia me seuocabã, sed recta uia ad tui similitudinem, cuius desiderio, natura duce, animus meus flagrat, deducebar. quamobrem illam opibus omnibus, atque diuitiis, antetuli, & comparandarum diuitiarũ rationes, & uias, quæ cum lege tua pugnant, odio habui. illæ enim inanes, & fallaces, sunt. iussa autem tua mentem stabiliunt, ueras opes conferunt, & nos immortales reddunt, quia, ut Hebræi explicant, illa rectissima sunt.

Principium uerborum tuorum ueritas.) Nulla promissio, nulla oratio, nullum denique uerbũ, a mente Diuina proficiscitur, quod firmissima fide non sit stabilitum. ea enim, quæ pollicetur, cumulate persoluit, &, quæ hominibus præcipit, totius ueritatis decus, & honestatẽ, in se continent. Principium igitur uerborum tuorum Veritas, ideſt, ut quidam uir doctus asserit, illa, quæ primum Abrahamo Deus promiserat, summa fide præstitit. nam Principiũ uerborũ Dei illa promissa appellari existimat, quę Abrahamo pollicitus fuerat. Vox autem Hebræa ראש Ros, qua Dauid utitur, non solũ Principium, sed Caput, & cuiusq. rei Summam, significat. Vt sit sensus: Summa uerborum tuorum, o Domine, est ueritas sempiterna. nihil enim loqueris, nihil promittis, aut agis, quod sit fallax, aut inane. ueritatis enim es ipse origo; & eam in hominũ animis inseris; & tuæ gratiæ rore pullulantem foues; & Diuinis muneribus auges: ad hunc finem omnia, quæ a te fuerunt parentibus nostris promissa, & quę lege siunt sancta, dirigis, ut solida, & expressa, ueritas, quæ est Christus, mentes nostras illustret.

Psalmus 119.

Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs.) Calumnia, & maledicentia, hominum societatem dirimit, de bonorum fama detrahit, atque illis uitam eripit: quantam uero rebus humanis perniciem afferat, duabus similitudinibus Dauid explicat: quarum alteram ex sagitta, quam uir præstans uiribus ex arcu uehementer abducto emittit, alteram uero ex incensis carbonibus, sumit. Est autem animaduertendum, nomen Hebræum, pro quo interpretes Desolatorium reddiderunt, pro Iunipero ab Hebræis usurpari: ut Diuus Hieronymus interpretatur. Iuniperus uero, ignis flammam uehementer excipit, eamque diu retinet. quamobrem Iuniperi carbones, merito Desolatorij sunt dicti.

Incolatus meus prolongatus est.) Apud Hebręũ legimus, Incolatus meus Mesech, iuxta notas Rabbinorum. Fuit autem Mesech, filius Iepheth, ut historia sacra commemorat. eam autem prouinciam, quam illius proles incolebat, Mesech, Hebræus appellat: quemadmodum Palæstini in sacris Litteris Chanaam dicuntur. Quæ uero sit hæc regio, dicta Mesech, inter uiros doctos minime constat. Sacra enim historia illam silentio præteriit, cum de filiis Noe, & de diuersis hominum nationibus, quæ ab illis erant oriundæ, mentionem faceret: illud tamen pro comperto habemus, non esse Tusciam, ut Iosephus Iudęus alucinatur; sed coniectura ducimur ad suspicandum, eas gentes, quæ Arabibus sunt propinquæ, a Mesech originem duxisse: inter quas Dauid aliquod tempus extorris deguit: uel suos ciues Mesech, immanes homines, Scythas, & Arabes, appellat, quia, omni humanitate exsuti, quasi feræ truculentæ, sibi uitam eripere conabantur. Est autem apud Hebræos uocabulum Masac, quod Protrahere significat. Quare interpretes nomen Mesech sunt interpretati, ut noster Latinus uertit, Prolongatus est.

Psalmus 121.

Hierusalem, quæ ædificatur, ut ciuitas, cuius participatio eius in id ipsum.) Hierosolymam, Palæstinæ urbem, a Chaldæis fore diruendam, postea uero, Persarum regum benignitate, in mediocris condicionis statum restituendam, Dauid multo ante mente prospexerat. uerum, cum ciuitas illa numquam potuerit antiquum dignitatis suæ splendorem consequi, non tam lætandi causſam Iudæis attulit, quam summi doloris sensum illorum animis inusit, qui pristinum ciuitatis florentissimæ statum uiderant. hi enim, ut sacra historia refert, cum nouam Hierosolymam conspicerent, multis cum lacry-

lacrymis, antiquam illam in memoriam reuocabant. quare Diuinus uates ad cælestem Hierosolymam potius intuetur, cuius hæc terrestris imaginem gerebat, sed utriusque commeminit, ut clare, & dilucide cælestis illius laudes celebraret. fuerat igitur terrestris Hierosolyma solo pæne æquata: cœpit iterum ædificari, muris circumuallari, & hominum cœtu frequentari. omnis autem ciuitas ex his hominibus constat, qui iure sunt deuincti, atque mutuam sibi uiuendi commoditatem afferunt, ut ciuitas sibi ipsi, ut refert Aristoteles, quæ sunt necessaria, suppetat. Hierosolyma ergo, quæ antea solitudo erat, ciuitas esse cœpit: cuius participatio eius in id ipsum: iã non erat uastitas, inopia, & calamitas, sed ædes reficiebantur, & inuicem alterutræ sibi coniungebantur. sic enim Symmachus uertit: Hierusalem, quæ ædificatur ut ciuitas, & propinquitatem habet, quod de ædibus ædificatis Theodoretus interpretatur: sed illud potius communitatis ius his uerbis explicari puto, quo ciues adstricti sunt, & ciuitas salua, & incolumis quamdiu illud in ea uiget, permanet. nam participatio eius in id ipsum, nihil aliud est, quam ciuium artissimo fœderis uinculo coniunctio, & æqua rerum omnium societas. Vtrumque sensum Hebræus complectitur. sic enim inquit: Hierusalem ædificatur ciuitas, quæ coniuncta est sibi ipsi simul. Verum, ut diximus, nec tanta fuit Hierosoylmæ terrestris frequentia, nec tantus in ea iustitiæ cultus, ut Diuini uiri animum tot ante sæculis singulari lætitia cumularet, nisi hæc cælestem illam Christi Ecclesiam expressisset, in quam omnes gentes confluent, artissimo caritatis uinculo inter se deuinctæ.

Psalmus 125.

Facti sumus sicut consolati.) Illa Hebræorum seruitus, quam Babylone perpesi sunt, omnibus fuit ærumnis cumulata, & acerbissimo doloris sensu deploranda. quamobrem, cum primum Deus Optimus & Maximus ab illorum cerusicibus iugum repulit seruitutis, fieri non potuit, quin singulari gaudio perfunderentur. Huius gaudij magnitudinem uiri docti diuersis solent rationibus explicare. nam Græci aliqui, qui magnum in Theologis nomen habent, interpretes, ita hunc uersum uertisse putant. Facti sumus quam consolati, ideſt maxima fuimus lætitia circumfusi. Noster autem Latinus: Facti sumus, inquit, sicut consolati: maxima lætandi causſa fuit libertas inſperato constituta: uerum tantis eramus malis oppressi, ut, ab illis emersi, lætitiam ore præferremus: animus autem seruitutis metu angebatur, quia aut libertatem illam non diu duraturam putabamus, aut inanem illam quorundam de libertate fuisse opinionem hominum sermonibus peruulgatam arbitrabamur. Valde quidem eleganter, & polite, Hebræus huius uersus sententiam his uerbis explanat: Facti sumus sicut qui somniant. quo enim tempore minus de libertate cogitabant, Diuino munere effectum fuit, ut in libertatem uindicarentur, & instar eorum effecti sunt, qui dormiunt, & in summis se uoluptatibus uersari putant. tantum fuit enim hoc in eos beneficium collocatum, ut in singularem admirationem raperentur, &, ueluti, qui seruitute acerbissima oppressi, somno correpti, se libertate donatos esse somniant, & singulari lætitia cumulantur, ita illi, dum in ipsa seruitute uersarentur, ueluti in somniis libertatem respiciebant repente sibi oblatam, & gaudio incredibili affecti lętabantur.

Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent.) Libertatem illam, in quam ex Babyloniorum seruitute Hebræi Diuina opera erant uindicandi, Dauid hactenus celebrauit: nunc ad futuram animorum libertatem prędicandam orationem conuertit. Duo autem in hoc uersu Dauid commemorat: alterum est, eorum, qui sementem faciunt, labor grauissimus: prius enim maximo cum labore, & industria, est tellus mollienda, antequam semen sparsum accipiat: alterum, est, metentium lætitia singularis: nam, qui seminant, inquit ille, in lacrymis, eos enim assiduus labor uexat, curæ exedunt, sollicitudines dilacerant: in exsultatione autem metent, laborum enim fructus capiunt, quibus uitam singulati cum uoluptate sustentent. prisci autem uiri illi, qui de Christo prædixerunt, in eo totis uiribus pugnabant, ut Hebræorum gentis animos ad susciendum Diuini uerbi semen præpararent, ut fidei fructus uberrimos ex illa satione perciperent. uerum tantum abfuit, ut gens illa exspectatos fidei fructus ferret, ut uiros, Diuino spiritu afflatos, qui eos cælesti doctrina instituendos susceperant, immani odio persequerentur, &, instar feratum, truculenti, necarent. Eleganter Isaias illorum sanctorum hominum statum hac oratione describit. Sicut, ait, quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus a facie tua, Domine: concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum, salutem non fecimus in terra: quasi diceret, nos summa cum animi nostri sollicitudine in lucem edidimus, quod de Christi numine, de sanctitate, de iustitiæ studio, nobis significasti. hæc quasi utero gerebamus: illa in omnium conspectu proposuimus: homines ad fidem, & ad pietatem, excitauimus: sed nunc usque, eadem, quæ antea, impietas uiget, libido grassatur, auaritia imperat, & omnium scelerum genera orbem terrarum peruagantur: hæc fuit illorum sanctorum hominum uitę condicio: sed lætæ quidem ex illorum doctrina segetes pullularunt: quas etsi illi metere non potuerunt, eas tamen fruges hominibus sunt largitæ, ut totum genus humanum ad sempiternam uitam alerent. nam Apostoli eas messuerunt, &, incredibili animi lætitia cumulati, in horreum patris familias adduxerunt. primi enim illi euntes ibant, & flebant, mittentes

Universidad de Deusto
Biblioteca

semina sua,quia hunc laborum suorum fructum non capiebant: hi autem, qui illis succesſerunt, uenientes uenient cum exſultatione, portantes manipulos suos. In hoc,inquit Chriſtus,eſt uerbum uerum,quia alius eſt, qui ſeminat; & alius, qui metit: ego miſi uos metere, quod uos non laboraſtis: alij laborauerunt, & uos in labores eorum introiſtis.

Pſalmus 126.

Svrgite poſtquam ſederitis.) Singularem animi ſollicitudinem deſcribit,qua homines rerum ſuarum ſtatum nituntur ſtabilire: ante lucem enim e lectulo excitantur, ut labores ſuſcipiant, in quibus diem conterant. Quidam hunc uerſum ita ſcribendum eſſe putant: Vanum eſt uobis ante lucem ſurgere, ſurgere poſtquam ſederitis, ideſt, fruſtra uigilatis. fruſtra quoque ea cura uos ſollicitat, quæ,cum paullulum ad corporis requietem ſederitis, uos cogit ad operam nauandam ſurgere. Hebræus eleganter inquit: Vanum eſt,uos ante lucem ſurgere,differentes, ſiue cunctantes ſedere. uerbo enim אחר Achar uates utitur,quod Differre, & Cunctari, ſignificat: quaſi diceret, Cura ueſtra, & labor omnis, fruſtra inſumitur, cum ante lucem omni ſtudio in remp. aut in ueſtram dignitatem tuendam incumbitis, & ſero nimis corporis requietem capitis, ciboque nulla cum uoluptate ueſcimini.

Pſalmus 128.

Svper dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam.) Eleganter, & uenuſte ſatis, deducta ab agricolis ſimilitudine, impiorum immanitatem,qua iuſtos opprimunt, uir ſanctus explanat. quemadmodum enim agricolæ ad ſementem faciendam prius tellurem aratro proſcindunt, & ſulcos altius imprimunt, ita impij iuſtorum uitam calumnijs ſcindunt,& maximam malorum ſeriem illis comparant, ut perniciem tandem inferant. Sic enim Hebræus ait: Supra dorſum meum arauerunt aratores, prouexerunt ſulcos. Huius orationis ſententiam interpretes prudenter quidē explicarunt: quamuis elegantiam minime retinuerint. Supra humeros, inquiunt, meos impij homines opus omni immanitate pleniſsimum perfecerunt: ęrumnis enim me acerbe opprimunt, & iniuriæ finem minime imponunt: ſed malis meis aliud quotidie noui mali genus addiderunt. illorum namque immanitas, nullis meis calamitatibus reſtingui poteſt.

Pſalmus 129.

Qvia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam.) Diuerſæ ſolent huic orationi a noſtris,& ab Hebræis, expoſitiones adhiberi. nam uulgati Latini interpretationem aliqui uiri docti immerito non probant, quia in aliquibus libris Græcis legimus: ἵνα εν τῷ νόμῳ σου, id eſt, propter nomen tuum: quemadmodum Theodoretus ante Auguſtinū,& Hilarium, legit, & interpretatur: Symmachus autem ex Hebræo, ut Latinus,noſter uertit,Propter legem tuam. is enim, & Septuaginta interpretes, pro תורא, uidentur legiſſe, יראה. Aquila uero, & Theodotion,ut refert Teodoretus, Hebræo magis aſſentiuntur. Sic enim ex Hebræo uerterunt: Quia apud te eſt benignitas, & propter timoré tuum. Sed D. Hieronymus, multo quidem ſapientius, Quia, inquit, apud te propitiatio eſt, cum ſis terribilis. Apud Hebræum eſt uerbum יראה, quod Timere ſignificat. Si igitur totidem uerbis Hebræum Latine reddere uelimus, ſic dicendum nobis erit: Quia apud te eſt uenia, propterea timeris. Ex his duplicem huius uerſus explicandi rationem percipimus: altera D. Hieronymum, altera uero Hebræum auctorem habet: quarum prima aſſerit, ideo pium hominem, dum ſe flagitij ſordibus contaminatum eſſe uidet, atque Dei in ſe iram excitaſſe, firmiſsima ſpe e tantis malis Diuino præſidio emergendi Deum ſupplicem adire: quia Deus,quamuis ſit iudex ſanctiſsimus,& prępotens rerum omnium princeps,atque nutu omnia poſsit in nihilum redigere, non tamen iram omnem in ſceleratos effundit, ſed in eos animaduerſionem differt, ut ueniam præſtet. Clamaui igitur, quia, ut inquit Hieronymus, apud te propitiatio eſt, cum terribilis ſis. Qui alteram explicandi rationem ſequuntur, in hoc uerſu cauſſam contineri putāt, quare Deum Optimum & Maximum Dauidi,illum inclamanti,accurrere,conſentaneum eſſe uidebatur. nam, cum Deus hominem ex duabus naturis ſibi inuicem contrarijs effinxerit,menti tradidit in ſenſus imperiū,quo illos ad Diuine mentis ſimilitudinē moderaretur. ſic enim res ipſa poſtulabat, ut, quæ multis partibus naturam corporis dignitate ſuperabat,ipſa quoque imperaret: uerum, ut fieri ſolet, ſæpenumero illa uel imperium negligenter adminiſtrat, uel a ſenſibus illud recuſatur. mens enim,in corpus immerſa, uarijs ægritudinibus, ex illius coniunctione, afficitur, & in ſcelus,quaſi ex procliui impulſa, labitur. omnis autem hæc ab officio declinatio, qua a Diuinæ mentis ſimilitud ne nos ſeuocamus, a mentis noſtræ in retinendo imperio inertia, & effrenata ſenſuum libidine, proficiſcitur. Vt igitur homo officium retineat,mens eſt ope Diuina ad imperium fulcienda, & honeſti, decorique, ſpecie ad officium excitanda,& ſenſus ſunt metu coercendi: metus autem e malis imminentibus, ut refert Ariſtoteles, oritur. pulchri uero, & honeſti, ſpecies, miros ſui amores excitat. nam, dum mentis oculos in pulchri,& honeſti, hoc eſt Dei, ſpeciem intendimus, natura duce in illam incitamur,&, caritate incenſi, illam amamus,& illa frui ardenter cupimus: unde timor ille naſcitur, quo maxime ueremur, cum ſimus ad flagitium,naturæ corruptella,propenſi,ne in amati offenſionem incurramus: hic autem timor ſemper cum amore eſt coniunctus, nec ab eo umquam, dum in tellure uerſamur, ſeparari poteſt.

quia

quia igitur Deus eſt ardenter amandus, ſingulari quoque ſollicitudine nobis cauendum erit, ne illum aliqua ratione offendamus: quod pluſquā ipſa mors erit metuēdum: præterea, ille uitā noſtram inſtitutis,& legibus,ſanctiſsimis, tēperauit, in quibus perpetuos malorū omnium cruciatus ſceleratis conſtituit: quorum exſpectatio eos timore complet: hic autem timor, niſi eum gratię adpiſcendę ſpes ſubleuaret,odiū in Deum pareret. ſalutis enim deſperatio,in eum,qui perniciem infert, acerbiſsimum omnium odium concitat.

Oderint, inquit ille, dum metuant.

Dum igitur ſupplicij ſempiterni metus a ſcelere reuocat, iram numinis perhorreſcimus: dum uero ueniam adipiſcendi ſpes animum erigit, flagitium deteſtamur, ueniam poſcimus, illius numen placare ſanctiſsima religione contendimus. His poſitis, ſic erit hæc Dauidis oratio explicanda: De profundis clamaui ad te, Domine, Domine exaudi uocem meam, fiant aures tuæ intendentes in uocem deprecationis meæ: ſi iniquitates obſeruaueris, Domine, Domine quis ſuſtinebit? Si enim, nobis infenſus, ita in ſcelera noſtra animaduertas,ut lenitati nullus ſit locus, & ſeueritas omnia occupet, nemo reperiri poterit, qui ſalutem ſuam non deſperet. Hanc igitur ob cauſſam ego ad te inclamo, quia apud te propitiatio eſt, &,ut inquit Hebræus, propterea timeris, hoc eſt, ego,quamuis ſcelere contaminatus, ad te ſupplex adire non dubito: nam ita ratio poſtulat, ut, quia tu benignus es, ita irā tuam,meo ſcelere excitatam,reformidem,ut nō te odio habeam,neque tuum conſpectum fugiā, ſed,immenſæ benignitatis tuæ fide confirmatus, te precari non deſiſtam,ut mihi ueniam tribuas: quam mihi a te præſtari, eſt ualde conſentaneū. nam, ſi non parcas, uterque ille metus, qui ex numinis tui offenſa animos hominum ſollicitat, eos ad propriæ ſalutis deſperationem, & ad tui nominis odium, deducet. nemo enim reperiri poteſt, qui aliquod in ſe flagitium non committat. uocem ergo attollo, preces adhibeo, quia benignitas tua me erigit, & propterea timeris, non enim me tui numinis odium a te alienum reddit; ſed, quia timeo,ideo mirum in modum impellor,ut iram tuam precibus,& gemitibus,ex intimo corde editis, auertam. quam tui placandi rationē ex lege tua didicimus. quamobrem iuſti, ne te offendant, omni ſtudio laborant. animi enim tui offenſam timent;& ſcelerati, ad ueniam poſtulandam, ſupplicij metu excitantur. quare non temere uenia peto, & firmiſsimam ſalutis conſequendæ ſpem habeo; tum, quia infinitę ſis erga homines benignitatis;tum etiam, ut interpretes inquiunt, propter legem tuam, quæ nos ita inſtituit, ut iram tuam timeamus, ut eo timore a ſcelere nos ſeuocemus, & illud ſanctiſsima religione expiemus.

Pſalmus 131.

Sicut iurauit Domino uotum, uouit Deo Iacob.) Quo tempore Dauid hoc iuſiurandum ueriſsimum iurauerit,& uoti religione ſe obſtrinxerit, ut Deo templum ædificaret, apud uiros doctos non omnino conſtat. quidam enim putant, hoc fuiſſe a Dauide uotum nūcupatum, cum in area Ornan Iebuſæi ſacrificium obtulit, ut peſtem a ſuis ciuibus auerteret. eo enim in loco, ut templum a filio Salomone ędificaretur,ob accepti beneficii memoriam conſtituit, ut auctor Diuinus in libro primo Paralipomenon commemorat. uerumtamen,quamuis tunc temporis locum Dauid elegiſſet,in quo templum cōſtrueretur, non propterea cōſequēs efficitur,ut tūc iuſiurandum Deo dederit, uotumque ſuſceperit, ut illius Maieſtati templum auguſtiſsimum conderet. quod multos ante annos non a ſe, ſed a filio Salomone,fore ædificandum, Diuino oraculo perceperat. Alij igitur uerius, ni fallor,exiſtimant,Dauidem, poſtquam Sionis arcem ædificauit,& ampliſsimas ædes conſtruxit,animo ſecum cogitaſſe,minime ferendum eſſe, ſe in ædibus magnifice habitare,& arcam fœderis, in qua Dei numen inſidebat,ſub tabernaculo uellis ex pellibus intēto collocatam uagari. quare eam primum e Cariath iarim, deinde e domo Obededon, in ſuam deduxiſſe,& Deo ampliſsimam, & ornatiſsimā, ædem uouiſſe, in qua arca fœderis collocaretur. quod animi ſui propoſitum cū Nathan Prophęta communicauit. Sic enim auctor Diuinus in Regum hiſtoria refert: Factum eſt autem, cum ſediſſet rex in domo ſua, & Dominus dediſſet ei requiem,undique ab inimicis ſuis, dixit ad Nathan Prophetam, Vides ne, quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium? dixitque Nathan ad Regem, Omne quod eſt in corde tuo uade fac, quia Dominus te cum eſt. Hæc autem uerba cum primis huius Pſalmi uerſibus mirifice congruunt. Nec quidē, quo minus hanc opinionem ueriſsimam eſſe exiſtimemus, illud erit impedimento, quod paullo inferius Dauid aſſerit,cum inquit, Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis ſiluæ: forte, inquiunt, erat Dauid Bethleemi,quæ Ephrata dicebatur,cū ei Gad Propheta,perſuaſit, ut in area Ornæ Iebuſæi,uictimā Deo offerret,ne peſtis diutius in populum graſſaretur. quamobrem dixit, Audiuimus eam in Ephrata. Area autem Ornæ Iebuſæi,campus ſiluæ dicebatur. Quo in loco,quia ignis a cælo immiſſus uictimam abſumpſit,Deumque ſibi conciliauit,ideo ibi templum ædificare uouit. cuius rei commeminit, cum inquit,Inuenimus eam in campis ſiluæ. Verum hi neutrum probant: immo tunc temporis, quando lues illa peſtifera plebem conficiebat,& Gad Dauidem adiit;ut ex ipſa hiſtoria ſacra colligimus,multo magis probabile uideri debet,Dauidem Hieroſolymæ fuiſſe, deinde, ut iam diximus, qui conueniebat, ut Dauid ædem ſacram Deo uoueret, quam Dei nomine illi multis ante annis Nathan prędixerat,ab eo minime fore ędifican-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficandam? potius quidem fuisset, existimare, cum Palæstini arcam fœderis, quam bello ceperant, ad Hebræos deducendam curarent, rumore fuisse peruulgatum, illam, e Betsames Bethlem, siue Ephratam, foreasportandam, cum tamem, Deo ita uolente, in Vrbem Cariahiarim fuerit adducta, quæ Vrbs siluarum ager hoc in Psalmo dicitur: quia Cariah apud Hebræos Vrbem significat, Iarim uero siluas: ex quibus uocibus nomen Cariahiarim, quasi siluarum urbs, constatum fuisse constat: qua in Vrbe arca fœderis toto illo tempore fuit, donec eam Dauid inde, ut diximus, asportauit. cuius rei mentionem in his uersibus a Dauide fieri putamus. Accedit præterea, quod in hoc Psalmo Dauid, flagrans animi sui studium postquam commemorauit, quo ædem Diuino numini uouerat, statim adiungit, Iurauit Dominus Dauid ueritatem, & non frustrabitur eum, de fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Hoc autem promissum Dauidi factum a Deo fuisse legimus, cum primum ille templi ædificandi consilium cepit, non autem postea, cum in area Ornan Iebusæi sacrificium obtulit. quare uotum hoc a Dauide eo tempore susceptum fuisse arbitramur, cum primum, hostibus suis undique sublatis, magnificas sibi ædes ædificauerat.

Viduam eius benedicens benedicam.) Interpretes, ut Diuus Hieronymus testatur, non χήρας, hoc est uiduam, sed ἐπήρας, hoc est uenationem, ex Hebræo Græce uerterunt: quemadmodum Theodoretus legit. Benedicere autem, in sacris Litteris, pro Augere, Amplificare, & Bonis affluentem reddere, sæpenumero usurpatur: ut est illud Iacob: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, &, qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Et in libro Iobi, Dominus autem benedixit nouissimis Iob magis, quam principio eius. Illud autem operæ pretium erit animaduertere, priscos illos homines uenatione sibi uictum parare consueuisse. unde apud Hebræos nomen עירה pro Venatione, & Victu, usurpari. quamobrem Symmachus Annonam, & Hebræi omnes Victum, illud hoc in loco interpretantur. postquam enim in monte Sione Deus Optimus & Maximus sibi sedem constituisset, maxima rerum omnium copia futura erat. nam regnum illud Salomonis in tranquilla pace fuit, summisque opibus abundauit. Verum nec pax illa, nec regnum, diu durauit. mortuo enim Salomone, bellum inter Hebræos exarsit, atque minimam Regni partem Roboamus, Salomonis filius, obtinuit. decem namque tribus Ieroboamum Regem sibi crearunt, & templum illud in minori pretio haberi cœpit, cum Reges Israelis suos a Sione in Bethel, & Dan ad sacrificandum auerterent, donec illud a Chaldeis fuit labefactatum. quare, si rem attentius uelimus considerare, illud exploratum habebimus, Dauidem in Salomone filio, Christi Regnum, qui abillius stirpe oriundus erat, mente prospexisse, & in Sionis templo sanctissimum illud Christi templum, in quo Deus sempiternum sibi domicilium collocaturus erat, fuisse ueneratum, unde opes Diuinæ, uictus æternitatis effectrix, pax animorum summa, & omnia denique bona in mentes hominum emanarent. De Sione igitur, hoc est, de Regno Christi, uir Diuinus inquit, Hæc requies mea in sæculum sæculi, uenationem eius benedicens benedicam. Quam uero apte Venationis nomen in Ecclesiam Christi conueniat, paucis explicare lubet. Prudenter quidem Plato in Sophista, duplex uenationis genus esse, qua hoies capiuntur, asserit: alterum ad prædam refert, cum ui homines in seruitutem ad ducuntur: alterum uero in persuasione uersari putat. Cum igitur genus humanum acerbissima peccati seruitute esset oppressum, in paucis hominibus pietatis studium uigebat, quos Christus Dominus muneribus Diuinis excoluit, ut omnes hominum nationes uenatione caperent, nempe, ut eos a libidine seuocarent, & ab impietate ad ardentissimum pietatis studium adducerent. Faciam uos, inquit ille, fieri piscatores hominum. quo munere quam feliciter functi fuerint, religio Christiana, in totum terrarum orbem propagata, mirifice testatur. Eleganter igitur Dauid, Venationem, inquit, eius benedicens benedicam. non enim gentem unam instituendam suscipiet, sed omnes nationes Euangelij doctrina imbuet, & a peccati tyranni de liberabit.

Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo.) Animantes naturæ beneficio armatas cornibus uidemus, ut uitam suam tueri possint, perniciemq. sibi illatam propulsare, atque adeo illam hosti afferre. quamobrem in omnium fere gentium sermone Cornu, pro fortitudine, & imperio, usurpari consueuit: ut in primo Regum historiæ libro legimus: Exaltatum est cornu meum in Deo meo. Amos autem, in eos, qui Regnum, quod propriis uiribus obtinuerant, satis stabilitum esse putabant, sic inuehitur: Qui dicitis, numquid nō in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? Et Micheas, Surge, inquit, tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum. Sic etiam hoc in loco Cornu Dauid, regnum illius appellatur, quod Deus Optimus & Maximus Hierosolymis se productum, ut noster Latinus uertit, pollicetur, uel, ut Hebræus inquit, germinare faciet. Eandem uero sententiam Dauid luculentius explicat, cum ait, Paraui lucernā Christo meo, inimicos eius induam confusione, super ipsum efflorebit sanctificatio mea: nam lucerna ex se lumen effundit. Regnum autem in maximo dignitatis splendore uersatur, & Rex ita suos debet moderari, ut illis quodammodo lumen præferat, ne a rectæ rationis uia aberrare possint. Optimi uero Principis, in regni gubernatione, sapientiam, excellens quædam subditorum probitas, & sanctimonia, consequitur, quæ uerum Regiæ dignitatis decus haberi debet. quamobrem super ipsum, ut interpretes uerterunt, efflorebit sanctificatio mea: & Hebræus, Super ipsum, inquit, florebit corona eius. Illud autem est non mediocri consideratione dignū, ut uideamus, quam clare de

de Regno Christi Dauid oracula fundat. Illuc, inquit, producam cornu Dauid; hoc est, Regnum illius opibus firmabo, & longe lateq. amplificabo; ut, cum Hierosolymis imperij domicilium sit collocatum, sub illius tamen ditionem gentes plurimas subiungam, &, ut refert Hebræus, illic germinare faciam cornu Dauid. non enim Regnum illius aliquando labefactabitur, sed semper Diuino munere uirebit, & amplissimis opibus erit stabilitum. Quod in Dauidem quam parum conueniat, auctor Diuinus in tertio Regum historiæ libro explicat. Sic enim, regnante Salomone, Ahiam Prophetam cum Ieroboamo locutum fuisse, refert. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Et paullo inferius adiungit: Auferam autem de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus, filio autem eius dabo tribum unam, ut remaneat lucerna Dauid seruo meo, & affligam semen Dauid, super hoc, uerumtamen non cunctis diebus. Quo pacto igitur templo, quod Dauid Deo uouerat, ædificato, Regnum fuit opibus amplificatum, & Diuino robore fundatum, si illud e Salomonis manibus Deus Optimus Maximus eripuit? num lucernam parauit? Sed, ne omnino illa exstingueretur, tribum unam Roboamo, Salomonis filio, gubernandam dedit. quid illud, Inimicos eius induam confusione? Num Dauidis proles maximis malis uexata non fuit? Affligam, inquit Dominus, semen Dauid: Sanctificatio uero Diuina, & corona Salomonis, floruit? Minime quidem. eo enim tempore, quo Salomon imperij gubernaculum tenuit, ipse idolis cultum Diuinum exhibuit, & Ahias Israelis Regnum in Ieroboamum fore transferendum Dei iussu prædixit. quare Salomon Ieroboamo necem afferre conabatur. Cum igitur futuram sibi prolem Dauid fuerit uaticinatus, quæ Hierosolymis sempiterni imperij fundamenta iaceret, hoc autem Salomon minime præstiterit, ut qui Regno a patre suscepto pernicem attulerit, consequens profecto erit, ut Diuini uatis prædictio Christum Optimum & Maximum, qui ex illius stirpe erat oriundus, significauerit, qui Dauidis imperium iisdem, quibus Solis cursus continetur, regionibus, & terminis, definiuit.

Psalmus 135.

Confitemini Deo Deorum.) Hebræi diuersis nominibus Deum nominant, ut illius naturæ præstantiam aliqua ex parte explicare possint. Cum igitur ille sit rerum omnium prouisor, atque moderator, eum Eloha dicunt: quod uocabulum, eius, qui alijs præest, dignitatem significat. quod Dauid hoc in loco usurpat, cum inquit, Confitemini Deo Deorum. Deus igitur, cui laudes sunt ardentissimo studio deferendæ, in alios Deos imperium exercet. Est enim Deus Deorum, Deorum, inquam, illorum, qui non artificis opera consistunt, sed qui Elohim quoque merito dicantur, quia dignitate excellant, & rerum curationem gerant. hi autem in duplici sunt genere. nam eorum quidam, in corporibus inclusi, in tellure uersantur, & ceteros homines imperio continent; alij autem, ab omni corporis contagione seclusi, huic uniuersitati, quam Mundum appellamus, operam suam impendūt: quos Socrates apud Platonem Demones appellat: quorum diuersa sunt munera, & officia, ab illo præcellenti omnium Principe, in quandam harmoniæ admirabilem cōcinnitatem temperata, quos Diuinus Paulus Administratores spiritus uocat: de quorum natura longiorem orationem instituere hoc in loco non conuenit. Deorum igitur Deus ille est, cui Reges, imperij dignitate præstantes, & Diuinæ mentes, quæ ualde uehementer regibus antecellunt, summisse obtemperant.

Psalmus 136.

HIc Psalmus apud Hebræum titulo caret; & interpretes, ut Theodoretus asserit, nullum ei titulum inscripserunt: sed quorundam audacia effectum fuisse putat, ut sit inscriptus, Psalmus Dauid propter Hieremiam. Hieremias autem, Godolia ab Ismaele interfecto, inuitus a suis in Aegyptum est deductus. quamobrem in eum hic Psalmus minime conueniebat, quo Dauid eorum querimonias, & luctum, commemorat, qui Babylonem in miserrimam fuerant seruitutem adducti: quorum illa uox erat acerbissimi doloris index: Si oblitus fuero tui, Hierusalem, obliuioni detur dextera mea, citharam dextera pulsamus. Si igitur, inquiunt, aliquando Hierosolymæ excidium, quod semper ante oculos nostros obuersatur, aut mærore fractis, aut temporis condicione omnem dolorem emollientis, aut aliqua uoluptatis specie nobis delusis, e memoria exciderit, & propterea ad malorum, quæ patimur, alleuamentum, citharam pulsare uelimus, tunc obliuioni detur dextera mea, quasi musicæ periti numquam fuissemus, dextera nullo cum artificio pulset, & pulsandi modum longo usu comparatum minime retineat, uel potius, ut auctor Paraphrasis inquit, omnino obstupescat. Cum enim manus se ipsam mouere non potest, eam sui ipsius quodammodo obliuio capit. gens antem Hebræa, in tantis malis constituta, de Edumeorum immanitate ualde uehementer querebatur. Edom enim dictus fuit Esau, quasi

Ruber,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ruber, ob illud eiusdē coloris ius, quod a Iacobo fratre dari sibi postulauerat. Cum igitur Edumei ab Isaac originē duxissent, nulla sanguinis, & necessitudinis ratione habita, Hebræos in nihilum redigi cupiebant. Quamobrem memor esto, Domine, inquit Dauid, filiorum Edom, in die Hierusalem. Diei autem nomine, ærumnas, & calamitates, significari, iam alio in loco explicuimus.

Psalmus 137.

Et cantent in uijs Domini.) Quemadmodum a Latinis nomen Viæ diuersis modis solet usurpari, ita ab Hebræis nomen Darec ad diuersa significanda transfertur. nam, cum uiam, iterque, significet, eo ad mores, instituta, & studia, atque opera, alicuius indicanda, utuntur: ut Diuus Hieronymus in Geneseos libro est interpretatus. Sic enim orationem illam Latine uertit, qua Rachel patrem suum Labā, idola quærentem, excepit: Ne iratscatur Dñs meus, quod coram te assurgere nequeo, quia, iuxta consuetudinem feminarum, nunc accidit mihi. Quo in loco apud Hebræum est nomen Darec, pro quo Consuetudinem Hieronymus sapienter reddidit. Apud Isaiam quoque ita legimus: Noli timere, populc meus, habitator Sion, Assur in uirga percutiet te, & baculum suum leuabit super te in uia Aegypti: hoc est, quemadmodum in Aegypto multis fuisti ærumnis oppressus, ita te Assyrius quoque opprimet. Et paullo post Isaias adiungit: Suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum iuxta plagam Madian in petra Oreb, & uirgam suam super mare, & leuabit eam in uia Aegypti: quasi diceret, Eodem animi studio, atque uirtute, qua Aegyptios maris fluctibus mersos interemit, Assyrios profligabit. Et libro Regum tertio, cum de Nadab, Israelis Rege, auctor, Diuinus mentic nem faceret, Ambulauit, inquit, in uijs patris sui; hoc est, ijsdem moribus, & institutis, uitam moderabatur, quibus a patre impio fuerat imbutus. Et in Psalmo septuagesimo sexto, Dauid, Dei admiranda facinora simili oratione prædicat: Deus in sancto, hoc est in sanctitate, uia tua, quis Deus magnus, sicut Deus noster? Sic etiam hoc in Psalmo, dum pios ad laudes Diuinas concinendas hortatur, inquit, Et cantent in uiis Domini: illius scilicet studium singulare, quo generi humano consuluit, summis laudibus in cælum efferant; illius opera, quæ pro hominum libertate summa cum omnium admiratione edidit, eximio cum artificio modulatis uocibus cantent: illius denique institutа, & disciplinam, qua hominum mores ad Diuinæ mentis similitudinem instituit, ardenti animi studio celebrent.

Psalmus 138.

Semitam meam, & funiculum meum, inuestigasti.) Vt Diuinæ prouidentiæ uim luculentius prædicaret, omnes animi humani motus Dauid commemorat, quos affirmat, antequam illi in animo gignātur, a Deo explorate esse perceptos, & plane cognitos. quamobrem, Intellexisti, inquit, cogitationes meas de longe. pro eo, quod noster Latinus reddidit, De longe, רחק Merahoph inquit Hebræus. Rahoch autem, & locorum, & temporis, longinquitatem significat. Cum igitur Deus in omnium rerum naturas commeet, ab eis non longe abest, sed ab omnium sæculorum æternitate, quæ est longinquitas immensa, futura cognouit: deinde uates Diuinus adiūgit, Semitam meam, & funiculum meum inuestigasti: non solum, quæ animo euoluo, multo ante explorata habes, sed iter, quod ineo, & gressus, quos figo, ante prospexisti, & funiculum meum inuestigasti. Funis nomen ad perfectionem significandam e fabrorum perpendiculo transferri, uiri docti putant. Vt sit sensus: Gressus meos quam recte ego dirigam, præuidisti: uerum, quia Dauid, post Semitæ mentionem, Funis commeminit, ne cogamur fateri, Dauidem parum in hoc uersu eloquentem exstitisse, quod ab illius in dicendo prudentia longe abest, ut, cum assereret, a Deo ingressus, suos fuisse plane perspectos, putaret, opus sibi esse oratione explicare, &, quam recte ipse ingrederetur, illum mini me latuisse. qui enim ingressus suos fuisse Deo exploratissimos prædicat, frustra addit, illi manifestum fuisse, quam recte ipse uiam fuerit ingressus. Accedit præterea, quod Hebræus multo aliter hunc uersum refert. Sic enim ait: Viam meam, & רבעי inuestigasti. Vocabulum Hebræum pro quadrato usurpatur. sed, more gentis, doctores Hebræi pro Ribezi, hoc est Accubatione, illud positū fuisse arbitrantur. Vt sit uersiculi sensus: Tu uiam meā, & accubationem meā, examinasti. Est enim perelegans rerum contrariarum oppositio. nam uiæ accubationem pulchre satis uates opponit. Accubationem uero interpretes Funiculum e iunco dixerunt, ut lectum stratum peristromate e iunco facto significarent. eo enim straguli genere gentes illę utuntur, quæ Orientis plagas incolunt.

Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis.) Nihil est animantibus luce iucundius; nihil tenebris magis ingratum, & acerbum: eas tamen scelerati homines luci præferunt, ut flagitiorum suorum sordes aliqua ratione occulant, ne apud homines dedecore notentur. qua igitur animi sollicitudine, & studio, laborabunt, si fieri posset, ut Diuinę mentis adspectum fugiant, & densissimis tenebris scelera sua occultent, ut ea ab illius oculis remoueant? profecto, si hoc illis prodesset, noctis caliginem in deliciis haberent, & eam clarissimam lucem esse putarent. uerum mens Diuina in hominum animos penetrat, omnia prospicit & explorate cognoscit. Hæc est huius uersus sententia, &

tia, & uerba sunt hoc modo distinguēda: Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox, quasi illa esset illuminatio mea; hoc est, lux, qua uiuimus, erit mihi in deliciis. Symmachus tamen hunc uersum ex Hebręo Græce hoc modo uertit: Si tenebræ me operiant, tamen nox humida me circumdabit. Quam explicandi rationem aliqui uiri docti amplectuntur: quia ערבו uerbum potius esse putauerunt. Interpretes autem nomen exīstimarunt: quod sæpenumero in sacris litteris pro Voluptate usurpatur.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es.) Quam admiranda fuerit hominis fabricatio, illud unum maxime declarat, quia, post conditas ceterarum rerum omnium naturas, illum Deus e diuersis rebus ita finxit, ut Diuinę mentis simulitudo in eo solo eluceret, cuius deinde proles mirando opere gignitur, & propagatur. nam, postquam semen in locis insidet, ex eo, admirabili Diuinæ mentis ui, corpus ita effingitur, ut ossibus, quæ commissuras habeant, ad artus finiendos accommodatas, sit stabilitum, & neruis summo cum artificio adstrictum. eorum enim implicatione toto corpore pertinente, artus continentur. huc adde uenas, & arterias, quarum multiplex natura, atque diuersa, artificiosi operis fabricam testatur. ex quibus ab eodem naturæ architecto multa sunt mirabiliter effecta. Quis sensuum uim, & diuersitatem, explicare poterit? quis mentis in corpus immersæ uim illam, qua corpus informat, & ei uitam, motum, & actionem, tribuit? quis denique intelligentiam, qua omnia complectuntur, qua sensus moderatur, & regit, poterit dicendo explanare? Confitebor igitur tibi, ut noster Latinus inquit, quia terribiliter magnificatus es. nam ex hoc tanto, & tam eximio, opere, homines, si mentis compotes esse uellent, Diuinæ naturæ dignitatem, & uirtutis illius immensitatem, perspicere potuerunt. quod Hebræus clare, & eleganter, dixit, Laudabo, inquit, te, quia mirabilibus, scilicet operibus, ego admirandus exstiti: mirabilia opera tua, anima mea cognoscet, dixerat, Suscepisti me de utero matris meæ, statim adiungit, Laudabo te, quia admirandus fui; nempe, dum in locis matris meę operе admirabili me formabas, figurabas, colorabas, & animabas: in huius autem tantæ rei cognitionem, benignitate tua, ego perueni, propterea laudes tuas semper ardentissimo studio prædicabo.

Imperfectum meum uiderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur, & nemo in eis.) Quam uenuste, & eleganter, uir Diuinus hominis generati incrementa describit, & optimi genitoris prouidentiam ad res omnes, etiam minimas, permanantem? Imperfectum, inquit, meum uiderunt oculi tui: Septuaginta interpretes Informem fetum, ἀκατέργαστον, Rude, & Impolitum, appellarunt: pro quo Latinus Imperfectum reddidit: nec immerito: quia, antequā corpus animo sit informatum, sui perfectionem non est consecutum. quod Hebræum nomen גלם Golem, quo Dauid hoc in loco utitur, significat. quare Symmachus, & Diuus Hieronymus, uerterunt, Informem me uiderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Humano more loquitur. ea enim, quorum reminisci uolumus, retinendæ memoriæ caussa, litteris mandamus. Omnia autem, multo ante, quam fiant, sunt a Deo perspecta, nec ab illius memoria possunt ali quando excidere. quemadmodū enim, quæ nunc fiunt, ipse clare uidet, sic etiam ab omni æternitate eadem explorata penitus habet. hæc autem Diuinæ mentis uis, quæ omnia complectitur, omnia coercet, omnia perspicit, & scrutatur, iure optimo Liber nominari potuit, in quo nō solum præclaræ hominum actiones sempiternæ memoriæ traduntur, & sceleratorum hominum peccata, ut eis debita supplicia imponantur, scripta reperiuntur, sed rerum etiam naturalium fatus, ortus, & incrementa, sempiternis sunt monumentis consignata. quamobrem Dauid, Omnes, inquit, hoc est corporis mei partes sunt in libro suo scriptæ, dies formabuntur, temporis nempe progressu illæ formabuntur, incrementa suscipient, usque dum ad debitam naturæ suæ perfectionem, tua benignitate, perueniant, & nemo in eis, hoc est, ut nihil in illis desiderari possit. Quo in loco illud est in memoriam reuocandum, apud Hebræos illud uerborum genus, quod Neutrum Latini uocant, non esse in usu. quare minime mirandum esse, si interpretes, patria loquendi consuetudine adducti, uerterunt, Nemo in eis, cum dicere plane potuissent, Et nihil in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum, dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.) Ex hominis ortu, & procreatione, Diuinam genitoris mētem, uim, & benignitatem, cognoscimus: uerum hanc illius cognitionem alia longe superat; quā Dauid, in hominum piorum statum intuens, acceperat. quamobrem, statim, postquam humani corporis fabricam commemorauit, adiunxit, Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus: Quasi diceret, Dum me ipsum considero, quanto fuerim artificio fictus, & informatus, in non mediocrē, o summe Domine, tui admirationem deuenio: sed uis illa, qua tuos protegis, & muneribus amplissimis donas, multo maiori est admiratione digna. nam eos, qui pro nihilo ab aliis hominibus habebantur, Diuinis honoribus afficies, nec poterunt ullis hominum uiribus a tanto dignitatis gradu umquam deiici, erit enim illorum status Diuino robore firmatus. Dinumerabo eos, in eo, scilicet, toto animo pugnabo, ut illorum summam faciam: sed frustra labor iste meus erit sumptus. nam, quod antea Abrahamo pollicitus fueras, singulari fide præstabis. hi. n. qui fidem illius sequentur, & propterea filij illius merito erunt habendi, stellarum instar, uirtutum omnium ornamentis elucebunt, & numero maris arenam superabunt. Hanc expositionem non solum interpretes, sed alij uiri docti, etiam Hebræi, huic Dauidis orationi adhibent. non enim parua, inter humani corporis in utero materno fabricationem, ortum, & incrementa, & sanctorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum hominum cœtus, maiores in dies progreſſus ſimilitudo exſiſtit. nam, cum gentes uariis eſſent erroribus imbutæ, in Abrahamo pietas uiguit, quæ poſtea in eos, qui ab eo originem ducebant, eſt ſumma cum laude propagata, etſi intra Paleſtinæ fines quodammodo fuerit terminata. non enim adhuc perfectionem ſuam fuerat conſecuta, quæ poſtea, Chriſti ſanctitate, & meritis, in omnes gentes peruaſit. Accedit etiam, quod nomen Hebræum רע, quo Dauid utitur, Amicum ſignificat; ut interpretes uerterunt, & Diuus Hieronymus, & Hebræi aliqui hoc in loco illud interpretantur. Verùmtamen Hebræi alij, qui magnum in Rabbinis nomen habent, illud pro Voluntate, & Cogitatione, uſurpari a Dauide putant: quemadmodum ipſi interpretes, cum ſecundum huius Pſalmi uerſum ex Hebræo Græce reddiderunt, uidétur exiſtimaſſe. Sic enim inquiunt: Intellexiſti cogitationes meas. Vbi idē uocabulum reperitur, pro quo Cogitationes reddiderunt. Illud autem ſcilicet, ראש, quod Principatum ſunt interpretati, Principem, Caput, & Summam, ſignificat. quamobrem poſſemus hūc locum, quēadmodum illi uiri docti late tractant, ita explicare: ut aſſeramus, Dauidem, poſtquam Diuinam in ſui corporis informatione uim prædicauit, in eorum admirationem rapi, quæ Opt. & Max. parens in eum beneficia conferre multo antea conſtituerat. quare ſic orationem inſtituiſſe: Mihi autem nimis ſunt in pretio cogitationes tuæ, Deus: hoc eſt, Ea, quę animo deſignaſti, ut in me conferres, rara ſunt, atque præclara: (eſt autem hæc uocabulo Hebræo ſententia ſubiecta) ad quorum ſummam conficiendam, cæleſti aliqua ui mihi opus fuiſſet. Cum enim mens humana, maris arenam numerare non poſsit, quo pacto ea beneficia, quæ in me conferre conſtituiſti, recenſere potero? Illa enim, multitudine ſunt multo plura, quā arena maris. nam nō ſolum me ex humili, & abiecto, loco, in Regiæ dignitatis gradum euexiſti, ſed illum Diuino robore confirmaſti: quod quidem Regnum, in omnium ſæculorum æternitate, permanebit, illiuſque amplitudinem iiſdem, quibus Solis curſus continetur, finibus circumſcripſiſti. etſi uero nunc illud ſit Paleſtinæ terminis circumſcriptum, ab æterno tamen eſt a te prædefinitum, ut mea poſteritas, Chriſtus, inquam, Opt. & Max. omnes gentes ſub ſuo imperio contineat, a quo omnis ſanctitatis ſplendor emanat, quo mens mea illuſtratur, & illius meritis me innumeris donis, & muneribus, cumulaſti.

Si occideris Deus peccatores, uiri ſanguinum declinate a me, quia dicitis in cogitatione, accipient in uanitate ciuitates ſuas.) אם apud Hebræos, quemadmodum etiam apud Latinos uox Si, & εἰ, apud Græcos, eſt deſiderantis ſignum, ut eam Virgilius uſurpat, cum Aeneam loquentem inducit:

Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat, nemore in tanto.

Sic etiam hoc in loco Dauid, cum optimi parentis beneficia, in ſe, & in genus humanum, collocata, in memoriam reuocaret, ingrati animi ſcelus, quo impij homines ſunt adſtricti, quam acerrime uindicari exoptat. Si, inquit, occideris, Deus, peccatores. Quaſi diceret: O ſumme Domine, impios, & ingratos, homines ſupplicio afficias, & neci tradas. nihil enim eſt hac tua in illos animaduerſione exoptatius. quamobrem uiri ſanguinum, declinate a me. Hic loquendi modus Hebræis eſt ualde familiaris; ut eum, quem mortis ſupplicio dignum arbitrantur, Virū mortis appellent; & eum, qui ſanguine maxime delectatur, & in ſuorum cæde ferarum inſtar uerſatur, Virum ſanguinum uocent. quemadmodum, cum Semei, Dauidem, Abſalonis tyrannidem fugientem, contumelijs proſequeretur, Egredere, aiebat, egredere uir ſanguinum, uir Belial, ut in hiſtoria Regum auctor Diuinus refert. Immanes igitur, & crudeles, homines illos Dauid a ſe reiecit, quorum mores deſcribit, & nobis ante oculos ponit, cum inquit, Quia dicitis in cogitatione, accipient in uanitate ciuitates ſuas. Improbi enim, & flagitioſi homines, nihil non ſenſuum iudicio metiuntur; &, quod ſenſu percipiunt, id ſolum uerum eſſe putant; cetera uero omnia, quę ſenſu comprehendi non poſſunt, ut inania, & falſa, contemnunt. quare nihil altum, nihil excellens, animo concipiunt. Viri igitur ſanguinum, inquit Dauid, declinate a me, quia dicitis in cogitatione, hoc eſt, cum ueſter intellectus tellure repat, ea, quæ ſenſu apprehenditis, effutire non dubitatis, &, quæ non ſunt a ſenſibus tradita, & impreſſa, impuro ore falſa eſſe prædicatis. Elegan ter uero Hebræus hūc uerſum explicat. Sic enim ait: Qui dicunt aduerſum te לשי מה. Eſt autem nomen Hebræum, זמם, Zamam, quod Cogitatio nem ſignificat, & Zimah, quod, cum ab eodem principio originem ſumat, pro Flagitio mente concepto, & pro ipſa Cogitatione, qua deteſtandum aliquod ſcelus conflatur, ab Hebræis, quēadmodum hoc in loco a Dauide, uſurpatur: Aduerſum te, o Domine, inquit, impietatem mente conceptam effutire non dubitant. improbi nanque homines de Deo ita ſentiūt, ut ei hominum mores affingant, prouidentiam negent, qua omnia in ordinem redigit, & de fidei conſtantia, & benignitate illius, dubitent, qua omnibus, qui illam minime reſpuunt, ſalutem confert. Hęc autem abiectiſsimę, ſuæ mentis ſenſa uerbis explicare, & ſumma contentione prædicare, minime reformidant. qua una in re flagitioſi homines Deo ſingulare conuicium faciunt: deinde, cum ſcelerati homines ſint tanto ſceleris flagitio contaminati, omnia iura humana, & Diuina, conculcant. quare uir ſapiens adiungit, Accipient in uanitate ciuitates ſuas; hoc eſt, cum ſint in Deū impij, & ingratiſsimi, quo pacto ius communitatis, quod inter homines, natura ducte, intercedit, poterunt ſeruare? Eſt enim Pietas optimus morum cuſtos, & iuris ſingulare præſidium: quā quia negligunt, accipient in uanitate ciuitates ſuas, fraudibus ſuos ciues compilant, iniurijs dilacerant, miſeram remp. reddunt. Interpretes hāc ſequuntur ſententiam. Verba autem illa, Ciuitates ſuas, apud Hebræum ſecundum notas punctorū, minime reperiuntur. Sic enim ille inquit: Accipiunt cum uanitate hoſtes tui. Interpretes illorum libidinem hac oratione ſignificari exiſtimarunt, qui ſuorum ciuium bona fraudibus, & ui, ad ſe auertunt. Hebræi autem, & alij uiri docti, crimen illud indicari putant, quo illorum fides, quam ſit uana, & inanis, oſtenditur. Accipiūt enim cum uanitate hoſtes tui; hoc eſt, tuum nomen uſurpant, ut iuſiurandi ſanctitate fidem ſuam hominibus perſuadeant, quod nefarie frangunt. qui autem iuſiurandum negligunt, ea, quę ſuis ciuibus, & Reip. debent, officia minime perſoluent. eſt enim iuſiurandum, ſummum inter Deum, & hominem, iuris uinculum; quo quamuis adſtrictos ſe eſſe uideant, & fidem præpotenti rerum omnium Principi dediſſe, eam fallere, & peierare, pro nihilo ducunt. Duplex autē eſt horum hominum ſcelus: alterum, in eo maxime conſiſtit, quia, de ſanctiſsimi numinis ui, ſenſu iudicant, & ita conuicijs pleniſsimam de Deo inter ſuos orationem habent: alterum, in perfidia uerſatur: peierant enim, & fidem Deo, & hominibus, frangunt. Hæc eſt huius loci uera, ni fallor, explanatio: quam interpretes, ut explicauimus, probaſſe uidentur: &, quamuis ab Hebræo uerbis diſſentiant, ſententiam tamen retinent.

Super inimicos tuos tabeſcebam.) Verbum Hebræum יתש præter alia multa, quæ ſignificat, præcipue eſt illa ei notio ſubiecta, qua animi dolorem indicamus, quem ob alicuius ſceleris turpitudinem concipimus, quod deteſtamur, & ſupplicio uindicari cupimus. Hanc igitur offenſionem, quam uir ſanctus ex improborum uita excipiebat, interpretes, ut explicarent, ex Hebræo uerterunt: Super inimicos tuos tabeſcebam. quemadmodum in Pſalmo centeſimo decimo nono fecerunt. Quem locum D. Hieronymus reddidit: Vidi prævaricantes, & mærebam. eſt enim hoc ſanctis hominibus familiare, ut ſceleris flagitium, a quo longiſsime abhorrēt, eis nō mediocrem moleſtiam afferat; cum in eo totis animis pugnēt, ut ſcelus omnino exſtirpetur. quare, ira, & offenſione, incenſi, in ſceleratos inuehuntur, ut illorum furorem aliqua ratione coerceāt.

Pſalmus 139.

Ne tradas me a deſiderio meo peccatori.) Sceleratiſsimi illi homines in eo totis uiribus pugnabant, ut Dauidi perniciem inferrent. ille autem, ut ſalutem, & incolumitatem, ſuam tueretur, opem Diuinam implorabat, qua ſæpius hoſtium ſuorū fregerat furorem. Ne igitur, inquit, tradas me peccatori a deſiderio meo: quaſi diceret: O ſumme Domine, illud a te ualde uehementer optaui, atque ſum omni contentione precatus, ut ſalus mea tibi curæ ſit, & uitam meam ab improborum hominum ore, & faucibus, ereptā ſerues. Ab hac ergo deſiderij mei exſpectatione, qua ſuſtentor, ne permittas, ut in illorum manus mactandus incidam. Hæc fuit a Septuaginta interpretibus huic loco adhibita expoſitio. Hebræus autem planius ſententiam explicat: Ne, inquit, Domine, patiaris, ut impij hominis deſideria impleantur.

Caput circuitus illorum, labor labiorum ipſorum operiet eos.) Dum improbi homines de bonorū uita neſarie cogitant, & aliquid moliuntur calamitatis, id ſibi imprudentes comparant. Diuina enim prouidentia, quę iuſtorum ſtatum ſingulari ratione tuetur, omnia in eorum utilitatem infinita uirtute deducit; &, improborum conatus, quam ſint inanes, manifeſte declarat; ut in hominum animis uirtutis ſtudiū, & ſceleris odiū excitet. Hanc ſententiam Dauid hoc in loco lucu lenter tractat. Vbi illud eſt animaduertendū, duplex ſceleris genus a Dauide cōmemorari, in quo hoſtes illius uerſabantur: alterū erat iniuria, qua omnibus modis eū de medio tollere conabātur, quā Circuitus uocabulo ſignificari putamus: infidijs enim, & fraudibus, iuſtū impij circū ſæpiūt: alterum, maledicentia, qua illius famam conuicijs dilacerabant. hanc Labio um laborem eleganter appellat. nam iuſtis, & probis, hominibus, qui honeſtatis decus ceteris rebus anteponunt, grauiſsimam moleſtiam affert calumnia. accedit etiam conſiliorum inter ſceleratos communicatio, quæ impuro ſermone ſtabilitur. quāobrem paullo poſt uir Diuinus adiungit, Vir linguoſus non dirigetur in terra, uirum iniuſtum mala capient in interitu. Verum, quod ſit illud Circuitus caput, nominis Hebræi ראש multiplex ſignificatio, eſt in cauſſa, ut diuerſis rationibus a uiris doctis explicetur. non ſolum enim corporis humani caput, ſed hominem principē, atque rei alicuius ſummam, ſignificat. quare putant, a Dauide Saulem his uerbis notari, qui caput, & princeps, eorum erat, qui Dauidem acerbe nimis oppugnabant. de quo prædicit fore, ut ipſe in eas calamitates incidat, quas ei, ſummo cum ſcelere, machinabatur. Sed planius, ni fallor, Symmachus, Capitis uocabulo acerbitatē, & auctor Paraphraſis ſummam malorum, quibus Dauidem circumuallatum impij illi, & nefarij, homines tenebant, indicari exiſtimat. Caput igitur circuitus, hoc eſt, ſumma malorum, quæ me cingunt, & labor labiorum ipſorum, maledicentia nempe, qua in me conuicia congerunt, qua fraudes, & inſidias, deſignant, illos iuſto Dei iudicio obruent.

Pſamus 140.

Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labys meis, non declines cor meum in uerba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.) Quod Hebræus Oſtium dixit, interpreres, ut planius ſententiam explanarent, Oſtium ambitus appellarunt. id enim uir ſanctus a Deo obnixe contendit, ut ſumma cum diligentia linguam illius inter officij terminos coerceat, ne petulanter aliquando moueatur. quod futurum eſſe affirmat, ſi ori illius oſtium apponatur, quod totū illud ſpatium, quod eſt intra labia, occupet, ne uerbum ex eo ullum inconſiderate dictum poſ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit effluere. est enim l'ngua, ut D. Iacobus asserit, maximorum malorum effectrix: quorum duplex est genus: nam aliorum splendorem, uel omni dedecore maculat, uel in Dei numen conuicium impie facit. Ne igitur in hæc scelerũ detestanda flagitia aliquando prolabatur, uates precatur, Ne declines cor meum in uerba malitiæ; hoc est, cum ego nihil ardentius cupiam, quam legis tuæ norma linguam moderari, opemq. tuã minime contemnam, sed eam toto animo effla-
gitem, tuæ, o Domine, partes erunt, ut cor meum uirtute tua contineas, ne in alterius dedecus sermonem instituat: calumnia uero, & maledicentia, Verbum malitiæ iure optimo dicitur. animi enim improbitas nulla maior excogitari potest, ea, quæ in calumnia, & maledicentia, uersatur: deinde, adiungit, Ad excusandas excusationes in peccatis. quem locum Hebræus ita refert, Ad faciendum opus impium. Est autem Opus impium, uel ipsa cogitatio, cum impius de Deo cum animo suo ea cogitat, quæ in illum minime conueniunt. quare D. Hieronymus, ex Hebræo uertit, Ad euoluendum cogitationes impias. quemadmodum etiam Symmachus, & Targhũ, explicarunt: uel ipsa oratio, quæ ab animo prauis opinionibus imbuto proficiscitur, Impium opus appellatur, ut interpretes, & alij uiri docti existimant. Est autem Oratio impia, aut singulare in Deum conuicium, mentis quodam furore prolatum, aut in ipsa sceleris turpitudine, uerborum fuco, & splendore, inuoluta, uirtutis simulatio, quæ in eo maxime pugnat, ut sceleris caussam tueatur, quod in singulare religionis dedecus uertitur. Eam ergo mentem sibi dari uir sanctus precatur, ut a maledicentia uehementer abhorreat, & ab impuro sermone sit omnino alienus, ne Diuinum numen aliquo conuicij scelere uiolet, neque scelus ipsum oratione defendat, quod summum, & detestandum, flagitium haberi debet. Hanc Dauidis fuisse, & interpretum, sententiam, non solum ex totius antecedentis orationis cursu, sed ex ipso uocabulo Græco, quo usi sunt interpretes, colligimus. προφασις enim, est, caussa, quam tuemur, pro qua Latinus Excusationes reddidit.

Quoniam adhuc, & oratio mea in beneplacitis eorum, absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum, audient uerba mea, quoniam potuerunt.) Omnis animi humani morbus, & ægritudo, ab insita corruptela, qua animi uirtutes debilitatæ, ab ea, quæ inter eas, natura duce, esse debuerat, consensione tradũtę, a debito fine seuocantur, & a mentis ignoratione proficiscitur. mens enim, ignorationis tenebris offusis, sapientiæ luce sibi erepta, ubique misere offendit. Est autem ignorantiæ duplex forma, atque species: altera, simplex, dum mens imprudens in ea, quę honesta sibi esse proposuerat, ruit; altera, quæ sapientiæ nomine gloriatur, cum in densissimis tenebris uersetur. illã, ex animis lenis quædam, & patria, admonitio expellit; hanc, durior quædam obiurgatio euellit, quam Doctrinam appellamus, dum argumẽtis falsæ opinionis errorem ostendimus, & ueritatem confirmamus, & ante oculos ponimus: doctrinam uero hanc, & admonitionem, sapienter quidem Plato, in eo, quem de Ente scripsit, libello. Animorum purgationem appellauit. prauis enim opinionibus expulsis, ueritatis splendor animos illustrat. cui Adulatio est maxime contraria. Vt enim in suo Gorgia ipse totius Græciæ uir sapientissimus asserit, uoluptatem sibi finem Adulatio proponit. quare labentem animum minime retinet, sed uehementius impulsum præcipitem agit. Dauid autem, postquã linguæ effrenatæ motum a se repelli obnixe a Deo postulauerat, iusti hominis de officio suo admonitionem, & obiurgationem, ad uitæ suæ moderationem exoptat. improbi uero adulationem exsecratur: Corripiet me, inquit, iustus in misericordia, & increpabit me: inde enim animorum maximæ utilitates proueniunt. oleum autem peccatoris non impinguet, uel non frangęt, ut refert Hebræus, caput meum. Quare autẽ Adulationem, quam Oleum peccatoris uocat, non sit umquam admissurus, rationem reddit: cum ait, Quoniam adhuc oratio mea in beneplacitis eorum; uel, ut apud Hebræum legimus, quia adhuc oratio mea propter mala eorum; &, ut uertit D. Hieronymus, Pro malitijs eorum. Omnia enim mala, quæ Dauidem tam acerbe afflictabant, ei adulatores attulerunt, qui Saulis gratiam obtinere conabantur. illius enim animum inuidia exagitatum continere minime curabant, ne in eius offensionem laberentur; & ad perniciem sanctissimo uiro inferendam hortabantur, ut ita regis animum sibi beneuolum redderent. Quo pacto igitur adulationi apud scelocum aliquem relinqueret, qui ab adulatoribus tanta cum immanitate uexabatur? Si ergo, ait, preces singulari cum contentione adhibeo, ut ab ijs malis eripiar, quibus adulatorum opera distineor, quo modo illorum orationi, omni fraude plenissimæ, aures præbebo? Oratio mea in beneplacitis eorum: hoc est, exsultant scelerati homines, dum me malis exagitant; sibi ipsi maxime placent, dum mihi cędẽ moliuntur; propterea contento studio Deum veneror, & illos detestor. Verum operæ pretium erit horum hominũ condicionem attentius considerare. sibi enim ipsi exitium comparãt. absorpti enim sunt iuncti petræ iudices eorum. Nomen Hebræum, סלע Saxum, & Rupem, significat. ר uero, locum. Ex Hebræo igitur possemus hunc uersum Latine uertere: Præcipitent in locis saxosis principes eorum: hoc est, libidine obcæcati, eo, quo in meã perniciem impetu feruntur, in maximas calamitates incidant; eorum instar, qui e rupe altissima, dum firme pedem putant figere, præcipites ruunt. Quam sententiam interpretes, ut planius explicarent, eam obscuriorem reddiderunt. Absorpti sunt, inquiunt, iuncti petræ principes eorum. Hanc illorum interpretationem ita explanamus: Principes illi, siue qui adulandi arte plurimum valent, siue ad quos bonorum nomen ab adulatoribus defertur, saxo, vel potius rupi altissimæ, adhærescunt. est enim dignitatis, & condicionis,

cionis, gradus ille præceps, unde in terræ uiscera eos ille ipse libidinis æstus rapiet, & absorbebit. hoc autem erit illis Diuino iudicio supplicium constitutũ. sentient enim impij homines, quantas uires habeat pij homines oratio. illorũ enim adulatio homunculi animum in meam perniciem excitauit, cum essem ab omnium præsidio destitutus. audient uero uerba mea, quoniã potuerunt: dum scilicet in eos numen Diuinum animaduerterit, perspicient, quantum preces meę apud rerum omnium principem ualuerint. me namque de illorum impotẽtia uindicarunt, & sanctissimum Dei numen, ut de illorum scelere uindictam sumeret, impulerunt. Hic est totius adulationis exitus: hæ inuictæ pij hominis precationis uires.

Sicut crassitudo terræ erupta est super terram, dissipatæ sunt ossa nostra secus infernum.) Hac ab agricolis similitudine adducta, plane explicat, merito de illorum hominum immanitate se apud Deũ querimoniam detulisse. Sicut agricola, inquit Hebræus, terram uertit, atque proscindit, dissipata sunt ossa nostra secus infernum. Terra autem, dum aratro proscinditur, pars illa, quæ Solis ardoribus non erat exusta, & pinguedinem quandam præsefert, uertitur, & quodammodo foras erumpit. Quare interpretes, Sicut crassitudo terræ, inquiunt, erupta est super terram. Quorum uerborum sententiam ex Paraphrasi percipies. Hæc autem admonuisse, non alienum fore putauimus.

Psalmus 142.

In misericordia tua disperdes inimicos meos.) Cũ de Deo loquimur, ut mentis nostrę sensa uerbis explicemus, humani animi motus ei quosdã tribuimus, non quia in præcellenti illius natura, ab omni licet minima mobilitatis, & inconstantię, suspicione libera, inesse possint: sed mens humana, ex ijs, quę sensu percipit, in Dei cognitionem peruenire nititur. quamobrẽ, cum de Deo orationem habemus, illius misericordiam summis laudibus efferimus, non quia ille miseratione moueri possit, quæ est animi ex alterius rebus aduersis ægritudo, sed quia afflictis solatium præbet, supplicibus opem benigne affert, egestate confectis uictum abunde confert. hoc est enim misericordis officium, ijs, qui in miseria iacent, misericordiã tribuere: quam cum a Deo in nostris rebus adhiberi uideamus, eum Misericordem iure optimo appellamus. Verum, cum infert necem, misericors haberi debet? Iustitiæ profecto munus persoluit, cum supplicium de sceleratis sumit. Quo pacto igitur Dauid, In misericordia, inquit, tua disperdes inimicos meos? Iustum quidem erat, immanes illos homines omni supplicio affici, in quorum exitio, quæ futura erat misericordiæ laus? Viri sapientes, in eo, qui rerum potiuntur, ut optimi principis officio fungatur, mansuetudinem, benignitatem, & misericordiam, iracundiæ participem, uigere magnopere oportere, affirmant. Hanc autem præcellentem quandam misericordiam appellant, quam Deo effingimus. si enim summo iure in actiones nostras animaduerteret, quis sempiternæ mortis supplicium effugeret? nihil autem est peccato miserabilius: ideo misericordiã flagitantibus benigne tribuit: aliter totum genus hominum periret; &, quos moderandos assumpserat, neci traderet. Duplex est autẽ improborum hominum genus. quidam enim, communi humanæ naturæ condicione, in scelus labuntur, & concidunt; alij ita se flagitijs dedunt, ut nullam resipiscendi spem ostendant; hi sanctissimi iudicis misericordiam non excitant, illis ueniam postulantibus acceptas offensiones obliterat, auxilium flagitantibus benigne occurrit. hos autem acerrime excruciat: sceleris enim sui obstinati, nullum Diuinæ misericordiæ locum relinquunt. dum igitur eos misericors iudex, & rerum omnium sapientissimus moderator, ærumnis uexat, perdit, ac funditus delet, maximas misericordiæ partes gerit, quia non solum supplicibus præsidium, & alleuamentum, affert, sed opẽ sceleratissimis, ut se a flagitio seuocent, offert: quam illi, obstinatione efferati, respuunt; & summa cum misericordię Diuinæ laude in sempiternas calamitates ruunt.

Psalmus 143.

Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua, filiæ eorum compositæ circumornatæ, ut similitudo templi.) Multa fuisse Septuaginta interpretum sacratum literarum interpretationi ab alijs adiecta, D. Hieronymus, ad Sumniam scribens, affirmat; idque plane ex ipsa illorum librorum lectione perspicimus. quare minime mirandum erit, si hoc in loco scriptum reperiamus, Quorum filij, & filiæ eorum compositæ. Quasi ea bona, quæ Dauid commemorat, improbitati debeantur: cum illud apud Sapientes omnino constet, Respublica bene constituta, ut omnibus bonis affluat, esse in caussa flagrãs virtutis studium. atque ipse Diuinus legislator hoc uirtuti præmiũ proposuit, cum gentem Hebræã instituit, & ad omne officij munus legibus instruxit ad hanc benę moderatæ Reip. condicionem, quæ in ciuium perditis moribus uigere non potest. Ad hanc Diuinæ mentis hac de re sententiã Dauid animum conferebat, cum hanc orationẽ instituit, Filij nostri, ut refert Hebræus, sicut nouæ plantæ crescentes, in iuuentute sua, filiæ nostræ sicut anguli inciſi, ad similitudinem templi. Cum igitur apud interpretes legimus, Quorum filij, & filiæ eorum, non sunt illi intelligendi, qui fraudes ut innocentium bona ad se auertant, moliuntur; qui, mendacijs nixi, iudicia euertere totis uiribus conantur; qui denique in omni scelerum turpitudine iacent, & uolutantur; sed eos intelligunt, qui omne studium in legis Diuinæ studio consumunt. nam, si e Rep. ut Dauid precatur, omnis fuerit libido euulsa, & ciues fuerint inter se Diuinæ legis uinculo adstricti, quis dubitat, eam fore beatam, & summis gloriæ ornamẽ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis excultam, inuictisq. opibus stabilitam? In tali autem Rep. optima erit educatio, & institutio filiorum, ut ijs moribus sint imbuti, quibus florentem Reip. statum conseruent. Vt igitur plantæ, & surculi, arboribus inserti, & parui arborum rami, grandescunt, ut suę stirpi non degenerem fructum ferant; ita eorum filij a parentibus minime degenerabunt. Filiæ vero, ut similitudo templi, & magnificarum ædium anguli, qui ex maioribus lapidibus, & pulchrioribus, extruuntur, ut ædibus firmamento, & ornamento esse possint, uiris suis decori erunt, & præstantissimę consiliorum omnium adiutrices: quarum laudes luculēter Salomon in Prouerbiorum libro prosequitur. hi autem mores, non in sceleratorum hominum liberos conueniunt, qui, parentum doctrina instituti, improbitatem uirtuti longe præponunt.

Psalmus 148.

Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes quæ super cælos sunt.) Quos Cælos cælorum dicat, & quas Aquas commemoret, inter uiros doctos non parua quæstio excitari solet. Quam ut explicent, multa singulari cum ingenij laude afferunt. Quibus omissis, rem ita explicandam esse, arbitramur. Cælum Hebræo vocabulo, שמים, appellari, quia ibi sint aquæ, uel quia igneus candor illis insit, Hebræi asserunt; semperq. Cælos, numquam Cælum, ut Latini nominant, siue Orbes cælestes, significent. quorum motuum uicissitudinibus rerum generatio continetur, siue aeream regionem indicare uelint: illam autē aeris regionem, in qua nubes colliguntur, Cælum in sacris litteris appellari, illud in primis libri Geneſis testimonium declarat. Moses enim, ante rerum omnium naturas, cælum, terram, & aquas, ex nihilo fuisse a Deo conditas, enarrat: postea uero, cum singularium rerum fabricæ mentionē fecisset, nec terræ, neque aquarum, quas statim in principio conditas fuisse commemorauerat, meminit; secundo tamen die firmamentum fuisse a Deo stabilitum, quod aquas superiores ab inferioribus diuideret, memoriæ prodidit. Cælum, & terras, Deus fuerat iam fabricatus. quod igitur firmamentū, & cælum hoc in medio aquarum exstitit, nisi supera illa regio, in qua nubes, in modum cæli, condensantur, qua scilicet superiores aquæ, altius Solis ardore euectæ, ab inferioribus separantur? Hoc fortasse alio in loco, si occasio se se offerat, planius explicabimus: illud tamen, quod in libro Iobi scriptum auctor Diuinus reliquit, est in memoriam reuocandum. Sic enim de Iobi amicis inquit: Scissis uestibus sparserunt puluerem super caput suum in cælū. Cæli quidem nomine, Intercapedinem illā, quæ inter æthera, & tellurem, iacet, indicauit. Præterea, Panem cæli, ait Dauid, dedit illis. Num cibus ille, de quo uates Diuinus loquitur, e cælo, an ex media aeris regione, decidens, gentem Hebręam aluit? Num Eliam, in cælum inuectum, & igneum currum in cęlorum solidam naturam penetrasse, in animum induces? Non id quidem sacra historia affirmat; sed, in altum euectum, a suorum fuisse conspectu abductum. Hæc igitur aeris regio Cælum dicitur. quæ si cum orbibus cæleſtibus conferatur, ab eis quodāmmodo pendet, & ideo Cæli cælorum nuncupatur. Aquæ uero, quæ super cælos sunt, Vapores attenuati dicūtur, qui superam aeris regionem capessunt: quas eleganter ad Dei prædicationem uates excitat, postquam mentes illas, quæ in cælorum omnium fastigio domicilium habent, atque ipsa sidera, ad idē officij munus persoluendum compellauit. Sic enim rerum interse ordo flagitabat.

Ego Franciscus Peres Collado, de mandato Reuerendissimi Patris Bartholomæi de Miranda, Magistri Sacri Palatij, perlegi has Notationes in Psalmos Hieronymi Osorij Nepotis, iuxta Paraphrasim illustris admodum, & Reuerendissimi Hieronymi Osorij, Episcopi Siluensis: in quibus nihil inueni Catholicæ doctrinæ, aut sinceris moribus, repugnans, multa uero singulari eruditione, & sacræ scientiæ cognitione condita. In quorum fidem subscribo, xxj. Aprilis, Anno M D XCII.

Franciscus Peres Collado.

Imprimatur. P. Antonius Vicesg.

Imprimatur. F. Bartholomæus de Miranda, S.P.M.

ILLV-

ILLVSTRISS. ET SAPIENTISS. PATRI

GABRIELI PALAEOTO

S. R. E. CARDINALI

HIERONYMVS OSORIVS

NEPOS.

VM rerum omnium ea sit condicio, ut, breui temporis spatio circumscriptæ, quasi confectæ senio, concidant, minime mirandum est, si omni præsidio urbes munitissimæ ita corruerint, ut illarum uix aliquod monumentum appareat. quod enim erat naturæ debitum, persoluerunt. Illud uero esset omni admiratione dignum, si hæc nostra condicio, temporis uicissitudini obnoxia, tantis opibus fulciatur, ut nulla temporis longitudo, & iniuria, eam de statu dimouere possit. Sic enim immortalitatem quandam consecuta fuisse uideretur. quod quam raro contingat, Syriæ, & Phœniciæ, urbes, priscis temporibus imperio, & doctrinæ opinione, florentes, breui e post omnium obliuione contritæ declarant. Athenæ, Corinthus, Magna Græcia in Italia, sempiterna obliuione obrutæ, testantur, omnia, licet sint summis opibus stabilita, ætate consumi. Verum, etsi hæc rerum humanarum uarietas, & mutatio, ab ipsa natura proficiscatur, quæ motu suo semper cietur, & agitatur, non tamen tantam uim haberet, ut eas ita labefactaret, ut etiam ex hominum memoria deleret, nisi ea fuisset hominum mens libidine obcæcata, ut sapientiæ studio diuitias, imperium, & gloriam, fallaci quadam uirtutis specie animis blandientem, præferrent. Diuinum enim quiddam, & immortale, sapientia continet, quod temporis diuturnitati minime cedit: adeo, ut, cum illarum gentium imperia, quæ ante Romanam Remp. floruerunt, sint in nihilum redacta, urbes illæ, quæ tunc sapientiæ laude præstabant, nunc etiam ali-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam nominis auctoritatem retineant. eos enim, qui præclaris disciplinis animos excolunt, ab obliuionis tenebris, sapientiæ splendor uindicat. quamuis enim nationes illæ numquam tam exitiales exitus haberent, si, eo, quo cœperant, conatu, in sapientiæ studium incumberent, quia tamen in eo studio per aliquod tempus præclare se gesserant, non sunt ex hominum memoria penitus euulsæ; illarum quidem gloria, imperium, & eruditio, tenebris conticescit; at tamen nomen in hominum memoria uiget. Vt igitur illarum omnium fuit is ad perniciem lapsus, quia se ab studio sapientiæ seuocarunt, ita ad immortalem gloriam studium sapientiæ Bononiam euexit. Sapientiæ enim præsidia rebus omnibus antetulit, quibus sæpta, eam iam multis ante sæculis gloriam singulari uirtute est adepta, quam nulla umquam diuturnitas temporum, aut uarietas, non dicam exstinguere, sed neque aliqua ex parte ad hanc usque ætatem deformarit. fuit enim illa ingeniorum altrix, & artium maximarum parens, neque umquam ea studia, quibus floruit, ob impotentem animum, ut Rhodus, Corinthus, & Athenæ, ut nouis rebus studeret, deseruit, sed sapientiæ laudem, semel a maioribus partam, multis accessionibus amplificauit, ac tandem eam cumulauit, quia illis te disciplinis instituit, quibus Ecclesiam Christi mirifice exornas, & nostræ memoriæ es facile princeps. Non igitur mirandum est, si, Corintho, Rhodo, & Athenis, breui, post illam, quam fuerant gloriam consecutæ, dirutis, Bononia per tot sæcula & rerum gestarum magnitudine, & doctrina, uigeat. est enim hæc sapientiæ studio merces constituta. Illud autem dese poterit Bononia gloriari, quod singulis ætatibus, hominibus omni doctrina eruditissimis affluit: eos uero qui in tuam ætatem inciderunt, longum fuisset recensere: in quorum numero, ob præclaram ingenij indolem, & eximiã eruditionem, eloquentiæq. uim singularem, Hieronymus Osorius reponi debuit. ex eodem enim sapientiæ fonte, illa dicendi ornamenta, & maximarum rerum scientiam hausit, qua instructus, & ornatus, multis in locis hostes religionis scriptis confixit, & Ecclesiam Christi ualde uehementer illustrauit. quod quidem etsi Bononiæ tuæ Resp. Christiana debeat, nisi tamen illius monumentis auctoritatem adiunxisses, compressa in tenebris iacerent. Vt enim ea in Vrbem e Lusitania adducerem, & in lucem emitterem, perfecisti. Vt ergo Bononiæ, quod Osorium habuimus, sit tribuendum, eum tamen uita functum, e mortuis quodammodo excitatum, tibi Bononia iure optimo debet. quod in summi beneficij loco esse collocandum sapientiæ studiosi iudicant, & tibi quas maximas possunt gratias habent. Quid igitur mihi, in quem tam multa singulari studio officia contulisti, faciendum erat? num, quod alij prædicant, ego taciturnitate comprimerem? & ingrati animi sceleris, quod semper horrui, suspicionem de me concitarem?

Minime.

Minime. illud enim ipsa morte peius ducerem. Ex omnibus igitur Osorij scriptis hoc opus elegi, quod Amplitudini tuæ dicarem. multiplicem enim rerum disciplinam, & multas uariasq. rationes, continet. Te namque, ob eximiam uitæ sanctimoniam, & prudentiam singularem, atque in omni disciplinarum genere laudem, qua circumfluis, Salomonis prouerbia, & Osorij in illis explicandis eruditio, & eloquentia, decebant. Quamuis autem gratiam referre non possim, illud tamen assequar, ut omnis posteritas, quod Osorium habeat, ad te referat. Diutissime ualeas, Pater amplissime; & hoc nostrum in te studium amplectere. Romæ. Idibus Apr. M D X C I I.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI IN COMMENTARIA IN PARABOLAS SALOMONIS

PROOEMIVM.

SI uerum est illud tritum sermone prouerbium, nempe, Pulchra omnia difficilia, sequitur necessario, cum nihil sit uirtute pulchrius, ut nihil sit illa difficilius. Multa namque sunt uehementer ardua, & excelsa, sine quibus uirtus lumen habere non potest. In primis enim ad eam parandam, insignis naturæ præstantia flagitatur. Hæc autem in duas partes tribuitur. Vna, ingenio summo continetur: altera, in animi magnitudine, atque robore firmo, consistit. Nec enim mens hebes potest ullo modo uirtutis elegantiam, & decus, intueri; nec animus mollis, & effeminatus, uitiis, quibus animi status oppugnatur, obsistere. Neque tamen id satis est, ad uirtutem obtinendam. Immo frequenter euenit, ut, quo ingenium maius est, & animi uis actior, & uehementior, eo mens, propter principatus appetitionem, erroribus inflata, turbulentius ruat, usque eo, dum se, & uniuersam Remp. in perniciem furibunde præcipitet. Quod ne accidat, opus est disciplinæ salutaris moderatione, quæ regat animi partes, & mentis statum ordine, atque modo, constituat. Huius autem disciplinæ ratio tota in eo consistit, ut doceat, quod sit extremum bonorum, & ultimum omnium rerum expetendarum, in quod sint cuncta uitę consilia, & actiones dirigendę: cuius qui compotes fuerint, merito felices, atque beati, pośsint existimari. In huius enim ultimi finis iudicio omnis uitæ ratio uertitur. Multi namque sunt, qui ingenio quidem ualent, & ad res magnas, & arduas, aspirant, sed, propter uitia, quibus se penitus addixerunt, a ueris bonis auersi, falsa, & inania, acerrimo studio consectantur. Itaque, dum, ut beati sint, omnibus corporis, & animi, modis enituntur, se in summam miseriam præcipites eiiciunt; totamq. uitam in mendacio, & uanitate, cōsumunt. At, beatam, atque miseram, uitam, ueritate tantum, & mēdacio, discriminari cōstat. Beati namque sunt, qui ueras opes expetunt; uerum decus admirantur; ueras uoluptates exquirunt; in ipsius ueritatis studium omnes curas, & labores, impendunt; contra uero, miserrime uitam agunt, qui, fallacissima specie delusi, in opes inanes, in popularem dignitatem, in noxias, atque pestiferas, uoluptates furenter impelluntur; ut ita tandem, dum bonis expleri desiderant, malis innumerabilibus obruantur. Hoc igitur præstat uerissimæ scientiæ disciplina, ut, cum intellexerimus, quantū inter uerum bonum, & assimulatā boni speciē, interfit, inueritatis studiū incitemur; & mendacium tamquam tęterrimā pestem, summa cōtentione fugiamus. Sed nec hoc quidem satis est, ad fructum uirtutis, atque iustitiæ, capiēdum. Quamuis

Universidad de Deusto
Biblioteca

uis enim uerorum bonorum notitiam penitus exploratam, & cognitam, habeamus, si non habuerimus uires, quibus libidinem refrenemus, & omnia a nobis flagitia robore inuicto repellamus, nullum nobis fructum afferet scientiæ uerissimæ disciplina. At naturæ imbecillitas tanta est, ut facillime flecti, & commutari, & a studio honestatis ad flagitia traduci, possit. Instat enim, & urget, immanis, & fera, libido; cupiditas multiplex, & infinita, animum uarie torquet, tantisq. uiribus instarum mentis insurgit, ut illi repugnare sit difficillimum. Nulla namque furia, colubris subcincta, & facibus armata, tantas uires habet, quantas habet hæc animorum pestis insita penitus in natura, quæ animũ sepe numero de omni statu cõuellit. Tenebras enim offundit; furorẽ immanem concitat; morbos pestiferos inducit; mentemq. postremo, ab adspectu uerissimæ felicitatis auersam, ad res fluxas, & inanes, nimis attente contuendas inducit. Vnde colligitur, neque ingenij. præcellentis acumen, nec animi decoris studio uehementer incensi magnitudinem, neque artium maximarum disciplinam, ad uirtutem comparandam sufficere. Si enim non interuenerit Diuini spiritus appulsus, frustra disciplinę subsidia comparabuntur: immo, quo plures ingenij, & philosophiæ, opes affluxerint, eo tætriora flagitia, ex animis, ad multorũ exitiũ, pullulabũt. Vnde cõcluditur, uirtutẽ non esse hominũ inuentũ, sed Dei munus, atq. beneficium. Quid enim conuenit, eum cæli adspectum, cum aeris spiritum, cum animantium usum, cum corporis motum, & incessum, cum omnes denique terrenas opes, in muneribus Diuinis numeremus, unumq. solum fontem bonorum omniũ, quibus corpora nostra continentur, agnoscamus; ut solam uirtutem, quæ mentem, in qua uiget Diuinæ mentis imago, alit, & ornat, sensibusq. Diuinis afficit, ad humanam disciplinam, & industriam, reuocemus? Est enim Virtus, splendore clarissima, opibus affluentissima, uoluptate iucundissima, status stabilitate sempiterna. Terra desidebit; mare consumetur; aer interibit; cælum incendio deflagrabit; omnia, quæ complexu illius continentur, ad nihilum recident; solaq. uirtus, in omni æternitate incolumis, & ornamentis Diuinis exculta, permanebit. Verum, quo uirtutis species est amplior, & magnificentior, eo magis illius fructus desperandus esse uidetur. Si enim ad eam comparandam ingenium summum flagitatur; si magnitudo animi fortis, & inuicti, requiritur; si absque sapientiæ disciplina, ea percipi nequit; si præsidium Diuinum non est in hominum potestate situm; restat, cum rarissimũ sit eorum genus, quod est omnibus his adiumentis instructum, ut spes uirtutis sit multis abiicienda. esset quidem, sit uirtus esset in hominum industria, & non in Dei benignitate, collocanda. Deus autem, cum sit summa bonitas, nemini inuidet, sed potius ea bona sua cũ eorũ mentibus, qui ad se supplices accedunt, admirabili beneficentia, & largitate, communicat. Itaque mentes pias, quantumuis hebetes, & obtusas, lumine suo collustrat; imbecillas inuicto præsidio communit; rudes, & imperitas, opibus sapientiæ locupletat; easq. postremo spiritu suo incitat, inflammat, Diuinisq. uiribus instruit, ita, ut nihil sit tantis difficultatibus obstructum, aut tantis munitionibus obuallatum, quod illas impediat, ne omnia uirtutis inuictæ præmia cum insigni gloria consequantur. Cum uero duplici ratione sint animi dignitatis appetentes, ad ueram uirtutem erudiendi; una, est posita in disciplina, quæ admonet, & pellit animos, & in illis insculpit, ut credant nihil esse uirtute præstabilius; altera, in sancti spiritus afflatu, & impulsu; quo fit, ut animi iam, non absque illius ope commoti, multo acrius incitentur, & uires assequantur, ad omnia, quæ uehementer appetunt, felicissime comparanda. Vtriq. rationi pater ille sanctissimus, uitæ nostræ principium, & finis, egregie prospexit. Nã & magistros Diuinis disciplinis instruxit, qui nos in studium uirtutis, atque pietatis, incitarent, & spiritum suum magnificentissime largitus est, quo facillime possemus perissimis bonis, cum summa iucunditate, potiri. Sic igitur fit, ut nemo se possit, uel insciticę, uel imbecillitatis, excusationes defendere. Cũ uero multos magistros huiusmodi præclarę eruditionis habeamus, inter summos huius doctrinæ Principes Salomon merito numerandus est. Adeo namque hoc summum beneficium impetrauit,

trauit, ut omnibus summis uiris, qui sapientiæ gloria præstiterant, longe antecelleret. Is terrarum uiscera penetrauit; is in cęli fastigium agitatione mentis euolauit; is uitalem ætheris ardorem, is salutarem aeris uim, is aquarum immensitatem, cogitatione comprehendit; is sidera, is plantas, is animantia, is omnium rerum formas, quæ cęli ambitu coercentur, explorauit, inspexit, earumq. rationes in mente defixit; is, uniuersæ naturæ concinnitatẽ admiratus, ipsius naturæ conditorem debita prædicatione celebrauit; & honores illi, quos potuit, ardenter instituit. Cum uero mundum omnem peragraret, non tamen existimauit, esse sibi in partibus illius speculandis insistendum, cum multo maiora, & ampliora, animo secum moliretur. in Diuinæ namque sapientiæ thesauros intromissus, opes uirtutis, iustitię, atque pietatis, inde deprompsit, quas hominibus sapientiæ cupidis Diuina uoluntate distribueret; quibus instructi, facillime possent totius mundi ornatum, & pulchritudinem, mentis pulchritudine superare. Eas autem opes in hoc uolumen congessit, quod omnium uirtutum disciplinam complectitur. Nam & religionem mirifice sancit; & iustitiæ sanctissima præcepta tradit; & animos lan guentes robore confirmat; & ad hominum caritatẽ homines diligenter erudit. Tum etiã fraudes eorũ, qui fallaces opes, & ludibria uitæ, uerissimis ornamentis anteponunt, in oculis, & adspectu, proponit; Principes autem potissimum ad studium iustitiæ, & religionis, inflammat; &, cum uirtutis æterna præmia oratione persequatur, supplicia consequenter impiis constituta describit; nullam denique uirtutis partem, siue quæ ad animi cultum, siue quæ ad religionis sanctitatem, siue quæ ad Reip. moderationem, pertineat, omittit. In huius operis explicatione, quod illustrandum suscepimus, in eo tantum erat nobis elaborandum, ut, omissis ornamentis, quæ retineri non poterant, sententiarum grauitas explicaretur. quod an fuerit a nobis abunde prę stitum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritati, quam semper sanctam habebimus, omniq. pietate uenerabimur, examinandum relinquimus. Sed iam ipsum Salomonem lingua Latina loquentem audiamus.

HIERO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI IN PARABOLAS SALOMONIS COMMENTARIVS

CAP. I.

Parabolæ Salomonis filij Dauid Regis Israel:

OPERIS titulos proœmij uice perfungitur. In singulis enim uerbis uim non mediocrem ineſſe perſpicimus, mentem intelligendi cupiditate acriter incitantem. Primum enim Parabolæ nomen erigit animum ad arcanæ ſapientiæ diſciplinam arripiendam. Eſt enim Parabola, in ſanctis Litteris, Sententia grauis, in breuiſsimam uerborum comprehenſionem eleganter incluſa. Eſt etiam Cármen elaboratum, figuris, atque ſimilitudinibus, præcepta continens, ad uitam utiliter inſtituendam aptiſsima. Eſt denique Prouerbium, mira orationis breuitate ſenſus Diuinos complectens. Sed non ſatis habuit Auctor operis, Parabolarum nomen ad attentionem excitandam uſurpare, niſi etiam ſuum nomen apponeret. iam enim conſtabat, illum ſapientiæ admirabili laude præcellere. Neque ſanctiſsimi, atque ſapientiſsimi, Patris nomen ſilentio prætercundum exiſtimauit, a quo fuerat ad ſapientiæ ſtudium ſane diligenter inſtructus. Adiunxit Regis nomen, ut grauior auctoritas ad operis commendationem accederet. Neque Populi quidem, cui imperabat, nomen ſubticuit. Oſtendit enim, ſe non gentibus a numinis Diuini cognitione remotis, ſed hominibus in legis Diuinæ ſanctionibus educatis, iura deſcribere. Conſequens deinde eſt, ut materiam operis percipiamus, ut actius, & attentius, de utilitate illius cogitemus. Ait igitur:

Ad ſciendam ſapientiam & diſciplinam, ad intelligenda uerba prudentiæ.

Sapientia, eſt altiſsimarum, atque Diuinarum, rerum ſcientia. Diſciplina, eſt ratio, atque uia, qua ad ſapientiam peruenitur. Prudentia, eſt uitæ moderandæ lex, & humanæ ſocietatis recte conſeruandæ ſalutaris inſtitutio. Ait deinde:

Et ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem.

Ordinem mirum cælestis eruditionis exponit. Primum enim eſt coercenda temeritas, atque libido, nequid inſit in animo, quod tenebras offundat, impediatque mentem, quominus uerum cernat. Hoc autem, diſciplinæ ſeueritate, & morum ſanctitate, perficitur. Hanc uero rectam animorum inſtitutionem lux mira conſequitur; & continuo iuſtitiæ claritas, atque lumen, offunditur. Ex iuſtitia uero recte conſtituta, iudicij, & æquitatis, laudes oriuntur, quæ uitam omnem continent, hominumque cœtus opibus admiran-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dis exornant. Aliam deinde utilitatem adiungit:

Vt detur paruulis astutia, adolescenti scientia & intellectus.

Non satis est tenere uirtutis, atque iustitiæ, rationem; sed opus etiam est simulatæ probitatis, & effictæ sanctitatis, artem perspicere, ut non solum fidem, & pietatem, colas, sed etiam dolos, in ficta specie sanctitatis latentes, acute præcaueas. Non enim sufficit columbæ simpliciratem imitari, nisi etiam serpentinam calliditatem perspicias, ne facile, tamquam puer paruulus, specie probitatis illectus, in capitalem fraudem impellaris. Recte. Sed libenter audierim, an solis paruulis utilitatem allatura sit hæc disciplina; solumque pueri, & imperiti sint ad studium illius euocandi, & robustiores, & intelligentes, excludendi, quod uidelicet minime illius præceptis indigeant. Non ita est, inquit. Sapientiæ enim opes non solum summo studio quærendæ sunt, sed modis omnibus amplificandæ. Summis enim, atque uerissimis, bonis nullus est terminus naturæ lege præfinitus. Immo, quo affluentiuus proueniunt, eo ardentius expetendæ, & accumulandæ sunt. Nullus enim finis est cupiditati cælestium rerum, quibus ultimus uitæ finis continetur, ullo modo constitutus. Inquit igitur:

Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens, gubernacula possidebit. Animaduertet parabolam & interpretationem, uerba sapientum, & ænigmata eorum.

Qui sapientiæ præcepta degustauit, teneri uix poterit, quin ulterius progredi uehementer cupiat; usque eo, dum non sibi solum consulat, sed multitudinem imperio salutari contineat. quod assequetur, si legis Diuinæ mysteria perspexerit. Quod fieri ab eo commode non poterit, nisi similitudines conferat; nisi se sapientibus in disciplinam tradat; nisi mentem assidue in speculandis sensibus Diuinis, quæ uerborum inuolucris, atque figuris, obteguntur, exerceat. Flagrat quidem animus sapientiæ cupiditate. Sed, quid prodest, inquiet fortasse aliquis? Ea namque ita est ab humanæ mentis cogitatione remota, ut nemo eam possit intueri. Verum. Sed miram, inquit sapiens, illius parandæ, atque fruendæ, rationem aperiam.

Timor Domini, principium sapientiæ.

Nemo quidem erit ullo modo sapiens, nisi is, quem Diuinus spiritus erudierit. Nec enim natura uniuersa poterit ullis uiribus ad opes Diuinas adspirare. Quid autem magis in muneribus Diuinis excellat, quam sapientia, animo cogitari non potest. Vnde sequitur, cum tantum sapientiæ compotem fore, qui Deum uitæ magistrum habuerit. Quis autem ille tam felix erit? Is, inquit, qui Dei numen pie ueneratur; qui iudicia illius pertimescit; qui, formidine sancta perculsus, mentem a cogitatione sceleris auocat; qui manus ab opere nefario continet; qui sic animi statum moderatur, ut nihil, quantumuis horrendum, magis, quam Dei offensionem, metuat. Qui ita se in uita gesserit, sapientiæ fructu carere non poterit. Quo modo, inquis? Quia summa probitas nemini aditum ad suam benignitatem intercludit. Omnes igitur, qui mentis expertes non fuerint, & ad Deum supplices adierint, sapientiæ participes euadent, si ea impedimenta a se primum ope Diuina repulerint, quæ societatem, & coniunctionem, hominum cum Diuina mente dirimunt. Impedimenta sunt flagitia, & impuritates, quæ cum lege Diuina assidue bellum gerunt. At flagitia omnia numinis Diuini metu funditus tolluntur. Restat igitur, ut timor Dei sit firmissimum sapientiæ fundamentum. Vnde sequitur, ut illi solum sint habiles ad tantum munus accipiendum, qui Deum metuunt; qui se coram Maiestate illius abiiciunt: qui nihil sibi arrogant, & assumunt; qui ualde solliciti sunt, ne quid gerant, uel moliantur, uel cogitatione saltem meditentur, quod in numinis sempiterni offensionem possit incurrere. Humilitate igitur, & pia animorum moderatione, initium sapientiæ continetur; quemadmodum in superbia, & insolentia, summæ stultitiæ causa consistit. Vt statim sequitur:

Sapientiam, atque doctrinam, stulti despiciunt.

Qui sunt hi? Illi certe, qui sibi ipsi peracuti uidentur; qui falsa sapientiæ opinione se tumidos inferunt; qui, uanissimis opibus erecti, furenter insolescunt; qui probitatem, atque iustitiam, irrident; qui denique, tantum abest, ut se ullius consilio indigere putent, ut potius opinentur, posse consilio, & auctoritate, populis uniuersis imperare. Hi non solum insipientes sunt, uerum etiam, quamdiu hoc morbo oppressi fuerint, ab omni spe sapientiæ, cuius disciplinam penitus oderunt, excluſi. Si igitur hi sunt detestabiles, si eorum furor exsecrandus, qui salutarem disciplinam immani odio persequuntur; consequens est, ut, qui beatum uitæ statum expetunt, eorum exempla perhorrescant. Iccirco subiungit Sapiens:

Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.

Admonentur hoc in loco parentes, ut ab incunabulis liberos suos instituant, & monitis sanctis erudiant, si parentum nomen retinere cupiunt. Nam, qui filios moribus prauis, uel uerbis, uel exemplis, inficiunt, non parentes, sed homicidæ, & parricidæ, sunt: admonentur filij, ut a primis annis parentibus honorem debitum tribuant, illisque diligenter obtemperent, ut ea obœdientia assuescant amare disciplinam, & in sapientiæ studium uigilanter incumbere. Quamquam hoc in loco Sapiens his uerbis se in animos eorum, quos instituendos suscipit, quos Filios suos appellat, insinuat, ut facilius eos ad disciplinam salutarem alliciat. Et re uera magis Pater appellandus est is, qui formæ suæ similitudinem in auditorum animis, optimis artibus, & disciplinis, ingenerat, quam ille, qui corpori tantum gignendo operam dedit. Ille namque mentem informat; hic corpori tantum fingendo materiam suppeditauit. Et ille consilio Diuinum opus suscipit; hic uero, naturæ impetu, & cupiditate, ad opus cunctis animantibus commune se petulanter applicuit. Ille postremo opus efficere studet nullis sæculis interiturum; hic uero in opere uersatur morte consumendo. Iure igitur Salomon, eos, quos disciplinis Diuinis instituit, Filios appellat: neque, Patris nomine contentus, nomen etiam Matris usurpat. Nec enim solum in docendo operam ponit, ut filios generet, quod patris officium est; uerum etiam de prole in lucem feliciter edenda sollicitus est, atque quodammodo parturiens ingemiscit; quod matris proprium est. Sic noster Paulus, ad Galatas scribens, ait, Filioli mei, quos ego iterum parturio, donec formetur Christus in uobis. Ad hunc igitur modum inquit Salomon: Audi, fili mi, non hominis alieni disciplinam, sed illius, qui te patrio amore complectitur; & legem illius, non qui salutem tuam sit umquam obliuione deserturus, sed qui de uita, & statu tuo, non est minus sollicitus, quam si esset mater tua. Cum amorem suum huiusmodi uerbis ostendit, uehementius eos ad studium conatur adducere: at, cum præmium adiungit, acrius eos incendere conatur, Vt addatur, inquit, gratia capiti tuo. hoc est, ut firmissime Regiæ uirtutis insignibus exorneris, imperioque dignus sis; & ut cum prudentiæ, atque iustitiæ, corona triumphes. Et, quia nemo potest has Regias uirtutes adipisci, nisi gratiæ Diuinæ munere, & beneficio, pro corona Gratiam posuit. Addit deinde, Et torques collo tuo. hoc est, ut eloquentia tua insigni admirationem commoueas. Pro Torque enim, nempe gutturis ornamento, eloquentia, quæ est comes sapientiæ, intelligenda est. Et hactenus quidem Sapiens exordij partes admodum luculenter exsecutus est. Excitauit enim, parabolarum exspectatione, & nominis sui splendore, uehementer attentionem; & præmia amplissima iis, quos sibi audientes esse uolebat, proposuit; & uiam ad tantas opes parandas facilem, & expeditam, monstrauit; suumque amorem erga eos, quos sibi allicere cupiebat, aperuit; atque postremo eos ad summum imperij decus, & eloquentiæ Diuinæ magnificentiam, adhortatus est. Nunc uero præcepta tradit. Et, quia dixerat, hac disciplina paruulis astutiam afferri, auditores admonet, ne ullis uerborum lenociniis, aut emolumentis fallacissimis perditorum hominum, se decipi sinant. Inquit igitur:

Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.

Non potest improbitas, atque malitia, terminis ullis contineri. serpit enim in dies sceleris lues, ut contagione sua omnes, qui propius accesserint, periculose contaminet, & in sempiternam calamitatem trahat. Sed, quibus uerbis homines perditi, atque scelerati, ad suam plerumque societatem homines simplices allicere meditentur, operæ pretium erit attendere. Ne te, inquiunt, rapiat in fraudem inane nomen decoris, & honestatis: nec enim te uirtus, sed calliditas, poterit florentem, atque beatum, efficere. Summum namque iustitiæ studium, est inopiæ summæ finitimum; simplicitas, & innocentia, est iniurijs infinitis obnoxia; probitas uero, neque te ditescere sinet; immo, quidquid habueris, dissipare compellet. Religio, est seruitutis uinculum minime ferendum illis, qui appetunt in Rep. principatum: omne denique iuris studium, est imbecillitatis indicium. Tantisper enim quisque se deuinctum legibus arbitratur, quamdiu nequit eas uel ui, & potentia, frangere, uel fraudibus, & dolis, eludere. Quod si fuerit aliquis tam sine mente, ut, cum possit iura uiolare, illis tamen obstringi, cum rei familiaris incommodo, malit, quam omnes illas ad suam utilitatem reuocare, hic certe non ueri decoris laudem obtinebit, sed summum in uita stultitiæ documentum dabit. Quid enim insanius est, quam opes aspernari, & superstitioso nomine iuris impediri, quo minus uitam firmo præsidio communiat? Non enim iniurias ferre, sed inferre, cum libet, prædicandum est; non iustitiam colere, sed dominatu multos mortales opprimere, insigne gloriam parit. Quare, si inopiam metuis, si non uis in assidua mendicitate uersari, si cupis omnes a te iniurias, atque pericula, propulsare; desere iustitiam, contemne religionem, uindica te in libertatem, omnes animi neruos intende, ut tandem possis efficere quidquid libuerit. Fundamentum porro totius amplitudinis, est in pecunia collocatum. quocirca omnes conatus eo comparandi sunt, ut pecuniam iure, & iniuria, coacerues. Nos igitur sequere; tuas rationes ad nostras

Universidad de Deusto
Biblioteca

rationes adiunge, si cupis inter ciues tuos excellere. His, & aliis eiusmodi uerbis, homines perditi ad simplicium perniciem abuntur. Monet igitur Sapiens eos, quos instituendos suscipit, ne aures orationi adeo pestilenti ullo modo præbeant. Sequitur deinde:

Si dixerint, Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra: (*id est sine caussa*) deglutiamus eum sicut infernus uiuentem, & integrum quasi descendentem in lacum. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis. Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum. Fili mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum.

O pestilentem, & exsecrandam, orationem, quæ nihil aliud continet, quam sceleris, & immanitatis, & crudelitatis, & inexplebilis auaritiæ, disciplinam, cum detestabili furore, & cæcitate, coniunctam. Nec enim uident homines amentissimi, fieri non posse, ut aliquis uel iustorum sanguinem fundat, uel innocentem insidiis circumueniat, uel alienas opes diripiat, quin multo grauiorem plagam sibi ipse, quam illis, quos de medio tollere conatur, infligat. Dum enim aliorum corpora cruentat, animæ suæ pestem comparat; dum insidias intendit, se in laqueos induit, e quibus numquam poterit explicari; dum opes alienas diripit, se ipsum opibus sempiternis spoliat; dum uitam denique, breuis æui spatio definitam, eripit, se in mortem, & supplicium sempiternum, furenter iniicit. Iam uero, quam impudenter id, quod præstare nullo modo possunt, quam temere, pollicentur? Vnum, inquiunt, marsupium erit omnium nostrum. Nihil enim inter homines impios, unum, & simplex, esse poterit. Qui enim secum semper dissidet, quo tandem modo se ipsum ita ad sceleris socios adglutinabit, ut aliquid inter illos unum sit? Tamdiu igitur fidem, si Fidem licet appellare sceleris immanissimi consensionem, inuiolatam improbi conseruabunt, quamdiu communis utilitatis species eos adstrinxerit. At, ubi primum facultatem fraudis oblatam adspexerint, eam minime præteribunt; neque teneri poterunt, quin in mutuam perniciem furibunde rapiantur. Numquam enim fuit inter homines, indomita cupiditate flagrantes, stabilis, atque firma, conuentio. Quilibet enim ferre non potest, id inter multos tribui, quod totum uni sibi concupiscit. Sapiens igitur omnes a tam nefario scelere deterret, inquiens:

Fili mi, prohibe pedem tuum a semitis eorum. Rationem uero continuo adiungit:

Pedes enim eorum ad malum currunt.

Hoc est, dum, ut bona sibi parent, approperant, in pestem ruunt. Quo modo? Quia, inquit,

Festinant ut effundant sanguinem.

At nemo humanum sanguinem fudit, quin cæde, & exitio, pœnas immanitatis exsoluerit. Sic enim est lege Diuina, quæ mutari non potest, statutum, ut crudelitatis scelus crudelitate uincicetur. Cum igitur tantam ad hominem innocentem occidendum celeritatem suscipiunt, ut sibi ipsis cædem machinentur, accelerant.

Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum.

Pennatos hoc in loco eos impios appellat, qui ualent ingenio, & tamen, cupiditate cæcati, in pestem ruunt. ita, inquit, sunt amentes, ut, quamuis oculos habeant, natura ualde uigentes, & acutos, & quamuis industria, & celeritate, prædit sint, qua, tamquam alis, erigi possint, ad insidias fugiendas, cupiditate tamen uicti, in rete expansum, hoc est in pestem ante oculos positam sponte sua ferantur, perinde, atque si uolucris in rete, quod cernit, inuolaret. Frustra igitur expansum rete uident, quod minime uitabunt. Teneri enim non possunt, ne, iudiciorum laqueis impediti, in funestum exitium rapiantur. Quod quidem minime mirandum est. Sequitur enim:

Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas.

Qui sibi ipsis insidias faciunt, & se ipsos in capitalem fraudem inducunt, quo tandem modo insidias ab aliis positas præcauebunt?

Sic semitæ omnis auari, animas possidentium rapiunt.

Hic uersus præcedentium sensum aperit. per Semitas, enim studia, & actiones, intelliguntur. Itaque Semitæ auari, sunt fraudes, & insidiæ, quibus ciues suos circumueniunt. Auari igitur, dum aliena diripiunt, animas suas rapiunt. hoc est, ipsi se furenter interimunt. Possident auari animas suas, dum uiuunt; sed ipsa uita se ipsos priuant, dum fraudes moliuntur. Nam auium, quæ in rete incidunt, similitudo, & ea, quæ deinde sequuntur, eo pertinent, ut intelligatur, se ipsos in miseriam sempiternam detrudere, qui, propter immanem pecuniæ cupiditatem, facinora faciunt, ut multos mortales spolient. Sed, unde tantum malum ortum habet? Ab amentia profecto. Nam in uitæ tenebris, in cupiditatis effrenatæ magnitudine, in summa naturæ imbecillitate, calamitas summa, exitijque sempiterni periculum, uitari minime potest. Vnde sequitur, omnes mortales, qui tuendæ uitæ curam suscipiunt, & huius rei gratia negotia gerunt, si sapientes non fuerint, in miseriam sempiternam natos esse. Sed inquies, rarissimum genus esse eorum, qui beati esse possunt, cum constet, esse difficillimum, sapientia potiri. Minime, inquit noster Sapiens. Nihil enim est tam promptum, atque paratum, omnibus, qui sapientia frui concupierint, quam sapientia. Ipsa namque se omnibus ostentat, & offert; ipsa copias suas explicat, & omnes mortales ad eas perfruendas inuitat, & allicit; ita, ut nemo se possit, imbecillitatis excusatione, defendere. In hac igitur facilitatis summæ parte, quæ quidem est in hoc genere, quod Rhetores Deliberatiuum nominant, potissima, Salomon luculentissime uetsatur. Sic enim ait:

Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum Vrbis profert verba sua.

Apud Hebræos Sapientia numero multitudinis explicatur. Non est enim scriptum חכמות hoc est Sapientia, sed חכמות nempe Sapientiæ. Verbum tamen singulari numero ponitur, ut intelligamus, multiplicem sapientiæ uim, unico, atque singulari, numero contineri. Itaque uidemus, hoc in loco sapientiam, qua cælum extensum, & sideribus illustratum est, qua terra exstructa, & firmissime stabilita fuit, qua omnes naturæ partes designatæ, & constitutæ sunt, quæ omnia, quæ super subterque sunt, numero, & pondere, definiuit, & fœdere firmissimo colligauit, opes suas minime reconditas habere, sed propalam collocare. Nec enim solum cælestis splendor, & astrorum cursus, & terræ fecunditas, & maris immensitas, & utilitates eximiæ, quæ nobis ex omnibus mundi regionibus afferuntur, Diuinæ sapientiæ moderationem apertissime declarant; uerum & ea loca, quæ maxime uidentur a sapientiæ ratione disiuncta, & cum furore, & amentia, coniuncta, eius uim clare testificantur. Quid enim furentius incondita multitudine? Quod igitur sapientiæ opus in terris admirabilius eo, quod frenum temeritati effrenatæ multitudinis iniecit? Quid enim potuisset monstrum indomitum, ex omni feritate conflatum, coercere, nisi sapientiæ Diuinæ munus affuisset? Ea namque effecit, ut leges describerentur; ut imperia sancirentur; ut multitudo magistratibus obtemperaret; ut omnes uni parere condiscerent; ut pudor furorem contineret; ut legum metus impetum plebis coerceret; ut denique in turbis, atque tumultibus, ordo admirabilis eluceret, furentemque multitudinem iure inter se mutuo deuinciret. Hæc quidem omnia, unde ad homines manare potuerunt, nisi ab illa summa rerum omnium moderatrice sapientia, e qua omnes leges salutares, & mores laudabiles, oriuntur? In plateis igitur, ubi conuentus agebantur; in portis ciuitatum, ubi olim iudicia exercebantur; in omni denique cœtu, ubi de Reipublicæ salute consultatur, lumen aliquod sapientiæ offusum perspicitur. In his locis omnibus clare cernitur, non iniuria, non temeritate, non publicæ salutis negligentia, Deum placari, sed iustitiæ sanctitate, sed iudiciorum integritate & salutari consilio, sed ardenti communis salutis studio, iram Diuini numinis auerti. Adde, quod in publicis locis aut leges Diuinæ, aut leges a legibus Diuinis haustæ, atque delibatæ, proferuntur, quibus iniuria plectitur, & iustitia collaudatur. Adde, quod crebræ conciones hominum sapientium non deerant ad studia pietatis acriter excitanda. Adde, quod est omnium maximum, quod Diuinus spiritus, cum singulos homines, tum multitudinem, appulsu suo, motus in animis ciens, omnes mortales ad opes suas euocat, easque omnibus proponit, qui tantam benignitatem non aspernantur. Itaque multis modis sapientia clamat, naturæ operibus, legis sanctitate, publicis moribus recte constitutis, sapientiæ ministris, atque postremo uocibus interno motu, atque pulsu, animos frequenter excitantibus. Sed ipsius Sapientiæ uoces audiamus. Quid igitur dicit?

Vsquequo paruuli diligitis infantiã, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, (ex Hebræo dicere possemus, Et illusores ludis oblectantur) & imprudentes odibunt scientiam.

Sapientiæ querimonia, cum indignatione prolata, illius acrem cupiditatem publicæ salutis exponit. Paruuli sunt, qui, propter mentis imbecillitatem, & rerum ignorationem, opes fallaces ueris opibus anteponunt. Stulti autem, & illusores, illi sunt, qui, cum sint amentissimi, sibi tamen ingenij acumen arrogant, insulsissimaque dicacitate subnixi, sapientiæ sectatores irridendent. Summum postremo dementiæ genus est, eorum, qui non solum uera bona despiciunt, neque solum sanctos homines ludibrio habent, uerum & eos omnes acerbo, & immani, odio persequuntur. O miseri, inquit, mortales, qui uitam in uanitatis studio consumitis, neque mentes umquam uestras ad cogitationem sempiternæ utilitatis erigitis, quibus uerbis de puerili uestro

Universidad de Deusto
Biblioteca

sensu conquerar? Quid de illis disseram, qui, cum exsecranda cæcitate, & amentia, laborent, sibi tamen sapientiæ laudem assumunt, & eos, qui ad summam sapientiam peruenere, derideant, a quibus nempe uident humanas opes pro nihilo putari. Illi tamen omnium scelestissimi sunt, qui non risu, sed immani crudelitate, sectatores sapientiæ insequuntur.

Cõuertimini ad correptionem meam: en proferam uobis spiritum meum, & ostendam uobis uerba mea.

O summam, & inexplicabilem, Diuinæ sapientiæ in humanum genus benignitatem, & caritatis amplitudinem, in omni sæculorum æternitate prædicandam. Non flagitijs offensa demigrat; non sceleribus ueniam denegat; non homines impuros ab aditu suæ liberalitatis excludit; dummodo uelint in uiam redire, & a flagitio, & impuritate, ad honestatis ueriss imæ studium tota mente traduci. At, quod præmium conuersionis proponit? Opes immensas, atque sempiternas, spiritus Diuini illis fore paratas, & explicatas, ostendit. Qui ad se conuersi fuerint, & pro stultitia summa sapientiæ summum decus amplexari uoluerint. Hoc est autem, ut uno uerbo dicam, Diuinæ naturæ consortes efficit. Qui enim spiritui Diuino adhæresc it, Diuinitatem assequitur. Quid igitur a summo rerum omnium conditore hominibus præstari poterit magnificentius? Sed, quo beneficium, clarius, & amplius, est, eo scelus eorum, qui tantum munus aspernantur, est odio maiore dignum, acrioreque supplicio uindicandum. Ob id igitur sapientia ingratis pœnas, quæ sunt illis subeundæ, proponit. Sic enim ait:

Quia uocaui, & renuisti: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu uestro ridebo, & subsannabo, cum uobis id quod timebatis aduenerit.

Ridere dicitur Sapientia, dum, quam irriti, & inanes, sunt hominum conatus, ostendit: dum illorum etiam improbitatem ad suam gloriam transfert, ut ex malis etiam bona frequenter eliciat. Sed, quid est, quod ait, cum uobis id, quod timebatis, euenerit? Quid enim timent improbi? An non in scelere triumphant? An non Dei iudicia contemnunt? An non eos, quos Dei metus in officio continet, irridentˀ? Verum. Sed non tantum ualet diuturna peccandi consuetudo, ut possit funditus exstinguere sensum illum in natura penitus insitum, quo iudicamus, & uirtutis elegantiam esse amabilem, atque iucundam, & turpitudinis deformitatem odio sempiterno dignissimam. Naturæ namque lex, præcordiis humanis incisa, deleri, & abrogari, non potest. Vnde fit, ut, quamuis impij interdum in sceleribus exsultent, & furiales uoces emittant, nullo tamen modo possit id ex eorum animis euelli, quod illorum mentes excruciat. Insidet enim, & urget, maleficiorum recordatio, pœnas ab illis expetit scelerum conscientia, affliguntur curis tristissimis, ita sunt oppressi, ut respirare, præ metu, non possint. Quin etiam, in somniis illis horrenda uisa obiiciuntur, ita neque die, neque nocte, licet illis a sollicitudine, quæ eorum animos exedit, conquiescere. Non est pax impijs dixit Dominus. Porro autem omnium hominum mẽtes longe in posterum, quid sibi sit euenturum, acute præsentiunt. Cum enim spes beatæ uitæ sit cum iustitiæ studio coniuncta, necessario fit, ut boni spe gloriæ immortalis erecti gaudeant, & in stabili uoluptate assidue uersentur; contra uero, malefici homines, & iniusti, metu supplicij, quod est sceleri constitutum, assidue torqueantur. Ob id igitur sapientia improbis euenturum dicit, ut a præsidio, quod ingrate repulerant, omnino deserti, illis pœnis, quas extimuerant, crucientur. eam autem sententiam deinde uberius explicat. Isa. 48.

Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando uenerit super uos tribulatio & angustia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me.

Rationem autem huius tam horrendi supplicij subiungit:

Eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint.

In ægrotis periculose laborantibus mortis est certissimum signum, medicinam respuere. Cum uero animi medicina sit, in Dei cognitione, & in Diuini iudicij metu, constituta, restat, ut desperemus eorum salutem, qui hæc remedia, Diuinitus oblata, fastidiose reijciunt.

Nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint uniuersæ correptioni meæ.

Hoc est, tantũ abest, ut sanari, & e morbis emergi, uoluerint, ut potius in eos inuecti sint, quorũ monitis sanari facillime potuissent. Erant enim Diuini sermonis administri. Et præterea Spiritui sancto impudentissime restiterunt.

Comedent igitur fructus uiæ suæ, suisque consiliis saturabuntur.

Quemadmodum enim opera erant pestilentia, ita necesse est, ut fructibus pestilentibus expleantur.

Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.

Paruuli sunt omnes, qui grauibus rebus leuia, solidis

solidis inania, serijs ludicra, sempiternis breuia, præferunt, eaque dementia cæci, mentem a rebus Diuinis auertunt, omnemque illius uim in opes fluxas, & interituras, intendunt. Hanc igitur auersionem mors importuna consequitur. Se namque miseri homines a Deo, qui est perennis uitæ fons, sponte, atque uoluntate sua, diuellunt. Iam uero, cum insipientes homines opibus affluunt, animi efferuntur, & intemperanter exsultant, tanto que furore, & amentia, flagrant, ut non se tantum, uerum & uniuersam plerumque Remp. perturbent, omniaque tandem funditus euertant.

Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato.

Constat igitur, sapientiam non modo dignitatis amplitudinem, & diuitiarum affluentiam, sed etiam firmum, & inuictum, præsidium continere.

CAP. II.

Fili mi, si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.

In eo commoratur sapiens, & totis uiribus insistit, ut auditores in studium incitet intelligentiæ. Præmia uero rursus ingentia studiosis pollicetur. Ait igitur:

Si enim sapieniam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies.

Docet hoc in loco Sapiẽs, qua mente, qua uigilantia, qua cupiditate, sit elaborandum illis, qui sibi Diuinas opes sapientiæ proponunt. Qui enim segniter, qui lente, qui oscitanter, munus aliquod suscipiunt, tempus sine fructu consumunt. Nullum enim opus efficient, quod sit tumquam in uera laude ponendum. Omnia namq. otiosis, atque negligentibus, euanescunt. Contra uero, qui in re qualibet industriam adhibet, & diligentiam, omnia, quæ ardenter appetit, plerumque consequitur. Quo autem res illa, quam desideras, est illustrior, & amplior, & magnificentior, est acrius, & uehementius, enitendum, ut eam adipiscaris. Cum igitur nihil sit, nec ad uitam propagandam salutarius, nec ad decus, & honestatem, illustrius, nec ad securitatem munitius sapientia, sequitur, ut in nulla re alia sit nobis maior opera collocanda. Primum quidem, necesse est, ut plurimi faciamus illa, quæ sunt amplissima laude dignissima. Porro autem hanc æstimationem cupiditas infinita consequitur. Aliter enim apparebit, nos ea contemnere, quæ magnitudine decoris antecellunt. Quo modo igitur tũc fieri poterit, ut earum rerum causa, quas minimi facimus, summum laborem suscipiamus? Præterea, in sapientiæ contemptu duobus flagitijs longe tæterrimis inquinabimur. Primum erit, stuporis, & amentiæ, qua res uilissimas, Diuinis, atque sempiternis, præferendas arbitramur: alterum, est ingrati animi crimen, quo Diuina beneficia, admodum clementer oblata, reiicimus. Nullo igitur modo ad sapientiam peruenire licebit ei, qui in illius studio se negligentem præbuerit. Opus igitur est ardentissima cupiditate. Ea uero, quo fuerit ardentior, eo studium acrius excitabit, ut id, quod expetit, assequatur. Hoc est autem, quod inquit Sapiens, cum admonet, ut eam, quasi argentum, inquiramus, &, quasi thesaurum, inuestigemus. Non est apta comparatio. Quo enim sapientia cunctis opibus, atque diuitijs, dignitate præcellit, eo maiori studio, & contentione, quærenda nobis est, si uolumus illius pulchritudine, & utilitate, potiri. Sed non erat alia uerba, quibus Salomon sententiam suam clarius exprimeret. Nihil enim cernimus in terris tanta cupiditate desiderari, tanta industria quæri, tanta sollicitudine recondi, quam pecunia. Si igitur idem studium fuerit a pecunia ad sapientiam traductum, nemini dubiũ esse potest, quin ex eo amplissimi fructus oriantur. Tunc intelliges timorem Domini. Hoc est, tum demum uidebis, quantas utilitates afferat Domini timor. Eo namque Dei cognitionem tibi comparabis. Quo modo inquies?

Quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia, & scientia.

Non est, inquit, opus, ut ultimas terras sapientiæ studio peragres, & uitam in disciplinis artium, quę sunt hominum ingenijs inuentæ conficias. Spiritus enim Diuinus, est sapientiæ origo, & fons. Non igitur ueram sapientiam consequere, quãuis hominibus opetam des, si Spiritus sancti disciplina caruerit; contra uero, si te ad illius numen adiunxeris, & a Deo precibus assiduis scientiam postulaueris, sine ullis hominum inuentis ueræ sapientiæ doctrinã facillime comparabis. Cũ enim illa sit donum Dei, & donum omnium Diuinorum maximum, a Deo est summa fide, accerrima contentione, precibus ardentissimis, sine ulla intermissione, flagitanda.

Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter.

Nihil callidum, & ueteratorium, nihil simulationis artificio subnixum, illi summæ probitati placere ullo modo poterit, sed uerum, & simplex, & a fraude, atque malitia, remotissimum.

Seruans semitas iustitiæ, & uias sanctorum custodiens.

Annotandum est hoc in loco, ubi nos habemus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus sanctorum suorũ,esse apud Hebræos, חסידיו hoc est beneficorum suorũ, quod in multis alijs sanctæ Scripturæ locis reperimus. Sed interpres sapienter admodum misericordiæ nomen, Sanctitatis nomine declarauit; vt intelligatur,potissimum sanctitatis rationem in clementiæ studio collocatam esse. Quemadmodum ait Matth.9. Dominus, Misericordiam uolo, & non sacrificium.

Tunc intelliges iustitiam, & iudiciũ, & æquitatem, & omnem semitam bonã.

O præclaram speciem admirabilis pulchritudinis, quam sapientes in splendore iustitiæ, & æquitatis, intuebuntur, cum fuerint a summo Domino disciplinis salutaribus eruditi? Quid enim illa præclarius animo cogitari potest, aut quid propius ad similitudinem diuinæ pulchritudinis,& amplitudinis, aceedat?

Si intrauerit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit: consilium custodiet te, & prudentia seruabit te, vt eruaris auia mala, & ab homine qui peruersa loquitur.

Viæ quidem huius uitę, sunt ualde lubricę,in quibus uix uestigiũ,sine graui ruinę,periculo imprimere,liceat; hostes innumerabiles; loca insidiis infesta. Verũ,cũ omnia sint periculis cincta, uix tamen ullum cogitatione fingi potest, quod sit cum eo, quod ab hominis fallacijs nascitur, conferendum. Nam intra uerborum dulcedinẽ ueneni mortiferi uis inclusa delitescit, priusq. uitam mentis eripit, quam dolus animaduerti possit. Non mediocris igitur hominis, sed ualde sapientis,officium,est,perditorum hominũ fraudes astutissime præcauere. Vt autem Sapiens magis periculum, quod ab hominibus perditissimis intenditur, ob oculos ponat, eorum naturam consequenter explicat. Sequitur igitur:

Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per uias tenebrosas: qui lætantur cum malefecerint, & exsultant in rebus pessimis: quorum uiæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum.

Extremi furoris argumenta certissima sunt, lucem odio persequi,tenebras consectari, a recta uia deflectere, & itineribus deuijs, nullum exitũ habentibus,implicari. Sed nihil magis exsecrandum est, quam exsultare intemperanter in grauissima omnium ærumna, & calamitate. Quid enim tætrius,quid magis horrificum,& pertimescendum est, hominibus ad Dei imaginem factis, & insita natura ad Dei uirtutem imitandam propensis,sceleris immanitate? Si enim utilitas quæritur, in scelere inest salutis, atque totius commoditatis,euersio: Si dignitas est appetenda, scelus continet in se Stygiam deformitatis speciem, odio sempiterno dignissimam: Si melioris condicionis spes animum erigit, scelus ab omni salutis spe miseros mortales excludit? Si curæ tristes, si sollicitudines, & angores, meutes excruciant, scelerati homines numquam a supplicio, quo animi lacerantur, liberi sunt. Si igitur, qui graui,& periculoso, morbo iactantur, cum in mortifera febri cachinnos tollunt, non solum furere se,& insanire,demonstrant, uerum & mortem sibi appropinquare significant: quid de illis est existimandum, qui in summis malis, quibus non tantum corpus, sed, quod est multo grauius, animus ipse conficitur, rident, & gestiunt,& efferuntur? Ab horum igitur familiaritate, & consuetudine, deterret Sapiens,omnes, qui sapientiæ luce frui desiderant. Male enim sectatoribus cõsulent ij, qui se ipsos interimunt. Non enim celerius pestis contagium ad eos peruadit, qui se cum illis coniungunt, qui pestifera tabe confecti sunt, quam perditorum hominum sermo contaminat eos, qui illorum societatem minime reformidant. Non tamen solum improborum hominum conuictus fugiendus est, sed multo etiam magis mulierum impudicarum familiaritas exsecrãda. Nam uerborum illecebris, facilius occultat insidias, & in sensus celerius penetrat, seueritatisq. sententias perfringit, animiq. uires elidit, usque eo, dum mentem de statu deijciat,seq. nefariæ libidini constringendam dedat. In hoc igitur tanto discrimine uis sapientiæ summa perspicitur. Sequitur enim:

Vt eruaris a muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit sermones suos, & relinquit ducem pubertatis suæ, & pacti Dei sui oblita est.

Cum mulierem adulteram Alienam,cum Extraneam appellat, maximum periculum ab illa denuntiat. Quid enim est odio in amoris nomine latitante perniciosius? Adspergit enim occulte uenenum; in sensus latenter irrepit; luce mẽtem spoliat; tætras tenebras offundit; homines-que, fallacissima uoluptate liquefactos, in sempiternos dolores præcipites exturbat. Non amat igitur mulier,sed pessime odit eos, quos in tam graues calamitates impellit. Vt enim insitæ libidini pareat,amatores laqueis sempiternæ mortis adstringit. Recte igitur Sapiens eam Alienã nominat,non modo, quia uiri alterius matrimonium tenet,sed etiam,quia pestem illi ipsi,quem se amare fingit, nefarie machinatur. Hoc enim Alieni nomen in sanctis Litteris sæpenumero animum hostilem significat. Scelus autem nefariæ mulieris explicat, cum ait,eam reliquisse ducem pubertatis suæ, hoc est, maritum, cui fuerat in iuuentutis flore collocata, cum quo legitimi amoris fidem sanxerat,cui se regendam tradiderat. In quo non modo genialem lectum incestę commaculauit, matrimonij sanctitatem uiolauit; sed etiam in Deum impia, & scelerata, fuit. Nam fœdus, quo se cum legitimo uiro coniunxerat, lege Diuina percussum, & numinis sanctissimi testimonio confirmatum, fregit. Tanti sceleris immanitas,& turpitudo, in oculis constituta, satis magnam uim habebat ad omnes homines,qui salutem,& dignitatem,caram habẽt, absterrendos,& admonendos,ut mulieris perditissimæ

tissimæ communionem effugerent. Sed non id satis habuit Salomon. Vlterius progreditur, ut rationẽ, quare sit scelesta,& effrenata,mulier fugienda, magis explanet. Ait enim.

Inclinata est enim ad mortem domus eius,& ad inferos semitæ ipsius.

Primum quidem illa se se libidinis explendæ gratia ad mortem obtulit. Deinde adulterum Leuit. 20 Deut 22. eodem iudicio obstrinxit. Vtrique enim erat,lege Diuina,mortis pœna constituta. Deinde,uniuersa domus,amoris infandi gratia, dissipatur. Nec enim mulier adultera rem familiarẽ curat, sed eam potius,ut amatorem diutius sibi deuinctum teneat,dissperdit,atque dissipat. Tum,etiã maritum negligit, filios non educat, & ita fit, ut domus uniuersa labefactata corruat. Postremo, omnis illius impetus eo tendit, ut apud inferos, simul cum amatore, sempiternis suppliciis excrucietur.

Omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, neque apprehendent semitas uitæ.

In loco lubrico,& periculoso, maxime, si fuerit decliuis,qui semel prolabitur, uix potest resistendi locum reperire. In imam igitur uoraginem deuoluẽtur ferme omnes, qui semel in impudicæ mulieris illecebras inciderunt. Nõ enim in amissam uiam redire facile possunt, ut uiam uitæ teneant, qui sunt meretriciis, vinculis impediti.

Vt ambules in uia bona: & calles iustorum custodias. Qui enim recti sunt,habitabunt in terra, & simplices permanebunt in ea.

Hæc sententia est ad illam annectenda, qua dixerat, Vt eruaris a muliere aliena. illis enim, qui se se a meretriciis amoribus longe remouerint, & sanctorum uiam tenuerint, semper erit Dei numen propitium. Nam illius ope in hac uita perpetuo muniuntur, & in futura hereditatem sempiternam consequuntur.

Impij uero de terra perdentur: & qui inique agunt,auferentur ex ea.

Impij,omni præsidio destituti, dupliciq. supplicio mactati, & in hac uita graues pœnas dabunt, & in futuro sæculo cruciamenta sempiterna patientur.

CAP. III.

Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat.

Caritatis sollicitudo contineri non potest, quin eandem sententiam, in qua cernit uitam omnem consistere, sæpenumero repetat. Lege autem Diuina uitam omnem contineri,satis exMatth. 19. plicat ipsius legislatoris sententia. Si uis,inquit, in uitam ingredi, serua mandata. Sed quærendum est,cur Salomon legem Diuinam,suam nominat? Num ardens legis studium faciebat, ut suum nominaret,quod erat in illius mente penitus insitum, & quodam modo in naturam illius conuersum? Diuina enim munera multo magis nostra sunt existimanda,si illis ad nostram salutem sapienter utimur,quam illa,quæ in patrimonio numeramus. Ex nostris enim bonis,quę uel hereditate,uel industria, uel quauis alia ratione, nobis obueniunt, minimam plerumq. partem ad nostros usus traducimus: uniuersis enim frui non possumus. At, quæ sunt in animos nostros, Diuina benignitate, congesta, ita sunt ad nostrã salutem accommodata, ut nulla pars illorum sit,quæ superflua,aut parum utilis,possit appellari. Et reliqua omnia nobis eripi possunt,Diuina uero non possunt. Quocirca Dominus ipse dicit,ut est apud Lucam, Si in iniquo mammo- Luc.16. na fideles non fuistis. quod uerũ est, quis credet uobis? et, si in alieno fideles nõ fuistis,qđ uestrũ est,quis dabit uobis? Ex quo loco possumus intelligere, opes humanas proprias appellari a nemine posse, cum præter eam partem, qua alimur,& sustentamur,inclusæ,minime iuuant;absumptæ, desiderium inane relinquũt; præterea, curas non eximunt, morbos non fanant, morte non liberãt, & sunt interim casibus infinitis expositæ. Quid est igitur nostrum? Id,quod a Deo consequimur, nempe fidem, benignitatem, immortalitatis studium, & reliqua clementiæ Diuinæ munera, & beneficia. Quod si Deum nostrum iure nominamus, quamdiu sumus spiritu illius ardentius incitati; cur non illius etiam legem, quamdiu illa uitam instituimus nostrã legem appellabimus? Cum igitur Salomon, eo tempore,quo hæc præcepta dabat,legis obseruãtissimus esset, recte legem suam eam dicebat. Inculcat igitur rursus amantissime Diuinæ legis studiũ, & munera rursus ingentia pollicetur.

Longitudinem enim dierum,& annos uitæ,& pacem apponent tibi.

Dierum longitudo,si fuerit grauissimis molestijs implicata, non beneficium, sed supplicium potius, est appellanda. Mors enim diuturna est, & non uita, ea, quæ morbis pestiferis, aut curis tristissimis,est assidue cõflictata. Et ideo adiungit Salomon, Et annos vitæ. Postremo, in pace omnia bona constituta sunt. Ea pace fruitur animus,cum libidinem refrenat,cupiditatẽ circumcidit,omnes motus inanes coercet, & imperium sapienter administrat;cum firmissima spe in Diuino præsidio collocata hostes externos minime pertimescit;cum denique confidit,fore,ut iuscælestis ciuitatis Diuina gratia consequatur. Est præterea intelligendum,in sanctis Litteris Pacis nomine omnia bona uerissima designari. Est igitur promissum amplissimum, quod maximã uim habere potest ad animos cupiditate illius uehementer,& acriter,inflammandos.

Misericordia, & ueritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in

Universidad de Deusto
Biblioteca

be in tabulis cordis tui: & inuenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus.

Legis uim in summam confert. Ea namque in caritate, & fide, consistit. Plenitudo enim legis, est dilectio. Sed est intelligendum, misericordiam, secluſa fide, & caritate, esse nomine Ca itatis indignam. Est igitur præstanda fides hominibus, est unice colenda iustitia, est humana societas summo studio conseruanda, si cupimus misericordiæ sacrificio Deum nobis propitium reddere. Religionis quidem sanctitate, Deo fidem præstamus; ueritatis, & iuris, obseruantia, homines nobis adstringimus. Itaque fit, ut eodem studio Dei gratiam acquiramus, & hominibus etiam cari simus: &, quod est omniũ maximum, Spiritus sancti disciplina in dies magis illustremur. Hæ autem uirtutes, uult, ut a gut ture quasi quædam maximi pretij monilia, sint appensæ, ad insigne decoris ornamentum, & gloriæ ueriſsimæ monumentum, ut scilicet omnia, quæ loquimur, faciant tam præclaræ dignitatis indicium, & omnis eloquentiæ uis ad hominum salutem conferatur. Vult præterea, ut non in tabulis lapideis, ut olim cum lex fuit a Mose promulgata, sed in tabulis cordis carnalibus, inscribatur. Hoc igitur sancit Salomon, ut timoris angor assiduus expellatur, & amor in illius locum succedat; &, abrogata lege, gratia Christi in animis dominetur; & pro mortis
2. ad Cor. 3 administratione, (sic enim Paulus noster instituta antiquæ legis appellat,) lex spiritus uitæ in nobis regnum possideat.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.

O sanctiſsimæ sapientiæ disciplina, quæ intra se omnes salutis sempiternæ opes continet. Cum primus homo a Deo conditus est, legem
Genes. 2. accepit, qua non poterat, sine scelere nefario, fructum ex arbore scientiæ boni, & mali, ad comedendũ decerpere. Erat tamen illi usus arboris uitæ, summa Dei beneficentia, concessus. Is uero, dum cõtra legem Diuinam uetitum fructum comedit, ab arbore uitæ excluſus fuit, & in perpetuo exsilio multas calamitates hausit. Quid autem arbor illa scientiæ designabat? humani ingenij acumen, atque sollertiam. Quid uero Arbor uitæ? Non aliud certe, quam spiritus Diuini præsidium. Sub illis igitur signis præcipiebat Deus generis humani parenti, ut minime ingenio suo niteretur, & totam salutis, & dignitatis, spem in uerbo Diuino reponeret. Quid enim est, quod humanum ingenium, secluſa fide, quæ semper uerbum Diuinum intuetur, consequi possit? In fraude concinnanda calliditatem, in uita instituenda flagitium, in bonis summa sollicitudine comparandis amentiam, in cupiditate summæ felicitatis extremam miseriam. Fere enim semper errat mens orbata Diuino lumine, &, dum maxime ad florentem statum enititur, tum maxime sibi pestem sempiternam comparat. Contra uero, dum ardenti fide seſe ad studium sanctiſsimi numinis adiungit, dum omnes suas rationes ex Diuino Spiritu suspensas habet, dum omnem uitam, omnes cogitationes, & studia, lege Diuina conformat, illustratur mirifice, uires Diuinas assumit, pace tranquilliſsima fruitur, omnia, quæ uult, de bonorum omnium fonte consequitur. Vnde colligitur, seminarium malorum omnium in ingenij confidentia esse constitutum; unamque esse certiſsimam uitæ beatæ uiam, & rationem, quæ in uigente fide consistit. fides enim opem Diuinam fidenter implorat: confidentia porro, se Diuina ope indigere, non putat. Iustiſsime igitur a Deo deseruntur, qui tantum sibi arrogant, & assumunt, ut, sine Dei præsidio, se ad beatæ uitæ statum peruenturos opinentur. Nam Diuinitatem quodammodo sibi nimis insolenter attribuunt, qui in se ipsis uitæ præsidia reponunt, nec in Deum, ut in salutis auctorem, pura mente respiciunt. Continet igitur præceptum hoc, omne salutis sempiternæ, & immortalis uitæ, firmamentum, quod iubet, ut non in nostra prudentia, sed in Diuina clementia, totam spem salutis collocemus.

In omnibus uiis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.

Incidunt sæpenumero multa in consiliis uitæ capiendis, quæ uidentur esse ad consequenda ea, quæ nimis ardenter cupimus, accommodata, quæ tamen spem nostram sæpe frustrantur, ita, ut ea, quæ ad salutem parabamus, perniciem nobis importent. Quare? Quia non semper in Deum tota mente respicimus. Caput enim consilij est, diligenter animaduertere, an ea, quæ molimur, sint Deo offensionem allatura. Si enim aliquid occurrat, quod sanctitati Diuinæ legis aduersetur, repudiandum est, quamuis præsentis utilitatis species oculis nostris obuersetur. Nihil enim utile poterit esse, quod iram in nos Diuinam concitat. Hoc igitur præscribit Sapiens, ut, in omnibus uitæ consilijs, in Deum respiciamus, nec aliquid umquam agamus, quod Deo gratum minime sit. Quod si fecerimus, ille nobis dux erit, ille lucem præferet, ille uiam monstrabit, qua, sine ullo errore, iter ad omnia, quę uolumus, feliciter habeamus. Sint, qui in consilium adhibentur, acutiſsimi; sint usu longo rerum, & cognitione totius antiquitatis, instructiſsimi; si tamen Dei metu caruerint, a uia salutis aberrabunt, & patrias suas funditus euertent. Dissipat enim Dominus consilia gentium: consilium uero illius in æternum manet. Psalm. 32.
At consilium Domini hoc semper fuit, ut numquam spes eos falleret, qui nihil magis curant, quam ne quid ab illis accidat, uoluntati Diuinæ contrarium.

Ne sis sapiens apud temetipsum: time Deum, & recede a malo.

Idem

Idem alijs uerbis repetit. Nec est superuacanea repetitio. Tam salutaris enim sententia sæpius est inculcanda, ut firmius in mente defixa sit. Quid est autem, quod dicit, Ne sis sapiens apud temetipsum? Ne sis amentiſsimus, & insolentiſsimus. Quid enim amentius est, quam, in tantis uitæ tenebris sibi quemquam sapientiam arrogare? Quid superbius, & insolentius, quam, falsa sapientiæ opinione tumidum semper inferri? Væ, inquit Isaias, uobis, qui sapien- Isaiæ 5. 10
tes estis in oculis uestris, & coram uobis metipsis prudentes. Hæc igitur temeritatis exempla detestanda sunt, & illud certiſsimum sapientiæ ueriſsimæ fundamentũ constantiſsime retinendum, quod sequitur: nempe, Time Deum, & recede a malo. Sapiens, qui sibi prodesse nescit, ne quidquam sapit. At, qui opinione sapientiæ uaniſsimæ insolentius efferuntur, tantum abest, ut sibi prosint, ut potius pestem sibi tæterrimam machinentur. Contra uero, qui timent Deum, 20
& flagitiorum dedecus exsecrantur, Dei semper salutari præsidio muniuntur, ut statim sequitur:

Sanitas quippe erit umbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum.

Principium alendæ uitæ umbilico continetur. Quamdiu enim puer est utero matris incluſus, per umbilicum humorem genialem elicit, quo alitur, & paullatim adolescit. Inde etiam sanguis 30
ad ossa nutrienda, & sensim roboranda, permanat. Similitudine igitur inde sumpta, Salomon, illos, quos quodammodo parturit, alloquitur. Quasi dicat: Fruſtra in uobis informandis operam ponam, nisi uobis uis insita fuerit, qua in lucem edi, partu felicisimo, possitis. Si Deum uerum timueritis, & eo metu a peccato uos abstinueritis, poteritis robur assumere, quo, sine ullo abortionis periculo, in communem piorum hominum uitam ingredi, atque cælesti luce per- 40
frui, sit uobis gratia Diuina concessum.

Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum.

Honorem Deo tribuit, qui beneficia illius agnoscit. Beneficia illius agnoscit, qui intelligit, non hominum industriæ, non uiribus, & artificio, fruges, & reliqua omnia, quibus hominum uita sustentatur, sed magnificentiæ Diuinæ, deberi. Fruſtra enim sementem faciet agricola, ni- 50
si Dominus incrementum dederit. Omnes igitur, ut animum Deo gratum testificentur, decimas omnium frugum, & pecudum, iubentur offerre; ut & ij, qui sacris operantur, ali, & inopes opera illorum reſici, & religio procurari sanctiſsime possit. Iccirco legem Dei, de decimis, & primitijs, optima fide persoluendis, non semel scriptam perspicimus. Continet enim insigne pietatis officium, insitæ religionis argumẽtum, mentis gratiſsimæ documentum, fidei sanctiſsimæ testimonium. Est præterea decimarum solutio, uia ad rem familiarem augendam certiſsima. Vt enim eorum, qui in Deum minime grati 60
sunt, opes, illius iudicio minuuntur, ita illorum, qui grata, atque memori mente Deum colunt, opes amplificantur. Vnde constat, illis naturæ opes augeri, qui in soluendis decimis fidem rerum omnium Domino præstant, quam debent. Ideo sequitur:

Et implebuntur horrea tua saturitate, & uino torcularia tua redundabunt.

Ex hac oratione colligi poterat, homines iustos, & Diuinæ legis obseruantes, numquam ullis incommodis afficiendos. Decimas enim soluunt. Non ita semper est, inquit Sapiens. Immo, cum summus ille pater maiorem operam ponat in filijs opibus Diuinis cumulandis, quam diuitijs terrestribus augendis, incidunt sæpe tempora, quibus necesse est, eos, qui in sobole Diuina censi sunt, incommodis afflictari, uel, ut, tamquã epoto pharmaco, noxios humores expellant, atque sanitatem recuperent, uel, ut, doloribus exerciti, acrius robur assumant ad hostes reprimendos. Ideo subiungit:

Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias: nec deficias, cum ab eo corriperis. quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi parer in filio complacet sibi.

Cohortatur nos Salomon ad animi firmitatem, & admonet, ne langueſcat fides in ærumna, ne opinemur, Deũ eos, quos flagris erudit, odio prosequi: immo credamus, non esse mediocre Diuini amoris indicium, flagellis, cum opus est, cædi. Vt enim patres indulgentes exitio sunt liberis; seueri autem salutem filijs afferre solent, dum nullum eorum flagitium impunitum relinquunt; ita optimus ille pater filios suos indulgẽtia periculoſa minime corrumpi sinit, sed plagas illis salutares, ut a flagitijs auocet, ualde clementer imponit.

Beatus homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia.

Rursus ad laudes sapientiæ reuertitur, atque docet, omnem uitæ beatæ rationem in sapientiæ fructu consistere. quod ut magis explanet, utitur comparatione rerum earum, quarum desiderio mortales intabescunt.

Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti, primi & puriſsimi fructus eius. pretioſior est cunctis opibus: & omnia quæ desiderantur, huic non ualent comparari.

Beatus, inquit, esse uehementer expetis: beatam uitam, in bonorum omnium complexione sitam esse constituis. Ideo igitur, ut bonis affluas, argentum quæris, auri cupiditate flagras, gemmis expleri desideras. Verumtamen sine ullo fructu uitam in earum diuitiarum studio cõsumis. Nec enim eas tibi parare facile poteris. Elabuntur enim plerumque, & auaras manus effugiunt; &, quamuis omnia tibi suppetant,

quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ nimis fitienter appetis, nullam tibi utilitatem afferent. Nec enim morbos expellent, neque sollicitudines euellent, neque te doloribus leuabunt, neque uitam denique tuebuntur. Sapientia uero, contra, si illam fueris assecutus, omnia tibi magnificentissime conferet, ad quorum cupiditatem exardescis. Sequitur enim continuo:

Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria.

Longitudo dierum est æternitas. Nullum enim uitæ spatium termino aliquo definitum, longum esse poterit illis, qui cupiditate immortalitatis incensi rapiuntur. Immortalitas autem præclaris studiis, & actionibus, comparatur. Et ideo dextera sapientiæ contineri dicitur. Immortalem porro uitam diuitiæ sempiternæ cum gloria Diuina consequuntur, quæ omnia ad sinistram manum sapientiæ, qua opes partæ constantissime retinentur, pertinere dicuntur. Est tamen intelligendum, hoc in loco, usitato more sacrarum Litterarum, inter manum dexteram, & sinistram, non magnum discrimen inesse, sed tantum significari, nullam esse partem sapientiæ, quę non opibus sempiternis affluat.

Viæ eius uiæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ.

Non est, inquit, Sapientia solum omnibus opibus opulenta, uerum architectrix iucunditatis, atque uerissimæ uoluptatis. Efficit enim, ut, omni dolore deposito, & omnibus molestiis, quæ animum perturbant, expulsis, mens lætitia exsultet, & iucundissima pace perfruatur.

Lignum uitæ est his qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus.

Quod aliud uitæ Lignum possumus mente percipere, quam Dei uerbum, per quod omnia facta sunt, in quo uita est, quod luce sua omnes ad se suppliciter, atque fidenter, adeuntes, illustrat, & quod denique uoce, & imperio, mortuos in uitam exsuscitat. Ab hoc ligno, propter admissum dedecus, atque flagitium, fuere primi parentes exclusi: ad hoc rursus, propter sceleris detestationem, & acre pietatis studium, adiungimur. Vis igitur sapientiæ, in hoc tota consistit, ut Dei filium amplectamur, & imperium illius minime recusemus; sed sapientiæ Diuinæ uim, artificium, bonitatem, quoad licet, & fas est, mente percipiamus. Ait enim deinde uir sapientiæ laude præcellens:

Dominus sapienti fundauit terram, stabiliuit cælos prudentia.

Non temeritas, inquit, non naturæ minime intelligentis uiolentia, non casus, atque fortunæ, motus in inanitate interminata concitati, tam admirabilis fabricæ magnitudinem, tanti decoris, & pulchritudinis, ornamentum, tam excellentem in omni genere utilitatis amplitudinem, efficere potuere. Obmutescat impietas, comprimatur audacia furor, & insania, perditorum hominum, qui sibi sapientiam falso uindicant, Dei iudicium pertimescat. An poterit aliquid esse ad speciem uenustum, ad stabilitatem firmum, ad salutem aptum, quod non sit numero, lege, ordine, ratione, definitum? Aut fieri potest, ut aliquid modo, & ratione, dimensum sit, nisi fuerit summa ratione, & ordine, stabilitum? Quæ tanta igitur temeritas fuit eorum, qui uindicabant ingenium & sapientiæ laudem aucupari nitebantur, ut opera sapientiæ clarissima ad temeritatē reuocarent? Viderant ne umquam oculis suis aliquid pulchrius astris? cælestium orbium conuersione constantius? aeris, & ætheris, moderatione salutarius? terræ, atque maris, immensitate fecundius? Et tamen ausi sunt, id, quod cernere poterant, magnitudine amplissimum, splendore clarissimum, elegantia, & concinnitate, pulcherrimum, fructu maxime salutare, ad uim, naturæ, mentis, & rationis expertem, reuocare? In quo quidem satis ostendebant, se non solum fide, & religione, sed etiam intelligentia, & ratione, atque adeo sensibus, orbatos exstitisse. Euanuerunt enim in cogitationibus suis: & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt. Hæc est autem summa dementia, ad cuius magnitudinem nihil possit accedere. Sed nos perditorum hominum detestabilem furorem, & amentiam, omittamus; ut sapientiæ opera, mente, & cogitatione, aliqua ex parte, cōprehendere possimus. Sequitur deinde: Rom. 1.

Sapientia illius eruperunt abyssi, & nubes rore cōcrescunt. *Siue potius, distillarunt.*

Scientia Diuina, quæ numquam est a benignitate disiuncta, ut animantium sitim exstingueret, & fecunditatem terris induceret, instituit, ut fontes perennibus aquis redundarent, & flumina perpetuo laberentur, & nubes rorem, & pluuiam, tempore opportuno superne demitterent, ne terræ, ardoribus exustæ, fruges, & pabula, denegarent. Ex his operibus, omnipotens Dei sapientia, quæ tam admirabile opus exstruxit, clare cernitur; & insignis bonitas, qua cunctis animantibus prospicit, ualde perspicitur. Vnde colligitur, numquam ope salutari destitutum fore, qui se totum sapientiæ crediderit, cum nec illius potestas possit uiribus ullis impediri, nec illius benignitas ullis hostium fraudibus intercludi. Subiungit deinde:

Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis. Custodi legem, atque consilium: & erit uita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis.

Is demum uinit, qui Diuinis sensibus incitatur: iis eloquentiæ opibus, & ornamentis, instruitur,

tur, (erit inquit gratia faucibus tuis) e cuius pectore disciplina Diuinę legis emanat. Vnde sequitur, nemini concessum esse uita frui, aut eloquentiæ laudibus ornari, nisi illi, qui de sapientia Diuina, qua omnia cohærent, & permanent, nocēes, & dies, cogitauerit. Nec hoc solum præstabit sapientia, ut uitam retinere, & orationis copia, & ubertate, ad salutem circumfluere, possimus, uerum etiam, ut in omni periculo, cælesti præsidio muniamur. Inquit igitur:

Tunc ambulabis fiducialiter in uia tua, & pes tuus non impinget. si dormieris, non timebis: quiescēs, & suauis erit somnus tuus. ne paueas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris.

O securitatem mirificā, omnibus uotis expetendam. Quid enim est in uniuersa natura homine fragilius? Quid magis caducum, & imbecillum, aut pluribus malis obiectum? Domi plerumque fides claudicat; foris, insidiæ comparantur; curæ mentem dilacerant; uię latrociniis infestę sunt; in patria odiū, & inuidia, in exitium sæpe conspirant; in exsilio nullum datur angoris alleuamentum; non somnus sollicitudine uacuus est; uigiliæ sunt excentis molestiis, & anxietatibus, atfines; die atque nocte pericula improuisis casibus intenduntur. In tanta igitur uitæ cōmunis acerbitate, quid iucundius cogitari potest ea tranquillitate, qua uerissimæ sapientiæ studiosi perfruuntur? in uia enim, Angelorum comitatu, atque præsidio, sępiūtur, domi uitam, periculo, & sollicitudine, uacuam, degunt; neque uigilātes, neque dormientes, hostiles impetus extimescūt, cum ipsius Domini præsentis ope, & auxilio, defensi sint. Ita, neque uiribus ullis expugnari, neque dolis circumueniri, ullo modo poterunt, qui sese ad sapientiæ ductum, & imperium, totis animi uiribus applicauerint.

Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si uales, & ipse benefac. *Hebraice, Noli prohibere bonum a Domino suo, si potes.*

Hoc præceptum ad iustitiam pertinet. præcipit enim, ut debita, quibus adstricti sumus, dissoluamus, cum primum poterimus: quemadmodum Paulus inquit, Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui uectigal, uectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem; nemini quidquam habeatis, nisi ut inuicem diligatis. nam Benefacere pro eo usurpatur, quod Latine dicimus debitum officium persoluere. Est tamen animaduertendum, multos esse dominos, qui non sunt iure suo fraudandi. Nam, qui mihi mutuo pecuniam dedit, Dominus potest appellari eiusdem summæ, quam credidit. Itaque, cum pecuniam die præstituta postulauerit, ius suum rectissime postulabit. Qui mihi similiter beneficium contulit, quodammodo dominus est etiā simiiis beneficij, ita, ut iure possit, cum illi fuerit opus, eandem operam a me repetere. Ad hunc modum, studium, gratia, diligentia, in aliquem benigne collata, & reliqua eiusmodi munera amice tributa, debitorem reddunt eum, in quem conferuntur; & possunt, qui ea præstiterunt, eadē uicissim, cum casus ita tulerit, ab amicis exigere. Aliter enim, qui parem uolūtatem amicis minime reddunt, & sunt in referenda gratia negligentes, in ingrati animi crimen incurrent, odio sempiterno dignissimum. Sed, ut longius progrediamur, egentes, & inopes, quibus opem afferre in ærumnis possumus, Domini possunt appellari, si fuerimus tantis opibus affluentes, quantis sat sit ad eorum inopiam facile subleuandā. Ea enim beneficia, quæ a Deo accepimus, nō solum nobis accepimus, sed illis etiam, qui nostra benignitate recreari, & refici, in calamitate possunt. Rom. 15. Vt enim Paulus se debitorem omnium esse profitetur, cum quibus opes Diuinas communicare poterat; sic, non absimili ratione, diuites, & opulenti, debitores egentium sunt existimandi Cum igitur hominibus in commodo oppressis subueniunt, non liberalitatis tantum officium, uerum etiam iustitiæ munus, exsequuntur. Iccirco scriptum est, Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Pſalm. 40. Nec solum docet nos Sapiens, ut nostram fidem huius debiti solutione liberemus, uerum ut in eo munere perfungendo diligentiam suscipiamus. Sequitur enim:

Nec dicas amico tuo, Vade, & reuertere, & cras dabo tibi: cum statim possis dare.

Corrumpit uirtutis officium negligentia. Signum est enim, non debito studio fieri id, quod negligenter fit. Præterea, dilatio, atque procrastinatio, animos eorum afflictat, qui rerum inopia uexantur, aut calamitatibus opprimuntur.

Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam.

Semper quidem malorū machinatio detestabilis est; sed, cum pestis, & exitiū, ab illo comparatur, in cuius fide, & patrimonio, latitabat is, cui periculū intenditur, tantum scelus nulla grauitate orationis explicari potest. fides enim de medio tollitur; uitæ præsidium disturbatur; societas humana dirimitur; miseriæ perfugium omnino conuellitur; nec quidquam in uita relinquitur, quod possit miseros consolari. Si enim is, quem patronum adoptaueras, & in cuius fide omnem spem salutis constitutam habueras, te improuiso fraudulenter oppresserit, quo tandem confugies?

Ne contendas aduersus hominem frustra, (*id est sine causſa*) cum ipse tibi nihil mali fecerit.

Cum ad mutuam beneuolētiam, & uitæ com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

munionem, nati simus, satis se indicat legem naturæ perfringere, qui ita est ad rixam concitus, ut minime lacessitus irascatur, & litem temere suscipiat.

Ne æmuleris hominem iniustum, nec imiteris uias eius: quia abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius: (*hoc est, & cum iustus consilium eius.*)

Cum homo maleficus iniuriis, atque tyrannica uiolētia, opes amplificat, & industriæ laudem, uirique fortis nomen, apud imperitos aucupatur, periculū est, ne multi fortunis eius inuideāt, & illius exemplum sequi meditētur. Hos omnes Salomon minis grauissimis absterret, dum ait, fore tandem, ut omnes iniusti, cum Deum uehementer ira tum habeāt, funditus euertātur, quia abominatio, inquit, est Domino omnis illusor. Cōtra uero, iusti, firmo, & inuicto, præsidio cincti sint. Ita namque Domino cari sunt, ut cum illis consilia sua communicet. Quemadmodum Dauid ait, sibi fuisse arcana sapientiæ Diuinæ ab ipso Deo ualde amanter enuntiata. Psalm. 50.

Egestas a Domino in domo impij: habitacula autem iustorum benedicentur.

Pro maledictione interpres posuit Egestatem, non male. Maledicere enim Deus in sanctis litteris dicitur eum, quem bonis euertit; similiter benedicere illum, quem opibus auget.

Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam.

O proiectam audaciam, & impudentiam, eorum, qui non solū religionem contemnunt, Diuina iura omni studio conuellunt, sempiternisque suppliciis sese furenter obiiciunt, uerum etiam pro delectamento habent, omnes sanctitates irridere. At Dominus eos illudet, cum eorum furorem, & amentiam, in oculis omnium proponet, & risum petulantem doloribus sempiternis uindicabit. Præterea, dicitur Deus impios eludere, cum, eadem ipsa opera, qua sibi dignitatem parare nituntur, se ipsos in summum dedecus furenter inijciunt. Nec enim uerum decus acuminiuis, inani fiducia, & insolentia, sed uerissimæ sapientiæ studio, comparatur. Vt continuo Sapiens, subiungit. Inquit enim:

Gloriam sapientes possidebunt: stultorum uero exaltatio, ignominia.

Aliud rursus exordiū capit Salomon, ut uehementius in animis eorum, quos ad salutem, & dignitatem, instruit, monita defigat. Ait igitur:

CAP. IV.

AVdite filij disciplinā patris, & attendite, ut sciatis prudētiam. Donum bonum tribuam uobis, legem meam ne derelinquatis.

Dulcissimo Filiorum nomine, eos ad se rursus allicit; atque plane docet, se animo uere patrio ad illos instituendos, & erudiendos, accedere. Præterea, ipsius disciplinæ iucunditate, eos incitat ad salutis studium. Non, inquit, disciplinam trucem, & immitem, & odiosam, uobis propono, sed ualde clementem, atque benignam. Non enim uos minacibus uerbis exterreo; sed orationis lenitate ad summas opes perfruendas inuito. Non legis asperæ truculentiam, sed cœlestis gratiæ beneficentiam uobis offero. Non igitur repudietis patris amantissimi beneficiū. Si enim amor ualet ad persuadendum, uos patrio animo complector: Si rerum gerendarum cognitio, a primis incunabulis sui ad omne genus officiorū admodum diligenter eruditus: Si præmium cōstitutum, nullum amplius esse potest eo, quod uobis ostendo: Si exemplum uim magnam possidet ad animos excitandos; uobis etiam meæ puritiæ exempla proponam.

Nam & ego filius fui patris mei, tenellus & unigenitus coram matre mea.

Patrem, inquit, habui, minime in educatione mea negligentem; & matrem similiter, quę me, ut unicum filium, sibique carissimum, in oculis semper habebat. Sic igitur eram institutus a patre, ut mater, quod erat mihi a patre meo traditum, indulgentia muliebri minime depraueret. Nostis uero, quantum pater meus sapientiæ gloria inter homines sapientes memoriæ illius excelleret, & mater mea quantis uirtutibus ornata fuerit, quæ me unice amabat, &, quasi non alium filium haberet, ita me in animo semper habebat. Audite igitur non tam meam, quam patris mei, hominis Diuini, sententiam.

Docebat, atque dicebat, Suscipiat uerba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & uiues.

Non satis est, auribus tantum accipere, quæ dicuntur, nisi fuerint animo firmissime retenta, & memoria diligentissime conseruata, ad uitæ custodiam. Non enim legis auditores, sed officiorum actores, a Deo uitam consequuntur.

Posside sapientiam, posside prudentiam. ne obliuiscaris, neque declines a uerbis oris mei.

Verbum Hebreum, קנה pro quo interpres uertit Posside, significat rei comparandæ, & augendæ, studium, atque sollicitudinē. Quasi dicat, Sta tue, fili mi, oēs facultates, & possessiones, esse in sapientię studio cōstitutas. Quantū igitur reliqui mortales in comparando auro, & argento, & eiusmodi opibus, elaborāt, tantū tu, in quærendis, & amplificādis, sapiētię diuitiis, euigila, & eo ardentius ad eas parādas, atq. fruēdas, cnitere, quo hæ

pretio, & magnitudine, & iucunditatis stabilitate, omnibus diuitijs antecellunt:

Ne dimittas eam, & custodiet te, dilige eam, & conseruabit te.

Non satis est, semel sapientię instituta percipere, nisi constantia summa fuerint in mente recondita. Opes enim negligenter asseruatæ facillime dilabuntur. Et reliquæ diuitiæ inuidiam conflāt, cupiditatem irritant, multosque ad comparandas insidias illi, qui eas possidet, sæpe sollicitant. Tantum abest igitur, ut eorum salutem tueantur, qui ditissimi sunt, ut potius minime sinant eos uitam sine assiduo metu, & angore, traducere. In sola igitur sapientia est firma uitæ custodia. Non est igitur illius studium ullo tempore remittendum. Ne dimittas eam, si uitam caram habes. Studium uero tuum minime remittes, si illam dilexeris. Non enim patietur amor, te a complexu illius aliqua ratione diuelli.

Principium sapientiæ, posside sapientiam, & in omni possessione tua acquire prudentiam.

Sēsus hums loci subobscurus esse uidetur. Sed, si, quæ ante scripta sunt, & quæ sequuntur, cogitatione complexi fuerimus, ualde facilis apparebit. Admonuerat, ne intermitteretur studium sapientiæ; ne autem intermitti facile posset, dixit, eam esse maximo opere diligēdam. Dilectio uero cuiuslibet rei, illius æstimatione cōtinetur. Quanti enim rem quamcumque facis, tantum amoris in illam conferes. Iubet igitur, ut plurimi sapientiam æstimemus, si ad illam peruenire cupimus. In hac porro æstimatione statuit esse positum sapientiæ fundamētum. Nam rei alicuius æstimationem consequitur appetitio. Appetitio uero studium concitat. Studium porro in rebus præclaris consumptum, eximium fructum consequitur. Restat igitur, ut, qui plurimi sapientiam facit, ea tandem felicissime potiatur. Annotandum tamen est, hoc etiam in loco esse idem uerbum apud Hebræos, quod ante diximus, nempe קנה, quod Emere, & Parare, & Possidere, cum non uulgari ipsius rei partæ æstimatione, significat. Hoc igitur, ut in summā conferam, est, quod Sapiens dicit, Principium sapientiæ, est, plurimi facere sapientiam, & omnibus possessionibus anteferre prudentiam, Hanc autem sanctitatem confirmat id, quod sequitur:

Arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea cum eam fueris amplexatus. dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.

Si eam, inquit, plurimi feceris; si omnes facultates, & possessiones, præ illa contempseris; illa te in alto gradu dignitatis collocabit. Regijs namque te uirtutibus exornabit, Regijsq. præsidijs circumuallabit, ne umquā labes ulla possit amplitudini tuæ dignitatis adspergi, aut status tuus ullis uiribus, aut machinis, labefactari.

Audi fili mi, & suscipe uerba mea, ut multiplicentur tibi anni uitæ.

Quoties eandem admonitionem repetit, toties uim amoris, quo flagrat, ostendit. Præmio uero, quod pollicetur, nihil potest amplius excogitari. Aeternitatem namque pollicetur. Nec enim longa uita potest, ut iam diximus, appellari, quæ aliquo fine concluditur. Tunc igitur anni multiplicantur, cum immortalitas comparatur.

Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducā te per semitas æquitatis.

Docet, iustitiæ, & æquitatis, studio, esse uiam ad immortalitatem præclare munitam. Eo igitur instituta sapientiæ ad iustitiam diriguntur. Recte, inquies. Sed est nimis arduum, atque difficile, ita uitæ cursum tenere, ut a uijs iustitiæ nō aberres. Non ita est, inquit. Si enim sapientiam secutus fueris, illa tibi uiam curabit, & aspera complanabit, & angusta dilatabit, ne quidquam tibi sit impedimento, quo minus eo, quo tendis, cum felicitate peruenias.

Quas cum ingressus fueris, non artabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.

Restat igitur, ut nihil sit sapienti difficile. Spiritum enim Diuinum sequitur: qui quidem spiritus ita præit, ut numquam a uia rectissima deflectat; ita uires confirmat, ut numquam debilitentur. Reliquum est, ne ipsi nobis desimus. Si enim, quod in nobis fuerit, præstiterimus, ille nos numquā præsenti ope destituet. Est igitur elaborandum, ne langore, atque desidia nostra, cælestem opem a nobis repellamus. Ideo subiungit:

Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est uita tua.

Non potest mors in illos impetum facere, qui sunt cum uita sempiterna fœdere sempiterno copulati. At, qui legis Diuina præcepta perpetuo sequuntur, numquā a sempiterna uita deseruntur.

Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum uia.

Impiorum uia, est in Deum sceleste sima. Religionem sanctissimam uiolat, cęleste numen despicit, & in Deum conuicia iacit. Iter autem malorum est in humanum genus terrarum. Est enim libidine flagitiosum, iniuriis maleficū, immanitate truculētum, fraudibus exsecrandū. Sed animaduertēdum est, ab impietate in Deū, iniurias in homines oriri. Ideo nāq. ius humanū uiolatur, quia Diuinū negligitur. Homines enim impij, uel Deum esse nō putant, uel ab illo res humanas minime curari statuunt; & iccirco per oia genera scelerum cū proiecta audacia uagantur; & exēplo sunt imperitis, ut paullatim ex animo

Universidad de Deusto
Biblioteca

sensum omnem religionis eiiciant. Vtraq. igitur uia est, ut pestifera quedã lues, summa contentio ne fugienda. Quemadmodũ statim Sapiens ait:

Fuge ea, nec transeas per illam, declina & desere eam.

Vt maiorem metum incutiat, & periculum, quod impendet, magis explicet, multis uerbis idem significantibus utitur; nempe, fuge pestem, de uita periculum, exitium detestare, &, quãtum potes, te ab imminente plaga, & interitu, proripe. Ad mortem enim properat, & in pestem sempiternam incurrit, qui se cum impijs, & sceleratis, hominibus, similitudine uitæ, coniungit.

Non enim dormiunt nisi malefecerint: & non rapitur somnus ab eis nisi supplantauerint.

Ita sunt, inquit, capitales, ut nullo modo, nisi patrato facinore, conquiescãt; ita sunt immanes, & inuidi, ut in aliorum ruina, & interitu, maxime glorientur; & iccico dormire nequeunt, quamdiu non alios in exitium precipites eijciunt.

Comedunt panem impietatis, & uinum iniquitatis bibunt.

Ex impietate opes ad uitam in luxu maximo traducendam comparant: per uim aliena bona diripiũt, quæ sumptibus immodicis exhauriant.

Iustorum autem semita, quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectam diem.

Aurora quidem appropinquãs, tenebras paul latim fugat, & caliginem dispellit: tum Sol exoriens cuncta clarissima luce collustrat. Sic est, inquit, iustorum uita. Primum quidem illis lux cælestis exoritur, quæ in dies magis illustrior exsistit: usque eo, dum mens ipsa Solis ipsius imaginem clarissimo quodam splendore repræsentet. Eratis, inquit Paulus, aliquando tenebræ, nunc autẽm lux in Domino. Itaque noxia uitant, salutaria consectantur, metu soluti sunt, spe firmissima diriguntur, omni sollicitudine carent. Numquam ab ope Diuina deseruntur; nusquã offendunt, quia cernunt oculis omnia, quæ ruinæ periculum struere possunt, & ab illis se longissime remouent, ne labantur, & concidant. Ephes. 5.

Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant.

Cum sint tenebris oppleti omnes, qui lucem Diuinam aspernantur, neque saxa uident, neque terræ profundos hiatus sentiunt, neque loca prærupta conspiciunt, & ita, dum confidenter accelerant, miserrime prolabuntur, & corruunt.

Fili mi, ausculta sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam.

Quoties amorem uere paternum, & sollicitudinem ex eodem amore profectam, testificatur? Periculi enim magnitudo facit, ut numquam satis habeat, quod sæpe iam dixerat, nisi sepius idẽ ad maiorem memoriæ firmitatem referat.

Ne recedant ab oculis tuis, custodi ea in medio cordis tui: uita enim sunt inuenientibus ea, & uniuersę carnis sanitas.

Cum dicit, cælestis disciplinæ sententiam esse uitam inuenientibus eam, studium requirit eorum, qui uitam habere, atque tueri, cupiunt. Nemo enim inuenire potest, quod minime quærit.

Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso uita procedit.

Nihil esse in toto corpore maiore sollicitudine conseruandum, quam Cor, est satis omnibus exploratum. Inde namque calor uitalis, atque salutaris, in omnes partes pertinens, excitatur; inde sanguis in uenas diffunditur; inde spiritus, quibus actiones uitæ continẽtur; exsistunt. Quãdi cor uiget, uita fruimur; illo exstincto, confestim exstinguimur. Sed non de corde hoc, quod corporis uitam continet, loquitur hoc in loco Salomon, sed de mẽte, atque ratione, e qua uel uita profluit ad æternitatem; uel mors erumpit ad sempiternam perniciem. Vt enim de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, & reliqua scelera, & flagitia, quibus pestis animi comparatur; ita ex eodem sanctę cogitationes, pietatis, & caritatis, studia, proficiscuntur, quibus ad uitam sempiternam uia munitur. Quid est igitur tanta uigilantia seruandum, tanto præsidio muniendum, tanto studio, cura, sollicitudine, custodiendum? Si enim libidinis furor animum exagitauerit; si odium, aut inuidia, in statum illius irruerit; si reliquæ pestes eiusmodi ualetudinem illius infecerint; uitam prorsus exhaurient, & in ipsius mentis corde, & interitu, bacchabuntur. Vt autẽ uno uerbo omnia complectamur, bonæ cogitationes Deum, qui uera uita est, præsentem retinent; malæ uero eum expellunt: ita fit, ut omnis uitæ nostræ ratio in mentis custodia sita sit. Qualis enim est intestina mentis affectio, talia extrinsecus opera consequuntur.

Remoue a te os prauum, & detrahentia labia sint procul a te.

Quo modo sit Cor custodiendum, edocet, cum monet, ne uerbis nostris insitæ prauitatis indicium faciamus. Nihil est enim tam pestilens, atque mortiferum, quod sit cum calumnia, & maledicentia, comparãdum. Linguę namque peruersitas innocentibus necem affert, bonorum dignitatem testimonio falso cõmaculat, societatẽ fraternã dissoluit, discordias ciuiles concitat, atque postremo uniuersam Remp. euertit. Iacob. 3. Vt enim exiguus ignis, quemadmodum Iacobus ait, ingentem materiam incendit, & horrendum incendium sæpe concitat; ita impurus hominis malefici sermo principio quidem paucorum animos latenter corripit; deinde, ubi magis atque magis innalescit, quocumque fert impetum, omnia populatur. Rectiſſime igitur uir ille Psalm. 38. Diuinus ait, Dixi, custodiam uias meas ut non delinquam, in lingua mea. Sequitur deinde:

Oculi tui recta uideant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.

Hoc est, nihil temere, nihil præcipitanter, agas; ante quam uerbum ullum facias, cogita, quid sit dicendum, quid silentio supprimendum, ne offensionem periculose concites; cum aliquam actionem suscipis, antecedat sanum consilium, ut actio salutaris consequatur. Vt enim, qui uiam, quam tenet, non animaduertit, sed festinanter, & in considerate, progreditur, ruina frequenter opprimitur; ita, qui non, antequam aliquid moliatur, quid euenire possit, mente considerat, in graues sæpe calamitates incurrit.

Dirige semitam pedibus tuis, & omnes uiæ tuæ stabilientur.

Eandem sententiam alijs uerbis exornat. Cogita, inquit, quam uiam ineas, ut omnia officia tua felicem exitum habere possint. Quo modo? dicit aliquis. Numquid non fieri potest, ut, quę sunt diligẽtissime cogitata, tæterrime cadãt? Quid proderit igitur, de suscipiendo itinere nalde cogitare, si ita euenerit, ut, quo longius progressus fuero ab ea regione, quam peto, longius aberrem. Hoc ne dici merito possit, continuo Sapiens adiungit:

Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram: auerte pedem tuum a malo.

Times, ne, re etiam deliberata, parum feliciter dirigantur gressus tui? Timere desine: legem seruа; permanẽ, quam Deus monstrauit, incede; ne ad dexteram, aut sinistram, declines: intellige, omne peccatum esse legi Diuinæ contrarium. ab illo igitur, tamquã a peste, fuge. ut recte tibi omnia procedant. In omni igitur consultatione hoc firmissime tenendum est, ne, ulla utilitatis, aut uoluptatis, specie delenitus, a legis Diuinæ studio deducaris. Ait deinde:

CAP. V.

Fili mi, attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam.

Rursus beneuolentiam conciliat, & attentionem excitat, & nomine spectatæ multis in locis sapientiæ, atque prudentiæ, auctoritatem suam constituit.

Vt custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conseruent.

Non inquit, Vt audias tantũ, elaboro; nerum, Vt ea, quę audieris, memoria sepias, ne umquam ex animo tuo elabantur. Neque satis est, ea, quæ audis, memori mente tueri; sed est etiam necesse, ut, his disciplinis instructus, ad alios docendos te conferas. Hanc igitur scientiam præscribo, ut cum alijs benigne communices, ut, tuis monitis, & consilijs, eruditi, salutis uiam ineant, summunque tandem bonum adipiscantur. Non igitur solum te ad intelligendum erudio, uerum etiam ad eloquendum. Nam doctrina mea non solum te uirtutibus exornabit, uerum & opibus eloquentiæ locupletabit. Sed intelligendum est, non prius esse in eloquentiæ, quam in uirtutis, studio laborandum. Iccirco uolo, ut prius animum tuum bonarum cogitationum epulis enutrias; deinde labijs tuis, hoc est orationis ubertate, te ad alios instituendos, & confirmandos, accommodes. Cum uero, inquit, scientiam labia tua conseruent, materiam præscribit, in qua hominis sapientis oratio perpetuo uersari debet. Flagitia namque sunt longissime repellenda, mendacia remouenda, adulatio detestanda, ita, ut nihil in oratione ponatur, quod non sit sententijs grauissimis illustratum, & sapientissimo dicendi studio, & labore, perpolitum.

Fauus enim stillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius.

Hoc in loco apud Hebręos est positum nomen זרה, quod est Aliena, cuius loco interpres posuit Meretricem. Quod idem propemodum ualet. Quamquam Alienæ nomen magis proprie in adulteram, quã in quamuis meretricẽ, conuenit. Sed hoc minus ad institutum pertinet. Illud est potius animaduertendum, quam sit hæc sententia apta, & nexa, ex his, quæ sunt ante dicta. Vidimus nouum orationis exordiũ, quod animos excitauit ad rerum mirabilium exspectationem, cum repente Sapiens in loco, qui minime flagitare uidebatur, hãc impudicæ mulieris speciem nobis interrupta quodãmodo oratione, in oculis, & aspectu, proponit. Sed intelligendũ est, nihil potuisse fieri conuenientius. Instruit Sapiens auditores ad sapientiam. Quid igitur commodius fieri poterat, quam, insidias, contra sapientiæ studium comparatas, in mente defigere? Instruit ad eloquentiam. Quid igitur prouidentius, quã falsam eloquẽtię uim, medicamẽtis infectã, ab eloquentię grauitate, & puritate, discernere? Cũ uero uix quidquã sit, quod magis uitæ seueritatẽ frangat, & debiliter, quã nefariæ uoluptatis appetitio, nihil, qđ citius molliat, & liquefaciat, animum, quã meretricis oratio; sapientissime a sapientissimo uiro factũ est, ut hæc hostium præsidia, quę erant illius

Universidad de Deusto
Biblioteca

instituto contraria, disturbaret. Preterea, est animaduertendum, Alienæ nomen in fallacissimæ disciplinæ rationem apte congruere. Adultera est enim omnis impia multitudo, sceleris consensione conspirans, in ficta specie sanctitatis sanctitatem acriter oppugnans. Hæc igitur meretricijs blandimentis, atque lenocinijs, imperitos in
Rom. 16. fraudem impellit; per dulces sermones, inquit Paulus, esse permultos, qui imperitorum corda de omni statu deiiciunt. Hæc est igitur aliena, hæc adultera, hęc capitalis, quæ, cum dulcia pollicetur, amara porrigit; dum ad uoluptates allicit, dolores inuehit; dum se tueri uitam simulat, tela mortifera contorquet. At, quo eloquentiæ genere peditorum hominum Synagoga homines nihil hostile suspicantes erroribus perniciosis imbuit? Quam blande imperitos alloquitur? Quæ præmia pollicetur, ut incautos irretiat? Euangelij puritatem in ore semper habet; Christianæ caritatis laudes amplificat; pietatis simulationem horrendis uerbis exsecratur; iustitiæ opes sempiternas se explicaturam, promittit, atque confirmat. Quid igitur hac oratione mollius, quid dulcius, fingi potest? Hæc quidem est meretricis eloquentia. Sed finem uideamus. Reperies tandem, si mel illius uenenatum gustare nolueris, pro puritate flagitium, pro caritate bellum diriſsimum, pro pietate sacrileginm, pro iustitiæ splendore nefarium facinus, ad hominum perniciem scelestisime comparatum. Sed ad adulterę mulieris insidias institutam orationem referamus. Fauus, inquit, distillans, oratio illius; & blandius oleo dicendi genus, quo mentibus incautis errores pestilentes objcit. Caue igitur, ne te in laqueum mortis induas. Si enim aurem illi præbueris, intolerandam acerbitatem senties.

Nouissima autem illius amara quasi absynthiũ, & acuta quasi gladius biceps.

Quæ sunt illius nouissima? Egestas, turpitudo, dedecus, & ignominia, odium hominum, legum metus, atque postremo supplicium. Siue enim adulteri pœnam lege constitutam subeant, siue non subeant, semper eorum animi conscientia sceleris anguntur; formidine concutiuntur; intentum gutturi gladium pertimescunt. Est enim illa biceps gladius. Quo modo biceps? Quia in uiscera penetrat, & corpus, & animum, simul interimit.

Pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus eius penetrant.

Illa quidem festinat, ut incurrat in mortem; & secum amatores in inferorum regionem præcipites impellit.

Per semitam uitæ non ambulant, uagi sunt gressus eius & inuestigabiles.

Quo modo sint inuestigabiles gressus illius, intelligi uix potest. Mulieris enim impudicæ flagitium occultari diu nequit: libidinis enim furor illam frequenter exagitat, ut indicia temerita is emineant, cum multis in locis impressa nequitiæ uestigia relinquat. Sed inuestigabiles esse dicit illos Sapiens, uel propter illius mobilitatem, & inconstantiam, qua, effrenatæ libidinis furore percita, in uarias partes ita discurrit, ut, quo in loco insistere, uelit, prorsus ignores; uel, propterea quod homo, illius amore cæcus, minime perpendit gressus illius in sempiternam pestem amatores attrahere. Et secundum hunc sensum oratio hæc multo clarius ita ex Hebræo uerti potuisset. Ne uiuentium uitam expendas: uagantur gressus illus, & non intelliges. Hoc est autem, cum illa per omnia genera flagitiorum, & scelerum, uagetur, & te sibi deuinctum teneat, impedimento est, quo minus expendas, quam expetenda sit uiuentium, hoc est iustorum uia.
Itaque non intelliges, neque beatorum uiam, quam deseruisti, neque miseriæ extremæ uiam, quam, ut ei morem gereres, tenuisti. Itaque facit illa, ut non solum in cæcitate, & amentia, uerseris, uerũ, ut spem melioris condicionis abiicias.

Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas a uerbis oris mei.

Quando tantum malorum a consuetudine, & familiaritate, adulteræ mulieris impędet, audi te monita mea, quibus uos a tam horrenda calamitate deterreo.

Longe fac ab ea uiam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.

Numerum, more suo, mutat: &, cum fuisset numero multitudinis usus, nunc ad singularem conuertitur. Ait igitur: Non satis est, fili mi, illius usum detestari, nisi magnum inter te, & illam, interuallum intersit, ne te spiritu suo contaminato, quasi uenenata serpens, inficiat.

Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.

Alieni sunt ueneris satellites, adulatores, lenones, & impuræ libidinis administri. Hi, alieni, hoc est hostes accerrimi sunt. Nam deco e, & honestate, spoliant, opes exhauriunt, & uitam eripiunt. Crudelis est, adultera, quæ nec uitæ, neque famæ, tuæ parcit; &, dum amorem fraudulenter ostentat, in te pestem nefarie machinatur.

Ne forte impleantur extranei uiribus tuis, & labores tui sint in domo aliena.

Ex hac dementia duo mala grauissima nascuntur. Vnum est, egestas turpissima. homines enim flagitiosi culpa sua fiunt egentissimi. Alterum est, dolor ex opibus ad alienos cum dedecore summo translatis. Ideo subiungit:

Et

Et gemas in nouissimis quando consumpseris carnes tuas & corpus tuum, & dicas, Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui uocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam?

Inconsolabilis dolor, est peccati recordatio; maxime uero, cum nulla spes instaurandi opes per flagitium amissas ostenditur. Concludit dedecoris penitus insiti querimoniam:

Pæne fui in omni malo, in medio ecclesiæ & synagogę.

Hoc est, non fuit satis mihi, opes effundere, annos in nequitia consumere, ignominiam subire, bona mea in hostium domibus inclusa lamentari, nisi, præter hæc omnia, pœnam legum, & iudiciorum, frequẽter extimescerem. Parum enim abfuit, quin, in medio iudicum cõuentu, coram omni multitudine, cum summo dedecore, & ignominia, crudelissimas pœnas exsoluerem. Hoc exemplo ne quitiæ luculenter explicato, redit Sapiens ad recti officij disciplinam:

Bibe aquam de cisterna tua & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.

Non opineris, esse tibi interdictum omni uoluptate: fruere uxore tua legitima: restingue cupiditatis sitim sine flagitio. Non est, cur nalde sollicitus sis, ne quid in uulgus emanet: quemadmodum hi sunt, qui mulieribus alienis commiscentur. Riuuli, hoc est, liberi, ex fonte proprio deriuentur, in hominum conuentum. Nec enim erit tibi pudenda soboles, ut est ea, quæ adulterio suscipitur. Prodeant in publicum filij tui, sine ulla nota originis incestæ.

Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.

Vt enim summum scelus est, lectum alienum adulterio maculare; ita non mediocre flagitium est, aliorum libidinem a propria uxore minime prohibere. Ne sis igitur, inquit, in illius custodia, quæ tuum matrimonium tenet, negligens, & dissolutus. Fac, ut matrimonij sanctitatem immaculatam conseruet, ne uagetur huc & illuc, ne aut iocis petulantibus, aut oculorum nutibus, iuuentutem alliciat, ne denique otio diffluat, & ita paullatim ad flagitium delabatur. Amore mutuo, & prouidentia salutari, cura, ut te solum amet, rem familiarem curet, filiis tuis sedulo prospiciat, ne ulla umquam suspicio labis ullius recipiatur. Ait deinde:

Sit uena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ.

Insistit in eadem metaphora. Dixerat enim, ut quilibet de fonte suo biberet; id autem est, ut, uxoribus alienis omissis, sua tantum uxore frueretur, ut ita liberi minime pudendi, tamquam riuuli, in hominum conuentum profluerent. Hic uero ait: Sit uena tua benedicta. Vena, est fons, & scaturigo, unde riui deriuandi sunt. Ait igitur, Vxor tua sit pudoris studio sancta, parien di felicitate fecunda, amore, & fidelitate, carissima. Illam, quam tibi a iuuentute coniunxisti, amantem amplectere, & cum illa te oblecta, si cupis sine crimine uoluptatem percipere, & liberos nulla nota labis adspersos creare.

Cerua carissima, & gratissimus hinnulus.

Si animantia bruta inter se amant, & partus suos diligunt; quid tibi faciendum est, cum sis ratione præditus, & naturæ lege ad amorem uxoris tuæ compellaris? Cerua, cuius natura agrestis, atque fera, est, ceruo est periucunda; hinnuli, sunt parentibus gratissimi. Cur igitur tu uxorem legitimam non amabis? Cur non similiter filios tuos amore eximio complecteris?

Vbera eius inebrient te in omni tempore, in amore illius delectare iugiter.

Metonymia est, qua per Vbera amores intelliguntur. Vini copia sensum eripit. Similiter in uenerea uoluptate intelligentia mentis opprimitur, ut tamdiu animus officio rationis orbetur, quamdiu uiget ipsa uoluptas. Et ea de causa, ubi nos habemus Delectare iugiter, est apud Hebræos תשגחתמיר, hoc est, Erra iugiter. Recte tamen interpres uerbo Delectationis usus est. Ea namque delectatio homines usu rationis spoliat. Attunc Errare dicimur, cum rationis usu caremus. Quid igitur? Non est Errare flagitium? Non semper. Nam, legitimo amore desipere, interdum laudis est; &, magnitudine amoris aliquando insanire, summæ sapientiæ est: ut hi faciunt, qui, amore Diuinæ pulchritudinis incensi, extra se longissime rapiuntur.

Quare seduceris fili mi ab aliena, & foueris in sinu alterius?

Cur, o fili, inquit, cum liceat uoluptatem sine crimine, sine dedecore, sine metu, capere, mauis cum scelere, cum turpitudine, cum assiduo angore, atque pœnæ metu, a muliere infami seductus, uoluptatem furenter exquirere? Quæ est hæc dementia? Quæ furiæ te persequuntur, ut malis uoluptatem, ueneno pestifero corruptam, haurire, quam puram, absque ulla formidine, perfrui? Si perstas in flagitio, confitmarę tibi possum, te id impune minime laturum.

Respicit Dominus uias hominis, & omnes gressus eius considerat.

Nihil est latebris occultum, nihil abstrusum,

atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

atque reconditum, aut in terræ uiſceribus abditum, quod oculi Domini non clariſsime cernant. mentis receſſus peruestigant, officia diligentiſsime perpendunt, ut cuiuſlibet hominis actiones aut præmijs cumulate remuneret, aut pœnis grauiſsimis ulciſcatur.

Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.

Ergo, cum quilibet iniquitatem ſuſcipit, ſeipſum uinculis adſtringit, & in carcerem detrudit, ut ſuppli.io debito mactetur. Quod autem aliud poteſt aſsignari miſeriæ ſempiternæ, quæ eſt flagitioſis ſubeunda, fundamentum, præter odium diſciplinæ, quam aſpernati ſunt.

Ipſe morietur, quia non habuit diſciplinam, & in multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur.

Si turpitudinem honeſtati prætulit, ſi cupiditatis gratia iura uiolauit, ſi omne ſtudium uitæ in flagitia tranſtulit, ſi denique in his uitæ peſtibus ad extremum permanſit, ut tandem ſempiternam pœnam ſuſtineret; omnia hæc mala ſunt ad contemptionem diſciplinæ reuocanda. Vnde ſequitur, nihil eſſe cum ſtudio ſapientiæ comparandum, cum non ſolum eo ſummas opes acquiri, uerum omnem metum malorum depelli, certiſsime conſtet. His argumentis explicatis, ad alia continuo gradum facit. Ait enim:

CAP. VI.

FIlli mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es uerbis oris tui, & captus propriis ſermonibus.

Quanta cura, & ſollicitudine, ſit præſtanda fides, oſtendit, cum tam multis uerbis explanat ſponſionis artiſsimum uinculum, quo ſponſores ſe pro aliis deuinciunt. Defixiſti, inquit, manum tuam; illaqueatus es uerbis tuis; captus denique es uerbis oris tui. Libertatem, inquit, amiſiſti; ius nexu artiſsime deuinxiſti; te denique homini alieno in ſeruitutem addixiſti. Cum igitur fidem tuam pro aliis obligare uolueris, cogita, quam rem geras, quod diſcrimen adeas, & quid de illius fide ſit ſperandum, pro cuius emolumento te laqueis adſtringi ſinis. Eiuſmodi enim ſponſiones inopia, & ignominia, ſæpe conſequitur. Attamen, poſtquam ſemel ad præſtitutam diem, ſi creditori ſatisfactum minime fuiſſet, te ſoluturum promiſiſti, atque recepiſti; noli tergiuerſari, noli fraudes moliri, noli differre, atque procraſtinare. Intellige, quanti ſit facienda fides. Tollit enim uitæ communionem, & diſturbat ciuilem ſocietatem, qui fidem datam uiolat.

Fac ergo quod dico fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicũ tuũ: (*ex Hebræo uerti potuiſſet Abi, abijce te, proximũ tuũ honore proſequere*) ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu & quaſi auis de manu aucupis.

Te hortor, & moneo, fili, ne fidem datam negligas. Si potes, libera ſtatim fidem; ſi non potes, ſupplex eſto creditori; te abiicias opus eſt, & illi honorem deferas, ut libenter te exſpectet, tantiſper, dum commodo tuo pecuniam cures. Aliter enim tibi diem dicet, & apud iudicem cogeris cum dedecore ad teruncium ſoluere. Eſt autem hoc præceptum ſimile illi, quod eſt apud Matthæum: Eſto cõſentiens aduerſario tuo, dum Matth. 5.
es in uia cum eo, ne forte tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas nouiſsimum quadrãtem. Similiter hoc in loco nos admonet uir ſapientiſsimus, ut intelligamus, nos eſſe creditoribus noſtris obnoxios; &, ſi poſſumus, ſine ulla mora illis ſatisfaciamus; ſi non ſtatim poſſumus, illos ſuppliciter oremus, ne ſummo iure nobiſcum agant, ſed diem prorogent, ut poſsimus ære hoc alieno liberari. Interim uero, ſummo ſtudio, cura, ſollicitudine, uigilantia, ne iudicium turpiſsimum ſubeamus, operam demus, ut a uinculo, quo ſumus adſtricti, ſolutione relaxemur. Sed, quorſum hoc præceptum potiſsimum ſpectet, eſt diligenter animaduertendum. Paullo ante dixerat, oculos Domini, omnes actiones hominum ſpeculari, ut unicuique pro meritis uel præmium, uel ſupplicium, reponat. Vult igitur, ut iudicium illud, in quo neque eſt gratiæ, neque fraudi, neque potentiæ, locus, horreamus; operamque demus, ut uitæ caſtimonia, & ſanctitate, nobis Dominum placemus. aliter enim futurum eſt, ut acerrime puniamur. Si enim, inquit, fides homini minime neceſſario data tantam uim habet, ut tibi libertatem eripiat, uſque adeo, ut, ſi uelis turpe iudicium declinare, opus ſit tibi, illi, cui te pro amico deuinxiſti, humiliter, atque demiſſe, ſupplicare, ut tibi ueniam tribuat, tantiſper, dum liceat tibi curare pecuniam, quam te redditurum promiſiſti; quid tibi faciendum erit, pro te ipſo, ut rerum omnium Domino, cui tot modis obſtrictus es, opportune ſatisfacias? Primum enim eſt naturæ Dominus, cuius numine, & imperio, fuiſti ad feliciſsimam ſeruitutem in lucem editus. Eſt deinde pater amantiſsimus, cuius opera fuiſti ad Diuinę mentis effigiem mirabiliter informatus. Deinde, tantis te, atque tam excellentibus, auxit beneficiis, ut te ſibi uehementer obſtringeret. Poſtremo, te fœdere ſanctiſsimo ſibi artiſsime deuinxit, ita ut nequeas quidquam contra uoluntatem illius, tacita etiam cogitatione, meditari, quin ſummo perfidiæ crimine conuincaris. Debes igitur illi, ut ſummo Domino, metum; ut parẽti, pietatem; ut be-

ut benefico, gratum animum; ut auctori fœderis ſalutaris, fidem; & deniq. tam multis uinculis es aliigatus, ut tibi nõ liceat ſine cura, & ſollicitudine, uitam traducere. Si enim, cum fidem pro amico homini alieno obligas, tibi dormire non licet, quamdiu fidem non præſtas, quam dediſti; quid tibi pro te ipſo laborandum eſt, ut non alieno, ſed Domino tuo, & uitæ, atque ſalutis, tuæ parenti, & auctori, pactioni ſanctiſsimæ ſatisfacias? Et, ſi pecuniæ debitum tantum ſtudium in liberanda fide requirit; quid erit exiſtimandum, de condicione hominum, qui uitam, qui ſalutem, qui dignitatem, qui præſidium, qui denique ius hereditatis ſempiternæ, ſi officium tueri uoluerint, acceperunt? Et, ſi quiuis homo, cui te penitus addixiſti, te poteſt, ſi iudicia recte facta fuerint, in carcerem detrudere, ut omnia perſoluas; quam iuſtum iudicium erit illud, quo te Dominus tenebris includet, uſque eo, dum, ut ille ait, nouiſsimum quadrantem reddas? Quod ſi ſoluendo non fueris, in tenebris perpetuo permanebis. Quid eſt igitur tibi faciendum, dum es in uia, hoc eſt, dum uita ſuppetit? Primum quidem, eſt ſummopere laborandum, ut debitum reddas. Quod ſi uel egeſtas, uel obliuio, uel negligentia, fuit in cauſſa, quo minus ad diem ſolueres, imitare debitores, cum uadimonium pertimeſcunt. Abijce te coram Deo; illum honore debito proſequere; clementiam illius implora; atque ſummo ſtudio, & contentione, ab eo pete, ut diem proferat; deinde, ſollicite cura, ut, quod debes, fideliſsime reddas. nempe, ut illum deinceps timeas, & ames, & aſſecteris, & pietatem unice colas, & legem diligenter obſerues, atque ſis in retinendo mentis ſtatu ſollicitus, ne te umquam a muliere aliena, uel, quod eſt magis metuendum, ne te ab aliena, & peſtilenti, doctrina corrumpi patiaris? Agitur enim uita tua, agitur ſalus, & dignitas. Cauendum ergo eſt, ne, dum ſomnum amplecteris, omnibus ſimul bonis funditus euertaris. Sed hic potuiſſet aliquis dicere, quis poterit tam multos labores in uita tuenda ſuſtinere? Ne hoc merito dici poſsit, continuo ſubiungit:

Vade ad formicam o piger, & conſidera uias eius, & diſce ſapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat.

In rebus omnibus cernere licet mentis Diuinæ prouidentiam. Quid eſt in inſectorum genere formica minutius, aut magis contemnẽdum? Quid rurſus rem acute conſiderantibus magis admiraudum eſt? Animal ſociabile turmatim ſemper ingreditur; ut ſe tueatur, ſub terram latitat, cibum æſtate comparat, quo hieme ali, atque ſuſtentari, queat: pro corpore eſt ualentiſsimum: onera namque ſuſtinet corpore ſuo longe grauiora: eſt laborioſum, atque ſollicitum, & in commune confert, quidquid poteſt acquirere. Non enim eſt inuidum, ſegnitiem exſecratur, uſque adeo, ut quælibet formica tardiores ad laborem excitet, & ad celeritatem acriter impellat. Formicæ igitur exemplo, Salomon ſocordiam increpat, & ignauiam pigris obiectat. O piger, inquit, formicam intuere, & ex illa tandem diſciplinam arripe, quando tam tardus, & hebes es, ut per te ipſum non intelligas, quam turpe ſit homini ad immortalitatem nato, laborem, quo immortalitas eſt neceſſario comparanda, defugere. Formica, animal minimum, tenuiſsimoque ſenſu præditum, nullo monente, atque præcipiente, admirabili cura uictum quærit: tu, homo, animantium princeps, mente, & ratione, præditus, cum Deum principem, & monitorem, habeas, legique te ad laborem ſollicitanti ſubditus ſis, & multos principes legis miniſtros aſsidue, atque frequenter, audire poſsis, qui te ad laborem erudiant, tamen otium turpiſsimum induſtrię honeſtiſsimæ præferes, & lãgore, atque deſidia, ita diffluës, ut torpore paullarim intabeſcas, & corrumparis? Formica, ut una hieme ali poſsit, ætatem in aſsiduo labore conſumit: tu, ut in perpetuum cum gloria uiuas, non de ſomno ſuſcitaberis? neque te propoſiti muneris amplitudo, neque periculi magnitudo, neque decoris, & gloriæ, cupiditas, neque ſempiternæ ignominiæ metus, neque magnorum hominum exempla, tibi ſtimulos admouebunt, quibus aliquando uigilantis hominis ſenſum recipias? Quę hęc eſt ſtupiditas? Quæ ſalutis obliuio? Quæ ueterni magnitudo te tantis rebus indormire compellit? Adiungit deinde egeſtatis formidinem, quæ magnam uim habet ad animos incitandos:

Vſquequo piger dormies? quando conſurges e ſomno tuo? Paullulum dormies, paullulum dormitabis, paullulum conſeres manus ut dormias: & ueniet tibi quaſi uiator egeſtas, & paupertas quaſi uir armatus.

Mirifice ponit ante oculos mores hominum, qui ſomno dediti ſunt. Similiter faciunt illi, qui nihil tranſigunt, nihil expediunt, qui rei gerendæ tempus elabi ſine fructu patiuntur. Egebunt igitur neceſſario. Si enim agricola, dum alij terram proſcindunt, ipſe ſtertat: ſi, dum alij ſemen tem faciunt, ille deſideat; cum uenerit æſtas, quid ex agris incultis, atque ſqualidis, percipiet? Sic de reliquis dicendum eſt, qui munus ſuum obire opportuno tempore recuſant. Eos omnes inuadet egeſtas, ut uiator. Hoc eſt, ſenſim ad eos accedet, & fortunas paullatim conficiet. Et pauperes, ut uir armatus. Hoc eſt, inopia repente inuadet, ut improuiſo opibus cunctis ſpoliet. Nam, cum omnes, qui otium nimis amplexantur, ad inopiam tendant, alij paullatim eo delabuntur, ut egeſtate tãdem confligẽtur; alij uero, ſubito, euerſis cunctis opibus, opprimuntur. Similiter ſunt illi, qui, cum uideant opus eſſe labore, & induſtria, ut gratiam Diuinam acquirant, tamen in flagitiis immorantur, uirtutis, & pietatis, colendę tempus in aliud tempus amentiſsime

Universidad de Deusto
Biblioteca

me reseruant. Itaque, dum differunt, dum stulte procrastinant, mors paullatim appropinquat, in eos tandem irruit, atque a rebus omnibus inopes in conspectu Diuino constituit. Hac igitur sententia Sapiens homines ad laborem pro salute tuenda suscipiendum uehementer exhortatur. Sequens porro sententia eos a malitia, & fraudulenta calliditate, deterret. Inquit enim:

Homo apostata, uir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat. huic ex templo ueniet perditio sua, & subito conteretur, nec habebit ultra medicinam.

Signa foris ostensa, quid intus in animo lateat, ostendunt. Quemadmodum, dum animus simplex, & purus, constantiam, & grauitatem, retinet, nullam significationem fraudis, & uanitatis, dare potest; ita, qui cogitationibus maliosis, & impuris, in partes uarias deducitur, multis modis, quibus furijs intrinsecus agitetur, indicat. Multa namque machinatur, multa, atque uaria, fraudis intestinæ præsidia molitur, &, cum numquam ualde firmum exitum malitiæ reperiat, infinitas fraudes animo uersat; &, cum multa furenter excogitet, nullo in loco conquiescit. Ex animo igitur turbulentis motibus agitato, multa signa opus est intestinæ turbationis foris emineant. Præterea, cum uir, numinis Diuini contemptor, malitia plerumque subnixus, sibi ualde sapiens esse uideatur, ita, ut bonos pro nihilo ducat, & in summa prauitate summam sapientiæ opinionem aucupetur, tam multa concipit animo, ut ea lingua explanari minime possint. Itaque multis corporis partibus illi opus est, ut, quod est in mente illius inclusum, designetur. facit igitur idem, quod a multis passim fieri uidemus, ut oculorum nutibus petulanter illudat, ut pedum succussu insitum odium demonstret, ut digitorum indicio multos ad perniciem notet, multisque modis animum de statu conuulsum in aspectu proponat. Cum igitur tantis morbis intestinis homines fraudulenti, qui in scelere gloriantur, oppressi sint, e quibus emergere nullo pacto uolunt, ius Diuinum postulat, ut inopinato iudicio conterantur. Insanabile namque fere malum est, Superbia immanis, armis calliditatis, atque malitiæ, succincta. Ferro igitur resecandum est, & non medicina depellendum.

Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, Oculos sublimes, Linguam mendacem, Manus effundentes innoxium sanguinem, Cor machinans cogitationes pessimas, Pedes uelocesad currendum in malum, Proferentem mendacia, Testem fallacem, (*clarius, secundum Hebræum, Testem fallacem, cuius spiritus eructat mendacia*) & eum, qui seminat inter fratres discordias.

Quæ sunt maxime fugienda, ne in offensionem Dei incidamus, in summa perstringit. Primum malum numerat fastum, & insolentiam, quæ in oculorum elatione, & in fastidio minime tolerando, perspicitur. Superbi namque sunt Diuini numinis hostes sempiterni. Illius enim iudicia contemnunt, &, quasi a se ipsis orti sint, efferuntur, gloriamq. Diuinam ad se transferre conãtur. Secundum uero malum in lingua mendaci positum esse, docet. Ab animo namque uanissimo mendacium profluit, & ad perniciem humani generis erumpit, & est turpissimæ seruituti finitimum. Nemo enim mentitur alijs, qui non prius se inani decipiat: &, quemadmodum ueris bonis beata uita continetur, ita miseria tota uanitate conficitur; atque postremo, cum mendacium ex metu plerumque ortum habeat, consequens est, ut sit cum animi abiectione, & seruili humilitate, coniunctum. Tertium malum numerat, in sanguinis effusione sine caussa uersari. Non enim homo putandus est, qui hominem innocentem uita spoliat, sed immanis, & truculenta, bellua, & dirum monstrum, atque prodigium, e terris exterminandum. humanitatem namque exsuit, & feritatem uiolenter arripit, & ius humanum scelestissime uiolat, & Dei iudicium minime pertimescit. Quartum uero malum censet esse, cor, fraudes, & insidias, perpetuo cogitans, ita, ut nihil umquam rectum, nihil simplex, nihil salutare, nihil cõmodum, possit aliquando meditari, eo quod sit multiplici ui prauitatis infectum, & in potestate totius sceleris, & perfidiæ, constitutum. Est igitur in illo perennis fons ueneni pestiferi, unde morbi pestilentes, qui hominum cœtus inficiunt, continenter emanant. Quinctum porro malum docet esse in scelesto facinore perpetrando festinationem, atque nimiam celeritatem. Signum enim est, id libentissime, & cum insigni uoluptate, fieri, quod nimis properanter efficitur. Cum igitur ab aliquo facinus scelestissimum cum uoluptate fit, plane liquet, naturam illius, qui facinus fecit, esse immitem, & in totius feritatis immanitatem conuersam. Quid de sexto malo dicendum? Non enim solum ius societatis humanæ uiolat, sed, quod est longe detestabilius, in Deum conuicia iactat. Iusiurandum enim suscipit, Deũ testem inuocat, se dirissima exsecratione deuincit, cum mendacia perpetuo fundat, nomenque Domini insigni conuicio prosequatur. Sed septimum facinus, quod est omnium scelestissimum, uideamus. Illo namque obligati sunt, qui discordias inter fratres serunt. Quo tamen modo, inquies, hoc malum ultimo loco positum, quasi omnium maximum, & maxime Deo, & hominibus, exsecrandum? Quia caussam continet omnium malorum, quæ memorata sunt. Nemo enim pacem turbare facile potest, nisi confidens, & elatus, & oculorum elatione nimis insolenter inius-

xus. Nemo umquam sæpius, & confidentius, mentietur eo, qui dissidia concitare contendit. At uero multa sanguinis effusio, unde prouenit, nisi ex turbulenta dissensione, qua homines etiã coniunctissimi cædem suis furibunde moliuntur? Ergo, qui dissensionis caussam attulit, is est, qui crimine infando nefariæ cædis alligatus est. Iam uero, quis non uidet, eum, qui hoc suscipit, ut societatem, & coniunctionem, animorum dirimat, & odium inflammet, efficere tantum facinus minime posse, nisi noctes, & dies de instituto scelere cogitet, & mente perpetuo perniciem machinetur? Deinde, quis maiorem celeritatem ad maleficia facienda suscipiet, eo, qui, pessimis cogitationibus expletus, & quodãmodo scelere grauidus, anxie parturit, omnibusq. modis nititur, ut in lucem tandem editum uideat, quod mente corrupta & contaminata, nimis flagitiose concepit? Tãtam enim ex desiderio sceleris efficiendi molestiam capit, tantaque sollicitudine, & cura, cruciatur, tantoque metu, ne prius in uulgus emanet incluſum corde facinus, ad quod meditatus, atque paratus est, quam illud effectum cernat, afficitur, ut nullo modo possit angore aliqua ex parte releuari. Id autem eum impellit, ut, quoties opus illi sit, fraudes, quas impura, & contaminata, mente concinnat, sine ullo Dei metu, iureiurando confirmet, ut facilius discordia concitetur, & ad communem perniciem, quoad fieri possit, erumpat. Rectissime igitur septimo loco scelus illud, tamquam malorum omnium maximum, a Sapiente positum est, quod reliqua omnia, quæ sunt ante dicta, ambitu suo complectitur. Est igitur hoc facinus Deo omnium illorum maxime detestãdum, & acerrime uindicandum; &, si, quemadmodum ipsa sapientia testificatur, qui pacem faciunt, sunt Dei filij annumerandi; non ne liquet, eos, qui dissensiones inter fratres, & amicos, atque necessarios, excitant, esse in Sataneæ stirpe censendos. Matth. 5.

Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Liga eam in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo. Cum ambulaueris, gradiantur tecum: cum dormieris, custodiant te: & euigilans loquere cum eis: quia mandatum lucerna est, & lex lux, & uia uitæ increpatio disciplinę.

Rursus se uis amoris indicat. Rursus patris sapientis auctoritas, & matris sollicitudo, perspicitur. Rursus eadem monita repetuntur, ut in animo firmius infixa permaneant, ne umquam elabantur.

Vt custodiant te a muliere mala, & a blanda lingua extraneæ.

Tantum ne periculi a muliere impudica uiris impendet, ut toties admonendi sint, ut earum insidias declinent? Tantum profecto. Libertatem namque tollunt, uirtutis neruos incidunt, mentibus tenebras offundunt, religionem frequenter euellunt, opiniones animis pestilentes inserunt, domos dedecore omni contaminant, & uniuersam sæpe Remp. funditus euertunt. Plenæ historiæ sunt, & uitæ communis exemplis confirmari potest, uix esse ullum Satanæ telum ad stragem edendam uehementius.

Non cõcupiscat pulchritudinem eius cor tuum, ne capiaris nutibus illius.

Principiis malorum est acriter obsistendum, si cupimus uictoriam adipisci. Inueteratum namque malum uires colligit, quibus difficillime repugnatur. Porro autem, mali huius principium est mulierem, speciosam libenter adspicere, & absentis imaginem in corde defixam periculosa recordatione contemplari. Has insidias fugere iubet Sapiens, has fraudes astutia salutari deuitare, hæc pericula multo ante, quam necem inferant, præcauere.

Pretium enim scorti uix est unius panis: mulier autem uiri pretiosam animam capit.

Duplex libidinis impuræ genus commemorat. Vnum cum meretricibus, alterum cum uxore. Nuptam, uiri mulierem nominat, ad discrimen meretricis, quæ nullum uirum proprium agnoscit. Meretrices quidem homines bonis spoliant, atque ad mendicitatem redigunt. Hoc significat Salomon, cum ait, Pretium scorti uix est unius panis; hoc est, eo rediguntur homines, ut sit illis, propter inopiam, cibus emendicandus. Adulteræ autem uitam eripiunt. Adulterij enim crimen morte uindicatur. Hoc uero in loco uisum est, eorum confidentiam castigare, qui confidunt, se posse ita consuetudine, & familiaritate, nuptæ mulieris implicari, ut minime corruant. Summa namque temeritas est, opinari posse quemquam, libidinem, in lubrico, & periculoso, loco incitatam, continere, ne labatur. Quid autem magis periculosum sit specie pulchritudinis oculis sæpius obiectæ, & sermonis lasciui blanditiis, & oculorum lenociniis, quæ flammas furoris suscitant, cogitari non potest. Ab hoc igitur tanto uitæ discrimine ut auocet Sapiens plus nimio sibi præfidentes, & incautos, ait: Leuit. 20.

Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut uestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam.

Vt ignis in sinum immissus pectus adurit, &, ut plantæ, quæ prunas calcant, necessario comburuntur, sic necesse est, ut, qui nupta muliere familiariter utitur, flamma libidinis incendatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod crimen non erit impunitum. Acerrimi enim iudicij pœnam sustinebit omnis, qui eam attigerit.

Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim ut esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradit.

Docet, quãto grauius sit adulterij crimen furto. Non contemnent, inquit Hebræus, nempe iudices furem. Hoc est, non negligent illius salutẽ. Nec enim inferent illi necem; uel, ut noster Latinus ait, non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit. Nondum uidelicet hæc lex, quæ furtum morte plectit, fuerat auctoritate eorum, qui Iudicundo præerant, comprobata. Quod quidem neque a Diuinæ legis seueritate sanctum fuit, nec ab ullis Rerumpublicarum conditoribus statum, nec ullis olim Iure consultis in mentem uenit, ut non ita magnæ pecuniæ gratia, non per uim, aut per ignominiam, sed astute, atque fraudulenter, ereptæ, furibus pœnam mortis irrogarent. Et, quod est multo magis mirandum, sunt plerumque homines multo magis furibus, quam adulteris, atque homicidis, infesti. adulteris enim ignoscendum putant: homicidas autem, si possunt, contra magistratus omni opere tuendos existimãt: fures autem crudelissime persequuntur: &, cum apud nos liceat marito, tributa uenia, uxorem a morte legibus constituta uindicare, non licet ei, cui furtum factum fuit, ueniam furi tribuere. Vnde hanc opinionem hominum, qui maius supplicium furto, quam adulterio, aut homicidio imponendum arbitrantur, ortum habuisse dicemus? Num iccirco, quia pluris pecuniam, quam honestatem, aut hominum caritatem, faciunt? Non dico, furtum minime puniendum esse. Sed temporum condicio fecit, ut ea pœna contenti non essemus, quam lex Diuina proposuit, & non propterea contra legislatoris mentem, & sententiam iustam, legis seueritatem immanitate nostra cumulare ab aliquibus iudicandi sumus. non enim Deo iustiores existimari cupimus, & indulgentiam illius emendare conamur. esset enim facinus audax, & cum suspicione temeritatis, & amentiæ, conflatum. Sed temporum diuersitas hoc nunc flagitat, quod tunc in ea Rep. erat merito reprehendendum. Sed ad institutum reuertamur. Salomon, ut doceat, quanto minus odiosum sit furtum, quam adulterium, excusat quodammodo furẽ. Ait enim, furem habere excusationẽ egestatis, & famis, qua premebatur, atque præterea posse maleficium re familiari compensare. Cogebatur
Exod. 22. enim reddere septuplum; hoc est, id ipsum, quod furatus fuerat, multis accessionibus amplificatum restituere, aut saltem totam rem familiarem tradere. At adulter absque ulla necessitate eripit alienæ mulieri pudorem, eripit proximo suo dignitatem, facit incertam prolis condicionem, matrimonij sanctitatem uiolat, fœdus Diinum frangit, idque postremo facinus suscipit, quod non potest ulla ratione compensari.

Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam. turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.

Hoc est, mentis inops est, qui, dum uoluptatem exquirit, dolorem sibi, & exitium, comparat; & præterea minime cernit, se in sempiternum dedecus incurrere.

Quia zelus & furor uiri non parcet in die uindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.

Nihil est, quod grauiore sensu doloris, animũ uiri, qui honestatem plurimi facit, excruciet. Cernit enim amoris legitimi fœdus nefarie uiolatum; uidet, fuisse sibi hominem nequam a muliere, quam amabat, antelatum; cõspicit domum suam impuris nalabe maculatam; æstuat, extra se rapitur, prope modum insanit; &, quo ardentius uxorem amabat, eo magis, grauitate criminis offensus, odio ducitur, ita, ut nullius precibus possit ad misericordiam inflecti, aut muneribus impediri, quo minus mulieris nomen ad iudices deferat, & adulteros accuset, reumque tandem peragat, ut illius nece, & interitu, suum dolorem ulciscatur. Diem uindictæ, diem iudicij nominat, quo adulteri ad supplicium truduntur. Est quidem hæc dies, quo nocentes iudicum sententia morte pœnas exsoluunt, horribilis, & pertimescenda. Illa tamen est maxime omnium metuenda, qua nobis, in summi, atque sanctissimi, iudicis adspectu constitutis, est uitæ totius ratio reddenda, & occultæ etiam cogitationes in apertum proferendæ, & mentes omni integumento spoliandæ, ut turpitudo libidinis, & impuritatis, & furor immanitatis, emineat, ignominiaque sempiterna, cũ cruciatibus sempiternis, eos, quos importuna mors in flagitijs oppresit, excipiat. Hęc est uindictę dies, cuius reliquæ, quæ ad timorem proponuntur, sunt imagines, & umbræ; nec ullo modo cum illo tremendo iudicio comparandæ. Hic enim metus ab hominibus pendet; illum irati numinis uultus incutiet. Hic angusto termino definitur; ille nullis finibus in omni sæculorum æternitate terminabitur. Dolores humano iudicio constituti sunt modici, & ad corporis tãtum interitum destinati; illic erunt ingentes ad corporis, & animi, cruciatum comparati. Illic igitur adulteria, & cædes, atque flagitia, debitis pœnis punientur, & infinita contumacia eorum, qui redire ad officium nullo modo uoluerunt, pro merito plectetur, non hic, ubi non possunt excogitari pœnæ, quæ pro magnitudine sceleris contemptum cælestis numinis ulciscãtur, Salomon igitur, cum de iudicio humano loquitur, ita loquitur, ut ex huius

huius tenui similitudine, quam horribile sit futurum illud iudicium, cogitemus. Hoc igitur timore iniecto, Salomon ad eadem monita eadem mente reuertitur. Ait enim:

CAP. VII.

Fili mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi. Serua mandata mea, & uiues: & legem meam quasi pupillam oculi tui.

Vt enim nihil est in sensibus nostris adspectu præstantius, ita nihil est in toto corpore, maiore naturæ prouidentia, & sedulitate, munitum. Palpebris enim oculi sæpiuntur, quæ tanta celeritate, quoties opus est, ut a pupilla noxia cuncta repellant, accurrunt, ut uix quidquam possit incidere, quod oculis noceat. Non potuit igitur magis diligentiæ, qua lex seruanda est, præceptum describere, quam similitudine, qua, naturæ monitu, adspectum repentino subsidio tuemur.

Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui.

Digitis gestamus rei illius, quam memoriæ tradere uolumus, signa, & quod memoria conseruare cupimus, in corde recondimus. Vult igitur Sapiens, ut perpetuo de lege Diuina cogitemus, omnibus modis enitamur, & uigilemus, ne umquam exanimis nostris excidant ea, in quibus salus nostra consistit.

Dic sapientiæ, Soror mea es: & prudentiam uoca amicam tuam, Vt custodiat te a muliere extranea, & ab aliena, quæ uerba sua dulcia facit.

Eundem metum rursus inijcit; & simul ostendit, quanto sapientiæ, atque prudentiæ, præsidio opus sit ad magnitudinem tanti periculi declinandum. Difficillimum namque est, uoluptatis cupiditati, quæ est implicita in natura, repugnare; & blanditiis, quibus impudicæ mulieres libidinis incẽdium suscitant, obsistere, est perfectæ uirtutis officium. Quocirca monuit, ut sapientiam, sororem; & prudentiam, necessariam, & propinquam, & affinem, perpetuo nominemus, nẽpe, ut, illius custodia muniti, tã capitales insidias a nostris capitibus arceamus. Periculum autem oculis pæne subiicit, & orationem perditæ mulieris, mortiferis lenociniis adiunctam, sane luculenter exponit.

De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi, & uideo paruulos, considero uæcordem iuuenem, qui transit per plateas iuxta angulum, & prope uiam domus illius graditur.

Sapientis est, perditos etiam mores hominum mente ad præcauendum percipere, & omnia, quę uersantur in uita, considerare, ut melius sapientiæ fructum, qua est ex tantis laqueis expeditus, recognoscat, &, quam sit obstrictus Diuinæ gratiæ, qua ex tam multis periculis emersit, intelligat. Fenestra uero, ex qua Sapiens uagos ingressus perditæ iuuentutis prospicit, est intima cogitatio; & exterioris etiam sensus intentionem, qua se ipsum ad flagitiorum recordationem erigit, Cancellos appellat. Dicitu, æcordẽ iuuenem incedere prope angulum domus illius. Cuius? Illius certe, quam Extraneam, & Alienam, nominauit. Quorsum? Vt illam precibus ad consensum turpissimæ uoluptatis alliceret? Vt de uulnere, quo erat ictus, querimoniam haberet? ut cum lacrymis etiam misericordiam imploraret? Nihil opus fuit. Ipsa namque illi ultro occurrit, ut incensam cupiditatem multo acrius inflammaret. Sed, quo tempore adolescens uagari cœpit, est animaduertendum.

In obscuro, aduesperascente die, in noctis tenebris, & caligine.

Tempus uariis modis describit, ut explanet inuenis amentis in flagitij meditatione perseuerantiam. Nam, a principio noctis ad mediam noctem exspectans, tenebras, & caliginem, occultandis impuritatibus opportunam, uagabatur.

Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula & uaga, quietis impatiens, nec ualens in domo consistere pedibus suis.

Graphice depingit perditæ mulieris leuitatẽ, qua se proiicit; perfidiam, qua a marito deficit; inconstãtiam, qua quietem nullo modo patitur.

Nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians.

Instigante libidine, ruit, ut uenetur imperitum adolescentem; deinde se proiicit, ut tam illi, quam sibi, pestem manichetur.

Apprehensum deosculatur iuuenem, & procaci uultu blanditur, dicens.

Orationem audiamus, an moribus, & uitæ, respondeat.

Victimas pro salute deuoui, hodie reddidi uota mea.

Religiosam mulierem, quæ tanto studio properauit, ut nũcupata uota persolueret? Sed uidea mus, quam sancte susceptã religionem tueatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iccirco egressa sum in occursum tuũ, desiderans te uidere, & reperi.

Præclaram rationem sacrificiorum assignat. Docet enim, se caussa libidinis impurissimę uota feciſse. O sacrificium acceptissimum, non Deo, sed furiis, atque amoribus turpissimis, oblatum, maximeque dignum, quod ad se omnes inferos manes eliceret.

Intexui funibus lectulum meum, strauí tapetibus pictis ex Aegypto: aspersi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo.

Quam elaborato libidinis inuitamento cupit placere adolescenti perditissimo & quibus odoribus sensum auertere, ne metuat pestilentem tæterrimæ serpentis afflatum?

Veni inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexib⁹ donec illucescat dies.

Hic fortasse potuisset iuuenis tardior esse ad explendã libidinem, propter metum pœnæ adulterio constitutæ. Vt nihil igitur obstare possit libidini, metum omnem tollit. Ait enim:

Non est enim uir in domo sua, abiit uia longissima.

Libidinosa mulier una nocte cõtenta esse non potest; & ideo regionem, in quam uirum profectum esse narrat, nimis longinquam asserit. Quod ut magis abstergendi metus gratia confirmet, adiungit:

Sacculum pecuniæ secum tulit: in die plenæ lunæ reuersurus est in domũ suam.

Signum erat, cum pecuniam non mediocrem attulisset, illum rei strenue gerendæ gratia iter illud suscepisse, quod non exiguo tempore fieri posset. Maxime uero, cum is diem, ad quem erat rediturus, condixisset. Quam facile uero sit, hominem labentem in imum detrudere, id, quod statim sequitur, aperte declarat:

Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad uictimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorãs quod ad uincula stultus trahatur: (*uel sic, Et tamquam insanus, cui uincula sunt iniecta, ne libere ruat, incedit.*) donec transfigat sagitta iecur eius: uelut si auis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur.

Varijs similitudinibus amentiam iuuenis, qui mulieris impuræ sermonibus assentitur, explanat. Quæ maior amentia potest excogitari, quã esse aliquem, qui sponte sua in exitium feratur, & lubens se in baratrum præcipitem det, & in mortem, quam detestatur, cum festinatione proiiciat? Hoc igitur furore animaduerso, facilius erit, quod in aliorum exitio cernitur, uitare, & exempla calamitatis extremæ perhorrescere. Ait igitur Sapiens:

Nunc ergo fili mi, audi me, & attende uerbis oris mei.

Multitudinis numero, omnes excitat ad salutarem disciplinam attentissima mente capiendam. Deinde, ut præcipuã curam, & sollicitudinem, melius explicet, singulari numero admonitionem contexit. Ait enim:

Ne abstrahatur in uiis illius mens tua, neque decipiaris semitis eius. Multos enim uulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Viæ inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.

Non de una tantum muliere loquitur, sed in uniuerso genere uersatur. Mulieres enim impudicæ mentem eripiunt, uirtutis robur infringũt, statum animi labefactant, corda uenenato telo transuerberant, sapientum etiam sensum liquefaciunt, usque eo, dum sapientiæ totius opes exhauriant. Illę mortis administræ sunt, illæ domus disturbant, illæ Republicas exscindunt, illæ postremo ad miseriæ sempiternę regionem uiam muniunt, & omnes, quos sibi deuinctos habent, in inferorum tenebras præcipites impellunt. Non igitur immerito Sapiens toties homines ab illarum consuetudine, & familiaritate, deterret, & a libidinis flagitio, & impuritate ad sapientiæ studium traducere conatur. Quod ut uehementius fieri possit, ipsam Sapientiam loquentem, maximisque uocibus homines ad se uocantem, inducit. Sic enim sequitur:

CAP. VIII.

NVmquid non sapientia clamitat, & prudentia dat uocem suam? In summis, excelsisque uerticibus supra uiã, in mediis semitis stans, iuxta portas ciuitatis in ipsis foribus loquitur, dicens:

Quam prompta, atque parata, sint sapientiæ munera, atq. beneficia, omnibus, qui ad illius cupiditatem exarserint, ex studio sapientiæ ipsius, ex uocibus editis, ex clamoribus, quibus cunctos ad se mortales allicit, & inuitat clare cernitur. Non enim se abdit, non opes suas cõprimit, sed potius euolutas, & explicatas, ostendit, non paucis, sed omnibus, qui illis frui uoluerint. non enim cũ singulis tãtum hominibus, sed etiã cum uniuersis, se communicare desiderat: & iccirco, quamuis paucis, qui se excellentius gerere in studio illius statuunt, se clarius demonstret,

non

non tamen multitudinẽ negligit; sed in omni cœtu, atque multitudine, clamat, multisque modis omnes hortatur, & admonet, &, ut ita dicam, suppliciter rogat, ut miseriæ uiam deserant, & beatæ uitæ rationem summo studio consectentur. Sed illius uerba percipiamus. Sic enim ait:

O uiri ad uos clamito, & uox mea ad filios hominum.

Nullum est apud illam generis, aut condicionis discrimen. omnibus enim, siue illi sint claris natalibus orti, aut diuitijs a plebis multitudine segregati, siue ignobiles, & obscuri, & inopia miserrime cõflictati, diuitias suas ex equo pollicet.

Intelligite paruuli astutiã, & insipientes animaduertite.

Imperitis, & fraudibus frequenter obnoxiis, astutiam, & intelligentiam, promittit, ne facile possint in fraudem induci. Satis magnum pondus, hoc promissum habebat, ad attẽtionem acriter excitandam. Sed illa non satis habet mediocris admonitionis utilitatem; sed, quantum potest, animos incendere, & inflammare, desiderat.

Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum: & aperientur labia mea, ut recta prædicent. Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium. Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid, neque peruersum.

Rerum excellentium magnitudine, iustitiæ splendore, & magnificentia, ueritatis sempiternę constantia, impietatis exitio, rerumque Diuinarum claritate, se in animos nostros insinuat, & mentes nostras exspectatione orationis admirabilis erigit, ut acrius, & attentius, quæ sunt dicenda, suscipiant. Sed dixisset aliquis, Frustra oratio, de tantis, & tam Diuinis, rebus habita, ad nostras aures perueniet, cum ex sapientia, quæ tam procul est ab humana cognitione remota, nullũ fructũ ferre possimus. Ne hoc dici possit, facilita tẽ sapientiæ percipiendæ demonstrat. Ait enim:

Recti sunt intelligentibus, (*Hebræus sic, Expositi sunt omnes intelligentibus*) & æqui inuenientibus scientiam.

Intelligẽtes appellat eos, qui in studio sapientiæ uehementer elaborant. Qui enim se ad illius studium applicant, ea quidem animorum alacritate iam sunt non contemnendam partem intelligentiæ consecuti. Præterea usus, atque meditatio, & in doctrina progressio, in dies magis mentem illustrat, ut clarius cernat, eo studio cõti
Ioan. 8. neri ueritatis, et iustitiæ, disciplinã. Quemadmodũ ipsamet Sapiẽtia alibi dicit: Si uos manseritis in sermone meo, & uerba mea in uobis mãserint, cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos.

Similiter hoc in loco, promittit fore, ut inuenientibus scientiam, æquitas, atque iustitia, disciplinę cælestis innotescat. Instat deinde, & urget, & ab instituta admonitione minime desistit.

Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis, quam aurum eligite.

In animo est enim, & non in arca, diuitiarum magnitudo, & opulentia, reponenda. Animum porro, non aurum, & argentum, sed sapientia, locupletat.

Melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosissimis: & omne desiderabile ei non potest comparari.

Quo modo enim fieri potest, ut terrestria possint Diuinorum æstimatione censeri? Nunc igitur, ut melius amplitudinem illius aliqua ex parte complectamur, Sapientia dignitatem sua lucu lenter explanat. Ait enim:

Ego sapientia habito in consilio, & eruditis interfum cogitationibus. (*hoc est, ut Hebræus inquit, Ego sapientia habito in sollertia, & consiliorum scientiam assequor.*)

Iam nos ad Theologiæ disciplinam erudit, & docet, quæ sua sedes sit, atque domicilium. In patre namque insidet, qui est sapientiæ fons perennis, & inexhaustus, qua mundũ condidit, & omnia, quæ subteret supra sunt, sollertissime designauit, & admirabili potentia, & consilio, perpoliuit. Patrem igitur quamuis minime uideamus, eum tamen ex sollertia, qua mundum exstruxit, agnoscimus. At pater, ex omni æternitate, consilia sua cum filio communicat, quem filium, Sapientiam, ut nos sanctæ Litteræ facere admonent, appellamus. Hac igitur oratione Sapientia Diuinitatem suam testificatur, cum docet, se esse consilij sempiterni participem, atque adeo patris sinu, atque gremio, contineri. Ait deinde:

Timor Domini odit malum: arrogantiam & superbiam & uiam prauam, & os bilingue detestor.

Dixerat, Sapientiæ fundamentum esse in Dei timore constitutum. Nunc uero, quibus se rebus indicet sanctus Dei timor, ex planat. Non, inquit, Deum timetis, qui non detestatur omnia, quæ Deus odio habet, nempe, quæ cum legis Diuinæ sanctitate pugnant, quæ sanctionibus illius aduersantur, quæ Diuino iudicio peruertuntur. Quæ sunt illa? maleficium, iniustitia, mens arrogans, & insolenter elata, oris impuri, & spiritus contaminati, maledicentia. Vnde concluditur, omnes, qui cum his hominibus, qui sunt huiusmodi flagitiis affines, commercium habent, & ad eorum se nomen adiungunt, quamuis iisdem uitiis careant, Deum non timere. Non mediocrem igitur laudem

Universidad de Deusto
Biblioteca

arbitror esse Regis illius sanctissimi, qui hanc uirtutem suam in maximis numerabat, dicens: Non ne omnes, qui te oderunt, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Interim uero repellit Sapientia fallacis sapientiæ uanitatem, quæ superbia, malitia, & peruersitate, nititur, atque confidit. Persequitur deinde reliquas utilitates, quæ numine illius continentur. & ait:

Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. (*Hoc est, Et qui iura populis dant, officia liberalitatis exsequuntur.*

Ergo, ut ipsa Sapientia testificatur, ubi illa nō affuerit, pro consilio, temeritas; pro legis sempiternæ constantia, sententiarum uarietas; pro Regni moderatione, tyrannis exsistet; & pro magnificentiæ laudibus, auaritia immanis omnia comminuet, atque dissipabit.

Ego diligentes me diligo: & qui mane uigilant ad me, inuenient me.

Minime somno, atque socordia, comparatur, quod est summa uigilantia procurandum. Signū enim est, negligi, atque contemni, quod negligēter, atque per otium, queritur. At contemptio rerum Diuinarum scelere uacare non potest. Ita fit, ut, qui non diluculo surgit sapientiæ cupiditate, numquam sapientiam consequatur. Omnis, inquit ille, qui quærit, inuenit. Quod sic est intelligendum, vt, qui quærit, cupiditate flagret, uigilanter inquirat, diligenter elaboret, nihil sapientiæ opibus anteponat, vt sic tandem opibus sapientiæ cumuletur. Matth. 7.

Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ, & iustitia. Melior est enim fructus meus auro & lapide pretioso, & genimina mea (*hoc est, prouentus meus*) argento electo.

Si diuitiarum cupiditas animos ad labores immensos assidue perferendos excitat, si metus inopiæ mortales omnia pericula illius depellendæ gratia subire compellit; cur non omnes certatim in comparanda sapientia constanter elaborant? cum constet, in sapientiæ numine, atque potestate, esse fixas, & stabiles, opes constitutas; ita, ut, qui illius participes fiunt, nullo pacto inopes esse possint? Sed, quando illius compotes esse possimus, ipsa sane luculenter explanat. Inquit enim:

In uiis iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij, ut ditem diligentes me, & thesauros eorum replcam.

Si sapientia per iustitiæ uiam graditur, si num quam a recto iudiciorum tramite discedit; certe, qui illam uere diligunt, illius uestigiis semper insistent; nec a uia iustitiæ in alterutram partem declinabunt, ut sic tandem cælestis patrimonij hereditatem adeant, & opibus summis expleantur. Vt uero doceat, se facillime posse promissa conficere, suum numen, & potentiam, Diuinitus explanat. Inquit enim:

Dominus possedit me initio uiarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.

Conueniant Iudæi, erigant animos, Rabini sudent, uociferentur, & commentaria sua plena sceleris, & impietatis, euoluant, ut hunc nodum expediant; & ita, si fieri possit, elabantur: quæramus ab illis, quæ sit hæc sapientia, quam Salomon loquentem inducit. Non enim Deam quandam esse dicent: non licet enim illis per religionem id asseuerare. Quid igitur est? Num qualitas inhærens in natura Diuina? Nullo modo. Nihil enim in summa naturæ simplicitate, & infinita perfectione, potest excogitari ex naturali forma, & aliquo accidente, conflatum. Num angelicam naturam appellabunt? Non est illis hoc commentum ulla ratione concessum. De eo namque tempore differt Sapientia, quo nondū mentes cælestes exstiterant. Dicit enim, se fuisse a Deo, antequam quidquam efficeret, ab initio possessam. At Angeli in rebus conditis numerandi sunt. Si igitur Sapientia hæc neque terrestris, neque cælestis natura, nec accidēs est; quid ergo est? Præterea, quid Initium appellent, libenter audierim? Num illud, de quo Moses ait, In principio creauit Deus cælum, & terram? Non profecto. Illa namque, ante res omnes conditas, se ex Deo ortum habuisse, profitetur; atque adeo demonstrat, opera sua fuisse mundum perfectum, & ornamentis admirabilibus excultum. Quod igitur aliud initium poterit assignari ante res omnes a Deo conditas, præter æternitatem? Si enim aliquid ante sapientiæ exortum esse potuit, nullo modo sapientia fuit ab initio possessa. Initij namque uerbum tunc in illud tempus, quod fuerat antegressum, & non in id, quo sapientia in lucem edita fuit, aptius certe multo conueniret. Vertant se se in omnia; uersent in uarias partes ingenium; monstra, ut solent, parturiant: opus tandem erit, ut, uelint, nolint, ad naturam Diuinam recurrant. Nihil enim esse potest ex omni parte sempiternum, nisi solus Deus. Præterea, si mundi conditi gloriam nullo modo licet, nisi soli Deo, tribuere, & hoc in loco Sapientia per se mundum ædificatum esse testificatur; non admodum clare perspicitur, hanc Sapientiam, quæ loquitur, Deum esse? Et hactenus quidem non opinor fore, ut Iudæi sint admodum pertinaces. Sit igitur hoc primum a nobis rectissime constitutum: hanc Sapientiam, quæ mysteria sacre sancta nobis enuntiat, Diuinam mentem esse.

Quæramus deinde, quo modo sit intelligendum, quod dicit, Dominus Possedit me. Sapientiam constat Deum esse, & se a Deo possessam asseuerat. At alius est, qui possidet; & alia, quæ possidetur. Discrimen uides: distinctionem negare non potes. Non naturæ. Deus enim unus est. Personarum igitur tantum. Non est enim aliquid aliud tertium, quo discriminari Sapientia a Deo possit. Videmus igitur, Deum a Deo possessum. Quo modo? Pater, ut sempiterni generis origo, filium, quem sibi ex omni æternitate genera uit, per quem fecit & fæcula, quem uniuersitatis heredem constituit, cui est indissolubili uniuſ & eiusdem naturæ uinculo copulatus, quem amore summo complectitur, possidere dicitur. Filius uero, ut splendor infinitus, ex splendore summi patris exortus, quem unice colit, quem infinita pietate ueneratur, ex cuius uoluntate res omnes administrat, a patre possessus esse perhibetur. Initium uiæ quod sit, explicādum, quoad licet, nobis est. Via Domini, est operis molitio, mundi perfectio, & finis, in quem est totius hæc tātæ machinæ pulchritudo referenda. Num uia hæc initium aliquod habuit? Non certe. Mundi namque constitutio est ad æternitatē reuocanda. Nam ex omni æuo Deus mente intima, nempe sapientia, quam ex se ab initio protulit, hanc fabricam, & molitionem, designauit, quā erat tempore definito perfecturus. Initium igitur uiæ Domini, est, summi conditoris, & opificis, intelligentia, qua mūdi totius formam, & speciem, exædificatam mente ab æterno tempore continebat: ad cuius exemplum, cum ei uisum fuit, hunc mundum, quem intuemur, oculis effecit. Ergo, cum Sapientia, se initium uiæ illius esse, dicit, se sempiternam mentem summi patris esse, docet. quod apertius ea, quæ sequuntur, ostendunt. Sic enim subiungit: Heb. 1. Ibidem.

Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.

Se in principatu locatam esse, dicit, ante quā terræ fundamenta iacerentur.

Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes graui mole constiterant, (*uel sic, Necdum montes mersi fuerant,*) ante colles ego parturiebar.

Abyssos, interminatam aquarum congeriem nominat; qua etiam montium cacumina demersa iacebant, cum omnes terræ aquis opertæ fuissent, antequam ipsarum aquarum distributio fieret. Nam postea factum ab ipsa Sapientia fuit, ut pars regionem superam attenuata capesseret, pars in ima deflueret, ut terra tandem, ex aquis emersa, fruges effunderet, & cunctis animantibus pabula suppeditaret.

Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. (*hoc est, Adhuc terram non fecerat, & camporum planities, & orbis terrarum pulueres ad summam reuocarat.*)

Naturæ partes enumerat, & splendido orationis ornatu operis sui excellens decus amplificat. Inquit igitur, antequam naturæ parens terram faceret, & stabiliret, atque dilataret, puluerisque magnitudinem pondere, numero, & ratione, definiret, ne, uel nimia siccitate perusta, uel aquis immodicis oppressa, fruges efferre nō posset, iam eram ab eo progenita. In mundi fabrica recensenda ordinem dierum, quo cuncta formata fuerunt, sequitur. Porro autem, primo die, constat, terram fuisse aquis obrutam, atque in medio demersam, ita, ut cerni minime posset. Aquis deinde in locum unum, imperio summi opificis, cō fluentibus, terra tandem eminuit, quæ humore modico compacta, & calore etiam modico tepefacta, herbas, & fruges, extulit, ad animātium uitam salutari pabulo propagandam. Vt autē hoc temperamentum Sapientia designet, puluerem terræ ad summam reductos esse asserit. Est enim animaduertendum, nomen Hebraum גְּבָלִים, pro quo interpres Latinus Cardines posuit, non Caput tantum, sed certi numeri summam, significare.

Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege & gyro uallabat abyssos: quando æthera firmabat sursum, & liberabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore: ludens in orbe terrarum.

Quæ Sapientiæ deliciæ fuerint, est animaduertendum. Artificis excellentis maxima uoluptas est opus excellens a se perfectum, omnibusque numeris absolutum. Consequens igitur erat, ut summus artifex summam uoluptatem caperet, cum cerneret mundum a se ædificatum, tantoque splendore, & pulchritudine, cultum, tantisq. opibus in omni genere rerum locupletatum, usque adeo, ut nulla pars illius ab ope Diuina, aliqua ex parte, neglecta fuerit. Vidit, inquit Moses, Deus cuncta, quæ fecerat, & erant ualde bona. Hæc igitur operis comprobatio, est uoluptas illa, & gaudium, quo mēs Diuina egregie cumulatur. Lætabitur, inquit Dauid, Dñs in operibus suis. Nihil enim tunc exstitit imperfectum, nihil mutilum, nihil imminutum, nihil denique, in cuius natura aliquid requiri posset, aut ad cuius usum quidquam minime necessarium redundaret. Ergo, cum Sapientia hæc omnia Genes. 1. Psal 103. Ioan. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

perfeciſſet; (omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil) neceſſario concluditur, illam in naturæ operibus inexplicabili iucunditate perfuſam fuiſſe. Hæc eſt illa lætitia, qua efferebatur; & hic ludus, quo ſe perpetuo coram patre uehementer oblectat:

Et deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum.

Si Sapientia gaudio triumphabat, cum cerneret cælum aſtris diſtinctum, & mirifico ſplendore collucens; ſi, cum cæleſtis naturæ conuerſiones, & ſymphoniã, intuebatur, exſultabat; ſi, cum utilitatem, quam cælum rebus inferioribus afferebat, mente, & cogitatione, complectebatur, deliciis redundabat; ſi, cum terram, herbis, & plantis, & floribus, & fructibus, onuſtam, uariisque animantium generibus frequentatam, adſpiciebat, erat mirabili ſuauitate referta; ſi maris immenſitas, ſi animantium, quæ mare procreat, uarietas & multitudo; ſi poſtremo uniuerſæ naturæ concinnitas, qua ſupera infimis, per media aptiſſime diſpoſita, firmiſſimo fœdere connectuntur, eam non mediocri gaudio afficiebat; quid erit de gaudio illo exiſtimandum, quo fuit affecta, cum hominem, ad formam, & ſpeciem, Diuinam effictum, & informatum, ornamentiſque cæleſtibus excultum, animaduertit? Nec enim in cælo, nec in aſtris, nec in Sole quidem ipſo, aſtrorum omnium principe, nec in ulla denique forma, quæ corpore, & anima, conſtet, legimus fuiſſe imaginem Diuinę mentis impreſſam, ſed in homine tantum, ut, quaſi Deus, in terris, animantibus iura deſcriberet, & omnibus terræ, atque maris, opibus libere frueretur. Præterea, cum probitatis Diuinæ officium ſit, opes ſuas communicare, uniuerſamque naturam, quantum uniuſcuiuſque naturæ condicio patitur, ad ſuam ſimilitudinem perducere; nihilque ſit intra cæli complexum, quod perfecte poſſit ſimilitudinem Diuinæ pulchritudinis, atque dignitatis, arripere, præter hominem; ſequitur, ut, quoties homo minime probitati Diuinæ repugnat, ſeque illi regendum, & informandum, tradit, ſpeciem Diuinam mente concipiat, ex qua in ipſum Dominum uoluptas eximia redundet. Nam inter omnia ſummi opificis opera, quæ oculis intuemur, nihil eſt, quod ſit cum iuſtitiæ ſplendore, quo mens hominis pij colluſtratur, ulla ex parte conferendum. Eſt enim clarior aſtrorum fulgore, utilior telluris fecunditate, elegantior naturæ totius ordine, ualentior mũdi ſtabilitate, tantumque inter res omnes conditas excellit, ut omnia magnitudine inſitæ lucis obſcuret. Præterea, cum terra cælum, maria, & cuncta, quæ uel in terra naſcuntur, uel in aquis uerſantur, uel æthere, atque aere, fruuntur, hominum uſibus feruiant, non liquido conſtat, hominem eſſe cunctis rebus, quas cernimus, antelatum, ſtatumque Diuinum quodammodo conſecutum? Poſtremo, illud eſt ualde conſiderandum, nihil eſſe, quod Dei mentem, ut Scripturæ ſanctæ moreloquamur, præter flagitiorum dedecus, & turpitudinem, dolore afficiat. Iccirco conqueritur apud Prophetas de dolore, quem illius animo frequenter inferunt hominum perditorum, qui illius probitati impudentiſsime reſiſtunt, quotidiana facinora: & Paulus nos admonet, ne mæſtitiam Domini ſpiritui per noſtrum ſcelus, aut obliuionem, afferamus: & alio in loco demonſtrat, Deum in perferendis peccatis noſtris ſumma patientia uti ſolere. At patientia, in dolore, non in gaudio, ceruitur. Cum Deus igitur patientia non mediocri, quoties peccamus, uti ſoleat; apparet certe, quoties in officio delinquimus, illius ſpiritum uehementer affligi. Nam, ſi patres, quoties filij in flagitio, & turpitudine, uoluntur, id ægerrime patiuntur; quid de patre illo optimo, atque ſanctiſsimo, erit cogitandum, cum munera illius aſpernamur? cum ſalutare imperium recuſamus? cum uinculis nefariæ cupiditatis adſtringimur? cum Satanæ tyrannidem placitis illius anteponimus? Ille nos uocat ad ſalutem, nos in peſtem ruimus; ille ſpem Diuinitatis oſtendit, nos auctorem ſempiterni doloris amplectimur; ille nos ſibi filios adoptare deſiderat, nos immaniſsimis hoſtibus ſeruire malumus; & ita beatam uitam odio proſequimur, ut in ſempiternam miſeriam præcipites exturbemur. Si igitur tantum dolorem patri ſanctiſsimo peccata noſtra faciunt, quantam tandem uoluptatem illi noſtræ uirtutes, ſi officio noſtro perfuncti fuerimus, importabunt? Nam, quo maior eſt illius caritas, &, quo opus, quod in nobis efficere nititur, eſt illuſtrius, eo gaudium illius erit plenius, & cumulatius. Caritas tanta fuit, ut pro ſalute noſtra filium unicum ad necem tradiderit; opus tam excellens, ut omnibus operibus illius, quæ ſollertiſsime in tota mundi fabrica machinatus eſt, multis partibus antecellat. Ex quo ſequitur, delicias illius eſſe in hominum bonorũ familiaritate, & conſuetudine, conſtitutas. Cum igitur illum caſta, & pura, mente ueneramur; cum illius gratiam precibus efflagitamus; cum illius muneribus, atque donis afficimur; cum nos totos ad illius imitationem conferimus; &, ſpiritu illius nixi, ad dignitatem, & amplitudinem, gloriæ cæleſtis enitimur; illius mentem mira iucunditate perfundimus. Omnibus igitur modis eſt nobis in iuſtitiæ, & probitatis, ſtudio laborandum; ut beati ſimus, & ſimul, ut bonis noſtris materiam Diuinæ ſapientiæ, ſummæ uoluptatis, afferamus: quæ quidem nos hortari, & admonere, & prope modum rogare, & obſecrare, minime deſiſtit, ut noſtræ ſaluti proſpiciamus. Ait igitur:

Ephes. 4.
Rom. 5.

Nunc ergo filij audite me, Beati, qui cuſtodiunt uias meas. Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abiicere eam. Beatus homo qui audit me, qui uigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei.

Quantum ſit opus, ad parandam ſapientiam, alacri-

alacritate, & uigilantia, ſatis explicatum arbitror. Nec eſt etiam ignotum, omnem fructum inconſtantibus interire. Soli enim, qui perſeuerauerint uſque in finem, ſalui erunt. Reſtat nunc, ut intelligamus, quæ ſint ſapientiæ fores, quis ſit ad illam aditus, quo modo tandem poſſimus in illius penetralia, quæ patent familiaribus, atque domeſticis, intromitti. Fores ſunt, timoris, & religionis, officia. Initium namque ſapientiæ, eſt timor Domini: oſtium, eſt hominum caritas. per eam namque a peccatis emergimus, & in amiſſam puritatem reſtituimur. aditus apertus, eſt legis Diuinæ cuſtodia. Vt enim ipſa Sapientia teſtificatur, ſi uerba illius in animis noſtris inſederint, cognoſcemus ueritatem. Vitæ igitur caſtimonia, morum integritate, incenſo ueræ uirtutis ſtudio, cum ſtatum aſſequemur, in quo Deum Doctorem, & magiſtrum præclariſsimæ eruditionis, habeamus, ut ſapientiæ tandem cæleſtis compotes eſſe poſſimus.

Matth. 10.
Pſal 101.
Prouerb. 1.
Ioan. 8.

Qui me inuenerit, inueniet uitam, & hauriet ſalutem a Domino.

Sapientiæ fructus, uita eſt; uita autem, Dei fauore, & gratia, comparatur. Cum igitur Sapiens ille tantum habendus ſit, qui ſibi conſulit; reſtat, ut ille ueræ ſapientiæ nomen obtineat, qui uita cæleſti fruitur, eo quod numquam gratiam Diuini ſpiritus effuderit, & ſemper in ſtudio pietatis animo conſtante permanſerit. Is autem eſt, qui ſapientiam inuenit, & non illi, qui cæco impetu in mortem, ſponte ſua, rapiuntur: ut Sapientia ſtatim ſubiungit, inquiens:

Qui autem in me peccauerit, lædet animam ſuam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.

Furoris igitur immanitas, ſumma dementia, in ſapientiæ contemptu, & in flagitio, & impuritate, perſpicitur. Summus enim furor eſt, uitæ fontem aſpernari, & ſempiternæ mortis acerbitatem libenter amplecti.

CAP. IX.

SApientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Immolauit uictimas ſuas, miſcuit uinum ſuum, & propoſuit menſam ſuam.

Mirum uideri potuiſſet, cum cælum ſit ſapientiæ ſedes, maieſtasque illius non poſſit totius mundi ambitu contineri, quid illi uenerit in mentem, nouæ domus ædificationem in terra moliri. Si laxitatem quærebat, quid mundo poterit eſſe capacius? Si pulchritudinem, quid illo cerni poteſt elegantius? Sed intelligendum eſt, fieri poſſe, ut intra cæli ambitum ſit aliquid ipſo cælo amplius, & magnificentius. Quid illud tandem eſt? Mens, & ratio, hominis, ſi fuerit ſanctis diſciplinis erudita, & Diuinis ornamentis exculta.

Nam Diuinum ſapientiæ numen, quod cælo, atque terra, coerceri, & contineri, nequit, mente uiri iuſti, eaque de cauſſa ſapientis, includitur. Neſcitis, inquit Paulus, quod templum Dei eſtis, & Spiritus ſanctus habitat in uobis? Itaque quælibet anima ſancti hominis eſt fanum, atque adeo templum mira religione conſecratũ, in quo Deus ſibi ſedem, atque domicilium, conſtituit. Quid igitur dicendum, non de uno, aut de paucis ſanctis hominibus, ſed de uniuerſo cœtu fidelium, quem Diuini iuris nexu artiſsime deuinxit, & ardentiſsimo caritatis uinculo copulauit? Quid hoc templo cogitari animo poteſt auguſtius? Eccleſiam enim, ideſt multitudinem, fidei ſanctiſsimæ communione ſociatam, appellat Paulus Domum Dei, & firmamentum, atque columnam ueritatis. In hac enim perpetuo numen illius uerſatur, in hac domo ſanctiſsime colitur, ab huius complexu numquam diuellitur, in hac ſumma ueritas elucet, hæc cæleſti præſidio cingitur, ab hac omnes hoſtium conatus fortiſsime repelluntur. Hæc eſt domus, quam Sapientia opere Diuino perfecit, & clariſsimis ornamentis inſtruxit. Septem columnas exciſas a Sapientia Sapiens eſſe dicit. Numerus Septenarius omnem perfectionem deſignat, Nam Quaternarius iuſtitiam, & uirtutis humanæ moderationem, ſignificat. Ternarius uero, eſt numerus pietati, atque religioni, conſecratus. Itaque ex Quaternario, atque Ternario, Septenarius efficitur, qui iuſtitiæ, atque pietatis, numeros omnes aptiſsima ratione complectitur. Per ſeptem igitur columnas, nihil aliud, quam ſummum, atque perfectiſsimum, totius operis firmamentum intelligitur. Immolauit, inquit, uictimas. Inſtruxit conuiuium, ut inuitatos exciperet. Quę ſunt uictimæ, quas immolauit? Primum quidem ſacrificium, quod offertur in templo Dei uiuo, eſt cor percuſſum, & abiectum, ad dedecoris admiſsi deteſtationem acriter incitatum. Alterum eſt ſacrificium laudis, quod beneficiorum memoriam repreſentat. Tertium porro eſt ſacrificium iuſtitiæ, poſtquam enim ſumus peccati crimine liberati, & laudis uota perſoluimus, reliquum deinceps eſt, ut omnem uitam in iuſtitiæ ſtudium conferamus. Quartum poſtremo ſacrificium eſt Diuini amoris incendium, quo flagrat animus, cum accepta beneficia recognoſcit, & Diuinæ bonitatis, & pulchritudinis, ſpeciem aſsidue contemplatur. Et has quidem omnes uictimas Sapientia Diuinitus inſtaurat, ut numquam ritus religionis ſanctiſsimæ in terra deficiat, quo numen Diuinum propitium nobis fiat. Verum, cum ſint permulti uiri ſanctiſsimi, qui multo excellentius ſe in ſtudio pietatis exerceant, ea ſacrificia neceſſe eſt ut ſint Deo longe gratiora, ita, ut ab eorum fructu, qui ea procurauerunt, multum etiam in communem Eccleſiæ totius utilitatem redundet. Hi fuerunt Prophetæ, qui nobis uiam ad fidei ſanctitatem, & religionem, Diuinis prædictionibus egregie munierunt. Fuere Martyres, qui

2. Cor. 6.
Heb. 3.
1. Tim. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui sanguine profuso fidem nostram corroborauerunt. Fuere multi uiri, in omni genere iustitiæ, atque pietatis, excellentes, qui scriptis & monumentis, qui admirandæ uirtutis exemplis, nos ad gloriæ immortalis amorem excitauerunt. Sed, quid dicendum? Vnde hæc uictimarum sanctitas emanauit? Num illa e terris exorta est, aut in natura humani generis insita, ut terrenæ fertilitati posimus hanc Diuinam uim sanctissimæ religionis adscribere? Nullo modo. Sed unicum
Apoc. 13. illud sacrificium agni pro nobis immolati, qui occisus fuit, ut Ioannes testificatur, ab origine mundi, (non solum enim præsentibus, atque futuris, opitulatum est, sed etiam antiquitatem omnem, fide Diuinæ benignitatis innixam, scelere omni liberauit,) illa inquam uictima salutaris tantum pondus infinitæ uirtutis habuit, ut eas omnes uictimas, quas oratione persecuti sumus, Deo gratas, atque iucundas, efficeret. Omnes,
Ioan. 1. inquit uir ille Diuinus, de plenitudine eius accepimus. Conuiuium igitur fuit magnifice satis instructum, & apparatum. Dapes fuerunt, fidei robur inuictum, uirtutis Diuinæ constantia, iustitiæ regium decus, & ornamentum, atque postremo panis ille, a cælo demissus, ut uitã mundo daret, & animos hominum robore confirmaret: quæ omnia ex sanctissimis uictimis exstiterunt. Vinum uero, est iucunditas illa, ex spiritus Diuini muneribus exorta, quæ corda lætificat, quæ animos incendit, quæ amore Diuinitatis inflãmat. Mensa insternitur, dapes apponuntur. Reliquum est, ut conuiuæ confestim euocentur, ne sine fructu tantum operis, atque negotij, in apparando conuiuio consumatur. Misit ancillas suas. Vtitur genere feminino, partim, ut eodem genere, quo Domina appellari sustinuit, appellentur; partim, ut naturæ mollitudo, ad benignitatem magis propensa, & etiam humilitas, explicetur. Ait enim:

Misit ancillas suas ut uocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.

Metum omnem abstergit, cum docet, in arce summa, quo nullus hostium impetus penetrare ullo modo poterat, esse conuiuium apparatum, ut sine ulla sollicitudine & cum summa iucunditate, comederent. Sed animaduertendum est, qui tandem uocati fuerint. Num soli principes? Num optimates? Num uiri multum dignitate
Lucæ. 14. præstantes? Neminem excludunt Apostoli, omnes inuitant, & ad conuiuium omnium, quæ umquam in terris exstiterunt, magnificẽtissimum, maximis uocibus exhortantur. Et tamen erit quisquam, qui uenire recuset, & tam exquisitis epulis cum tanta dignitate frui minime uelit? Erunt certe. Alius enim, cupiditate nimia rei familiaris impeditus, inuitantis liberalitatẽ asperatur; alius, immanitate libidinis excæcatus, aures obstruit; alius, alia cura distrãctus, oblata beneficia contemnit.

Si quis est paruulus, ueniat ad me. Et insipientibus locuta est, Venite, comedite panem meum, & bibite uinum quod miscui uobis. Relinquite infantiam, & uiuite, & ambulate per uias prudentiæ.

Paruuli sunt omnes, qui iustitię expertes sunt, qui huius uitæ ludibria maximo studio consectantur, & minime ad ea, quæ uitã omnem continent, adspirant. Mentis expertes sunt omnes, qui Dei cognitionem minime perceperunt, totumque ingenij acumen in huius uitæ commodis parandis, & accumulandis, sine ullo solido fructu, consumunt. Hos omnes uocat Sapientia, ut paruulis sensum uirilem largiatur, insipientes autem sapientiæ opibus, & ornamentis, afficiat. aurum non poscit, argentum non exigit, gratis panem suum, atque uinum suum, omnibus, qui uoluerint uitæ statum commutare, liberalissime pollicetur. Difficile, inquis, negotium est, & asperum, minimeque ferendum. Quo modo? Dominatu mortis opprimi, tenebris obrui, atque adeo sepeliri, ad sempiternum supplicium trudi, id erit suaue nimis, & omni dulcedine perfusum? uita uero cum libertate tranquillissima frui, & luce clarissima collustrari, & ad spem firmissimam sempiternæ felicitatis excitari, id erit asperum, & acerbum, perpessuque difficillimum? Quæ potest maior insania cogitari? At Sapientia ad uitam uocat, ad uoluptatem stabilem inuitat, ad spem immortalitatis excitat; & tamen magna pars hominum aures illi præbere non uult, quia totam se puerilibus sensibus addixit. Illa nihilominus clamat, & homines obtestatur, ut uiuere ueli̇nt. quod fieri non potest, nisi pueritiam omi serint, & prudentiam amplexi fuerint.

Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit: & qui arguit impium, sibi maculam generat.

Non deterret Sapiens sanctos homines ab Euangelij ministerio; sed admonet, ut uideant, quæ sint illis, in tam præclari muneris functione, subeunda. Aliter enim, fieri potuisset, ut, inopinato malo perculsi, fluctuarent, & ab officio desisterent. Quasi dicat, animos confirment omnes, qui munus Euangelij prædicandi suscipiunt, & se cõtra omnia potestatis aduersariæ tela robore inuicto communiant. Non enim omnes credent Euangelio. Duo autem præcipue hominum genera sibi ex aduerso constituta sunt. Primum est, derisorum factio, quæ superbia, & insolentia, subnixa, omnia, quæ non fuerint suis sensibus consentanea, deliramenta quædam ualde deridenda putabit; ueluti, si dictum fuerit auaro, ut hominum caritatem pecuniæ præferendam existimet; aut libidinoso, ut corporis puritatem uenereis delicijs anteponat; hi cachinnos repente tollunt, & eos, qui talia suadent, stultissimos arbitrantur. Aliud est impiorum genus, qui pietatem odio nimis acerbo, & immani, persequuntur. Hi non risu, sed ferro, pugnant; operamque enixe dant, ut omnem ueri̇ssimæ pietatis disciplinam ex omni memoria funditus euellant. Sic & Apostoli primum risu oppugnati sunt, ab illis, qui dicebant, eos, musto ebrios, ea, quæ Diuinitus enuntiabant, effari. Deinde, uinculis, exsilio, morte, multati sunt, ut crudelitatem impiorũ sanguine suo satiarent. Sed alium sensum designare uidetur id, quod sequitur:

Actor. 2. sequuntur. Hi non risu, sed ferro, pugnant; operamque enixe dant, ut omnem ueri̇ssimæ pietatis disciplinam ex omni memoria funditus euellant. Sic & Apostoli primum risu oppugnati sunt, ab illis, qui dicebant, eos, musto ebrios, ea, quæ Diuinitus enuntiabant, effari. Deinde, uinculis, exsilio, morte, multati sunt, ut crudelitatem impiorũ sanguine suo satiarent. Sed alium sensum designare uidetur id, quod sequitur:

Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, & diliget te.

Hic plane deterret homines sanctos ab irrisoribus admonendis. Non igitur uerum esse uidetur, quod paullo ante diximus, non eam esse sapientiæ mentem, ut metu popularis ignominiæ, aut acerbioris odij, ab Euangelij munere sanctos homines auocaret; sed, ut eos contra omnes hostiles conatus, seu scurrili dicacitate, seu immani crudelitate, comparatos armaret. Sed est intelligendum, dissimilem esse rationem concionis, & singularis admonitionis. Qui enim in concione de pietate disserit, pro certo habere debet, in ea multitudine non defuturos, qui partim irrideant ea, quæ dicuntur, partim pietatis magistros odio persequantur; sed non illius uel ignominiæ, uel periculi, metu, impediri ullo modo debent, qui tantam prouinciam susceperunt, quo minus ea strenue perfungantur. Non enim, propter ullam perditorum hominum importunitatem, sunt boni fructu suo destituendi. Aliter enim numquam ancillæ sapientiæ, ut uocem in hominum cœtu ederent, missæ fuissent; numquã Iudæi manus Apostolis iniecissent; numquam denique iustitiæ sanctissimus magister, ut est
Luc. 16. apud Lucam, a Pharisæis auaris in concione derisus exstitisset. Et hæc quidem, quod ad concionem attinet, cum populus uniuersus admonetur, seruanda sunt. Secus autem in priuato colloquio facere Sapiens iubet. Non enim medicina desperatis adhibenda est. Desperati porro sunt, qui sibi sapientiam insolenter arrogant, qui se ipsos nimis amant, qui se mortalibus cunctis anteferunt, qui denique in sceleribus obstinati, & obfirmati sunt. superbia enim, diuturnitate corroborata, non potest de statu suo, in quo eam temeritas statuit, facile dimoueri. Quid ergo proficies, si hominem furiosum, & insanum, opinione acuminis elatum, & inflatum, admonere uoluceris, ut opinionem sapientiæ deponat, & alterius monitis assentiatur? Nihil prorsus. Id tantum efficies, ut te, uelut insanum, petulanter irrideat; uelut hostem, crudeliter insequatur. Nõ igitur sequens sententia antecedenti repugnat, sed est illi ualde congruens, & consentanea: Illud tamen mirum uideri fortasse poterit, in quo præcipit, ut sapientem arguamus, ut amorem illius conciliemus. Sapiens enim arguendus non est, cum minime delinquat. Ad hoc responsio facilis est. Nomen enim Sapientiæ duplicem uim habet. Nam & perfectam sapientiam significat, & docilitatem ad sapientiam. Qui enim se immoderate non iactat, qui sibi nihil insolenter assumit, qui, quamuis nondum sit sapientiam assecutus, illius tamen desiderio tenetur, Sapiens iam appellari quodammodo potest. Posidet enim iam in se firmissimum sapientiæ fundamentum, quod in humilitate, & moderatione, consistit. Deus enim, qui est sapientiæ parens, superbis infensus est, & humillibus dat gratiam; & præterea mentes rebelles, & obduratas, odio habet; & in animis mollibus, & qui sunt ad bonitatem flexibiles, legem suam inscribit. Sapientem igitur nominare licet, eum, qui ad sapientiã se præparat. Nam, si sapiens est, qui sibi prospicit, sapiens est certe, qui sapientiæ desiderio tenetur. Fructum enim maxime salutarem ex tam præclara cupiditate percipiet. Sed quærendum est, quid faciendum sit homini, qui iam ad sapientiam peruenit. Num erit etiam in loco de officio admonendus; & si aliquid negligenter egerit, arguendus? Erit certe. Habet enim sapientia gradus; & nemo tam sapiens est, qui sapientior esse non possit. Et cum aliarum rerum cupiditas, in hominibus, qui terris affixi sunt, inexplebilis sit, ita & sapientiæ cupiditas modum non habet. Immo, qui illi modum præfinit, Insipientiæ significationem dat. Nam, cum aliorum bonorum cupiditates sint certis finibus arcendæ, & eorum infinita cupiditas semper sceleribus sit affinis, sola cupiditas sapientiæ, si fuerit moderata, flagitio minime uacat; &, immoderata, iure laudatur. Prudentiæ namque lex, mediis, qui sunt ad beatam uitam commodi, fines statuit: tantum enim ex qualibet re delibandum est, quantum naturæ necessitas requirit, &, quod superfluit, negligendum: at id, in quo uitæ finis ultimus collocandus est, non patitur animi natura, quæ cupiditate infinita summi boni perpetuo ducitur, ut aliquo fine terminetur. Sic fit, ut, qui in sapientiam, quasi in ultimum, & extremum, omnium rerum expetendarum, intuetur, in nullo sapientiæ gradu resistat; sed, cum multum profecerit, multo ardentius ultra progrediatur. Sed, quorsum hæc tam multa in hanc sententiam dicta sunt? Vt ui̇deamus, cum sapientia augeri possit, numquam fore superuacaneam admonitionem ad fructum hominis sapiẽtis adhibitam. Rectissime igitur Sapiens adiungit:

Da sapienti occasionẽ, & addetur ei sapiẽtia: Doce iustũ, & festinabit accipere. (*hoc est, Augebit disciplinam.*)

Nullum discrimen inter sapientem, atque iustum, ponit. Summus enim fructus sapientiæ iustitia continetur; &, qui iustitiæ laude circumfluit, est perfecte sapientiam consecutus. Quo modo uero id fiat, docet continuo Sapiens, eadem sententia, qua non semel usus est:

Principium sapientiæ, timor Domini: & scientia sanctorum prudentia.

Timor Domini iustitiam efficit; & sanctorum scientia ad Dei cognitionem instruit. Vnde sequitur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quitur, ut soli sancti homines sapientes sint, & reliqui omnes, qui sanctitatis sunt expertes, insaniant.

Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni uitæ.

Mors, inquit Sapientia, numquam in te, si me audieris, impetum feret. Erit enim tibi per me immortalitas comparata.

Si sapiens fueris, tibimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum.

Non meũ negotiũ ago, inquit Sapientia: non rem meam gero: nec enim rebus tuis indigeo. Nec enim, si sapiẽs fueris, quidquã ad opes meas accedet; si illusor, hoc est si stultissimus, nihil erit de mei numinis amplitudine deminutum. Tibi consulo, tibi prospicio, pro tua salute laboro, tua res agitur. Si dederis operam sapientiæ, tu solus fructum feres; si dementia præceps irriseris, tu solus pœnam furoris, & amentiæ, sustinebis. Est insignis ad persuadendum locus; cum ostendimus, nos non nostra caussa laborare, sed illius, cui consilium damus. Quem locum Sapientia, eloquentiæ magistra, sibi minime negligendum existimauit.

Mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens: sedit in furoribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco, ut uocaret transeuntes per uiam & pergentes itinere suo.

Non satis habuit Sapientia opes suas explicatas proponere, ut homines illarum cupiditate uehementer incenderet, nisi etiam nos admoneret, ut insidias falsæ sapientiæ fugeremus. Eam primum Stultam uocat. Nulla namque maior dementia fingi potest, illa, quæ, cum sit totius disciplinæ salutaris expers, & a cognitione rerum Diuinarum remotissima, in sapientiæ tamen nomen inuadit, atque persuadere nititur imperitis, ut sibi dent operam, si uelint uitæ beatæ compotes esse. Dicit, eam plenam illecebris esse. hoc est, dicendi quodam artificio, & orationis ornatu ad persuadendum aptissimo. Dicit, illam turbulentam esse, quia, cum firmissimis argumentis careat, ubi se ratione destitutam cernit, clamoribus, & conuicijs, omnia conficit. Et tamen, cum tantum sibi arroget, & assumat, nihil omnino sapit, ita, ut, quamuis totos dies clamet, nihil tamen uerum, & simplex, nihil solidum, & expressum, proferat, sed tantum uoces inanes sine ullo fructu pronuntiet. Et in ostio domus suæ sedere dicitur, ut omnes ad se, & ad penetralia insiti furoris, alliciat. In edito, & excelso, loco, solium suum collocasse perhibetur, quia principatum appetit, & nimis insolenter extollitur, ut iura det, & imperium administret. Inde porro homines simplices, & incautos, & nihil hostile suspicantes, a uia recta deducere conatur, u eos erroribus turbulentis inficiat, & uiam inire compellat, qua præcipites in sempiternæ miseriæ regionem detrudantur. O fallacissimam inanissimæ philosophiæ disciplinam. O pestilentem Tartareæ doctrinæ sedem, & exsecrandam insandi sceleris officinam, quam multis hominibus & olim, & nostris etiam temporibus, caussam sempiternæ mortis attulisti? Prodeunt homines, fronte, & supercilio, seueri, flagitijs quamplurimis infames, moribus, & uita, turbulenti, orationis concinnitate, ut imperitis quidem uidentur, exculti, tritam religionis sanctissimæ uiam deserentes, & nouam, ut sectæ principes appellari possint, excogitantes, qui in eo neruos omnes intendunt, u t imperitam multitudinem ad se furiosis concionibus, multisque uerborum lenociniis, abducant. Qui quidem, cum se rerum omnium scientiam tenere profiteantur, nihil omnino sciunt. Nemo enim quidquam scit, nisi quem summus ille magister erudit. Deus uero non erudit insolentes, non incontinentes, non flagitiosos, non discordiarum ministros, non pacis turbatores, non legum contemptores, neque scelerum magistros. Omnes enim, qui fallacis sapientiæ opinione subnixi ambulant, ueram sapientiam aspernantur; &, qui tenebris assueti sunt, lucem pessime oderunt. Vnde sequitur, neque Lutherum, nec eos, qui a Luthero orti sunt, (quamuis enim uarijs nominibus appellentur, unum tamen factionis principem habent) fuisse ueram scientiam consecutos. Clamant illi quidem, turbant, & ruunt, omnes homines præ se contemnunt, se solos omnia percepisse glorian tur, cum tamen nullam sapientiæ signi ficationem dare possint. Nullum est enim sapientiæ cum flagitio, & impuritate, commercium. Verum enim uero, hæ personæ, quæ sapientiæ fabulam agere conantur, & priscis temporibus multis mortalibus illuserunt, & nostris etiam officio suo perfunguntur, nec ætate consequente idem facinus facere desistent, ut electi ardentius in studio pietatis exerceri ad ampliorem gloriam possint, & homines profligati acriores pœnas luant, quando sic amentes exstiterunt, ut ueræ sapientiæ monita contemnerent, & temeritatis uoces ad aures libenter admitterent. Sed mulieris insanæ clamores audiamus:

Qui est paruulus, declinet ad me.

Recte. Non enim uiri robusti poterunt ludis puerilibus oblectari, & sallacissimis blandimentis in errorem induci.

Et uæcordi locuta est, Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior.

Caussam totius erroris assignat, quæ continet malorum omnium seminarium. In omni siquidẽ negotio uidemus homines flagitiosos furtiua

prętiua propriis longe ponere. Nam uiri libidinosi, quamuis uxores habeant, & formaeleganti, & moribus honestis egregie prædictas, alias tamen mulieres multo inferiores furenter appetunt; & auari, quamuis sint opulentissimi, alienis tamen opibus, ubi primum possunt, manus afferunt, ut plura possidendi sitim exstinguere conentur. Quid de ambitiosis dicẽdũ? An Quid de reliquis uitæ pestibus exstimandum? parum liquet, plerisque moralibus adiunctum esse ad res, quas optimo iure possident, fastidium, cum insana rerum alienarum cupiditate? Quã igitur caussam tam peruersæ opinionis assignabimus? An, quia cupiditas insaturabilis proprio cõtenta esse non potest, & iccirco aliena, quæ nimis sitienter expetit, meliora putat? An potius, quia immanitas in uidiæ facit, ut homines aliena longe pulchriora iudicent? An, quia assueta contemnunt, ideo, falsa erroris opinione moniti, noua semper exquirunt? Nam, cum lucrum perpetuo ligurriant, nõ sua, sed aliena, in lucro ponenda statuunt. Hoc etiam dici potest: Cum omnes libertatis appetentes simus, arbitrantur homines, quoties illis aliquo emolumento legibus interdictum sit, libertatem suam impediri. & ea de caussa, cum aliena bona impune diripiunt, multi gloriantur, quasi sint perfectam libertatem assecuti. Hæc uero falsa impunitæ libertatis opinio, tyrãnos efficit, quorum laus, & gloria, in gerenda, quod mi nime licet, tota consistit. Huius doctrinæ tam pestiferæ falsa sapientia dux, & magistra, semper exstitit; quæ persuadere nititur hominibus, ad decus, & gloriam, natis, leges esse eis contemnendas, & iura omnia proculcanda, ut principatum obtineant. Similiter in sectis pestilentibus nouitatis iucunditas, ex superbia, & inuidia, & appetitu principatus, exoritur. Vetera despiciũt homines insani, nouitate gaudent; &, dum sapientiæ raræ, & insolitæ, nomen aucupantur, in opiniones, temeritatis, & amentiæ, plenas, incidunt; cum libertatem suis ostendunt, atque pollicentur, uincula durissimæ seruitutis iniiciunt. Sic enim eos legibus soluunt, ut seruos impurissimæ cupiditatis efficiant; splendidis nominibus religionis, atque pietatis, incautos alliciunt, ut tandem eos omni præsidio uerissimæ sanctitatis spolient. Ea uero opinione in multorum animis insita ad fraudem faciendam abutuntur, qua existimant, aquas furtiuas esse iucundiores. Nomine Aquarum utitur; quia, ut aqua exstinguit sitim, sic plerique putant, cupiditatis, & libidinis, immanitatem non legitimo iure, sed iniuriis, exstinguendam. Sic etiam, pane abscondito, hoc est per fraudem ablato, famem iucundius expelli. Sed contra euenit. Nam, ex eo studio, quo perditi homines uoluptatem exquirunt, infinitam uim doloris accersunt. Hoc est autem, quod continuo sequitur:

Et ignorauit quod ibi sint gigantes.

Vbi, quæso? In superbia, in inuidia, in rapacitate, in omnia possidendi libidine, &, ut uno uerbo dicam, in tyrannidis impotentia, & in furoris immanitate. Gigantes enim, cum essent corporum proceritate uastissimi, uirium magnitudine ualentissimi, ualetudinis firmitate robustissimi, modum seruare non poterant. Viribus igitur, non iure; insolentia, non moderatione; truculentia, non mansuetudine, uitam instituendã esse ducebant. Quacumque igitur impetum ferebant, terras populabantur, atque uastabant; iniurijs omnia infesta faciebant; & impotenti dominatu reliquos homines opprimebant; & ad tyrannidem totis animorum uiribus adspirabãt. Nec aliter fieri poterat. Nam, si modo, qui uiribus, uel opibus, uel nobilitate, uel gratia, peræcellunt, tanta plerũque insolentia rapiũtur, ut, Diuini, & humani, iuris obliti, societatem humanam pro nihilo putent, & in Deum scelera infanda suscipiant; quid de illis exist imandum est, qui tantum uiribus homines nostræ ætatis antecedebant, ut nostri cum illis comparati simiis non absimiles exstitissent? Accedebat, quod mors longius aberat, cum illi uitam diutissime propagassent. A morbis deinde immunes erant, ita, ut nihil esset, quod eorum statum perturbaret, aut uires infringeret. Isti sunt, inquit Moses, uiri famosi, potentes a sæculo. Difficillimum uero est, in condicione nimis dispari iuris æquabilitatem conseruari. Consequens igitur est, ut eorum nemo, tam uasta, & immani, uirium magnitudine, modum ullum in uita retineret. Sic igitur eueniebat, ut non solum in homines reliquos essent tæterrimi, sed in Deum etiam scelestissimi. itaque in Dei legem bellum omni odio imbutum perpetuo comparabant. quod materiam præbuit poetis antiquissimis, ut dicerent, Gigantes moles ingentes montium altissimorum exstruxisse, quibus cælum oppugnarent, Iouemque de solio detruderent. Quos tamen, ferunt, iactis e cælo fulminibus, conflagrasse. Intellexerunt enim, numquam superbiam, & immanitatem, debito supplicio caruisse. Sed nos, a fabulis poetarum, ad sanctarum litterarum fidem reuertamur. Constat igitur, Gigantes in terris exstitisse, multosque mortales iniuriis innumerabilibus affecisse. Sed, quid tandem de illis factum est? Diuino iudicio conciderunt; & nomen eorum exstinctum, atque deletum est; tantoque acriori supplicio necati sunt, quanto maiorẽ terrorem eorum furor, & insolentia, terris attulit, majoreque scelere iura Diuina perfringenda susceperunt. Amentissimi igitur sunt, qui Gigantum mores imitantur, & eorum exitum non perhorrescunt. Quod si fecissent, aquis furtiuis sitim exstinguere minime uoluissent. Sed miseri homines sic a muliere scelestissima se decipi sinunt, ut, cum omnibus tyrannis, in profundis inferorum penetralibus, æuo sempiterno, crucientur. Genes. 6.

CAP.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. X.

PARABOLAE SALOMONIS.

INc aliud exordium capit, nec orationem ordine continuato contexit, sed sententias selectas in aceruum congerit: quemadmodum Græci sapientes, a qubus antiqua philosophia orta fuit, facere soliti soliti sunt. Huius autem Philosophiæ Salomon princeps exstitit. Sententiæ sunt breues, numero adstrictæ, ex contrariis eleganter admodum concinnatæ: quamuis ea uenustas non potuerit nec in Græca, nec in Latina, lingua retineri. Ornamenta namque uerborum difficillime ex una in aliam linguam transferuntur: sententiarum tamen lumina, quamuis in uarias linguas uertantur, obscurari minime possunt. Sunt enim uitæ leges sanctissimæ, quæ hominis statum firmo præsidio muniunt; quæ hostium impetum fortissime repellunt; quæ salutis semp. terne uiam monstrant; quæ denique omnem rationem uitæ beatæ, & immortalis, aperiunt. Non sunt igitur legendæ tantum, sed etiam ediscendæ. Numquam enim errare poterit, qui eas summo studio in mente defixerit. Sed nos, Diuini uiri breuitatem sequentes, ad Diuinarum sententiarum explicationem accedamus.

Filius sapiens lætificat patrem: filius uero stultus mœstitia est matris suæ. Nihil proderunt thesauri impietatis: iustitia uero liberabit a morte. Non affliget Dominus fame animam iusti, & insidias impiorum subuertet. Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium diuitias parat. Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis. (*id est, ignominiæ affinis est.*)

Prima sententia patres monet, ut liberos suos diligenter educent, & optimis moribus instruãt, ut non solum legimus heredibus amplissimum uirtutis patrimonium relinquant, uerum & ipsi gloria insigni cumulentur. Prudentia namque filiorum, parentes, qui eos sapienter iustituendos curauerunt, ornat: quemadmodum stultitia filiorum parentes dedecore afficit. Sed, cur ait, parentes lætitiam capere ex filiorum prudentia, matres uero mœstitiam ex eorum stultitia percipere? Quia plerumque fit, ut patres sint seueriores in filiorum disciplina, matres uero filios indulgentia corrumpant. Et sic tandem euenit, ut patres ex filiorum sapientia, cuius ipsi magna ex parte auctores exstiterunt, insigni lætitia esse rantur; matres autem, cum filiorum stultitia infames sint, ex ea morũ corruptela, cui illę causam attulerunt, insigni mœstitia contabescant. Sed, cum insitus in parentibus amor erga filios eos mire sollicitet, ut patrimoniũ omnibus modis amplificent, & ea de causa, ne filij inopia laborent, sæpenumero iura uiolent, eos a tam impia, & nefaria, opinione deterret, & hortatur, ut magis in iustitiæ disciplina liberis tradenda, quam in patrimonio multis accessionibus augendo, laborent. Thesauros enim impietate partos nullum fructum afferre, dicit. immo dilabitur, & euanescit: at iustitiæ opes a morte liberãt. Est enim Deus infensus impiæ nationi; iustorum uero filijs, qui parentum uestigiis ingrediuntur, ualde propitius. Times, inquit, ne filij tui fame crucientur: timere desine. nam optimus ille Pater, & Dominus, qui iustos sibi indissolubili caritatis uinculo deuinxit, numquam patietur, ut iustis inopia premantur; immo perficie, tut, cum iustis in omni rerum asperitate opem præsentem attulerit, impij funditus euertantur. Si uis igitur filiis egregie consulere, in eo contende, ut illi iustitiæ opibus egregie cumulati sint; & ita neque famem, nec ullum alium incommodum, pertimescent. Sed est quærendum, num otiosos esse liceat illis, qui præsidio cælestis numinis innituntur? Minime, inquit. Egestatem namque operatur manus remissa. At manus eorum, qui uigilantia, & industria, præditi sunt, diuitias comparat. Hoc in loco est animaduertendum, ubi nos habemus Manus remissa, esse apud Hebræos Manus fraudulenta. Noster tamen interpres sapienter admodum pro Fraudulentæ nomine Remissam posuit. Vt enim diuitiæ sunt egestati contrariæ, sic necesse erat, ut industriæ, qua opes acquiruntur, ignauia, quæ inopiam efficit, ex parte contraria responderet. Præterea, est intelligendum, nihil esse remissa manu fraudulẽtius. Cum enim laborem fugit, fraudes consectatur, & cum sibi uitæ remedium pollicetur, inopia, & egestate, conficitur. Itaque ipsa se in fraudem deducit. minime enim consequitur, quod spe innanissima deuorabat. insistit deinde in eo Sapiens, ut industriam laude prosequatur, & ignauiam uituperet, cum ait, fore, ut, qui æstate congregat, quo possit hieme sustentari, prudentiæ clarum nomen obtineat: qui uero, dum uigilandum, & laborandum est, somno torpet, atque desidia, maculis ignominiæ deformetur. Hæc aute omnia eo pertinẽt, vt intelligamus, nõ esse satis Diuino præsidio niti, nisi accedat acris instudio iustitiæ, atq. pietatis, industria. Nec.n. Deus otiosos, & negligẽtes, sed laboriosos, & industrios, fauore suo, pse quitur: ita tamẽ, ut nemo, industria sua, sed gratia Diuina, fretus, opera moliatur. Sequitur deinde:

Benedictio super caput iusti: os autem impiorum operit iniquitas. Memoria iusti cum laudibus: & nomen impiorum putrescet. Sapiens corde præcepta susci piet: stultus cæditur labijs. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui autem deprauat uias suas, manifestus erit.

erit Qui annuit oculo, dabit dolorem: & stultus labiis verberabitur.

Non solum, inquit, gratiam acquiret a Deo uir iustus, uerum & hominum egregiam sibi beneuolentiam conciliabit, ita, ut ferme omnes ei multa bona precentur, & pro salute illius atque uitæ diuturnitate, assidue uota faciant; contra uero eueniet impiis. Iniuriæ namque, quas per uim multis mortalibus intulerunt, cum in iudicium uentum fuerit, eorum os adeo obstructum reddent, ut, maleficiorum conscientia perturbati, uocem mittere non audeant. Diræ namque, quas multi fuerant illis imprecati, eos stupore defixos de omni statu deiicient. Iusti porro non in uita tantum laudibus cumulantur, sed multo etiam magis post mortem, exstincta prorsus inuidia, nomen eorum in gloria uiget: contra uero, impiorum nomen, exsecrandæ infamiæ maculis inustum, est omnibus, qui eorum flagitia recordantur, odiosum, & inuisum, atque, ut pestilenti tabe corruptum, maxime detestandum. Inter sapientem uero, & insipientem, hoc interest, quod sapiens uere, & ex animo, iussis Diuinis obtemperat, & ita iustitiæ opibus, & ornamẽtis, egregie redundat: cõtra uero, insipiens cæditur labiis, ut interpres inquit, hoc est, labiis deprehenditur. nam ore tantũ imperiũ accipit, cũ mens illius instituta legis aspernetur; & ita orationis uanitas, qua obœdientiam simulabat, aperte conuincitur. Quam stulti uero sint, qui uanitate, & mendacio, res suas stabilire nituntur, ex eo perspicitur, quod numquam illis, qui fallaciis gaudent, prospere cadunt ea, quæ diligentissime cogitarant. Multa namque foras emanant intimæ cogitationis indicia. oculi enim loquuntur, uultus enuntiat, manus ostendit, opera testificantur. Nihil denique intra pectus hominis callidi, & ueteratoris, esse potest, quod non multis signis emineat. Adde, quod non ualent homines tantum memoria, ut semper, quæ dixerint, aut promiserint, recordentur. Itaque sibi ipsis frequenter aduersantur; & secum ipsi sæpenumero pugnant; se produnt, & arguunt; &, quo artificiosius malitiam occultare conantur, eo clarius uenenum, quod in animo latitabat, aperiunt.
Dicit Sapiens, oculorum nutibus dolorem effici, quia nemo ferme est, qui nimis annuat oculis, qui non sit animo duplex, & uarius, & inconstans, & ad dolos ualde propensus; quibus artibus perniciem, cum aliis, tum sibi ipsi, callide machinatur. Sed, cum malitia a sapientia necessario deserta sit, opus est, ut malitiosi, tandem, uerbis suis euicti, corruant, & obmutescant. Sic igitur fit, ut, cum casti, & integri, homines, & fidem constantissime retinentes, confidenter ambulent, (ueritas enim eadem semper est, & ita numquam erubescit) nefarij, & iniusti, suis ipsorum machinis impediti, capiantur, & doloris, & ignominiæ, pœnam subeant.

Vena uitæ, os iusti: & os impiorum operit iniquitatem. Odium suscitat rixas: & vniuersa delicta operit caritas. In labiis sapientis inuenitur sapientia, & uirga in dorso eius qui indiget corde. Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est.

Vitam continet iustitia. Animus uero iusti, est iustitiæ præsidiis, & ornamentis, instructissimus. At, quod in animo redundat, ex ore cuiusuis hominis erumpit. Vnde sequitur, ut, quidquid iustus eloquitur, ad ueram uitam referatur; & iccirco Venam, id est scatebram uitæ, Os iusti, Sapiens appellat: contra uero, iniusti oratio, cum sit iniquitatibus, & iniurijs, oppletus, pestem comparat. In odio dicitur esse dissensionum omnium materies, atque seminarium. Qui enim odio tenetur, obseruat aduersarium; rumusculos aucupatur; leuissimis de caussis commouetur; nullam rixandi occasionem prætermittit. Numquam igitur illi, qui odij pestilenti morbo laborat, deesse poterit contentionis turbulentæ caussa. Nec enim ullam umquam parum iustam rationem irascendi putat, qui est odio exulceratus. Contra uero, qui caritate omnia metitur, etiam cum iustam irarum caussam habet, dissimulat, ignoscit, offensiones ex animo delet, tempori cedit, & singulari animi magnitudine hominis cuiusuis imbecillitatem perfert, atque tolerat. Vnde colligitur, nec esse quidquam in hominũ conuictu odio periculosius, neq. caritate salutarius. Sequitur deinde insigne prudentiæ documentum. Qui enim sapiens est antequam loquatur, quę sint dicenda, & quæ tacenda, considerat. Ita uero fit, ut numquam ex illius ore uerbum prodeat, quod illi uel damnum, uel dedecus, inferat. Cõtra uero, homo dementia præceps, cum multa temere loquatur, neque modum ullum loquacitati statuat, ea sæpe ualde furenter effutit, quæ sunt ei corpore luenda. Iccirco dicit Sapiẽs, uirgam dorso uæsani hominis impactam. Verba namque illius offensionem concitant, & eos, qui possunt iniurias ulcisci, ad imponendas plagas impellunt. Ait deinde, Sapientem non omnia, quæ mente complectitur, enũtiare. Quo modo? Num inuidus est? Num opes suas recondit, ne in communem hominum utilitatem conferantur? Minime. Sed habet rationem temporis, ætatis, condicionis, & personarum, atque locorum; multaque alia sapienter expendit, antequam aliquid edisserat. Aliud enim tẽpus est rebus aliis enuntiandis accommodatum. Nec enim licet, in ludis publicis, si legitime fiant, lamentari; neque pueris seniles sententias, quas percipere nequeant, inculcare; neque rusticanis ea, quæ sunt solum eruditis tradenda, præscribere; nec in publicis locis, ea, quæ sunt paucis referenda, sine delectu proponere. Iam uero, cum ea dicuntur, quæ non possunt ullo modo, nisi in animos, qui magnos in pietatis studio progressus ha

Universidad de Deusto
Biblioteca

bent, influere; quis non uidet, quam sine fructu laboret is, qui ea cum nouitiis communicare nititur? Quid, si porci circumsistant? sunt ne margaritæ illis obiiciendæ? ut, conculcatis margaritis, in dominos impetum faciant? Nullo modo. Quamuis igitur prodesse quam plurimis uelit Sapiens, multa tamen interdum silentio comprimit, dum impendens multis periculum suspicione consequitur. Contra uero, stulti, quæ norunt, quæ ignorant, quæ sunt proferenda, quæ subticenda, opportune, & importune, sine ullo delectu, pronuntiant: & ita fit, ut multis in locis, per orationis garrulitatem, & sermonis intemperantiam, casibus repentinis oppressi contremiscant.

Substantia diuitis, vrbs fortitudinis eius: pauor pauperum, egestas eorum. Opus iusti, ad vitam: fructus autem impij, ad peccatum. Via vitæ, custodienti disciplinam: qui autem increpationes relinquit, errat. Abscondunt odium labia mendacia: qui profert contumeliam, insipiens est. In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.

Opibus dicit animos efferri, quemadmodum & pauperie frangi, atque metu debilitari. Inde adeo fit, ut diuites nimis furenter insolescant, egentes porro nimis humiliter, atque demisse, seruiant. Sed non hoc tantum dicit Salomon, uerum ex hac similitudine, quam a uita communi ducit, pronuntiat, neque ueras opes animi ulla formidine conquassandas, neque inopiam ullo salutari præsidio muniendam. Adhortatur igitur omnes, qui cupiunt omni metu, atque perturbatione, liberari, ut in ueris opibus quærendis, augendis, & cumulandis, omnem diligentiam, & industriam, ponant, neque a tam præclaro studio aliqua ratione deducantur. Quo modo autem opes sint exquirendæ, demonstrat, dum ait, uiam uitę egregie curatam illi esse, qui disciplinam studiose conseruat. Opes enim sunt illæ, quæ conferunt uitam. In eum enim finem congeruntur, ut uitam tueantur, & exornent. Opes igitur, quæ hoc opus non efficiunt, Opes minime sunt appellandæ. Vnde colligitur, illum solum esse diuitem, & opulentum, qui minime salutarem disciplinam aspernatur. In uiam enim rectam deducitur. Contra uero, qui contemnit disciplinam, imperiumque legitimum recusat, in peccatum properat. Sed cur non dicit, In mortem properat, quemadmodum dixerat de illo, qui monitis sanctis obtemperat, eum per uitæ uiam ingredi? Quia peccatum mortem inuehit. Satis igitur erat Peccati nomen ad acerbitatem mortis explicandam. Præterea, cum omnes, naturæ admonitu, in uitam ingredi uelimus, & peccatum sit error, quo a uia, quam inire uolumus, longe deflectimus; satis dicitur, illum, qui peccat, hoc est qui a proposito procul aberrat, in mortem tendere. Duplex deinde genus hominum esse recensetur, uitæ communi longe molestissimum. Vnum sagax, & acutum, ex fraude, & malitia, conflatum, quod odium comprimit, & intima mente insidias machinatur; alterum uero, audax, & iracundum, & in summa impudentia scelleris apertum, quod non clam uenenum mortiferum diffundit, sed palam contumeliarum tela contorquet. Et illud quidem, magis capitale est; hoc autem, quodammodo longe dementius. nam & uera sapientia caret, & falsam minime retinet. Nocendi enim summam uoluntatem demonstrat; cum multo minus nocere possit, quam illud, quod beneuolentiam in odio pestifero simulat. Verum, illud, magis fraude, & malitia, nititur; hoc autem, est uirium opinione confidentius. Ait deinde, multiloquium non carere peccato. Qui enim multum loquitur, sine iudicio uerba fundit. Itaque necesse est, ut aut amicum lædat, aut in odium multitudinis incurrat, aut principes offendat, aut secretum commissum enuntiet, aut innocenti labem dedecoris adspergat, &, ut nihil aliud sit, aures omnium obtundat, & in omni conuictu molestus, & odiosus, sit. Nam omnes submouet, & excludit, ut ipse solus impune garriat, & gloriam nimis intempestiuæ, atque adeo scurrilis loquacitatis assequatur.

Argentum electum, lingua iusti: cor autem impiorum pro nihilo. Labia iusti erudiunt plurimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur. Benedictio Domini diuites facit, nec sociabitur eis afflictio. Quasi per risum stultus operatur scelus: sapientia autem est viro prudentia.

Argentum purum non sonitus inanes edit, sed uerissimam æstimationis suæ significationem facit. Sic est iusti hominis eloquentia. Pure sonat, ueritatem effatur, candide cuncta pronuntiat, insitam fidem oratione castissima profitetur; atque, ut nihil est in illius animo fallax, & subdolum, ita nihil potest in illius oratione reperiri ueteratorium. At, impiorum animis cum nihil insit expressum, & solidum, ita nihil in ore eorum uersari potest, quod sit ullius momenti. Necesse namque est, ut cordis inanitatem orationis inanitas consequatur. Labia iusti plurimos erudire, &, ut legimus apud Hebræum, pascere dicuntur, quia oratio iustorum, est animorum pabulum; quo uita sulcitur, atque sustinetur. At impij, tantum abest, ut alijs esse subsidio possint, ut ipsi sibi opitulari nō possint. Omnes enim morientur: quod iustis nullo modo continget, cum sint cum uita sempiterna sociati. Sapientia

pientia namque uitam in perpetuum propagat; at amentia necem infert. Cum ergo iusti omnes sapientiæ gloria præstent, impij autem stultissimi sint; restat, ut iusti uita sempiterna fruantur, iniusti sunditus intereant, nec umquam possint cæleſtem lucem adspicere. Cum uero maxima pars illorum, qui nefarium bellum contra iustitiæ sanctitatem comparant, ardentes auaritia, tam insigne facinus moliantur; ostendit Sapiens, quam amentes sint, qui sine Dei præsentis auxilio diuites fieri concupiscunt. Nemo enim diues esse potest, nisi quem Deus in gratiam suam receperit. Is enim demum uere diues erit, cui nihil umquam deerit ad bene, beateque, uiuendum: illis autem solum nihil deest, qui sunt Dei gratiam consecuti. Adde, quod reliquæ, quæ appellantur, diuitiæ, cum multis laboribus, atque periculis, quæruntur; cum ingenti metu, & sollicitudine, custodiuntur; cum intolerabili dolore consumuntur, atque dissipantur. Itaque fit, ut uita eorum, qui diuites existimantur, sit acerbissima, cum tristissimis curis assidue conflictetur. At illi, quos Dei gratia locupletat, ita copiis, & opibus, referti sunt, ut nulla eos cura, & sollicitudo, conturbet; &, cum sint uerorum bonorum copia redundantes, in omnibus rebus, quæ ad uitæ cultum necessariæ sunt, ab optimo Domino minime deseruntur. Ait, stultum, scelestum facinus, quasi per risum, & iocum, moliri, cum sibi ipsi pestem, & exitium, moliatur; cum in tenebras sempiternas ruat; cum dolorem sempiternum sibi manu sua conficiat: cum denique in eo uehementer elaboret, ut semper in omni æternitate miserrimus sit; & tamen ludus est illi, pessima facinora designare; quasi tunc laude uiri fortis, & uehementer acris, antecellat. At sapientia uiri, est prudentia. Quo modo? Valde enim differre uidentur. Est enim sapientia, rerum Diuinarum cognitio; prudentia uero, humanarum recta moderatio. Animaduertendum tamen est, neminem posse uel rem familiarem, uel publicam, recte gubernare, nisi qui Dei notitiam habuerit. Is enim solus iustitiam colet, & scelus exsecrabitur, & omnes actiones in communem utilitatem conferet; & sic demum, Diuino præsidio fultus, omnia feliciter administrabit. Sapientia igitur prudentiæ causſam continet. Id autem, usitata loquendi ratione, quidlibet esse dicitur, cuius causſa est. Veluti, cum Salutem meam appello eum, qui mihi salutem attulit. Cum igitur sapientia prudentiam efficiat, recte dicitur, Sapientiam esse prudentiam. Ergo, quemadmodum is, qui per ludum, & iocum, scelus designat, est insanissimus, (non habet enim scientiam Dei) ita is, qui Deum timet, eo timore non solum se sapientem esse demonstrat, uerum & prudentiæ laude præcellentem.

Quod timet impius, ueniet super eum: desiderium suum iustis dabitur. Quasi tempestas transiens non erit impius: iustus autem quasi fundamentum sempiternum. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum. Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur. Exspectatio iustorum lætitia: spes autem impiorum peribit. Fortitudo simplicis, uia Domini: & pauor his qui operantur malum. Iustus in æternum non commouebitur: impij autem non habitabunt super terram. Os iusti parturiet sapientiam, lingua prauorum peribit. Labia iusti considerant placita, & os impiorum peruersa.

Impius, cum tamquam furiis agitatur, cum maleficiorum conscientia dies, & noctes, opprimitur, cum iniurias, quas multis mortalibus intulerat, extimescit, certe supplicium impendens sollicita mente prospicit; & ea de causſa nec umquam libere respirat, nec ulla in sede consistit. nam, quod euenturum sibi est, præsagitione consequitur. Contra uero, iustus spe mirifica sustentatur, & cupiditate summi boni perpetuo flagrat; &, cum Diuina promissione nixus sit, quod sperat, quod expetit, quod efflagitat, impetrabit. Itaque impij, quamdiu in hac uita manserint, metu, atque formidine, cruciabuntur; iusti autem, in corpore manentes, gaudia summa percipient; & in altera uita, uoluptate, atque gloria sempiterna, circumfluent. Quod si putat aliquis, fortunas impiorum in hac uita saltem esse fundatissimas, repetat animo casus uarios, atque repentinos, quibus hominum uita, multorum opinione florens, obruitur. Videbit enim, illorum opes, inuecta tempestate, atque calamitate, prosterni, ita, ut ne tenue quidem earum uestigium in rebus humanis appareat. Iustorum porro domicilium, in omni sæculorum æternitate, firmum, & stabile, permanebit. Sed dicet fortasse aliquis, Licebit ne nobis ad tantam felicitatem adspirare, ita, ut nullum casum, aut ruinam, metuamus? Licebit sane. Qua tandem uia, & ratione? Sanctissimæ legis cultu, & obedientia. Omnis enim, qui uitam, & immortalitatem, expetit, præceptis Diuinis obediat; & sic tandem in beatissimam illam uitam feliciter immigrabit. Ita tamen se conferat opus est ad Diuinæ legis studium, ut intelligat, scelus esse, in tam præclaro studio negligentiam. Vt enim acetum obstupefacit dentes, ne possint cibum cum iucunditate sumere; & ut fumus uita oculos offendit, ut lacrymas

Universidad de Deusto
Biblioteca

excutiat: sic est, inquit, omnis piger illis, a quibus missus est, Grauissimam namque molestiam dominis lenti ministri, atque satellites, inferunt: negotia, quæ instabant, impediunt, & rei nauiter gerendæ cupidos mora discruciat. Omnem igitur suscepti laboris mercedem ministri lentitudo peruertit. Similiter, illi qui lente, atque negligenter, officia pietatis exsequuntur, in grauem offensionem Diuini numinis incidunt. Negligentia namque contemptionem designat earum rerum, quæ sunt bonis omnibus longissimo interuallo præferendæ. Docet deinde Sapiens, quæ sit ætatis maturitas. Timor, inquit, Domini dies ad vitam adiungit. Quo modo vero id fiat, consideremus. Maturitas ætatis, est sapientiæ perfectio, atque ueriss imæ uirtutis absolutio. Non enim perspiciendum est, in proceritate corporis, sed in altitudine mentis, incrementum; neque multum refert, quam multi anni uitæ numerentur, sed quam multis honestatis opibus ætas acta cumuletur. Non enim est senectus in annorũ multitudine, sed in maximarũ uirtutũ perfunctione, cõstituta. Qui igitur hanc uirtutis ætatẽ, & fructus excellẽtis maturitatẽ fuerit asse quutus, satis senex habẽdus est, quãuis a uita in ætatis flore discedat. Cõtra uero, impius, quocũque tempore moriatur, semper adolescens, atq; adeo puer, appellãdus est. Numquã enim ullum signum uirilis sensus in uita dedit, &, cum fuit a corpore diuulsus, multa uersabat in animo, quasi tunc uitam inchoaret; & ex inanitate omnes uiuendi rationes suspensas habebat. Quamuis igitur illius senectus summa uideretur, immatura tamen morte sublatus repente fuit. Semper enim fructus illius fuerunt acerbissimi. Sensus igitur huius loci hic est. Timor Domini uitam propagat. Non enim patietur pater ille clementissimus, ut, qui numen illius timent, ante quam ad uirtutis maturitatem perueniant, exstinguantur; at impiorum uitam, in medio cursu, quasi inflicta securi, præcidet. At deinde sequitur, quod non iam semel dictum est, iustorum exspectationem in perpetua lætitia, & iucunditate, uersari; impiorum uero cogitationem exitialem exitum perhorrescere. Legem deinde demonstrat uarie homines commouere. Aliter enim afficit castos, & integros, & sanctionibus Diuinis alacriter obtemperantes. aliter autem impuros, & flagitiosos, imperium Diuinum recusantes. Bonos enim inuicto robore communit; malos autem supplicíorum minis exterret. Quid enim metuat is, qui se cælesti præsidio, & comitatu, circumsæptum animaduertit? Quo modo non maximo animi motu trepidabit is, qui Deum iratum habet, seque omni præsidio nudatum cernit? Cum ergo boni ad legis trutinam uitæ officia perpendant, mali porro bellum omni odio imbutum cum lege Diuina gerant; consequens est, ut boni, lege, quam unice colunt, confirmati, omnia, quæ contra illos incitati possunt, animo maximo despiciant; improbi, iniuriarum recordatione perturbati, contremiscant. Iam, quod sequitur, apud Matthæum a Domino, qui Salomonem disciplinis instruxit, dictum legimus. Sic enim ait: Omnis, qui audit uerba mea hæc, & facit ea, assimilabitur uiro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat super petram. Et omnis, qui audit uerba mea hæc, & non facit ea, similis erit uiro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. Similiter hoc in loco Salomon futurum ait, ut iustus, nullis tempestatibus de statu conuelli ullo modo possit; iniusti contra sedes, quouis aduersæ tempestatis impetu corruat, & dissipetur. Omnes deinde iustos sapientes esse, confirmat. Aliter enim numquam sapientiæ disciplinam protulissent. Præterea, si sapiens est, qui sibi consulit, sapiens certe iustus erit. Mens enim pura, & integra, morbos ex animo pellit, & Spiritui sancto domicilium ædificat, & sacrarium constituit, in quo Diuinum numen sedem sibi collocet; & oratio similiter iusti uulnera sanat, sanitatem confirmat, multosque desiderio gloriæ sempiternæ acriter incendit. At impiorum lingua peruersa meditatur, & ad flagitia suscipienda multos impellit. Exscinditur igitur: Nec enim tam audax facinus erit impunitum. Caussa uero discriminis in eo tota consistit, quod iustus omnes conatus animi eo comparat, ut nihil agat, nihil moliatur, nihil proferat, nisi quod gratum Deo fore uidet. Cum igitur id maximo opere uelit, & cupiat, Deus mentem illius illustrat, & orationem moderatur, ita, ut nihil homo probus enuntiet, nisi rectum, & sapiens, & moderatum, & fructu saluberrimũ. Porro autem, iniustus, cum sit a sapientiæ fonte deuius, & a sanctissimis iustitiæ placitis abhorreat, nefaria, & [illegible]sta, pronuntiat, & longe, multumque, a [illegible]tionibus Diuinis aliena. Et hæc est illa peruersitas detestabilis, & exsecranda, qua perditi homines a recta salutis uia sese longissime diuersos abducunt.

Matt. 7.

CAP. XI.

STatera dolosa abominatio est, apud Deum, & pondus æquum uoluntas eius. Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: ubi autem est humilitas, ibi & sapientia.

Humana societas fide continetur. Sublata igitur

tur fide, communio tollitur, & uitæ coniunctio, ita, ut nihil relinquatur, quamobrem quisquam in uita manere uelit. Quod si, cum fides priuatim uiolatur, ius societatis humanæ uiolatur; quid erit existimandum, cum publica fides, qua uniuersa. Resp. deuincta est, de medio tollitur? Cum igitur bilancis pondus sit publica uenaliũ rerum æstimatio, qua pactiones rite fiunt, & mutui commercij æquabilitas conseruatur; qui ponderibus fallacibus utitur, quantum in se est, publicam fidem peruertit. Sed hoc effatum non ad bilancis tãtum examen pertinet, sed multo etiã magis ad alia ponderum momenta, quibus sunt munera publica diligenter examinanda. Hi sunt iudices, & magistratus; hi sunt publici iuris administri; hi denique sunt principes, & reges, ad quorum iudicium sunt omnes disceptationes, & controuersiæ, reuocandę. Horum officium est, demere de iniuriæ cumulo, quod resarciat illius, qui iniuriam passus est, intertrimentum, coercere cupiditatem, tueri innocentiam, summa cum infimis eadem iuris æquabilitate moderari. unicuique dignitatem suam tribuere, & sic denique omnia, pro uniuscuiusque meritis, exæquare, ut neque multitudini materia iustæ querimoniæ detur, neque summi uiri debita honestate spoliẽtur. Qui igitur hoc trutinarum genus ita depranauerint, ut omnia, quæ sunt rectis examinanda ponderibus, iudicio corruptissimo ponderentur, erunt publicæ salutis euersores, & iccirco hominibus inuisi, & Deo uehementer exsecrandi. Cum uero plura possidendi, quam iuris ratio patiatur, cupiditas, plerumque a superbia nascatur, (ideo namque multi manum opibus alienis afferunt, ut magnificentia cultus, & populari dignitate, possint excellere) osteudit Sapiens, quã amentes sint illi, qui ex superbia dignitatẽ quærendam statuunt. Nam superbiam ignominia consequitur, & modestia sapientiæ nomine commendatur. Superbia enim concitat odium; moderatio conciliat amorem. Superbia deinde est cum obliuione imbecillitatis humanæ coniuncta; humilitas autem, ex iudicio, quo se quisque diligenter examinat, exsistit. Præterea, qui se nimis insolenter efferunt, cum sibi multa impudenter arrogent, se deridendos ostentant; modesti, contra, dum se prudenter abijciunt, ad reliquas laudes, quas assecuti fuerant, laudem moderationis adiungunt. Atque postremo superbia irã Diuinam prouocat, humilitas autem Dei gratiam acquirit.

Simplicitas iustorum diriget eos, & supplantatio (*hoc est, peruersitas*) peruersorum uastabit illos. Non proderunt diuitiæ in die ultionis: iustitia autem liberabit a morte: Iustitia simplicis diriget uiam eius: & in impietate sua corruet impius. Iustitia rectorum liberabit eos: & in insidiis suis capientur iniqui.

Nullum est tantum acumen, nulla tanta calliditas, quæ possit hominem uafrum, & subdolum, a tristissimis curis eximere. Nam sollicitus est, ne, quod est ementitus, emanet; ne fraus, quã concepit, appareat; ne insidiæ, quas facit, repellantur; ne, dum sibi præsidium astutia sua comparabat, uitæ suæ periculum intendat; eisdemque machinis, quibus ad salutem utebatur, perniciem omnibus rebus suis importet. Quod quidem homo simplex, & integer, numquam metuet. Nihil enim astute, nihil malitiose, nihil fraudulenter, in uita gerit; mendacium numquam dicit; recta uia graditur; in luce ambulat, ita, ut nusquam offendat, aut uerborum laqueis capiatur. Probitas enim illius eum diriget; cum improbi naturа, immanis, & importuna, cum a recta uia transuersum in horas singulas abstrahat, & in capitalem fraudem frequenter impellat. Vt autem prospere omnia procedant illis, qui fraudibus opes accumulant, quem tandem fructum poterunt ex diuitiis per iniuriam partis in die ultionis percipere? Cum enim Dominus iudicium constituerit, ut unicuique pro meritis præmium, uel pœnam, rependat, num poterit sanctissimum illud iudicium uel pecunia redimi, uel fraudibus eludi, uel institutis sacris expiari? Nullo modo. Non igitur immanes diuitiæ, sed opes iustitiæ, homines a morte sempiterna liberabunt. Sed quærendum est, quibus artibus præditum esse oportet illum, qui uult huius uitæ cursum sine prolapsione conficere. Num mathematicos consulet? Num philosophis operam dabit? Num se ad eorum studium, qui se politicos existimari uolunt, adiunget? Nihil opus, inquit, est; iustitiam tantum unice colat; illius uestigiis insistat; numquam oculos ab illa deiiciat; a uia, quam illa monstrat, numquam in partem alterutram deflectat; & sic tandem, quamuis nullis artibus imbutus sit, uiam certam tenebit, qua, sine ullo errore, ad uitam sempiternam perueniat. Contra porro impius. Quamuis enim omnibus summis artibus instructissimus sit, & dicendi etiam facultate præcellat, cum tamen iustitiæ expers omnino sit, miserrime concidet, atque funditus interibit. Itaque iustitia est, quæ rectis salutem dat; quemadmodum & iniqui uinculis ipsius iniquitatis artissime constringuntur, ut pœnas sempiternas exsoluant.

Mortuo homine impio nulla erit ultra spes, & exspectatio sollicitorum peribit. Iustus de angustia liberatus est: & tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit amicum suum: iusti autem liberabuntur scientia. In bonis iustorum exsultabit ciuitas: & in perditione impiorum erit laudatio. (*hoc est, publica gratulatio.*) Benedictione iustorum exaltabitur ciuitas: & ore impiorum subuertetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Omnes, qui perfidia, & impietate, diuitias augent, & accumulant, uel ſummo ſtudio, & ſollicitudine, opibus parandis incumbunt, quamuis nullum ſceleſtum facinus in comparanda pecunia moliantur, ſunt amentiſsimi. Omnes enim ſpes illorum, interitu corporis extinguuntur. Quid enim poterit eſſe dementius, quam, omnem induſtriam, & ſollicitudinem, in cultu corporis, quod eſt breuiſsimo temporis ſpatio delendum, reponere, & interim animam, naturā ſempiternam, & ad Dei imaginem factam, flagitiorum ſordibus infectam, & turpificatam, relinquere? Nec ſolum ſpes impiorum interibit, & ſolliciti, ſine ullo fructu, opes coaceruabunt, uerum etiam, ſi permanſerint in flagitio, ſempiternæ mortis immanitatem ſuſtinebunt. Iuſtus enim, ut ad aliquod tempus crucietur, omni tamen angore, & cruciatu, liberabitur; impius uero tradetur pro eo, hoc eſt acerbiſsimę, atque ſempiternæ, ultionis tela excipiet. Omnia namque mala, quæ fuerat in hominem iuſtum machinatus, perferet; & præterea illius gloriæ ſeruiet inuitus; atque tandem pœnas dabit ſceleris illius, quo infeſtus in ſanctos homines perpetuo ferebatur. Quantū deinde periculum creet os fraudulentum illius, qui ſimulat amicitiam, cum necem inferat, apparet: uerbis blanditur, corde ſanguinem petit, religionem oſtētat, & ſacrilegium admittit; Deo ſe carum eſſe profitetur, cum ſanctitatem illius modis omnibus oppugnet: itaque, dum ſe miniſtrum ſalutis eſſe iactat, proximum ſuum in perniciem præcipitem exturbat. Quo modo igitur inſidiæ deuitari poterunt, ore impio cōparatę? Scientia ſane. Sed, quis nos ſcientia, qua nobis ſedulo caueamus, inſtruet? Iuſtitia profecto. Si enim fuerimus in ſtudio iuſtitiæ uigilātes, ſplēdore collucebimus, quo facillime fictā iuſtitiæ ſpecié a uera, & ſolida, iuſtitiæ ratione diſtinguamus. Recte igitur dictum eſt, iuſtos ſcientia a fallacia ſimulatæ iuſtitiæ liberari. Ait deinde, in iuſtorum bonis ciuitatem mirifice lætari, quia bona, quibus affluunt iuſti, ad communem utilitatem Reip. conferuntur. Deinde, non ij ſunt, qui, opibus elati, ad tyrannidem adſpirent, ſed potius omnia, quæ poſsident, inſtrumenta iuſtitiæ, atque pietatis, arbitrentur.

Poſtremo, cum ſint plerumque cari multitudini, fit, ut ex eorum ſecundis rebus gaudium inſigne multitudo percipiat. At, cum impij corruunt, omnis multitudo lętitiam, editis uocibus, & ſignis apertiſsimis, oſtendit. Eſt enim impietas, cum inuiſa, atque uehementer odioſa, tum etiam malefica nimis, & iniuſta, ita, ut, cum impij hominis florens fortuna perfringitur, multi libertatem omnino conſtitui ſuſpicentur. Et hoc non abſque ratione. Neque enim ſolum opes bonorum adiumentum afferunt ciuitati, uerum illorum rationes ſunt uniuerſæ Reipub. ſalutares. Quemadmodum Sapiens continuo ſubiungit: ſalutari iuſtorum oratione ciuitatem in gradu dignitatis ampliſsimo collocari; oratione autem peſtifera impiorum conuelli, & excindi. Ait deinde:

Qui deſpicit amicum ſuum, indigens corde eſt: uir autem prudens tacebit. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum. Vbi non eſt gubernator, populus corruet: ſalus autem, ubi multa conſilia. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo: qui autem cauet laqueos, ſecurus erit.

Deſpicit amicum, qui, ut riſum faciat, ſiquid eſt in amico labe aliqua dedecoris adſperſum, atque deridendum, id paſsim peruulgat: quod quidem eſt inſiti furoris indicium. Tu amicum contemnes; atque deridebis, & non potius ſecreto admonebis? & riſus furentis inſulſitatem fidei amicitiæ præponendam exiſtimabis? Qui amicos ad hunc modum tractas, quid alienis efficies? Aut, quos tibi tandem amicos fideles inuenies? Reliquum igitur erit, ut, te corde indigere, ut Salomon dicit, aperte fatearis, eum id contra amicitiæ legem flagitium admittis, quod tandem in ignominiam tuam iure, atque merito, redundabit. Prudens uero, id, quod diuulgare omnibus deſideras, ſecretum certe tenebit. In uniuerſum autem, quanta fide ſit amici arcanum ſilentio comprimendum, conſequenter exponitur. Ait enim Sapiens, eum, qui ſecretum minime ſeruat, eſſe perfidum, atque fraudulentum, multo magis, quam ſi amicum magna pecunia fraudaret. Non enim tanto periculo pecuniæ, quam arcana, committuntur. Dicit, populum ſine gubernatore periturum. Sed dicet aliquis fortaſſe, nullam eſſe nationem, quæ gubernatore careat. Verum. Sed, qui recte munere ſuo perfungantur, erunt pauciſsimi. Et ij, qui inuenti fuerint, ſi non ad ſe multos conſiliarios adſciuerint, multis in locis claudicabunt. Pauci enim pauca norunt: multi multa perueſtigant. Dum quilibet igitur ex ijs, qui in conſilium adhibentur, in commune confert, quod reperit, multa conſilia poterunt cum utilitate ſumma Reip. comprobari. Eſt autem animaduertendum, non dixiſſe Salomonem, ſalutem inueniri, ubi aliquod conſilium uiget, ſed ſalus, ubi multa conſilia. Vnde colligitur, ſine multorum prudentum conſilio non poſſe ullo modo Remp. adminiſtrari. Quod uero attinet ad præceptum, quod continuo ſequitur, fieri non poteſt, quin ſapiens in eo magnā uim ſecuritatis ſitam eſſe cenſeat. Quam periculoſa enim ſponſio pro amico facta ſit, iam ante monuerat. Quo quidem in loco, non ſponſionem omnino prohibuit, (ius enim amicitiæ poſtulat, ut pro amicis diſcrimen ſubeamus,) ſed tantum admonuit, ut uideremus, quibus laqueis nos ipſos, cum pro amicis ſpondemus, adſtringimus; & ad fidem noſtram ſollicite præſtandam adhortatus eſt. Nunc uero a fide pro extraneis interpcnenda, quorum fides nobis explorata non eſt, uehementiſsime deterret;

Mulier

Mulier gratioſa inueniet gloriam, & robuſti habebunt diuitias. Benefacit animæ ſuæ uir miſericors: qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abiicit. Impius facit opus inſtabile: ſeminanti autem iuſtitiam merces fidelis. Clementia præparat uitam: & ſectatio malorum mortem. Abominabile Domino cor prauum, & uoluntas eius in iis qui ſimpliciter ambulant.

Neque mulier uiribus, partam uiri gloriam tuetur, ſed gratia, hoc eſt prudentia, & moderatione, cum inſigni laude pudoris, & continētię, coniuncta. Neque uir tam gratia, quam uiribus, & induſtria, pugnat, ut domus ſit rebus omnibus, quibus indiget uita communis, oppleta. Dum quilibet igitur muneri ſuo ſatisfacit, domus integre omni bono cumulatur. Sed uidendum eſt, num ſatis ſit, intra priuatos parietes abundare, & numquam eos, qui foris inopia premuntur, inuiſere. Non certe. Qui enim miſecors eſt, ſibi ipſi fenori dat, quod aliis elargitur. Anima enim illius, qui eſt in egentes miſericors, diteſcit. At crudelis, cum etiam ſuis ſit acriter infeſtus, extrema tandem inopia cruciabitur. Sic igitur fiet, ut boni, ſumptibus rem familiarem uehementer amplificent; improbi uero, nimia parſimonia patrimonium diſperdant. Sed inquiet aliquis fortaſſe, longe ſecus interdum fieri. Multos enim nouimus, qui, cum fuiſſent multis ſceleribus affines, & amplum patrimonium liberis reliquerunt, & in uita multis gloriæ popularis ornamentis exculti ſunt. Verum. Sed illorum mens fuit multis curis exercita, & moleſtiis innumerabilibus miſerrime circumuenta, & eorum poſteritas funditus exciſa. Nec enim diu permanere poteſt genus ſanctitatibus inuiſum. Nam iudicium Diuinum ſceleratam ſoboleм debitis pœnis inſequitur, uſque eo, dum memoriam illius enellat. Rectiſsime igitur ſcriptum eſt, impium facere opus inſtabile; at ei, qui iuſtitiam ſerit, eſſe ſolidā mercedem operis conſtitutam. Quærit impius dignitatem, & incurrit in dedecus: quærit iucunditatem, & dolores accerſit, quærit opes, & inopia ſumma conficitur: quærit uitam, & in mortem truditur. Clementia namque, ut interpres uertit, præparat uitam. Eſt autem clementia ad iuſtitiam reuocanda. Vt igitur Hebræus inquit, Opus rectum iuſtitiæ ad uitam tendit, quemadmodum improbitas ad exitium. Minime igitur ferendi ſunt quidam homines amentiſsimi, qui in ſummo furore ſibi laudem acuminis, & ſagacitatis, aſſumunt; &, dum peſtem intra pectus continent, ſibi bona nimis inſolenter attribuunt. Quid eſt miſerius improbitate? Quid inſolentius calliditate? Quid igitur dementius eo, qui, cum improbus, & uafer, atque uerterator, ſit, ita ſibi placet in malitia, atque ſi in ea ſapientiæ totius ſumma conſiſteret? Cū autem Deus ſit beatiſsimus, maxime miſer eſt ille, qui eſt a Deo remotiſsimus. At a Deo longiſsime diſsidet ille, cuius cor eſt ueneno prauitatis infectum. Deus enim mentem deprauatam odio perſequitur, & ſimpliciter ambulantes amplexatur.

Manus in manu non erit innocens malus: ſemen autem iuſtorum ſaluabitur. Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua. Deſiderium iuſtorum omne bonum eſt: præſtolatio impiorum furor. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur.

Impij manus manum prehendit, cum fœdus fit, & fides mutua datur, fore, ut alter alterum falſo teſtimonio iuuet; ut ſic is, qui ſcelere ſe alligauit, iudicum ſententia liberetur; fruſtra tamen id fiet. Eſt enim numen in cælis, quod omnia uidet, & nullum maleficium inultum eſſe patitur. Sic igitur euenict neceſſario, ut, qui ſcelere ſe conſtrinxit, merito ſupplicio crucietur. At iuſtorum natio erit omni crimine ſoluta. Illorum enim cauſſam tuetur Dominus, qui iuſtorum patronus, atque parens, eſt. Quam periculoſa deinde ſit mulieris amentis ſpecies, atque pulchritudo, declarat aptiſsima ſimilitudine. Quid eſſe potuiſſet minus aptum, quam aureum monile, ex rictu ſuis appenſum? Primum enim, ridiculum nimis eſſet, aurum optime factum in roſtri porcini deformitate alligari: Deinde, ſatis indignum, pretioſum monile, in cœno, atque luto, pronolui: Poſtremo, quid conueniebat ornari eleganti cultu animal, ab omni cultu remotiſsimum, & ſordibus ſemper immerſum, cuius uoluptas tota eſt, in uolutationibus lutulentiſsimis conſtituta? Nunc transferamus hanc ſimilitudinem ad pulchritudinem corporis, cum abeſt mentis ſanitas. Eſt autem pulchritudo, aureo monili non abſimilis. Eſt enim apta membrorum compoſitio, certa partium dimenſione terminata candore ſplendida, uenuſtate circumfluens, oculis adnodum grata, amorem mire concilians. Intelligendum tamen eſt, non eſſe certam ueriſsimæ pulchritudinis rationem in corpore, ſed in animo, ponendam. Cum enim omnes animorū partes inter ſe ſingulari lepore conſentiunt, cum ratione puriſsima colluſtrantur, cum mens imperium pro dignitate tuetur, cum omnes affectiones legi naturæ parent, & rationi ſubiiciuntur, tunc exiſtit in animo excellens decus, & elegantia cuius decoris hæc corporis pulchritudo, quam cernimus oculis, imago quædam eſt. Cum igitur hæc corporis dignitas, animi dignitati reſpondet, tunc ornatus eſt minime contemnendus. Eſt enim liberalis ſpecies, cum eſt cum uirtute, & moderatione, coniuncta, regij cuiuſdam decoris inſigne, amorem admirabilem excitans. Verum enim uero, ſi corpus ſpeciem claram habuerit, animus uero fuerit deformis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mis, atque lutulentus, si ratio fuerit serua cupiditatis, ministra libidinis, contaminata flagitijs, infecta sordibus, & in omni turpitudine prouoluta, quid aliud erit tunc forma decens corporis, quam aureum monile in rostro suis? Num pulchritudo uirum flagitijs infamem dignitate aliqua commendabit? Nullo modo. Immo, quo species corporis fuerit liberalior, eo turpior animi deformitas apparebit. Omnis autem mulier, quæ pulchritudine antecellit, si non fuerit sana mente prædita, ipsa opinione pulchritudinis insolescit, & a mente, & ratione, deducitur. Furit igitur, & insanit, & oculis, uoce, gestu, manibus, & uarijs corporis motibus, insitam amentiam testificatur, & turpitudinem insignem facit. Non igitur tunc apte conuenit corporis species excellens, cum animi turpissimi deformitate; maxime uero, cum immoderata mulier insitam pulchritudinem dedecore maculauerit, & libidinis sordibus petulanter infecerit. Iusti, cum fallacis, & interituri, boni desiderio minime teneantur, sed summi boni cupiditate flagrent, quod ardentissime cupiunt, feliciter obtinebunt. Sic igitur fit, ut eorum animi, firmissima spe salutis, & dignitatis, excitati, semper incundidate uersentur; cum interim impij, exspectatione maloru, quę nimis formidant, exanimentur. Quamuis enim impij diuturna peccādi cōsuetudine ob durauerint, & conscientiam fœdissimis factis, quoad licet, oppresserint, fieri tamen non potest, quin sępenumero iudicia Diuina perhorrescant. Ostendit prętera Sapiens, non omnia, quæ ad curam rei familiaris augendæ pertinent, esse in nimia parsimonia collocanda. Multi namque, sumptus ingentes faciunt, quorum opes in dies crescunt. Aliorum autem diuitiæ, qui pecuniam suam, propter auaritiam, attingere non audent, in dies minuuntur. Vnde colligitur, magis nauitate, & industria, quam uitæ sordibus, pecuniam augeri. Est & alia ratio, quam Sapiens apponit. Pecunia dignus est, qui pecunia uti scit. Pecunia uero uti sciunt, qui benefici sunt. Ea autem de causa Deus sape numero eorum opes auget, qui sunt liberales, atque munifici, qui opes suas in medium afferunt, ut multis opitulentur; & eorum utilitates amplificat, qui sunt ad largiendum de suo propensi. Qui irrigat, inquit Hebræus, ipse pluuia est. Hoc est, ipse, reliquis benigne faciendo, pluuiam frugibus suis, ut latissimæ fiant, inducit: quod noster Latinus explicat, inquiens, Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.

Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput uendentium. Bene consurgit diluculo q quærit bona: (*clarius apud Hebræum, Qui diluculo bonum sectatur, inuenit quod expetit.*) qui autem inuestigator malorum est, opprimetur ab eis. Qui confidit in diuitiis suis, corruet: iusti autem quasi uirens folium germinabunt. Qui conturbat domum suam, possidebit uentos: & qui stultus est, seruiet sapienti. Fructus iusti lignum uitæ: & qui suscipit animas, sapiens est: Si iustus in terra recipit, quanto magis impius & peccator.

In annonæ caritate frumentum comprimere, dira immanitas est. Eo enim tendit auaritia, ut, propter pecuniæ cupiditatem, uelit Remp. uniuersam fame conficere. Merito igitur multi, eos, qui frumentum uendere nolunt, exsecrantur: quemadmodum bona precantur omnibus, qui non procrastinant, sed publicæ necessitati mature subueniunt. Rursus docet, omnia ijs, qui in ueris bonis parandis diligentiam adhibent, felicissime procedere. Omnia enim, quæ desiderāt, adipiscuntur. Sic etiam, qui malis artibus prædiți sunt, & mala summo studio consectantur, ab ipsis malis opprimuntur. Nullum uitium est, quod singulari quadam ratione tam pugnet cū sanctitate, & religione, quam auaritia. Est enim, ut noster Paulus ait, simulacrorum seruitus. Quo modo? Quia idololatria est, constituere honorem Deo debitum simulacris. Simulacra uero sunt, omnia, quibus homines falso Diuinitatem tribuūt. At auari pecuniā in sede Diuina ponunt. Fidem enim, quæ Deo tantum debetur, ad pecuniam transferunt. In pecunia enim spem salutis, & dignitatis, & bonorum omnium, collocant: iccirco corruent; & sero intelligent, se sine ullo fructu uitam omnem in studio pecuniæ contriuisse. Quod certe non euenier iustis. Cum enim omnem spem in Deo reposuerint, eorum res in dies uirescent, atque germinabunt; & immortales fructus ad gloriam sempiternam proferent. Qui conturbat, inquit, domum suam, hereditate sortietur uentum. Conturbat autem domum suam, qui nihil ordine gerit, qui non rem suam præsentem administrat, sed inania tantum meditatur, &, quæ sunt ante oculos, transilit, ut, quæ sunt remotissima, transigat, & solidas opes contemnit, ut inanes exquirat. is igitur, ut auram persequitur, auram possidebit. Merito igitur Sapiens adiungit, non posse quemquam, imperium, neque in re publica, neque in familiari, exercere, nisi sapiētiæ particeps fuerit. Sic enim natura comparatum est, ut stultus sapienti seruiat. aliter enim non poterit stultus ullo modo statum suum tueri. Fructus, inquit, iusti, lignum uitæ est. Lignum uitæ, uerbum summi patris est. Fructus illius, inquit Sponsa, dulcis gutturi meo est. Cum igitur lignum hoc, sit resurrectio, & uita; sequitur necessario, ut omnes, qui hoc fructu nutriuntur, sint immortales, atque plane Diuini. Et, qui capit animas, sapiens est. Capit autem animas, qui multos instruit ad pietatem, & ab inanitate ad studium immortalitatis, & sempiternæ gloriæ, traducit. Hic autem, ut Daniel asserit, quasi Sol, in perpetuas claritates splendebit. Sed quęro, numquam ne iusti in uita æruminas patientur? numquam dolores, & incommoda, sustinebunt? Et multa quidem.

quidem. Partim enim, ut uirtutem exerceant, in uarias calamitates incident; partim, ut pœnas eorum, quæ deliquerunt, in terris exsoluant. Non enim iusti ad supplicium æternum in futuro sæculo reseruantur. Sed hoc considerandum est: cum iustus non ita crimine soluitur, ut admissi flagitij pœnam minime luat, impius, & flagitiosus, ut. Petrus affirmat, quam tandem pœnam, atque supplicium, sustinebunt? Petr. 4.

CAP. XII.

QVi diligit disciplinā, diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est. Qui bonus est, hauriet gratiam a Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, impie agit. Non roborabitur homo ex impietate: & radix iustorum non commouebitur. Mulier diligens, corona est uiro suo: & putredo in ossibus eius quæ confusione res dignas gerit.

Vt scientiam comparemus, opus est animi tranquillitate, & recta morum constitutione. Quamdiu enim amor, odium, cupiditas, atque libido, & reliquæ perturbationes, animum uarie uersant, & in diuersas partes rapiunt, non potest ullo modo ratio ueritatis luce frui, sed, tenebris, & caligine, circumfusa, in erroribus turbulentissimis uersatur. Opus est igitur disciplina, quæ coerceat temeritatem, quæ refrenet libidinem, quæ comprimat odium, & iracundiam, quæ denique extrahat radicitus omnes falsas opiniones, ne quid resideat in animo, quod contemplationi ipsius ueritatis officiat. Hoc est autem Opus disciplinæ, legem statuere cupiditati, ne uictrix insultet, & rationem de gradu dimoueat. Sic autem animo, recte moribus, & uita, constituto, facillimum erit, cognitionem ueritatis acquirere, sapientiaque potiri. Iccirco dicitur, Eum, qui disciplinam diligit, scientiam diligere. In moribus enim optimis est præclarissime ad scientiam munita uita. Contra uero, qui odit magistros, & monitores, atque adeo leges, & omnia denique, quæ deterrent a flagitiis, & se totum libidini constringendum dat, is non homo, sed immanis bellua, existimandus est. Maximum uero sapientiæ fundamentum, est Bonitas. Quod enim certius sapientiæ munus est, quā sapientis utilitas? At bonus magnas sibi utilitates a gratia Diuina consequitur. Quod nullo modo faciet improbus, quamuis multum ingenio, & industria, ualeat, & acumine inter omnes suos æquales excellat. Immo, quo magis elaborauerit, eo grauius impietatis scelus concipiet, & ita maiorem offensionem in se Diuini numinis excitabit. Non autem poterit homo statum suū impietate confirmare: at iustorum radix numquam de statu conuelli poterit. Iustos enim Deus opa sua præsentissima fulcit, impios autē inuecta calamitate peruertit. Vnde sequitur, sapientiā, probitate, & innocētia, stultitiā, improbitate, & maleficio, cōtineri. Vt aūt uir munere suo perfungi cū insigni gloria possit, est opus illi, ut uxorem habeat, quę non a studio uirtutis auocet, sed potius ita cū illo in uirtutis officio conspiret, ut nihil interueniat, quod tam præclarum opus impediat. Et hæc quidem erit inclyta uiri corona. Vt enim mulier, quæ illecebris suis uirum frangit, atque debilitat, & a cōtentione uirtutis absterret, uirum ignominia afficit; ita, quæ se uiro in uirtutis studio comitem egregiam præbet, uirum insigni gloria coronat. Non enim ferendum est, ut mulier uirum effeminet; sed illud potius postulandum, ut uir feminam uirtute uirili corroboret. Quod si secus euenerit, & mulier in uiro principatum occupauerit, malum erit insanabile. Vt enim putredo in ossibus abstergi non potest, ita sanitas mulieris, quę turpitudini seruit, & pudorem amisit, desperanda prorsus est.

Cogitationes iustorum, iudicia: & consilia impiorum, fraudulenta. Verba impiorum insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos. Verte impios, & non erunt: domus autem iustorum permanebit. Doctrina sua nosci tur uir: qui autem uanus & excors est, patebit contemptui. Melior est pauper & sufficiens sibi, quam gloriosus & indigens pane. Nouit iustus iumentorum suorum animas: uiscera autem impiorum crudelia. Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est.

In religione leges, atque iudicia, consistere, ita perspicuum est, ut probatione non indigeat. Qui enim Deum timet, iudicia illius pertimescit; & ita numquam malum proximo machinatur, at, qui Dei iudicia contemnit, animo semper fraudes uersat, nec umquam de benignitate, semper autem de cupiditate, cogitat. quod si uita alicuius commodis suis obstare uidebitur, illi insidias intendere minime dubitabit. Contra, uero iustus non modo sanguinē non petet, uerum omnem conatum eo comparabit, ut capitis periculum ab innocente propulset. Ne te fallat, inquit, splendor inanis hominis impuri. Vt enim illorum species illustris, & ampla, uideatur, imagoque illius omnibus summis ornamentis exculta; si eos inuerteris, & paullulum e loco commoueris, interibunt, omnisque illorum decor euanescet. At iustorum domicilia labefieri non poterunt, sed eodem semper statu permanebunt. Qui uero sunt casti, & integri, & pietatem colētes; qui rursus impuri, & a studio pietatis abhorrentes, uniuscuiusque oratio demonstrabit. pro ratione namque mentis intimæ, disciplina foras emanat. Itaque uir pius, cum ex animi thesauro promat opes sapientiæ, iure laudatur: at, qui peruersum animū gerit, cum sordes in apertum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum proferat, tandem contemnetur, & ignominia in signi maculabitur. Cum uero multa sint extremæ dementiæ signa, tum nullum esse potest magis deridendum, eo, quod in pudore laboris iusti, atque necessarij perspicitur urget inopia; fames instar; cibus labore paradus est; aut uita deserenda. Non possum, inquit, laborare. Cur ita tandem? Lautus, inquit, hucusque fuit: non est mihi rusticari concessum: mollis educatio, uita delicata, gentilitatis antiquissimæ cognomentum, uincula sunt, quibus manus impediuntur, quo minus uictum quæritent. Ergo in pauperie summa uersaberis. Malus enim pudor, ut inquit antiquissimus quidam poeta, homines in egestate summa constituit. Qui tam amentes sunt, ut, cum eos laborare pudeat, furari non erubescant. Hos damnat hoc in loco Salomon. Dicit enim, homin em obscu rum, qui sibi uictum labore suo parat, esse multo præstantiorem homine glorioso, qui inopia, atque fame, conflictatur. Insignem deinde notam apponit Sapiēs, qua hominem pium ab impio internoscamus. Pius, inquit, ita clemens est, ut iumentis suis benigne prospiciat; contra uero, impius adeo immanis est, ut ne domesticis quidem suis misericordiam tribuere sciat. Cum uero ita præcepta sua coniungat Sapiens, ut cum pietatis decretis industriæ decreta connectat, rursus docet, non inerti otio, sed iusto negotio, fructum sapientiæ contineri. Ait enim, eum, qui terram arat, & subigit, qui sementem opportuno tempore facit, eum esse, qui magnum frumenti numerum exarat; & non illum, qui, dum strenuus colonus laborat, somno, atque desidia, langueſcit; quem ait esse stultissimum. Fames enim illum acerrime conflictabit, atque postremo conficiet. Quod quidem præceptum non ad corporis tantum statum pabulo necessario sustentādum, sed multo etiam magis ad animi salutem, & incolumitatem, conseruandam referendum est. Nullum enim opus, laude dignum, sine assidua uigilantia, & labore, perficitur.

Desiderium impij monumentum est pessimorum: (*Hebræus sic, Desiderat impius uenationem malorum*) radix autem iustorum proficiet. Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugit autem iustus de angustia. De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, & iuxta opera manuum suarum retribuetur ei. Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia. Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam, callidus est. Qui quod nouit loquitur, iudex iustitiæ est: qui autē mentitur, testis est fraudulētus. Est qui promittit, & quasi gladio pungitur cōsciētię: (*hoc est, oratio temere prolata quasi quodam gladio uulnerat*) lingua autem sapientum sanitas est. Labium ueritatis firmum erit in perpetuum: qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacij. (*id est, Lingua mendax singulis momentis uariatur.*)

Quam uani sunt impiorum sensus, exponit, cum dicit, eorum cupiditates in malorum uenatione uersari. Interpres pro uenatione, & rete, Monumentum reddidit; ut exstructionem significaret, qua illi ceteris hominibus omnium malorum genera animo exstruunt. Nam pestem expetunt; perniciem captant; exitium consectantur; ita, ut ipsi sibi sint hostes acerrimi. At ex iustorum intimis cogitationibus uberrimi fructus oriuntur. Nec enim solum sibi salutares sunt; sed multis etiam alijs admodum benigne prospiciunt. Cum uero improbi multis modis se in uaris laqueos induant; tum nulla ratione frequentius, quam uerbis suis, alligantur. Nec enim tantum ualet impiorum calliditas; neque tam firma potest esse memoria; neque fides, impuris hominibus habita, tam constans est, ut non sæpissime fallatur improbitas, & suo ipsius testimonio conuincatur. At iusti, quamuis illis periculum ex impiorum maleuolentia creari contingat, ueritatis tamen luce, atque præsidio, liberantur. Vt autem impuri homines orationis impuræ pœnas meritas luunt; ita boni ex oratione beneuola, atque salutari, maximum fructum percipient; & præmio sempiterno cumulabuntur: stultitia porro est cum superbia copulata. Illa namque omnium summa stultitia est, quę, sapientiæ opinione nixa, omnia sibi de suo ingenio pollicetur. Itaque fit, ut, qui maxime omnium consilio indiget, consilium minime requirat. At sapiens numquam effertur, & insolescit; numquam aliorum sententiam spernit; numquam sibi tantum tribuit, ut alios minime consulendos arbitretur. Multis quidem modis se indicat stultitia. unus tamen est maxime insignis, qui cernitur in iracundiæ motu nimis repentino. In quo quidem multa simul peccata insunt. Vnum est, imbecillitas animi, qui minimo offensionis impetu de gradu deijcitur, & omni dignitate spoliatur. Alterum est, ipsius impotentiæ, quam occultare conueniebat, indicium. Armat enim contra se aduersarios, qui se nimis iratum, & grauiter offensum, ostendit. Postremo, se uictum, & abiectum, esse demonstrat: quod non est inuictæ uirtutis officium. At sapiens, cum insigni grauitate, & constantia, præditus sit, &, maximo animi robore communitus, leuitatem amentium hominum pro nihilo ducat, facillime eorum temeritatem despicit, atque contemnit. Quod si offensio est aliqua satisfactione compensanda, id prudenter dissimulat, ut in tempus magis opportunum reseruet. Qui, quod nouit, inquit Sapiens, loquitur, index iustitiæ est: hoc est, Qui ueritatem loquitur, iustitiam indicat. Recte. Sed, quid est, quod adiungit, Testis mendax est fraudulētus? An hoc non satis apertum est, falsum testem esse fraudulentum? An hoc, quod est ualde notum, nobis Sapiens, quasi

quasi ignotum, testificatur? Non prorsus. Sed hoc dicit, frustra falsum testem laborem in peierando suscipere. Ideo enim peierat, ut eum subleuet, cuius gratia testimonium falsum dicit. Quod quidem minime faciet. Immo illum longe grauioribus criminibus alligabit, & oppressum multo capitaliore iudicio continebit. Erit igitur testimonium fraudulentum, quia nullo modo præstabit, quod summa ope præstare nitebatur. Quantum autem mali, aut boni, ex oratione proueniat, ostendit, dum ait, oratione hominis uæsani altissimum uulnus imponi, & oratione sapientis hominis salutare remedium illatis uulneribus adhiberi. Quam quietus sit illius animus, qui ueritatem in ore semper habet, luculentissime demonstrat. Numquam enim uarius, & inconstans, est; numquam redargui potest; numquam comminiscitur, quo modo possit elabi, aut, quod est exploratum, frustra inficiendo subterfugere. Quod semel protulit, ad extremum conseruat; neque cogitur infirmare, quod asseruerat. At, qui mendax est, singulis horis, atque adeo momentis, orationem inuerrit, & uarie commutat. Ait deinde:

Dolus in corde cogitantium mala: qui autem paucis ineunt cōsilia, sequitur eos gaudium. Non contristabit iustum quidquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo. Abominatio est Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei. Homo versutus celat scientiam: & cor insipientium prouocat stultitiam. Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet. Mæror in corde viri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur. Qui negligit damnum propter amicum, iustus est: iter autem impiorum decipiet eos. Non inueniet fraudulentus lucrum: & substantia hominis erit auri pretium. In semita iustitiæ, vita: iter autem deuium ducit ad mortem.

Dolus est, inquit, in corde eorum, qui perniciem machinantur. ipsi namque sibi ipsis fraudem inferunt. Ideo enim moliuntur insidias, ut ex aliorum damno, ipsi uoluptates, & emolumenta, percipiant. Quod non illis, ut cogitauerant, procedit; immo, quo diutius mala meditantur, eo grauioribus molestiis anguntur, & longius absunt a fructu, quem sibi proponebant. At, qui non mala, sed bona, cogitant, & eo conatus comparant, ut pacem concilient, fructu iucundissimo potiuntur, & ex caritatis studio gaudia summa percipiunt. Non mediocris est hæc iustitiæ merces, quæ est perpetuo cum lætitiæ magnitudine coniuncta. Illa tamen, quæ sequitur, longe uberior est, quæ salutis, atque dignitatis, firmissimum præsidium continet. Nulla enim iniquitatis calumnia poterit ullo modo iustum hominem damnis afficere. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum. Sic autem fit, ut, quo magis in exitium hominis sancti perditi homines incitantur, eo clarius eorum nomen illustrent, & uirtutem corroborent, & opes amplificent. Contra uero, mali, quo magis de aliorum pernicie cogitant, eo grauioribus malis obruuntur. Sic autem fit, ut omnis improborum hominum cogitatio, omnis machinatio, omnis molitio, in mendacio, atque uanitate, uersetur. Neque enim solum aliis, sed sibi ipsi primum, mentiuntur, sibi fraudes struunt, sibi insidias parant, se ipsos decipiunt, opes inanes exquirunt, uoluptates futiles, atque fallaces, expetunt, honores uanissimos ambiunt, ut in inopia extrema uersentur, doloribus summis crucientur, omni dedecore cumulentur; & ita experiundo sine fructu sentiunt, se uitam omnem in mendacio consumpsisse, & ea de caussa esse se Deo uehementer exsecrandos. Cum enim Deus sit ueritas summa, atque sempiterna, mendacium detestatur, & omnes, qui ueritatem oderunt, debitis pœnis insequitur. Contra uero, omnes, qui ueritatem conseruant, summis beneficiis augget, & inuicto præsidio communit. Hic singulare discrimen inter sapientem, & stultum, apponit. Sapiens enim non omnia, quæ mente comprehensa continet, enuntiat. Tempus enim, & locus, & personarum condicio, &, quod caput est, caritatis necessitas, orationi illius moderatur. At stultus, quasi nihil aliud muneris habeat, quam, ut stultitiam suam omnibus proferat, quæ nouit, & ignorat, quæ sunt dicenda, & tacenda, quæ tempus minime flagitat, &, quæ maius offensionis, quam utilitatis, pondus habent, sine ullo delectu profundit. Sententia uero, quæ sequitur, est ualde illustris, & ampla: latissime namque patet. Dignitatis enim amplitudo, nominis claritas, imperium latissimum, uirtutis egregiæ monumentum, & omnia denique, quæ homines e tenebris eductos immortali memoriæ commendant, ex animi maximi uiribus oriuntur. At animi maximi, otium pati nequeunt; opera ingentia moliuntur; ad immortalitatem nominis aspirant. Quod si falsæ opiniones non homines in errorem impulissent; &, qui gloriæ nimis appetentes sunt, non pro dominatione, sed pro iustitię defensione, dimicatione suscepissent; imperio certe digni fuissent. Homines enim iusti, animoque maximo præditi, ad imperium nati sunt; quemadmodum molles, & eneruati, omniaque pericula fugientes, ad seruitutem. Hic ad uitam suauissime degendam singulare præceptum adiungitur. Quod nam tandem illud est? Vt tristes curas ex animo dimoueamus, & mærorē, quoad fieri poterit, expellamus, & cogitationibus iucundissimis oblectemur. Mæror, inquit, deijcit animum: quemadmodum iucunda bonorum recordatio, eundem erigit, atque confirmat. Quod si iustitiam fuerimus tota mente complexi, multo plura nobis occurrent, quæ lætitiæ, quam quæ mœstitiæ, causſam nobis afferant. Quæ enim ad lætitiam ualent, eripi nobis non possunt; quæ

uero

Universidad de Deusto
Biblioteca

uero ad mestitiam bonorum compensatione leniuntur, & temporis breuitate contemnuntur, & spe amplissimi premij iucundissima interdum fiunt. Qui negligit damnum propter amicum, iustus est. Hanc orationem sic interpretamur: Præstantior erit iustus proximo suo. iustum enim ab officio nulla malorum acerbitas poterit seuocare. Quare in uniuersum, qui iustitiam colit, semper omnes notos suos, quamuis multo magis florentes, atque beati, uideantur, opibus, & dignitate, uincit. Longe secus, inquis, opinantur. Verum. Sed, quid refert? Ipsi namque se decipiunt: iniustitiæ uia, in quam se dederunt, eos ita deludit, ut, quo magis ad uitam beatam omnibus modis enituntur, eo magis in miseriam irruant. Numquam enim fraudulentus homo, ut inquit Hebræus, uenationis suæ alas adurer; idest, ut sapienter noster Latinus interpretatur, numquam ullum solidum fructú ex sua calliditate feret; ut ex ea iucundi tatem ullam percipiat. Spes euanescit; tranquillitas remouetur; fructus inaniter effluunt; omnia improbis exstinguntur; ita, ut, cum frui commodis uolunt, eluси, turpissime relinquantur. At uero, opes iustorum, sunt firmæ, & stabiles, & nullis umquam sæculis interituræ. Eorum enim aurum non a furibus auertitur, nõ ab hostibus diripitur, non uetustate ulla consumitur. Vt autem omnia in summam conferantur, in iustitia est uia uitæ. cum Vitam dicimus, omnes simul opes, & facultates, & honores, quæ uere uiuendi rationem consequuntur, intelligimus. at contra, cum, a uia iustitiæ secluси, iter deuium iniuriæ, & iniquitatis, ingredimur, in mortem impetu cæco properamus.

CAP. XIII.

Filius sapiẽs, doctrina patris: qui autẽ illusor est, non audit cum arguitur: De fructu oris sui homo satiabitur bonis: anima autẽ præuaricatorum iniqua. Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Vult & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur. Verbum mendax iustus detestabitur: impius autem confundit & confundetur. Iustitia custodit innocentis viam: impietas autem peccatorem supplantat.

Sapiens filius est, qui patrem audit, & disciplina illius informatur; qui autem patris monita contemnit, eaque deliramenta putat, est insanissimus, ita, ut sit illius salus desperanda. Duplici ratione poterit aliquis in Rep. principem locum obtinere, aut eloquentia, aut uiolentia. Eloquentia, est iustitiæ magistra, libertatis custos, legum uindex, Reip. patrona, amoris conciliatrix, ciuitatis laborantis medicina, florẽtis autem decus, & ornamentum. Violentia, porro, est furor immanis, libertatis euersio, legum interitus, Reip. totius exitium, crudelitatis officina, ciuitatis uniuersæ pestis, & patriæ totius, cum extremo dedecore, ruina. Qui igitur eloquẽtia nititur, fructum oris sui comedet. Legitimum enim imperium, cum Reip. totius amore, administrabit. At, qui leges, & institutа, transgreditur, uiolentiam cibum suum existimat. Sic enim inquit Hebræus: De fructu oris sui comedet bonum, & anima præuaricatorum uiolentiam. Summam enim principatus rationem in uiolentia, & immanitate, constituit, & tyrannus truculentus efficitur. Flagrabit igitur odio, & in perpetuo metu, & cruciatus angore, uersabitur. Ait deinde, cum, qui os suum custodit; uitam custodire. Multa enim ex ore hominis parum considerati prodeunt, quæ possunt illi necem afferre. Incenditur ira, concitatur odium, erũpit inuidia, offensiones graues oriuntur, quæ uel exitium inferunt, uel saltem assiduæ mortis formidine perterrent. Quantum autem flagitium sit pigritia, exponit, cum illius imbecillitatem in adspectu constituit. Vult, & non uult piger. Vult quidem, quia res magnas, & magno opere expetendas, desiderat. Non uult, quia, cum sit animo pusillo, & angusto, præditus, & laborẽ extimescit, & successum omnino desperat. Spes enim, est animi magni comes; desperatio autem, animi demissi, & abiecti, desidiam consequitur. Iccirco fit, ut pigri angantur; uigilantes autem, & industrij, opibus abundent. Ait deinde, esse iustis cum mendacio odium semper insitum; & ideo fieri, ut numquam iusti conuicti erubescant; sed inuiolatam dignitatem pura, & integra, mente retineant. At impij, cum, mendacio subnixi, semper ambulent, & dedecus suis frequenter inuehsit, & ipsi sæpissime dedecore summo deformantur. Quam uero autem fungantur officio suo homines, qui iustitiam colunt, uerbis explicari uix potest. Ipsa namque iustitia gressum dirigit, præsidia confirmat, pericula repellit; & facit denique, ut uita hominis integri numquã Dei ope præsentissima nudata sit. Quod nullo modo continget impio. Quamuis enim sit ingenio uafer, & insigni calliditate præditus, numquam poterit ita uestigium imprimere, ut non concidat; numquam cursum tenere, ut non longissime ab eo, quo tendit, abducatur. Impietas enim illum, quasi tempestas quædam, arripit, ut ad peccati cæcos scopulos allidat.

Est quasi diues, cum nihil habeat: & est quasi pauper, cum in multis diuitiis sit. Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ: qui autem pauper est, increpationem non sustinet. Lux iustorum lætificat: lucerna autem impiorum exstinguetur. Inter superbos semper iurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. Substantia festinata minuetur: quę autem paullatim colligitur manu, multiplicabitur: Spes quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ desiderium veniens.

Cum

Cum diuitiæ non sint in structis pecuniæ acernis, sed in animo moderato, opibusque uerissimis expleto, constitutæ; sit, ut multi, in magnis opibus, semper indigeant; & non pauci, tenui uictu, cum singulari animi æquitate, contenti, semper abundent. Non enim opes immanes, sed exaggeratæ uirtutes, diuitem efficiunt. Si enim diues est qui nulla re indiget, cum nullæ diuitiæ possint indomitã, & infinitam, cupiditatem eorum, qui pecuniæ studeant, explere; &, qui uirtutibus exculti sunt, ita sint ueris opibus affluentes, ut nihil præterea requirant; constat certe, eos, quibus satis est, quidquid ad uitæ necessitatem possident, & in studio uerissimæ uirtutis, cũ egregie dignitatis fructu, uehementer elaborãt, opulentissimos esse; cum interim illi, qui omnem uitam in augenda, & accumulanda, pecunia, cũ sollicitudine, & angore, consumunt, in mendicitate uersentur. Est enim eorum cupiditas insatiabilis, ita, ut semper egeãt. Recte igitur a uiris sapientissimis dictum est, Opulentiam nõ pecunię amplificatione, sed cupiditatis moderatione, atq. adeo interitu, contineri. Iccirco fit, ut multi, qui diuites esse uidentur, egentissimi sint; contra uero, non pauci, cum nihil habeant, ola possideant. Quid deinde sequitur? Vt, qui uere diuites sunt, uitam suam diuitiarum magnitudine facillime conseruent, & ab omni periculo redimantur. Disciplinam enim accipiunt, lege salutari uitam instituunt, & sapientum monitis obsequuntur. Contra uero, pauperes, hoc est, qui, fallacissimis opibus inflati, temere ruunt, & nimis insolenter efferuntur, uitam redimere nequeunt: increpationem enim non audiunt; immo salutarem disciplinam immani odio persequuntur. Lux iustorum, inquit, lætitiam affert. Est enim uera, atque sempiterna. Tenebras omnes dispellit, mœroris caussam exterminat, oẽm metum abstergit, spem salutis confirmat, opes immortales proponit, & a uia sempiternæ calamitatis abducit. Hęc enim lux est, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Nemo enim est, qui possit luce aliqua, collustrari, nisi Dei filius (per quem omnia, quę cernimus oculis, & mente complecti mur, designata, constituta, & conseruata sunt; & cuius numine, & beneficio, coherent, & permanent) illius animũ splendoris sui radijs illustrauerit. At, qui aliam lucem inani studio cõsectantur, nempe, qui rationem suam sententię Diuinæ præferunt, humanamq. prudentiam cælestibus disciplinis anteponunt, tenebris oppressi, permanebunt. Eorum namq. consilia irrita fient; & ita, quo maiora sibi ex malitia, & calliditate pollicebantur, eo grauiore supplicio cruciabũtur. Cum uero hoc potissimum signo distinguantur ij, qui uerissimo splendore collucent, ab ijs, qui fallacissima luce nituntur; quod ij, quibus Diuina lux exoritur, sint mites, atque mansueti, &, in uerissimis opibus, summis humilitatis, & moderationis, laudibus antecellant; contra uero, qui a uera luce deseruntur, sint superbi, & insolentes, effrenataq. mente prediti; docet Sapiẽs, quid utriusq. statum in uita consequatur. Superbos enim, inquit; nihil aliud, quam iurgia, & contentiones, assidue meditari. Itaque ira, odio, temeritate, ducuntur, offensiones excitant, hominibus odiosi sunt, in Deum scelera infinita concipiunt: iccirco necesse est, ut nihil illis ex animi sententia contingat, sed omnibus simul ruinis opprimãtur. At uero, qui humiles sunt, cum nihil eorum animos perturbet, aut sanitate mentis spolier, consilio gubernantur, & sapiẽtiæ uerissimæ significationem dant. Inquit deinde, opes male partas dilabi; industria uero comparatas, permanere, & amplificari. Substantia, ut interpres reddidit, festinata minuetur. Quod enim maleficio quæritur, iudicio Diuinæ seueritatis amittitur; quod autem labore, & diligentia, paratur, Dei beneficio diutissime retinetur. Tum ait, spem dilatam esse molestissimam. Omnis enim uita exspectatione pendet, & labores, spe condicionis felicioris, leniuntur. Non enim possumus omnibus bonis, quæ expetenda iudicamus, repente potiri. Interim eo solatio utimur, quod spes afferre solet; fututum nempe, ut aliquando ijs, quæ uehementer appetimus, cum insigni iucunditate, perfruamur. Itaque, quibusdam inanibus animi motibus elati, gaudia percipimus, &, uana uoluptate, quasi somniorum uisis, illusi, perfundimur; ita tamen, ut, quo uehementior cupiditas est, & maioribus motibus mentem exagitat, eo, cum fructus differtur, maioribus curis, & angoribus, animum afflictet. quid, cum id, ad cuius spem erigebamur, aduenerit? Lignum, inquit, uitæ est, ita, ut immortalitatem nobis afferat. Sed, quorsum hæc sententia pertineat, opus est, ut uideamus. Spes dilata cruciat animum. Quid igitur dicendum de spe fallacissima, qua homines in uita de opibus humanis sibi munera ingentia pollicentur? Nã, si dilatio solidi etiam fructus excruciat, quantum cruciatum mendacium spei ipsius, qua nitebamur, importabit? Accedit deinde summum dedecus, cum temeritas nostra, euentu deluса, conuincitur; cum perspicitur, nos, relicto uerissimæ spei fructu, fallacissima spe totius uanitatis, atque mendacij, nixos fuisse. Reliquum igitur est, ut, cum certissime constet, eos, qui spem in humanis opibus collocant, spem in uanitate reponere, hanc tam insignem uanitatem detestemur, & omne uitę præsidium in Diuini uerbi constantia firmissime cõstitutum habeamus. Nam spes hęc neminem fallit. Nec enim est Deus, ut homo, ut mentiatur; nec, ut filius hominis, ut mutetur. Omnis igitur, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Fructus igitur spei, erit ipse Dei filius, qui Vitæ lignum in sanctis Litteris appellatur. Itaque fructus illius uitam eorum, qui se totos cum ardentissima fide ad nomen illius adiunxerunt, cum uoluptate sempiterna, cum opibus Diuinis, cum amplissima dignitate, in omni sæculorum æternitate, propagabit.

Ioan. 1.

Num. 23. Ioel. 2.

Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat: qui autẽ timet præceptum, in pace uersabitur. Lex sapientis fons

Universidad de Deusto
Biblioteca

uitæ, ut declinet a ruina mortis. Doctrina bona dabit gratiam: in itinere contemptorum uorago. Astutus omnia agit cum consilio: qui autem fatuus est, aperit stultitiam. Nuntius impij cadit in malum: Legatus autem fidelis, sanitas. Egestas & ignominia ei qui deserit disciplinam: qui autem acquiescit arguēti, glorificabitur. Desideriū si cōpleatur, delectat animam: detestantur stulti eos qui fugiunt mala.

בן לרבר יחבל לו His uerbis duæ subiiciuntur sententiæ. nam is, qui, superbia elatus, alios despicit, & , ut interpres Latine reddidit, in aliorum res gestas, atque uitam, maledicta coniicit, est non mediocri scelere adstrictus; cuius quidem pœnas luet, quia Deus superbos, & maledicos, odio habet, quos impositis supplicijs excidet; ille etiam struit sibi calamitatem, qui Dei iussa parum uipendit: sic enim Hebræum uerterem, Qui uerbum cōtemnit, sibi malum importabit. Verbum autem Cōtemnere est, Dei legem effrenata mente perfringere: quod scelus nō erit impunitū. Sibi igitur perniciem molitur, qui Diuinis sanctionibus non obtemperat. Contra uero, qui Dei numen ueretur, & ad legis normam uitam dirigit, præmium sempiternum percipiet. Lex enim sapientis est in obedientia constituta, qua quidem sese cum uitæ fonte coniungit, & a laqueis mortis procul abscedit. Potissimū tamen legis præceptum est in benignitate constitutum: quam doctrinam bonam interpres appellauit: & iccirco, qui benignus, & misericors, est, gratiam Diuinā acquiret. Contra uero, qui asper, & immitis est, multoque magis ad crudelitatem implicatus, quam ad mansuetudinē propensus, demonstrat, se a legis Diuinę studio remotissimum. Sic igitur fiet, ut nullo modo Dei gratiam consequatur, sed in iram illius incidat. Astutum inquit, Deinde numquam temeritate duci, aut repentino motu turbide cōcitari, sed omnia consilio gerere, at hominem temerarium, & insanum, præcipiti animi commotione, & impetu nimis inconsiderato, insitum furorē indicare. Ruit enim, & tenebris oppletus, omnia turbat, atque tandem sibi exitium molitur. Legatus impius corruet in malum. legatus impius est, qui mendax est, & mittentis sententiam inuertit, ut, pro pace, seditionem cōcitet, ex qua omnia mala ad Reip. perniciem erumpunt. Dabit igitur perfidiæ pœnas; & malum, quod multis mortalibus intulit, sempiterno supplicio luet. At, qui sūma fide, & religione, officio suo perfungitur, salutem cōferet, & ita præmium dignum uirtute sua cōsequetur. Hic tamē eo sententia pertinere uidetur, ut falsos Apostolos a ueris discriminet. Qui enim se Christi legatos esse profitentur, & Euangelium ementiuntur, fallacissimamque doctrinam, nomine religionis inuolutam, imperitis inculcant, cum perniciem multis mortalibus inferant, ipsi tandem corruent, ut tanti sceleris pœnas exsoluant. quod nō cueniet iis, qui pure legationē suam obeunt. Non enim pernicie, sed salutem, hominibus importabunt; & ita præmio Diuini splendoris, & gloriæ, æuo sempiterno, perfruentur. Docet consequenter Sapiens, omnem salutem, & dignitatē, in doctrina salutari consistere; ut intelligamus, quam sapienter uitæ suæ consulunt, qui Diuinis legatis obtemperant, illorumq. disciplinis omnes actiones suas moderantur. Qui enim sanctorū monita despiciunt, necesse est, ut egētissimi sint, & præterea insigni dedecore cumulentur. Egentissimi quidē, quia omnibus ueris opibus erūt in omni uita destituti, & fallacibus expleri nullo modo poterūt; dedecore uero insigni maculati, quia summā turpitudinē, qua sunt fœdissime deformati, ab hominū conspectu remouere non poterunt, & eadem turpitudine sanctos angelos a præsidio suo longissime repellent. Contra uero, qui Diuinorū Principum sanctionibus acquiescūt, in gloria sempiterna uigebunt. Nam Diuinis opibus affluent, & honoris summi ornamentis, in omni æternitate, redundabunt. Cum desideriū expletur, uoluptas summa percipitur. Recte. Sed, qui sunt illi, qui uoti compotes esse possunt? Qui iustitiæ studeant, qui pietatē colūt, qui præsidio cælestis numinis innituntur. Qui uero ita sunt flagitiis addicti, ut in malorum detestatione summam miseriam esse statuant, & iccirco eos, qui a flagitiis discedunt, exsecrantur, & homines esse non iudicant; cum ope Diuina nudati sint, nulla ratione possunt, quod expetunt, adipisci. Sic igitur necesse erit, ut assiduis curis, atque molestijs, intabescant.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficietur. Peccatores persequitur malum: & iustis retribuētur bona. (*Hebræus sic: Malum sontes insequitur, bonum uero iustos remunerat.*) Bonus relinquit heredes filios & nepotes: & custoditur iusto substantia peccatoris. Multi cibi in noualibus patrum: & alijs congregantur absque iudicio. Qui parcit uirgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit. Iustus comedit, & replet animam suam: uenter autem impiorum insaturabilis.

Familiaritas, & consuetudo, tantam uim habet, ut cuiusq. naturam facillime cōmuter. Quilibet enim mores illius, ad cuius se studium adiungit, primū approbat, deinde imitari conatur, postremo se totum ad similitudinē proximi, quem plurimi facit, diligenter effingit. Sic autem, qui cum sapientibus societatem coit, sapientiæ laudibus ornabitur. Similiter, q cū stultis uiuit, stultitię infamia flagrabit. Itaque, cū natura humana solitaria esse nequeat, cum ad societatem maxime apta, atque nata sit; magnę cōsultationis est, eligere, quos tibi socios adsciscas, quorum te imitatione cōformes, cū quibus amicitiæ fœdus percutias. Ineo enim uita, dignitas, & fama, uertitur. Ex improborū enim societate, uitę periculū multis modis intēditur, dignitatis lumē exstinguitur, nomē infamię maculis afficitur: quę quidē nullo modo,

modo nisi acerrima conuersione, atque diuturnissima commentatione uersissima uirtutis, eluuntur. Contra uero bonorum conuictu, uitæ firmum præsidium, & dignitatis splendor, & gloria, comparatur. In quo uero? Sapiens ait, malum sontes insequi, bonum uero, iustos remunerar; & extremæ miseriæ auctorem, & summæ beatitudinis effectorem, indicat. Quid autem esse potest longe miserrimum, nisi id, quod a Deo, qui est beatissimus, & totius felicitatis architectus, longissime dissidet? Diabolus certe, qui pestilentissima rebellione sese a bonorum omnium fonte distraxit. Cum uero a Dei imperio deficimus, illiusque iura scelere infando conculcamus, hostem Diuini numinis sempiternum, ut ducem, & imperatorem, sequimur, Tyrannicisque illius legibus alligamur. Cum uero illius tyrannidem exsecramur, & ad Dei sanctissimum nomen adiungimur, Dei imperium accipimus, & sub illius signo militamus: Cum autem Tyrannus impotunus in miseria summa, atque sempiterna, uersetur, nihil potest suis, præter miseriæ societatem, & dirissimas tenebras, elargiri. Contra uero, summus ille Dominus, mali totius expers, & bonorum omnium parens, nullo modo potest malum suis afferre, sed omnes, qui ad illum suppliciter adeunt, bonis omnibus cumulare. Hoc est autem, quod in hoc loco Sapiens dicit. Malum hoc est, infestissimum dæmonem, miseriæ totius architectum, omnes, qui se ad imperium illius adiungunt, omnibus malis afficere; bonum uero hoc est, Deum omnibus, qui Diuinis iussis obtemperant, omnium bonorum præmia constituere. Quis est igitur miser? Ille certe, qui principi miseriæ totius obsequitur? Quis beatus? Ille profecto, qui ad uoluntatem beatissimi illius parentis omnes uitæ actiones administrat. Pater enim optimus, clementia sua, & iustos, & iustorum filios, atque nepotes, amplectitur, eorumque patrimonium adauctum, & amplificatum, præsidio sempiterno confirmat; atque tandem efficit, ut opes, quas sibi homines iniusti proponebant, ad iustorum fructum, & utilitatem, referantur. Boni namque, mundi totius hereditatem cernent; & omnes impiorum conatus, in piorum hominum utilitatem, & gloriam, redundabunt. Sed dixisset fortasse aliquis, quotidiana uitæ communis exempla longe secus testificari. Cernimus enim, multos, qui Satanæ nomina dederunt, diuitijs affluere; illos autem, qui fraudibus uti noluerunt, iustitiæque studium omnibus uitæ commodis antetulerunt, inopia cruciari. Non est ita, inquit Sapiens. Sed multi cibi in noualibus patrum, ut interpres uertit, uel, ut eriā uerba Hebræa significant, in nouali pauperū. Nō enim in horreis ingenti numero frumenti refertis saturitas inest, sed in animo moderato summisq. uirtutibus exculto, quem Patrum nomine interpres significat. Nam, cum uirtus se ipsa contenta sit, in uitæ emolumentis parandis, modum cupiditati præfinit, ita, ut nihil ultra, quam familiæ necessitas flagitat, expetendum arbitretur. At, qui uirtutis opibus caret, cum in inopia summa uersetur, nullis opibus externis expleri ullo modo potest. Tanta enim est animi humani capacitas, ut, quamuis omnes humanæ diuitiæ in unam domum congerantur, satiari non queat. Sola namque uirtus, cum a Diuinitatis fonte hausta, atque delibata sit, animum locupletat, atque stabili uoluptate perfundit. Sic autem fit, ut iusti satiari facillime possint, in iusti autem semper esuriant.

CAP. XIV.

Sapiens mulier ędificat domum suam: insipiens exstructam quoque manibus destruet. Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo qui infami graditur uia. In ore stulti uirga superbiæ: labia autem sapientum custodiunt eos. Vbi non sunt boues, præsepe uacuum est: ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis. Testis fidelis non mentietur: profert autem mendacium dolosus testis.

Vtuir sit nauus, & industrius, & rem foris bene gerat, omnes labores illius erunt irriti, atque prorsus inanes, nisi domi uxor diligentia, fide, atque parsimonia, officio suo perfuncta fuerit. Si enim opes a uiro quæsitas mulier per socordiam imminui, atque dissipari, permiserit; si magis de uenustate, & elegantia, quam de rei familiaris custodia uigilanti, cogitauerit; si faciem multis medicamentis infecerit, &, quæ uir summis laboribus quæsierat, per luxuriam effuderit; quæ diuitiæ tam ingentes esse poterunt, quæ non intra breuissimum spatium temporis absumantur? Qui igitur rem suam stabilire cupit, non tam bene dotatam mulierem, quam sapientem, in matrimonium ducat. Dotata enim, si iners, & ignaua, aut petulans, atque lasciua, fuerit, omnes opes, quas secum tulit, & quas a marito partas offendit, euertet. At mulier sapiens, diligentia, & sedulitate, & egregia fide, non magnum patrimonium magnis accessionibus amplificat. Mulierem uero sapientiam non multæ litteræ, sed multæ puri amoris, & meditationis. & castimoniæ, laudes, efficiunt. Apponit deinde Sapiens signum, quo intelligamus, qui sint illi, qui Deum metuunt. & qui illius numen despiciunt. Qui recte, inquit, ambulat, hoc est, qui iusticiam colit, qui ius humanæ societatis non uiolat, qui legem Diuinam seruat, Deum metuit; qui uero rectam iustitiæ uiam deserit, & iura omnia conculcat, Dei iudicia contemnit. Qualis igitur est cuiusque uita, talem de illius religione suspicionem recipimus. In ore, inquit, stulti inesse superbiæ uirgam. Hoc in loco per Virgam non est intelligendum insigne regium, neque pœnæ illius instrumentum. Neque enim est apud Hebræos, מטה, quod utrumque significat; sed חטר. Est autem pie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rumque חשד non Virga ex arbore præcisa, sed insita, enm spe fructus ex illa proferendi. Talis autem fructus exspectatur, qualis est ipsius surculi natura. At stultitia, superbiæ fructum effundere solet. Quid enim stultius esse potest, quã, hominem imbecillitatis humanæ minime recordari? quam, uitæ brevitatem non in memoriam redigere? quam, casus humanos, tam multiplices, tam uarios, tam repentinos, non metuere? quam, mortem denique, quæ semper instat, non cogitatione percipere? In tantis igitur miserijs, quantis est uita communis exposita, insolenter extolli, non solum est extremæ dementiæ, atque temeritatis, argumentum; sed etiam summæ impietatis indicium. Superbus enim Dei beneficia ad laudem suam revocat, & ita opibus insolescit, quasi ipse sibi omnia, quę possideat, insita uirtute comparasset. Itaque os stulti, hoc est orationis temeritas, alit superbiam, nutrit insolentiam, germinat arrogantiam, atque fructum impietatis ex se perpetuo fundit; & ita iram in se Diuinam concitat. Deus enim est superbis, quasi perennibus sui nominis hostibus, infensus, illosque acerrimo iudicio peruertit. Oratio igitur stulti stulto perniciem infert. at oratio sapientum eorum salutem tuetur. Nõ enim furenter extolluntur; non inaniter efferuntur; non gloriam Diuinę benignitatis usurpant; non denique ex ore illorum uerbum aut petulans, aut pernicioſum, umquam progreditur. Vbi, inquit, non sunt boues, præsepe uacuum est. Docet hac sententia Sapiens, in omni officio multis ministris opus esse, si uelimus munere nobis commisso cum laude perfungi. Vt enim, si multi boues terram minime proscindant, & arent, & subigant, tellus fruges multas efferre haud quaquam poterit, ita neque principes, si non multos ministros ad societatem sui muneris adsciuerint, nõ poterunt ullo modo suorum saluti prospicere. Nec enim imperator umquã solus, aut cum paucis, ex hostibus uictoriam reportabit; neque Rex paucorum consilio Remp. recte gubernabit, nec ministrorum paucorum uigilantia subditos in officio continebit. Contra uero, inquit, ubi plurimæ segetes, ibi manifesta est bouis fortitudo. Vt enim inopia Reip. est indicium uel ignauiæ, uel auaritiæ, principis illius, qui multis ministris uti noluit, ita opes publicæ, atque florens ciuitatis status, indicat, non paucos publicæ salutis, & incolumitatis, ministros fuisse, ad publica munera debitis industriæ præmijs euocatos. Quod autem sequitur, apparet prudentia cuiusuis hominis mediocris indignum. Ait enim Sapiens, Testem fidelem non mentiri, fallacem uero mendacia exhalare. Quid hoc est? Quis dubitat, testem fidelem non mentiri, aut fallacem mendacia proferre? Vix fore uidetur, ut ineptiarum suspicionem uitet, qui similem sententiã protulerit. Verum, qui diligenter in mentem Salomonis inspexerit, non minus illius sapientiam hoc in loco, quam in aliis, admirabitur. Præceptum enim antecedens ad Principum disciplinam pertinet: quos admonet, ut intelligant, multis ministris, atque sociis, & adiutoribus, opus esse ad Regium munus laudabiliter administrandum. Hoc autem præcepto, quod continuo sequitur, admonet, non esse sine delectu, & examine, quemquam in Regis consilium adhibendum. Primam uero laudem, in eo, qui Regi operam egregiam nauaturus est, Fidem intelligit. Qui enim mendax est, fraudes, & insidias, perpetuo machinatur; numquam simpliciter, & pure, loquitur; omnes suas cogitationes ad insitam cupiditatem refert. Et, cum maxime erga Principes fidẽ, & Reip. caritatem, simulat, tum uel maxime ingenium ad calliditatem, & malitiam, uersat. Est igitur, tamquam hostis intestinus, maiori industria a Regum latere repellẽdus, quam hostes externi a finibus patriæ reprimendi. Ab hostibus enim externis ut nobis caueamus, uiribus ostensis admonemur: hostes uero domestici prius omnia peruertunt, quam fraus pestifera possit animaduerti. Sed dicet fortasse aliquis, omnes mortales esse morbis infinitis obnoxios. Quocirca multos esse in Principum familiaritate tolerandos, quamuis sint aliquot flagitijs affines. Aliter enim nemo erit, qui possit ad principum familiaritatem introduci. Verum. Sed aliqua uitia, neque sunt ita pestifera, & præterea sanari ratione, & disciplina, possunt. At mentiendi, & fallendi, consuetudo, est malũ ęgre sanabile, quod numquam fuit ullo remedio, atq; medicina, depulsum: & alia quidem mala paucis nocent, hoc autem uniuersam Remp. funditus perdit. Hoc igitur ut admoneat Salomõ, ait, fore, ut, perinde, atq. homo uerax non mentitur, ita futurum, ut testis fallax perpetuo mentiatur. Est enim mentiendi libido in natura illius penitus insita. Hoc cum fuerit firmissime constitutum, quamuis homo uafer, & astutus, ad Principem accedat, summam dicendi rationem afferat, opes orationis mirabiles adhibeat, sese ad pedes abijciat, egregiamq. probitatem simulet: numquam Princeps sapiens illi, quem scit esse mendacem, fidem adiunget. Qui enim mẽdax est, numquam de more decedet, sed eandem peruersitatem perpetuo retinebit. Sensus igitur hic est: Vt præsepe uacuum est, ubi boues non sunt, sic Reip. princeps tenues opes habebit, si non sibi multos adiutores, atque ministros, adsciuerit. Cauendum tamen est illi, ne inter eos, quos in societatem muneris aduocauerit, aliquis sit, qui periurio numen sanctissimum uiolauisset. Qui enim peierat, mendacia semper eructat.

Quærit derisor sapientiam, & nõ inuenit: doctrina prudentiũ facilis. Vade contra uirũ stultum, & nescit labia prudẽtiæ. *(hoc est, Remoue te a facie stulti, qui non nouit labia scientiæ.)* Sapiẽtia callidi est intelligere uiã suam: & imprudentia stultorum errans. *(hoc est, Stultitia autem stultorum est dolus.)* Stultus illudet peccatum, & inter iustos morabitur gratia. Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, & in gaudio eius non miscebitur extraneus. Domus impiorum

piorum delebitur, tabernacula iustorum germinabunt?

Derisorum genus est detestabile, & odiosum, superbum, & arrogans, & in summa dicacitatis, & calliditatis, opinione dementissimum; oculos uarie flectit; labia huc & illuc contorquet; risus captat; gestus agit, conuicia iactat; ingenium assumit, & acuminis egregij laude gloriatur. Et tamen, quo sibi acutior esse uidetur, eo magis stultitia illius eminet. Quamuis enim se ad disciplinarum studia conferre uelit, nihil tamen progreditur. Est enim illi falsæ urbanitatis opinio impedimento, quo minus in disciplina proficiat. Omnia siquidem, quæ traduntur, prę mente sua, ut inanitatis plena, contemnit. At, qui intelligens est, hoc est autem, qui modum seruat, qui superbiam exsecratur, qui magistris operam dat, qui denique est ad uirtutem docilis, facillime ad sapientiam peruenit. Tu igitur, inquit Sapiens, a stultis te remoue, qui, uanissimis opinionibus inflati, aures præbere noluerunt illis, quorum disciplinis instrui ad sapientiam potuissent. Qui enim sapientiam oderunt, flagitia consectantur, & periculosi, & infesti, sunt omnibus, qui se ad illos adiungunt. Et, quo magis leues homines sibi sapientiam arrogant, eo magis capitales habendi sunt. At uide, inquit, quid inter sapientem, & stultum, qui se sapientem existimat, intersit. Sapiens enim in eo summam operam, & studium, ponit, ut se ipsum scrutetur, & inspiciat. Sic enim clarissime cernet, quid sibi sit commune cum belluis, quid a Diuina mente delibatum, ut alteram sui partem rationis imperio comprimat, alteram muneribus Diuinis exornandã curet. At stultus, dum sapiens in hoc tam præclaro studio occupatus est, toto pectore in insidias comparandas incumbit. Summa namque sapiẽtia, ad quam stultus adspirat, est fraudis pestiferæ machinatio. Illum enim, qui summo studio struere fraudem, & hominem insidiis circumuẽnire, nouit, admiratur; &, ad illius sapientiam nihil accedere posse, credit. At uide, qua in re stulti dolus plerumque, sine solido tamen fructu, uersetur. Naturæ quidem uis cogit omnes homines, quamuis sint impurissimi, & sceleſtissimi, opinionem iustitiæ, atque uirtutis, aucupari. Itaque boni, insitæ probitatis fama gaudent; mali uero, ut eam fraudibus assequantur, elaborant. Iccirco dicit Sapiens, stultos, hoc est improbos, crimen eludere. Subterfugere namque, uel dicendi artificio, uel falso testimonio, scelerum, & flagitiorum, infamiam conantur; cum iustos interim nulla uexet huiusmodi sollicitudo. Diuina namque gratia suffulti, uirtutis uerissimæ fructum colligunt; & iccirco gloria solida perfruuntur. At insipientes, cum uirtutem simulare diu nequeant, assidua cura, & sollicitudine, conficiuntur. Quid igitur? Sapiens dolorem nullum sentiet? Numquam curis ullis afflictabitur? Nulla umquam res illum sollicitabit? Sollicitabit certe. Flagitiorum namque, quæ in se admiserat, recordatio, illum uehementer anget; & præterea uehementer erit sollicitus, ne rursus in Dei offensionem aliquo modo prolabatur. Attamen, cum doloris sui acerbitatem senciat, medicinam assequetur; & ita, loco mœroris, uoluptatem insignem percipiet, quam nulla externa ægritudo contaminabit. Quid enim iucundius esse poterit homini, Diuina benignitate e flagitiorũ tenebris emerso, quam Diuinam repẽte lucem respicere, & opibus sempiternis affluere? At impij, falsa uoluptate deleniti, uoris cruciatibus torquebuntur; atque tandem funditus interibunt. Opes enim eorum euertẽtur, memoria conticescet, mors tandem omnia populabitur, ita, ut nihil florenti statui reliquum fiat, præter diris simæ uastitatis exemplum. Contra uero, domus iustorum germinabit. Numquam enim mors in illos inuadet; qui sub præsidio numinis Diuini perpetuo delitescunt. immo, cum imperitis morte deleti uidebuntur, tum uel maxime in sempiterna gloria uigebunt; exemploque suo sobolem florentissimam ad hereditatis sempiternæ patrimonium propagabunt.

Est uia quæ uidetur homini iusta: nouissima autem eius deducunt ad mortem. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Viis suis replebitur stultus, & super eum erit uir bonus. Innocens *(hoc est simplex)* credit omni uerbo: stultus considerat gressus suos. Sapiens timet, & declinat a malo: stultus transilit, & confidit. Impatiens operabitur stultitiam: & uir uersutus odiosus est. Possidebunt paruuli stultitiam, & exspectabunt astuti scientiam. Iacebunt mali ante bonos: & impij ante portas iustorũ.

Nemo est in uita, qui uelit, a bene beateque uiuendi uia deduci. Sed insita in natura cupiditas, atque libido, & corrupti mores, institutaque uitæ ratio, a studio uerissimæ dignitatis auersa, sic excæcat mentem, ut, quo maius ingenium est, eo furentius in perniciem ruat. Hic est autem falsæ sapientiæ fructus, ut audaces, & confidentes, & arrogantes, & infestos, efficiat, ut homines, felicitatis specie decepti, præcipites in summam miseriam detrudantur. Porro autem, in uita nihil est fixum, & stabile, nullum commodum a calamitatibus immune. Risum lacrymæ consequuntur; & gaudium dolore concluditur. Quid igitur erit de futura uita dicendum? Quilibet tunc ita metet, quemadmodum hic sementem fecit. Improbus enim, sceleris, & improbitatis, fructum percipiet, ut, pœnis sempiternis excruciatus, malis exsaturetur; bonus uero, tunc bonis sempiternis egregie cumulabitur.

Cum uero multæ sint erroris, & amentiæ, uiæ, tum nulla uulgatior est, ea, quæ in credulitate consistit. Princeps enim, & inconsiderata multitudo, ficta specie uirtutis, atque pietatis, illecta, duces peditissimos facillime cõsectatur, & illis ob

Universidad de Deusto
Biblioteca

temperat, qui sunt eis caussam dirissimæ calamitatis allaturi. Hæc stultitia Tyrannos, præsidio, ad ciuium perniciem, circumsæpsit. Hæc errorum principes innumerabili multitudine constipauit. Hæc populos innumerabiles, a uita salutis abstractos, in pestem, atque perniciem, sempiternam precipites eiecit. Quocirca nihil interdum uidetur esse incredulitate, atque diffidentia,
1. Ioan. 4. salutarius. Nolite, inquit uir ille Diuinus, omni spiritui credere, sed probate spiritus, utrum ex Deo sint. Nihil est enim periculosius præpropera, iudicandi, & sine examine comprobandi, ratione. Prius enim multi laqueos induunt, quam se captos esse considerent. Homo igitur cautus assensionem sustinet, & diu deliberat, antequam fidem adiungat. Sic autem fit, ut firme uestigium ponat, gressusque suos recta dirigat. Timet enim, ne offendat, ne labatur, & concidat; & ita numquam, nisi explorato, iter ullum suscipit: ut statim sequitur. Adiungitur enim: Sapiens timet, & declinat a malo: at stultus transgreditur, atque confidit. Sapientiæ munus est, præterita recordari, futura prospicere, instantia præcauere, pestifera summa contentione fugere, bona acerrimo studio consectari, & postremo nihil umquam gerere, priusquam id, quod aggreditur, examinet, an tale sit, quod firmam spem uerissimæ salutis ostendat. At stultus nihil horum cogitat, nihil timet, nihil expendit; sed, quocumque illum libido immanis impellit, eo se proijcit, & in omne facinus, cum summa impudentia, & audacia, prorumpit. Cum uero duæ sint conflandi scelesti facinoris rationes, utriusque discrimen Sapiens apponit. Alteram enim iracundus rabide suscipit, cum per uim in eum, quē perdere uult, furenter inuadit. Alteram homo ueterator, & callidus, per artificium machinatur, cum dolum comparat, ut eum, quem odit, imparatum opprimat. Et ille quidem stultitiam suam indicat, cum nocendi uolūtatem ante tempus aperit: hic uero malitiam suam patrato facinore demonstrat. Illius igitur amentiam omnes facillime contemnunt; huius autem improbitatem oderunt, & exsecrantur. Omnes tamen, qui, uel per uim, uel per fraudem, iniuriam inferunt, non solum erunt in hac uita flagitiorum maculis, quæ deleri numquam poterunt, inusti, sed, quod longe grauius est, seueriſsima sanctissimi iudicis sententia ad æterna supplicia condemnati. Vt statim sequitur. Futurum enim ait, ut stulti, stultitiæ hereditatem obtineant; sapientes uero, quos sollertes, & industrios, appellat, coronam scientiæ consequantur. Quæ autem alia est stultitiæ hereditas, quam sempiternæ miseriæ magnitudo? Quæ uero scientiæ uerissimæ corona, quam summa beatitudinis, atque sempiterni decoris, amplitudo? Vt autem hoc magis explicet, iudicium Diuinum proponit, quo mali sunt ad supplicia trudendi, boni uero ad uitam æternam Diuinitus euocandi. Sic enim ait: Abijcient se mali ante bonos, & impij ante portas iusti. Hoc est autē, quod ait, cum improbi in splendorem, in decus, & pulchritudinem, in Regiam maiestatem bonorum, inspexerint, obstupefacti concident, horrore nimio perfusi contremiscent, supplices erunt sine fructu illis, quos in uita despexerant, dolore, & inuidia, confecti, lugubres uoces edent, & ad portam iusti, hoc est ad aditum summi iudicis (nō enim illis propius accedere licebit) eiulabunt.

Etiam proximo suo pauper odiosus est: amici uero diuitum multi. Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit. Errant qui operantur malum: misericordia & ueritas præparant bona. In omni opere abundantia est: ubi autem uerba sunt plurima, ibi frequenter egestas. Corona sapientum, diuitiæ eorum: fatuitas stultorum, imprudentia. Liberat animas testis fidelis: & profert mendacia uersipellis. (*hoc est, Dolosus autem mendacijs illaqueat.*)

Quam rarum sit, ueræ, atque simplicis, amicitiæ studium, ex eo plane deprehenditur, quod uix quisquam reperitur, qui sese ad amicitiam hominis inopis applicare uelit. Quod quidem firmum argumentum est, omnes ferme in amicitiis conciliandis nō amicorum bona, sed suam utilitatem, sequi. Aliter enim numquam diuitem flagitiosum pauperi uirtutibus ornato præponerent. Quantum uero flagitium sit, pauperem, propter inopiam, despicere, docet, dum ait, eum, qui proximum contemnit, nefario crimine alligari; illum autem, qui misericordiam tribuit inopi, omni crimine liberari, & ea benignitate uiam ad uitam beatam, atque sempiternam, moliri. Amentes sunt igitur omnes, qui, neglecto benignitatis studio, alias uitę beatę uias summa cura, & sollicitudine, ineundas suscipiunt. Longissime namque a fine proposito aberrant, & erroribus impliciti, dum, ut beati sint, modis omnibus eniituntur, artissimis extremæ miseriæ uinculis alligantur. Errant, inquit, qui machinantur malum. Ideo namque aliis insidias intendunt, ut sibi bonum aliquod ex aliorum pernicie comparent. at illi sibi ipsis tæterrimam pestem moliuntur. Longe uero secus euenit illis, qui misericordes, atque benigni, sunt. Dū enim aliis benigne prospiciunt, sibi ipsis opes accumulant. Ne uero quisquam arbitretur, otio, & negligentia, bonum aliquod comparari; diligentiæ rursus studium commendat. Vt enim neque Imperator uictoriam, desidia, atque sopore, consequitur; neque agricola, desidendo, fruges exarat; neque mercator, per socordiam, & ignauiam, pecuniam coacernat; ita neque illi, qui ueras diuitias expetunt, sine labore, & industria, uoti compotes esse poterunt. Non enim est uirtutis fructus in uerborū ostentatione, sed in studio, & exercitatione, ponendus. Qui enim laborem glorioſum acerrima contentione ſuſcipiunt, uirtutis opes immensas exaggerabunt.

At, qui

At, qui de uirtute totos dies edisserunt, nullumque opus uera uirtute dignum moliuntur, inopes semper erunt. Laudat deinde diuitias sapientum, quibus cum gloriæ sempiternæ laudibus excoluntur. Ait enim, Coronam sapientum esse diuitias eorum. Non aurum, non argentum, nominat, non gemmarum ullam mentionem infert. Non enim eæ sapientum diuitiæ sunt; sed uirtutis splendor, & dignitas, sed iustitiæ claritas, & mentis altitudo, sed religionis sanctitas, atque benignitas, & uirtutes reliquæ, quibus animus humanus ad quandam similitudinem Diuinitatis adspirat. Qui autem his tantis opibus expletus est, satis ostendit, se non fuisse languori, atque desidiæ, deditum; sed summo studio, & contentione, ut eum statum assequeretur, elaborasse; iccirco fuisse hanc tam insignem coronā a Dei benignitate cōsecutum. Stultitiam porro nihil aliud ex uerborum multitudine, & inani loquacitate, quam stultitiæ ipsius ostentationem, adeptam. Itaque, ut sapientia semper operibus clarissimis sui significationem dat, ita & stultitia ex uerborum inanitate, quam sit inanis, ostendit. Quam salutaris ueritas, sit & quantā uitæ pestem inferat mendacium, docet, cum ait, Vero testimonio innocentes e periculis expediri, falso autem necem innocentibus inferri: ut intelligi possit, nihil esse neque ueritate salutarius, neque calumnia, atque mendacio, pestilentius. Ait deinde:

In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis eius erit spes. Timor Domini fons, uitę, ut declinet a ruina mortis. In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia principis. (*hoc est, Vbi populus deest, pauet animus principis.*) Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. Vita carnium, (*hoc est, corporis*) sanitas cordis: putredo ossium, inuidia. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius: honorat autem eum, qui miseretur pauperis. In malitia sua expelletur impius: sperat autem iustus in morte sua. In corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quosque erudiet (*siue, Et inter stultos eminebit.*) Iustitia eleuat gentem: miseros autem facit populos peccatum. Acceptus est regi minister intelligens: iracundiam eius inutilis sustinebit. (*uel sic, Iram autem illius excitat, qui subit ignominiam.*)

Multa sunt in uita hominibus ualde metuenda, quæ non possunt, propter imbecillitatem naturæ, facile propulsari. Sunt enim innumerabiles morbi, sunt fraudes, & insidiæ, quas partim odium suscitat, partim inuidia comparat, partim cupiditas, atq. malitia, machinatur. Nulla est homo ita periculo uacua, ita, ut animus humanus semper anxius, atq. sollicitus, sit, usq. adeo, ut ne somnus quidem illi sit metu solutus. Visa enim in somnis obijciuntur, quæ illum nimio terrore cōturbant, & de mentis statu deijciunt. Ad hęc omnia pericula contemnenda unicum nobis remedium Salomon paratum esse demonstrat, quod est in timore Domini constitutum. Qui enim Deum timet, a uitijs omnibus abstinet, & iustitiam amplexatur, & ita in Dei fidem, atq. patrocinium, recipitur. Qui autem in Dei præsidio latet, cuius uim poterit umquam metuere? Itaque non solum uir pius poterit sibi securitatem ab omnibus rebus aduersis polliceri, sed omnes illius filij, qui patris uestigijs insisterint, eodem præsidio tecti, permanebunt. Recte igitur Timor Domini Vitæ fons ab eodem Sapiente nominatur. Mors enim locum non habet, in ijs, qui sunt ad Deum semper adiuncti. Præceptū uero, quod sequitur, explanat illud, quod ante dixerat, nempe, præsepe uacuum esse, ubi boues non sunt. Ait enim, in hominum multitudine esse Regis maiestatem, & amplitudinem, constitutam. Nam, quo modo bellum geret, si non fuerit magno exercitu constipatus? Quo modo magnificentiam retinebit, sine ministrorum frequentia, & celebritate? Vectigalia qua ratione tractabit, sine multorum hominum fide, & sedulitate? Iura quo pacto populis administrabit, sine multis magistratibus? Consilia uero quo modo capiet, si non multos homines uirtute præcellentes ad societatem tam præclari muneris adsciuerit? At multitudinem ad studium sui nominis applicare non poterit, nisi eam sibi uirtutis admiratione, & humanitatis, atq. facilitatis, laude, atq. iuris æquabilitate, deuinxerit. Duplici igitur ratione hominum præsidio nudatus apparebit: una, si admodum paucis imperauerit; altera, si multos animo a se nimis alieno coercere uoluerit. Vtroque autem modo erit imbecillus, & ad omnes belli rumusculos animo nimis anxio trepidabit. Ex quo sequitur, ut neque Princeps, qui publicam salutem negligit, neque Tyrannus, qui subditos iniurijs onerare minime desistit, assiduo angore, & cruciatu, liberari possit. Vterque enim est iustis copijs, ad salutis, atque uitæ, præsidium, destitutus. Iracundia porro, quam sit rectæ rationi contraria, uerbis explicari non potest. Furor enim, est, turbulētos motus in animo concitans, nullum locum cōsilio relinquens, omnes animorum partes exagitans, ita, ut, qui iracundia commouetur, nihil omnino ab homine, totius mentis experte, atq. furioso, distet. Vnde colligitur, non esse mediocris prudentiæ, iracundiam refrenare. Sequens autem sententia docet, animi uel sanitatem, uel angorem, in corporis etiam statum sæpenumero redundare. Nam, dum animus tranquillus est, & statum suum facile tuetur, corporis etiam sanitas nulla sollicitudine uiolatur. At, cum animus tristibus curis opprimitur, corpus etiam afflicta tur, usque adeo, ut interdū uitæ discrimen adeat. Cum uero multis animi motibus status animi labefieri contingat, ex quibus corporis sanitas

atten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

attentatur; tum uix est, quod grauius animum cruciet, quam inuidia, ex qua corpus etiam intabescit. Tantas enim uires habet tranquilla pax animi, quam maximæ uirtutes efficiunt, ut non solum mentem opibus Diuinis exornet uerum & corpori sit multis in locis admodum salutaris. Ea uero sententia, quæ sequitur, misericordiam, & benignitatem, grauissima pœna sanxit. Ait enim, eum, qui uexat iniuria pauperem, Deum, a quo pauper ipse factus est, & quem non minore cura, quam Principes, tuendum suscepit, contumelia uexare. Illum enim, quem summus Dominus, qui omnia potestate infinita complectitur, & quem ad sempiternam gloriam destinauit, peruertere summopere conatur. At clementissimus ille Dominus, patronus est pauperum, ita, ut, qui pauperem, ope Diuina confidentem, oppugnat, in Deum bellum, impium comparet. Contra uero, qui pauperi opem affert, Deum acceptissimo misericordiæ sacrificio ueneratur. Ostendit deinde, quam infima sit impij sedes, atque domicilium. Impius enim, quamuis nullos hostes habere uideatur, & nemo in statum illius insurgat, eo etiam tempore, quo res suas maxime secundas existimat, miserabiliter occumbit. Malitia enim illum impellet, atque labentem præcipitabit. Nullus enim hostis esse poterit cuius magis infestus, quam cuius que scelus, atque flagitium. At iustus, quamuis minis oppressus esse uideatur, & mors etiam appropinquet, ad spem tamen firmissimam salutis, & immortalitatis, erigitur. Intelligentem, siue prudentem, ut interpres reddidit, appellat Salomon, hominem, qui est ad disciplinam docilis, qui non est insolens, & immoderatus, sed modestus, & ita sapientiæ cupidus, ut eam facillime omnibus uitæ emolumentis anteponat. Hoc autem studium asserit numquam sine fructu constitisse. Nam sapientia, in animis eorum, qui hac mente præditi sunt, insidet; & ita fit, ut, qui hoc modo sapientia illustratum animum gerunt, tantum inter reliquos homines excellant, ut omnes in illorum conspectu sint amentissimi iudicandi. Grauis deinde sententia sequitur: quæ, si a Regibus, & populis, summo studio comprobaretur, non esset profecto tanta uarietas, & inconstantia, in Rebus publicis; neque tam sæpe imperiosi populi de statu concederent. Cernimus enim, gentem, opibus florentem, ad summam dignitatem euectam, imperium latissime propagare; cernimus, eandem, alterius gentis, quæ erat ualde tenuis, & obscura, uiribus oppressam, corruere. Quam uero aliam caussam assignare possumus huius calamitatis, atque ruinæ, quam Diuinum iudicium, quo, propter hominum scelera, Rerump. summa fastigia deprimuntur; & aliæ gentes humiles ad pœnas, de inueterata immanitate, atque tyrannide, repetendas, extolluntur? Scelera uero, propter quæ Deus a gente in gentem impetium transfert, sunt libidines indomitæ, & immensæ cupiditates, & iniquitas, & auaritia, & immanitas eorum, qui plurimum in Rep. possunt. Ab his fontibus multa flagitia in multitudinem transfusa, uniuersam Remp. mortiferis morbis inficiunt. Quod si iniustitiæ scelus, & immanitatis impotentia, uniuersam Remp. insanabili peste contaminat; an parũ liquet, propter iustitiam posse Remp. opibus augeri. &, propter misericordiam, in Dei gratiam amissam restitui? Ait deinde, gratum esse Regi seruum intelligentem. Regis certe officium minime peruertet is, qui sapientiæ laude præditerit. Nec enim negligentia tempus rei bene gerendæ elabi patietur; neq. temeritate, & importuno conuicio, hostes in Regis opes incitabit; neque timiditate, & ignauia, Regis nomen ludibrio esse patietur; sed in omni loco, & opibus Regis, & dignitati, prospiciet. Contra uero, qui insanus fuerit, omnia, q̃ fuerint illi cõmissa, furenter administrabit: & ita Regem insigni dedecore afficiet. Itaque, in omni negotio, siue publico, siue priuato, prudentia ualde necessaria est; &, ubi illa defuerit, nihil recte, nihil ordine, nihil feliciter, gerullo modo poterit.

CAP. XV.

Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem. Lingua sapientum ornat scientiam. (*siue Commode utitur scientia.*) os fatuorum ebullit stultitiam. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Lingua placabilis, lignum uitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum. Stultus irridet disciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes, astutior fiet.

Vt nihil est in rebus humanis effrenata lingua pestilentius, ita, cum est moderata, nihil poterit excogitari salutarius. Ea namq. furoris impetum reprimit, pacem conciliat, obsistit sceleri, studium religionis excitat, statum Reip. tuetur, & opes uirtutis amplificat. Contra uero, cum disciplinæ salutaris legem transgreditur, incendiũ suscitat, quo tandem omnia conflagrare facillime possunt. Vt autem numquam ita simus amentes, ut, quod neque decet, nec expedit, efferamus, multum refert, in mentem sæpe reuocare Dei prouidentiam, quæ semper est omnibus rebus, quæ in uita uel geruntur, uel proferuntur, intenta, ut bonos præmijs afficiat, malos autem debitis pœnis insequatur. Nihil est abstrusum, & abditum, quod non penetret; nihil ita tenebris immersum, quod non adspiciat; nihil ita remotum, quod non manibus attrectet. omnia semper illi patent, atque diluescunt. Hæc qui secum cogitauerit, dies atque noctes numen Diuinum metuet, & linguæ motus inconsideratos refrenabit, ut numquam ore suo patietur uerbum prodire, quod humanam societatem lædat, aut religionis purissimæ sanctitatem uiolet. Oratio namque, si ex pura, & integra, mẽte profecta fuerit, uitam conferet; si uero ex animo impuro processerit, multa mala rebus communibus importabit.

Funda-

Fundamentum autem prudentiæ, in iis, qui nondum ad ætatem maturam peruenere, in eo positum est, ut, quod per se assequi nondum possunt, ab iis, qui ualent ingenio, & sunt lõgo rerum usu satis eruditi, percipiant. Duo uero in doctore, atque monitore, requiruntur, ut consilium illius libenter accipiamus. Vnum est, prudentia, multarum rerum usu comparata; alterum, beneuolentia, qua in consiliis dandis nihil aliud, quam fructum illius, quem instituendum suscipit, sibi proponat. Vtrumque autem, Patris sui nomine declaratur. Nam Patris nomen, prudentiæ maturitatem, quæ illius ætatis propria est, designat. Cum uero Sui uox additur, non uulgaris amoris uim aperte significat. Recte igitur decretum est, cum, qui monita patris sui aspernatur, & respuit, esse dementissimum; qui uero parentis consiliis obtemperat, prudentiam adeptum. Quod si hoc de patribus, qui nos humano more genuerunt, dicendum est; quid erit de illo patre sanctissimo, qui nos finxit, & informauit, tam multisque muneribus affecit, existimandum? An maior stultitia cogitari potest, quam, monita Diuina contemnere? Aut certior summæ prudentiæ laus, quam, Dei imperium mente castissima reuereri?

Domus iusti plurima fortitudo: & in fructibus impij cõturbatio. Labia sapientum disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit. Victimæ impiorum abominabiles Domino: uota iustorum placabilia. Abominatio est Domino uia impij: qui sequitur iustitiam, diligitur ab eo. Doctrina mala deserentium uiam: qui increpationes odit, morietur. Infernus est perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum? Non amat pestilens (*siue, illusor*) eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur. Cor gaudens exhilarat faciem: in mærore animi deiicitur spiritus.

Nomen Fortitudinis חסן apud Hebræum pro Diuitiis usurpatur. Expetuntur autem diuitiæ, non solum ad usus uitæ necessarios, sed etiam ad dignitatis amplificationem, ad malorum depulsionem, ad Reip. præsidium. Vbi igitur pecuniæ, uel compressæ perpetuo retinentur, uel in nequitia consumuntur, non sunt appellandæ diuitiæ, sed uel inuidiæ faces, uel omnium malorum instrumenta. At iustus, opibus suis, ad familiæ suæ salutem, & Reip. cum potest, utilitatem, ualde libenter utitur. Vnde sequitur, illum solum diuitem esse, qui iustitiam colit. Præterea, opes uerissimæ, non in arca, sed in animo, recondũntur; quæ uirtutum maximarum præsidiis, & ornamentis, continentur. Hæ namque sunt, quæ uitam tuentur, quæ pericula propulsant, quæ hostes repellunt, quæ dignitatem conseruant, quæ denique statum ab omni calamitate incolumem, & opibus sempiternis exaggeratum, custodiunt. At hæ diuitiæ in domo tantum hominis iusti reperiuntur. Vnde colligitur, neminem esse diuitem, nisi eum, qui iustus fuerit. Postremo, si diuitiarum opus est, subsidio semper occurrere, cum iustus numquam sit Dei præsidio nudatus, & impij, quamuis sint opulentissimi, in magnis calamitatibus a pecuniarum præsidio deserantur; sequitur, ut iusti sint ditissimi, & iniusti semper egentissimi. Quis enim est opulentior existimandus? Is ne, qui, rei familiaris mediocritate contentus, in singulari tranquillitate uersatur? An is, cuius animus, cum nihil illius cupiditati umquam sufficiat, curis assidue conturbatur, & perpetuo angore conficitur? In fructibus, inquit, impij conturbatio. Nam in augenda re, labore conteritur; in custodienda, sollicitudine conflictatur; in iactura, intolerando dolore percussus, obruitur; experiundoque, sentit, nullam sibi utilitatem opes, in quas omne studium uitæ contulerat, attulisse. Nec enim animi curas eximunt, neque morbis medicantur, neque mortem arcere queunt, neque postremo seueritatem Diuini iuris effugiunt, ita, ut semper summa perturbatio auaritiam consequatur. Sequitur deinde, quid interfit inter Sapientis, & Insipientis, orationem. Oratio namque sapientis, uitæ legem continet, salutares sententias enuntiat, disciplinã uerissimæ scientiæ tradit: at insipiẽtis cor, hoc est oratio, (nã contraria cõtrariis opponuntur, & a corde fluit omnis oratio) uel cupiditatẽ irritat, uel iram suscitat, uel odium incendit, uel certe in otio flagitioso, atque uanitate, consumitur. Cum autem sacrificium impiorum ait Deo esse uehementer exsecrandum, Diuinæ iustitiæ sanctitatem indignissima calumnia liberat. Pessime namque de mente Diuina sentit is, qui suspicatur, eam sceleratissimorum hominum muneribus posse placari, & a debita seueritate, ad iniquam lenitatem inflecti. Quid enim? Quod in hominibus est maxime detestandum, ut, pecunia, caussam, contra ius, & fas, iniustis adiudicent, id summæ illi bonitati tribuere quisquam audeat, ut opinetur, eam a scelere puniendo sacrificiis abduci? Sint sacrificia magnificentissima, maximisque sumptibus, & singulari cærimonia, procurata; & scelus idem in animis impuris inhæreat: plurimum aberit, ut Dei numen propitium fiat. Sceleris enim suscepti crimen perditi homines nouo scelere imprudentiæ, & turbulentissmi erroris, accumulãt. At oratio iusti, etiam sine sumptibus ullis, est sacrificium Deo acceptissimum. Cælum enim penetrat, ueniam impretat, opem Diuinam consequitur. & ad statum Diuinum perducit, & ab illius administratione, nemo, quantumuis pauper, excluditur. In quo autem sit summa religionis sanctitas constituta, demonstrat: ut intelligamus, quid potissimum sit in sacrificiis adhibendum. Cum enim sacrificia sint ad placationem numinis instituta, intelligendum est, Deum placari non posse perfidis, & sceleratis. Odit enim,

& exse-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& exsecratur, uiam iniustitiæ; & omnes, qui iustitiæ studio dediti sunt, amore summo complectitur. Pessime igitur secum agit, qui, mala disciplina corruptus, a iustitiæ uia declinat, & uoces eorum, a quibus, ut in uiam redeant, admonetur, audire recusat. Vitam enim fugit, & in mortem impetu cæco rapitur. Quod si quisquam tam mentis expers est, ut opinetur, posse se latebris occultari, ne flagitia sua a Deo possint animaduerti, eo furore præditus est, ad quem nihil possit accedere. Si enim, quod est densissimis tenebris inferæ regionis abditum; si, quod in mortis sempiternæ penetralibus abstrusum; si denique ea, quæ maxime sunt ab illius conspectu, & prouidentia, remota, speculatur, & inspicit: quo modo non multo magis hominum corda, quæ ad salutem frequenter euocat, intuebitur? Non igitur solum actiones, uerum & cogitationes, animaduertit, & exactissime perpendit. Neque potest interim dici, Dei inclementia fieri, ut tam multi mortales in sempiternum supplicium detrudantur. Neque enim Deus homines ad salutem uocare desistit: neque desunt sapientes qui Diuino beneficio ad multorum salutem sint instructissimi: sed hominum perfidia, & contumacia, fit, ut salutis uia deseratur. Irrident enim salutis disciplinam, sapientum uoces aspernantur, & ab illorum usu, & familiaritate, se longissime remouent. Quam felix, & florens, sit eorum status, qui iustitiæ disciplinam percipiunt, ex eo perspicitur, quod non solum animum explet Diuinis opibus, uerum & corpus iucunditate perfundit. Fons enim lætitiæ, Spiritus Diuinus est. At Spiritus Diuinus in iustorum animis insidet. Vnde fit, ut solum iustis lux cælestis oriatur, & recti gaudio perpetuo cumulentur. Ex animo autem læto ad corpus non uulgaris iucunditas emanat. Hoc autem est, quod Sapiens ait, Cor lætum faciem exhilarare, cor mærens spiritum deprimere, ut corpus etiam curis ingrauescentibus sæpe langueſcat.

Cor sapientis quærit doctrinam: & os stultorum pascitur imperitia. Omnes dies pauperis, mali: secura mens (*hoc est, Cor autem lætum*) quasi iuge conuiuium. Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni & insatiabiles. Melius est uocari ad olera cum caritate, quam ad uitulum saginatum cum odio. Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas. Iter pigrorum quasi sæpes spinarum: uia iustorum absque offendiculo. Filius sapiens lætificat patrem: & stultus homo despicit matrem suam. Stultitia gaudium stulto: & uir prudens dirigit gressus suos. Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium: ubi uero sunt plures consiliarij, confirmantur.

Expleri nequit animus hominis iis rebus, in quibus summum bonum collocandum existimat. Sic autem fit, ut, quemadmodum nec auari pecunia, neque libidinosi uoluptate, nec ambitiosi honoribus, satiari possunt, ita neque sapientes sapientiæ cupiditati modum statuunt. Inde adeo fit, ut Sapiens, quamuis in sapientiæ studio multum profecerit, ultra tamen progredi non desistat, & ab ijs, quos sapientiores iudicat, assidue de sapientiæ Diuinæ uia, & ratione, multa percunctetur; cum interim omnis stultorum oratio, ad stultitiæ pabulum comparandum perpetuo festinet. Pascitur igitur stultus amentia, pascitur inanitate, omnemque operam suam in uanitate, & mendacio, consumit. ea enim appetit, & consectatur, quæ nihil ad beatæ uitæ rationem conferunt. Omnes igitur dies illius sunt ærumnosi, curis tristissimis afflicti, & metu, atque sollicitudine perpetua, conturbati. Tristitia uero, est assiduus animi cruciatus, uitam morsu dilacerans, atque paullatim conficiens. Lætus autem animus, est perpetua conuiuij celebritas: quam gaudij perpetuitatem nemo poterit assequi, nisi iustus exstiterit. Quemadmodum inquit ille, summus iustitiæ magister, Et gaudium uestrum nemo tollet a uobis. Quod autem sequitur, nempe, multo melius esse, parum cum timore Domini, quam thesaurum magnum, &, ut interpres inquit, insatiabilem, hoc est cum tumultu, quis non uidet? Quod enim est cum iustitia comparatum, ut plurimum inuidia caret, lites non intendit, a iurgijs semper abstinet, famiIoan. 16.
liam tuetur, animum conscientia sceleris non angit, &, quod caput est, Dei præsidio nititur, atque confidit. Contra uero, immanes diuitiæ, cum plerunque iniuria, & iniquitate, partæ sint, odium excitant, inuidia flagrant, perpetuas contentiones adhibent, animis grauissimum uullus imponunt, in offensionem sanctissimi numinis incurrunt, atque postremo, cum magis fundatæ uidentur, euanescunt. Melius, inquit, est, ad olera uocari cum caritate, quam ad conuiuium epulis exquisitis instructum cum odio. Omne siquidem, quod est a caritate profectum, est sine ullo discrimine iucundum; odium uero est non modo sollicitum, & acerbum, sed etiam suspicionum. Ponit rursus ante oculos iracundiæ excitatæ discrimen. Si enim nihil esse potest caritate salutarius, & odio perniciosius; si concordia tenues opes inuicto præsidio fulciuntur, discordia maximè dissipantur; quid esse poterit iracundia detestabilius, cum ea odium excitet, & discordiam frequenter inducat, qua multæ imperiosæ Ciuitates, atque Regna, funditus euertuntur? Pigritia, est pusilli animi, & angusti, flagitium. & iccirco est semper cum desperatione coniuncta. Itaque semper piger diffidit, omnia timet, nihil unquam fidenter aggreditur; &, quasi sint omnia sapimentis difficillimis obuallata, laborem omnem fugit. & ad hunc modum se ipsum omni fructu uirtutis spoliat. At iusti, cum sint animo maximo prediti, nulla formidine impediuntur, quo minus omnia pietatis munera inuicta

inuicta uirtute sustineant. Hoc in loco est annotandum, sapientem pigritiæ recti animi constantiam opposuisse: ut intelligamus, nec pigritiam iniquitate uacare, neque salutarem industriam sine iustitiæ integritate consistere. Filium sapientem asserit lætitia Patrem afficere. Ante dixerat, Filium sapientem Patrem gloria cumulare: idem nunc uerbis alijs repetit, ut hanc sententiam fortius in animis infigat. Gloriam namque ueram lętitia stabilis, atque firma, consequitur. Percipit autem Pater, ex intelligentia Filij, lętitiam, cum eum obsequentem uidet, cum ad honestatis disciplinam docilem cernit, cum eum moribus recte constitutum intuetur: quemadmodum & mater dolorem eximium capit, cum se deceptam a filio considerat. Nec enim potest filium, quem nimis amat, perditum intueri, quin doloribus summis excrucietur. Sed, quid in mentem uenit filio, matris monita ludibrio habere? Qui se ipsum nimis diligit, &, hoc stulto amore excęcatus, in flagitijs, & impuritatibus, summum ingenij acumen, & disertissimæ urbanitatis elegantiam, ponit. Ad hunc igitur modum stultitia gaudet, & errore opinionis insolescit. Aberrat igitur a salutis uia. Numquam enim, quod mirifice cupit, assequitur. Nam, dum uoluptates exquirit, ingentes dolores haurit; animi quietem desiderat, & curis assiduis agitatur; ad decus enititur, & ignominiæ maculis sempiternis inuritur; ut pericula propulset, contendit, & assidua formidine perterretur; atque postremo, dum se uiam felicitatis tenere putat, in extremam miseriam deijcitur. Quod quidem instis minime continget. Sapientes enim sunt, & ideo in beatam uitam rectissime dirigun tur. Cum uero multa sint temeritatis indicia, unum est certissimum illius argumentum, nempe, summa confidentia. Arbitrantur enim homines leuissimi, se nullius consilio indigere. Non uident enim, quam parum unus homo per se solus possit in posterum prouidere. Vt enim, in actionibus, multorum auxilijs opus est, ut omnia ex animi sententia gerantur, ita in consilijs capiendis multorum amicorum iudicia necessaria sunt, ut, quod cogitatur, recte cadat, Ea enim, quæ sine consilio geruntur, exitus felices habere non possunt.

Lætatur homo in sententia oris sui: & sermo opportunus est optimus. Semita uitæ super eruditum, ut declinet de infero nouissimo. Domum superborum demolietur Dominus: & firmos faciet terminus uiduæ. Abominatio Domini cogitationes malæ: & purus sermo pulcher rimos. Conturbat domum suam qui sectatur auaritiam: qui autem odit munera, uiuet. Mens iusti meditatur obedientiam: os impiorum redundat malis. Longe est Dominus ab impijs: & orationes iustorum exaudiet. Lux oculorum lætificat animam: fama bona impinguat ossa. Auris quæ audit increpationes uitæ, in medio sapientum commorabitur. Qui abiicit disciplinã, despicit animam suã: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Timor Domini, disciplina sapientiæ: & gloriam præcedit humilitas.

Omnes actiones præclaræ, stabilem uoluptatem efficiunt: quemadmodum & turpes mæstitiam inducunt. Sed nulla uoluptatis iucunditas est, cum honestæ, atque salutaris, orationis iucunditate comparanda; maxime uero, cum uis orationis importunæ, quæ est saluti contraria, illius acrimonia, atque moderatione, retunditur. Est enim a summo ingenio, & a maxima uirtute, profecta; & utilitas illius latissime in omnes partes diffunditur, & maximo malo, quod est in pestilenti lingua constitutum, acerrime repugnat. Summa autem dicendi laus in opportunitate consistit. Vt enim, qui intempestiue, quod non decet, loquitur; aut, qui orationis infantia bonã causſam tueri nequit; uel temeritate omnia disturbat; uel inopia minime perditis conatibus improbitatis obsistit; & ita uel Remp. lædit; uel certe nullam opẽ communibus rebus importat; ita, qui in tempore, quod oportet, loquitur, Remp. egregie multis in locis constituit. Via uitæ, est lex Diuina. Hæc, ut noster interpres uertit, super eruditum, id est, in superam regionem euehit prudentem, ut declinet de inferno nouissimo. ut scilicet declinet ab inferis, qui in ima sede sunt. Itaque omnes, qui in studiũ illius incumbunt, Diuini fiunt, & in cælum adscendunt, ut cum cælitibus Diuinitate, æuo sempiterno, perfruantur. Quemadmodum &, qui legem negligunt, in imam Tartari regionem detruduntur. Si igitur uitæ cuiuslibet euentum respicimus, & non tantum, quod præsens est, & fallaci specie animis illudit, intuemur, cum omnes uitæ, & dignitatis, appetentes simus; consequens necessario est, ut legis sanctiones ob oculos semper habeamus, & flagitia, cum sint legis sanctitati contraria, detestemur. Aliter enim supplicia, quæ sunt in miseriæ sempiternæ regione subeunda, uitare non possumus. Quod si quis, propter obtusæ mentis angustias, uitæ futuræ gloriam non cogitat, & in huius uitæ tantum opibus exquirendis est occupatus; intelligat, etiam in hac uita Diuinum numen apparere, ut potentium sedes, qui opibus insolescunt, euertat, & inopes, omnique præsidio destitutos, ope salutari communiat. Vt autem inopiam, & orbitatem, designet, Viduæ nomen usurpat. Nam Vidua primum mulier est, & ideo natura fragilis, & imbecilla. Deinde, est omni ope nudata, &, eadem causſa, multorum iniurijs expositа. Ob id Deus illarum patrocinium suscipit, & orphanorum pater, & uiduarum iudex, nominari uoluit; & ijs, qui pupillis, & uiduis, iniuriam intulerint, acerrime cominatur. Hoc igitur in loco satis apposite, Viduæ nomine, orbitatis summæ ratio significatur, ut intelligi possit, Deũ

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non uiduarum tantum,sed omnium,qui non minus, quam uiduæ, fuerint inopes, & ab hominum præsidio deserti,uindicem futurum. Est autem animaduertendum, in toto hoc opere sapientem ita ueræ sapientiæ præcepta describere, ut falsæ malitiam refellat. Et,quia falsæ sapientiæ proprium est,aliud ore proferre, & aliud animo continere,& summam ingenij laudem in malitiosa simulatione collocare; ideo cernimus, sapientem tam sæpe fallaces cogitationes exsecrari. Dicit igitur, Deum cogitationes malitiosas, quæ perniciem meditantur, odio summo prosequi, atque detestari, & orationis puritatem, quæ ab intestinis fraudibus uehementer abhorret, gratia, & fauore suo complecti. Quam male rei familiari consulit, qui sectatur auaritiam,maxime uero,cum iudicandi munus est ad hominem auarum delegatum, explicatur. Nam, cum,is, qui pecuniæ studet, omnia præ pecunia contemnat, nihil est tanta religione munitum, quod non uenale proponat. Cum igitur nihil sit iustitia in Rep. sanctius,is, qui pecuniam,ob rem iudicandam, accipit, Remp. quantum in se est, uniuersam discerpit,atque dilacerat. Nam,si iustitia incolumem Remp. conseruat, consequens est, ut eam iniustitia labefactet,atque funditus perdat. Cum igitur auarus iuris sanctitatem uiolet,& societatem humanam nefarie dirimat, iram in se Diuinam concitat; & sic tandem fit, ut, qui putabat se domui suæ præclare cõsulere, domui suæ exitium moliatur. Deus enim,cum sit summa iustitia,& iniustos,& iniustorum soboiem, quæ isdem uestigijs ingreditur, exstinguit. At, qui munus odit, hoc est,cuius animus muneribus minime ad perperam iudicandum labitur, uita perfruitur, & illius domus florens, & incolumis, præsidio inuicto permanebit. Ait deinde, mentẽ iusti meditari responsionem. In quo est animaduertendum, omnes iustos esse sapientes. Quæ enim maior sapientia excogitari potest, quam summi boni ardens appetitus,acre in eo comparando studium, & Diuina in eo tuendo constantia? Aut, quod bonum dari potest a Deo hominibus iustitiæ splendore præstabilius? Cum igitur omnes iusti sapientiæ laude præcellant; recte factum est a sapiente, ut, quod sapientiæ proprium est,iustis attribueret. At Sapientis est,non temere proijci,non loquendo præcipitari,sed,antequam uerbum ex ore prodeat,quid sit dicturus,expendere. At impij,cum sint furore, & amentia, prædi ti, quidquid corrupta mente conceperant, foras nimis inconsiderate proijciunt. Quam miser,& ærumnosus, status impiorum sit,summatim, ea sententia, quæ sequitur, plane demonstrat. Longe,inquit,est Dominus ab impijs. Longe igitur est ab illis salus, longe lux,longe dignitas,longe morborum remedium, longe uitæ præsidium,longe denique miseriæ perfugium, aut angoris allenamentum. Omnia enim hæc, Dei solius beneficio, & numine,continentur. At iusti,bonorum omnium possessionem perpetuo tenebunt. Deus enim eorum orationem exaudit, & ita semper illis in precibus, & uotis, occurrit, ut, quidquid petunt, magnificentissime largiatur. Iusti igitur solum florentes,atque beati,sunt,cum soli,uerissimis bonis expleti, gaudio mirabili cumulentur. Nam,si lux oculis iucunda est,soli iucundissima luce perfruuntur, cum splendore Diuino collaceant; si uirtutis nomen animum insigni suauitate perfundit, cum solum iusti uerissima uirtute cõmuniti sint,restat,ut soli in suauitate perpetua uersentur. Hoc est autem, quod significat, cum ait, oculos luce lætari,& ossa,hoc est uirtutis firmamenta, bonæ famæ præconio saginari, ideoque miris accessionibus augeri. Sed, quo tandem pacto hunc statũ assequẽtur ij, qui uoluerint tanta iucunditate potiri? Moderatione,inquit,qua operam sapientibus dandam esse perspexerint; studio, quo in discendi contentione laborauerint; humilitate,qua illis,a quibus sunt admoniti, ne in se flagitiorum ullam maculam, aut labem,sceleris admittant,obsecuti fuerint. Auris enim, quæ salutarem increpationem audit, ad sapientiam perueniet,ita,ut alios sapientiæ decretis instruere possit. Quanta uero sit temeritas illius, qui disciplinam abijcit, ostendit, dum ait, eum non tam magistros, quam animam suam, contemnere. Animæ enim medicinam aspernatur, salutis remediũ negligit, interitumque sibi,cum proiecta audacia,molitur. Contra uero,eũ,qui bene monenti libenter obtẽperat,& a flagitio facillime reuocatur, ait animi sui statũ facillime tueri; atq. cõseruare. Hic rursus, Dei timorẽ,fundamentum esse sapientiæ,constituit. Non enim sapientia potest aliunde, quam a Diuina mente, delibari. Diuina porro beneficia, ad eos tantum permanant,qui Dei indicia metuunt;&, ne in illius offensionem incidant,summa cura,sollicitudine, studio, & uigilantia,conrendunt. Id,quod statim adiungitur, est Diuinum decretum, maxima sedulitate conseruandum, omnibus, qui sunt gloriæ,atque dignitatis,appetentes. Vt enim superbia in dedecus incurrit, ita humilitate ad gloriam aditus aperitur. Qui enim insolescit, nihil altum sapit, nihil Diuinum cernit,nihil de sempiterna laude cogitat, humi mentem defixam habet, & ea de caussa intemperanter extollitur, & præterea in Deum, qui est sempiternus decoris fons,atque totius dignitatis architectus,oculos minime conijcit. Ita igitur fit,ut non solum hominum inuidia,& odio, flagret, & ignominia etiam populari deformetur, uerum, Dei sanctissimo iudicio, fictæ etiam dignitatis ornamentis exspolietur. Contra uero, humilis ideo de se humiliter,atque demisse, sentit, quia supera, atque cælestia,suspicit, & ad Diuinitatem uerissimæ uirtutis adspirat,a qua se longissime dissidere suspicatur, quia nullo uirtutis gradu contentus esse potest,qui est illius studio acriter incitatus. Et præterea nihil sibi arrogat, nihil assumit, sed omnia ad Dei immensam benignitatem reuocanda esse decernit. Itaque semper se abijcit; &, quo magis in pietatis uia progreditur, eo minus sibi ipsi tribuendum existimat. Hac igitur ratione,maiorem in dies gratiam acquirit; & maiore a Deo gloria cumulatur.

CAP.

CAP. XVI.

HOminis est animam præparare, & Domini gubernare linguam. Omnes uiæ hominis patent oculis eius: spirituum ponderator est Dominus. Reuela Domino (*Hebraice, Deuolue ad Dominum.*) opera tua, & dirigentur, (*siue, Confirmabit.*) cogitationes tuæ. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum. Abominatio Domini est omnis arrogans: etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens. Misericordia & ueritate redimitur iniquitas: & in timore Domini declinatur a malo.

Cum Sapiens tribuit homini cordis præparationem ad Diuinæ gratiæ fatum feliciter accipiendum,non repellit illud præsentissimæ benignitatis auxilium, quo ad Domini uocem audiendam excitatur,&, ut se præparet, admonetur. Numquam enim mens ad salutem erigitur, quin Dei præsentis auxilium antecedat. Sed ideo dicitur esse præparationem animi in hominis potestate, quia liberum est illi, si uelit, aspernari beneficium, & uoces Diuinas contemnere. Cum igitur opem minime repudiat, sed animum libenter inducit, Præparari dicitur. Intelligendum tamen est, non satis esse, animum præparari, nisi consequatur illud perfecta pietatis officium, ad cuius functionem præparatio requiritur. Id autem effici non potest, nisi beneficium aliud uehementius spiritus Diuini consequenter accedat, cuius ui, quod est imperatum, feliciter exsequamur. Hoc est igitur, quod dicit Sapiens: Vt sit in homine situm, mentem Diuinis uocibus incitatam ad officium perfectæ uirtutis intendere, & conatum animi ad præclarum aliquod opus comparare, nihil tamen umquam geret laude uerissima dignum, nisi sancti Spiritus gratia illius mentem illustret, animum corroboret, & ita numine suo dirigat, atque confirmet, ut opus, quod deinde fit, magis sit Dei ipsius opus, quam sancti hominis, appellandum. Nam sine Diuina gratia nihil est, quod recte cogitari possit, nihil feliciter administrari, nihil ad optratum exitum, atque ueram gloriam, peruenire. Vt enim operis initium a Diuina clementia ducitur; ita & extremum, summa illius benignitate,& gratia, continetur. Et hoc adeo uerum est, ut neque linguam quidem, quæ maxime in nostra potestate posita esse uidetur, moderari, sine singulari ope cælestis numinis, possimus. Exempli enim gratia, linguæ moderationem posuit, ut eandem sententiam ad omnia alia uitæ munera transferre queamus. Nam, si neque linguam, quæ tam mobilis, & flexibilis, est, & quæ tanta facilitate uersatur, & quocumque uelis impellitur, licet sine numinis præsentis auxilio recte gubernare,& continere, ne se proiiciat; quo modo alia, quæ extra nos sunt, & longe a nostra uoluntate, atque moderatione, remota, continebimus? Reliquum igitur est, ut non in nobis ipsis, sed in Dei gratia, omnia bona nostra collocemus; & semper dicamus, Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo, da gloriam. Quantum uero mali cuiuis homini ex sui ipsius ignoratione nascatur, est explicatu difficillimum. Cum enim, quam parum per se possit, non intelligat, sibi nititur, atque confidit, intolerabili arrogantia ducitur; opem Diuinam minime requirit; & ita fit, ut, cum multa conetur, numquam tamen id, quod misertime cupit, assequatur. Atqui paucissimi sunt, qui hoc uitio non laborent. Quilibet sibi iudex esse uult, suas actiones ad suum examen reuocat, & sic, cum sui ipsius amore cæcus sit, se omni crimine liberat. At Deus est, qui uere hominum actiones,& officia, perpendit, ita, ut, non qui se ipsum commendat, sed quem Deus commendat, ille probatus sit. Ab hac tanta dementia nos deterret Sapiens, cum admonet,ut omnes cogitationes, & actiones,ad Dei moderationem, & uoluntatem, & gloriam, dirigamus; nihilque in nobis, sed omnes uitæ, salutis, & dignitatis, rationes, in illius præsidio, & benignitate, collocemus.

Psal. 113.

2. Cor 10.

Sic enim futurum ait, ut nostras cogitationes Deus ope sua confirmet,& ad finem,quem optamus, perducat. Ait deinde, Omnia fecit Dominus propter se, etiam impium ad diem malum. Quid hoc est? Num rerum omnium Dominus in mundi molitione utilitatem suam quæsiuit? Nullo modo. Si enim ille, antequam mundum ædificaret, & mentes etiam cælestes ex nihilo conderet, aliqua re ad gloriæ suæ cumulum indiguisset, sequeretur, ut perfectione Diuini status infinito tempore caruisset. Quo dici potest amentius? Deinde, quid cogitari potest absurdius, quam, id summæ bonitati tribuere, quod in hominibus est uituperatione summa dignissimum. Quid enim est flagitiosius, & impudentius,Reip. Principe, qui non Reip. salutem, sed suam ipsius utilitatem, respicit, & omnia, quæ cogitat, quæ molitur, quæ gerit, ad suum tantum commodum, & emolumentum, reuocat? Quid enim aliud est, Epicurum uenerari, & flagitiosissimam disciplinã ad Deum auctorem referre, si hoc non est? Est autem uoluntas sine ratione, dementia; consilium sine delectu, temeritas; actio sine præuia consultatione, mentis insania; præmium sine laboris honesti functione, libido; supplicium sine crimine uoluntarij sceleris, immanitas. Qui igitur statuunt, Deum, sine ulla ratione, sed tantum, quia uoluit, alios quidem ad gloriam fruendam condidisse, alios autem in sempiternum supplicium creauisse; orbant illum ratione, consilio, sanitate, iustitia, benignitate, summamque temeritatem immensæ sapientiæ, iniquitatem immensæ iustitiæ, crudelitatem infinitæ beni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnitati, nimis scelerate, & impudenter, attribuunt. Non igitur ullo modo ferendi sunt, qui hac sententia Salomonis ad confirmationem infandi sceleris abutuntur. Non enim ea umquam fuit sapientissimi uiri mens, ut fatalem necessitatem adstrueret, & iniquitatem sanctissimo, atque iustissimo, rectori totius uniuersitatis affingeret. Quid igitur dicit? Id certe, quod est Diuino sensu dignissimum, & cum Diuinorum hominum sententia congruens, & puritati sanctissimæ religionis accommodatum. Sic enim inquit Deus apud Isaiam:

Isaiæ 43. Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas proter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Non tuis, inquit, meritis lacessitus, te mecum in gratia posui. eras enim flagitiorum maculis inustus; neque patrum tuorum officijs obligatus, tibi ueniam impertiui. nam & ipsi apud me in grauibus offensis fuerunt; neque religio tua labes, quibus eras adspersus, eluere poterat. Erat enim imaginibus tantum, atque adeo umbris, constituta. Nihil igitur est in te, quo glorieris, & insolescas. Ego namque, propter me, hoc est propter benignitatem meam, te gratis a sempiterna peste seduxi, & ad spem firmissimam salutis, si me audire uelles, erexi. Alibi uero similiter

Isaiæ 48. ait, Propter me longe faciam furorem meum. Infinita sunt in hanc sententiam testimonia in Litteris sanctis, e quibus clare cerni potest, quid sit, Deum, propter se, omnia creauisse. Hoc enim plane significat, nulla opera, quæ ad hominum salutem, & gloriam, gessit, esse aut rationi, aut legi, aut religioni, aut ullis denique meritis antecedentibus, adscribenda, sed omnia ad illius gratiam referenda. Sed, quid est, quod adiungit etiam impium ad diem malum? Num Deus impietatis auctor esse potest? Non prorsus. Angelos rebelles, & homines impios, creauit; sed non rebellionem, qua dæmonum princeps ab illius imperio defecit; neque impietatem, qua homines impij se ab illius tutela, & patrocinio, distraxerunt. Itaque naturam condidit, naturæ uero corruptelam, ut Paulus ait, cum patientia summa sustinuit. In

Rom. 9. diem, inquit, malum, hoc est, in diem iudicij. Non enim semper malum iniquitatem designat, sed supplicium iniquitati constitutum. Cum

Sophon. 1. igitur ille dies, iræ dies, & calamitatis, & miseriæ, & clangoris, & caliginis, appelletur. Dies malus aptissime nominatur. Illo uero die, iustitiæ Diuinæ ratio, cum insigni gloria Diuini nominis, apparebit. Intelligent enim omnes cælestes, & humanæ, mentes, esse in omnes, qui fidem, & officium, prodiderunt, & imperium summi Domini contempserunt, & in instituto scelere ad extremum perstiterunt, rectissime uindicatum. Sed inquiunt, Cur eos Deus, quos sciebat fore scelestissimos, in uitam ingredi permisit? Quia non erat sapientiæ, & benignitati, consentaneum, ut hominum improbitas Diuinam probitatem impediret; & quia consentaneum erat, ut Diuinæ misericordiæ, atque iustitiæ, locus daretur: quod fieri non poterat, nisi fuisset in hominum potestate relictum, uel iustitiam, & pietatem, colere, uel impietatem, & scelus, consectari; & quia sic conueniebat, ut, quemadmodum thesauri misericordiæ erant explicandi, sic etiam iræ thesauri essent in omnium conspectu proponendi. Postremo, cum omnia a Deo fiant propter electos, erat opus, ut ad tempus aliquod libera uoluitaret improbitas, quæ pios homines exerceret, uirtutemque perditis conatibus illustraret, ut ita tandem, in perditorum hominum interitu, bonorum gloria clarius emineret. Sic igitur propter se Dominus, ideſt propter insitæ clementiæ magnitudinem, qua omnia ad electorum gloriam conferebat, sustinuit patientissime uasa iræ, ut uasa misericordiæ multo magnificentius omnibus opibus Rom. 9 Diuinis afficeret. Non sine caussa hoc in loco commoratus sum. Hostes enim Diuinæ gloriæ, quo se gloriæ Diuinæ, quam acriter, & impudenter, oppugnant, patronos haberi uolunt, ex hoc loco demonstrare nituntur, Deum absque delectu, sed tantum quia uoluit, ex communi generis humani massa alios quidem secreuisse, quos instrumenta pietatis esse uellet, alios autem sceleris ministros effecisse, ita, ut neque boni, neque mali, quidquam gerant, sed tantum eo, quo illos Diuina uoluntas impellit, necessario compellantur. Sed hæc alibi fusius disseruimus. Quo circa id tantum, quod instat, exsequamur. Ait deinde Salomon, arrogantiam esse Deo uehementer odiosam, detestabilem, & exsecrandam. Dei namque ipsius gloriam ad se impudentissime transferre conatur. Asserit deinde, quod iam ante dixerat, nullum iniquitatis, & calumniæ, fœdus in Diuino iudicio salutem perditis hominibus allaturum. Iam enim superius dictum est, per Manum unius cum alterius manu complicatam, fœdus intelligi. Manibus enim consertis fides datur, & accipitur. Ait igitur Salomon, frustra conati homines, qui ad iudicium redimendum sceleris socios adscisc unt, quorum testimonio, & gratia, liberentur. Vt enim humana iudicia interdum eludant, Diuinum certe iudicium non effugient; immo tanto grauiore supplicio peribunt, quanto impotentius in humanis iudicijs dominati fuerant. Qua ratione igitur sanctissimi iudicij periculum fugiemus? Misericordia, fide, & Diuini numinis metu. Misericordia enim, flagitiorum maculas delet; fides, in studium religionis incitat; timor Domini, ab omni peccatorum impuritate deterret.

Cum placuerint Domino uiæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem. Melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquitate. Cor hominis disponit uiam suam, sed Domini est dirigere gressus eius. Diuinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius. Pondus & statera iudicia Domini

sunt:

sunt: & opera eius omnes lapides saccu-
li. Abominabiles regi qui agunt impie: quoniam iustitia firmatur solium. Voluntas regum (*hoc est, Grata sunt Regi*) labia iusta: qui recta loquitur, diligetur. Indignatio regis, nuntij mortis: & uir sapiens placabit eam. In hilaritate uultus regis, uita: & clementia eius quasi imber serotinus.

Summa prudentiæ, in Diuinæ legis obseruatione, & in pietatis studio, consistit. Frustra enim uigilabit: frustra sollicite huc & illuc, rei gerendæ gratia, discurret: frustra denique dies atque noctes in opibus accumulandis elaborabit, is, qui a Domini uia diuersus incedit. Nihil enim feliciter illi procedet, cui cæleste numen iratum est. Contra uero, illi, qui, ut Deo gratus sit, uehementer elaborat, omnia feliciter euenient, usque adeo, ut hostes tandem illius imperium accipiant, & uoluntati obsequantur. Quod deinde sequitur, nempe, melius esse, parum cum iustitia, quam multum cum iniquitate, & iam superius dictum est, & est sæpius etiam merito repetendum. Non intelligunt enim homines, cupiditate cæci, quanto plus possideat, qui modum opibus parandis statuit, illo, qui omnia solus obtinere conatur. Neminem enim iniuria lædit, non est in uidiæ telis expositus, non multorum odio in salutis discrimen incidit, non sollicitudine conficitur, non curis tristissimis intabescit, &, quamuis minus possideat, possessio tamen illius est multo magis diuturna, &, quod caput est, Deum habet propitium, & illius præsidio defensus, nullas hostiles incursiones extimescit. Itaque multo maius, atque præstantius, existimari debet, quod est minus sollicitum, & inuidiosum, magis quietum, atque tranquillum, & multo magis diuturnum, quam id, quod est metu, & sollicitudine perpetua, concussum, & periculis expositum, &, ut nihil aliud dicam, Diuino tandem iudicio peruertendum. Ait deinde, omnem uitam hominis, non hominis consilio, sed Dei prouidentia, gubernari. Vix enim umquam, quod homo cogitat, quod animo frequenter agitat, quod sibi proponit, assequitur. Si iustus est, cum non semper id, quod expedit illius saluti, desideret homines enim plerumque, quamuis boni sint, in consiliis capiendis ignorant, quid euenturum sit, & in eligendis mediis sæpissime fallun tur. Deus, qui illorum pater est, eos ab errore deducit, &, quo ipse uult, eos impellit, ut facilius, quod ipsi cupiunt, adipiscantur. Improborum autem conatibus frequenter obsistit, eoque tandem illos abducit, ut inuiti gloriæ Diuinæ seruiant. Vtraque igitur ratione hominum consultatio non ultra Dei sententiam, atque uoluntatem, progreditur. Sententia, quę sequitur, est admirabilis. Regibus enim sapientiam Diuinam tribuit. Diuinum enim est, futura prædicere, & ita Remp. gerere, ut numquam error ullus exsistat. At uidemus, Reges plerumque errare, decipi, & in fraudem, opera suorum, frequenter induci. Vnde natum est prouerbium illud, quod in ore multorum olim uersabatur, nempe, Aut Regem, aut fatuum, esse oportet. Quid ergo dicendum? Hoc, opinor: multos esse Reges, hoc nomine prorsus indignos. Reges enim tantum illos esse, qui non tam suis opibus, quam suorum saluti, & incolumitati, prospiciunt; qui non se dominos, sed patriæ parentes esse, & haberi, percu
piunt; quibus nihil est studio iustitiæ, atque pietatis, antiquius; qui, ut suos animo patrio tueantur, sese facillime in uitæ discrimen injciunt; qui magis de Reip. defensione, quam de laude popu lari, sibi perpetuo cogitandum existimant; qui, ut hoc tam præclarum munus gerere possint, semper in Cæli rectorem intu entur, & ab illo opem, & auxilium, flagitant, ut cum felicitate Regnum administrent. Qui ita se gesserit, uir Diuinus existimari debet; & ita fiet, ut, quid cuenturum sit, multo ante prospiciat, & in iurisdictione numquam a lege Diuina discedat; immo Regnum ad Regis sempiterni uolun tatem semper administret. Hos igitur uere Reges appellat Salomon, & de his tantum loquitur, reliquos autem hoc nomine prorsus indignos arbitratur. Itaque Reges, qui uere hoc nomen usurpant, Diuini Spiritus radiis illustrati, cum Diuina prudentia longe in posterum prospiciant, diuinatione quadam prædi ti sunt.
Quod autem sit Regis officium, explicat, dum ait, pondus, & numerum, Domini iudicio contineri, usque adeo, ut etiam lapides sacculi, ideſt, calculi, quibus rationes exactissime referuntur, sint ad Diuinum consilium referendi.
Vt enim ille, omnia, quæ super subterque sunt, pondere, atque numero, definiuit, & dimensus est, & inter se lege certa, atque ratione, colligauit, ita statuit, etiam in terris, ut omnia certis ponderibus, atque numeris, tenerentur, & nihil posset stabiliti, atque inter se fœdere coniungi, quod non esset rata quadam ratione deuinctum, & æquabili moderatione copulatum. Vnde colligitur, numerandi, atque metiendi, disciplinam Regibus esse necessariam, si iustitia ad illorum munus, & officium, pertinet. Iustitia enim, æqualitate, & moderatione, continetur. Qui igitur rationem numerorum, atque ponderum, disturbat, uitæ societatem disturbat; & legem, & ordinem, a Deo in uita constitutũ, transgreditur, Abominatio, inquit, est Regibus, impietas. Pietas enim, est potissima iustitiæ pars. Iustitiæ namq. munus est, jus suum unicuique tribuere; pietas uero, jus suum, quoad licet, & fas est, Deo persoluit. Illum namque fide, religione, caritate, animo grato, atque pura mente, ueneratur. Qui igitur religionem uiolat, iustitiæ maximum officium prodit, omnemque iustitiæ rationem peruertit. Cum igitur iustitia sit, quæ Regis Maiestatem tuetur, & solium confirmat; quo modo fieri potest, ut non eos odio prosequatur, qui se impie gerunt, & præ sua cupiditate religio nem despiciũt? Inde adeo fit, ut, quemadmodum Rex est infestus improbis, & iniustis, ita iustos

Universidad de Deusto
Biblioteca

fauore suo complectatur;orationes eorum ad au
res libenter admittat ; & eos , qui recta loquun-
tur,non uulgariter amet . Regis indignationem,
esse nuntium mortis, aslerit;quia Rex, de quo lo-
quitur,numquam animo commouetur, nisi,cum
cernit,leges,& iudicia,conculcari , iusque Diui-
num pro nihilo duci. Vt igitur est bonis amicus,
ita est acer, & infensus,improbis ; & non medio-
cri supplicio scelus ulciscitur . Vir autem sapiens
Regem placabit. Quo modo? Iuris studio, san-
ctitate,religione,hominum caritate. Aliter enim,
Regem, qui se totum sempiterni Regis exemplo
confirmare nititur , placare non poterit . Vt au-
tem in irato Regis uultu , hominum metus , &
conturbatio summa,consistit,(ira namque illius
acerrime comminatur) ita hilaritatem uultus,at
que serenitatem , asserit Rex sapientissimus ui-
tam polliceri,clementiamque illius esse instar nu
bis , quæ pluuiam diu desideratam segetibus in-
ducit . Hæc tamen omnia ad summum Regem
potissimum reuocanda sunt : cuius seueritas est
maxime formidanda , & benignitas appetenda.
Ira namque illius in mortem sempiternam im-
pios detrudit,& benignitas in uitam sempiternã,
atque gloriam cælestem,pios euehit , ut in statu
Diuino collocentur.

Posside sapientiam , quia auro melior
est: & acquire prudentiam,quia pretio-
sior est argento.(*siue,Et possidere prudentiam præ
stantius est argento.*) Semita iustorum declinat mala, custos animæ suę seruat uiam suam . Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritu . Melius est humiliari cum mitibus,quam diuidere spolia cum superbis . Eruditus in uerbo reperiet bona: & qui sperat in Domino,beatus est. Qui sapiens est corde,appellabitur prudens : & qui dulcis eloquio,maiora reperiet.(*hoc est , Addet doctrinam.*) Fons uitæ eruditio possidentis: doctrina stultorum , fatuitas . Cor sapientis erudiet os eius, & labijs eius addet gratiam.(*siue,Doctrinam.*) Fauus mellis compositia uerba, dulcedo animæ & sanitas ossium.

Possidere sapientiam,ut iam diximus , est, in illius fructu omnes facultates , esse positas arbitrari, & eam omnibus diuitiis longe præferre. Aurum enim, illius comparatione,est ualde contemnendum,& argentum pro nihilo putandum. Quanti autem rem quamlibet facimus, tantum illius potiundæ gratia laboramus . Si igitur sapientiam rebus omnibus prætulerimus , omnes cogitationes, & studia , ad illam conferemus , & illius gratia perpetuo laborabimus ; & sic tandem illa cum insigni gloria perfruemur . Hoc enim etiam illius studium , est felicitate summa præditum , quod in rebus alijs exquirendis, quamuis uehementer,& assidue,laboremus,non semper, quod appetimus,obtinemus, &,quo ardentius erat desiderium,eo frustratione do lorius afflictamur. At , in sapientiæ uerissimæ studio, nullus conatus est irritus,nulla spes fallax, nullus labor inanis . Quisquis enim illius cauſſa uigilauerit,& in ea multum laboris,& studij,contulerit, eam plenissime consequetur . Quam facile uero sit illius studium, consequenter adiungit Sapiens,cum ait , Iustorum , hoc est sapientum, semitam, esse,a malo declinare . Non dicit, astra speculari,& plagas cæli,atque terræ,metiri; sed tantum,mala, hoc est flagitia , atque scelera, detestari , & ab omni uia peccati longissime remoueri . Nam , cum sapientiæ munus sit , salutem dare ; sapiens profecto non est, qui sibi perniciem molitur . Sibi autem pestem , & perniciem , comparat , qui peccati uiam non deserit. At,qui uiam suam seruat , hoc est,qui cauet , ne criminibus alligetur, & flagitiis inficiatur,is animam incolumem ab interitu conseruat . Commendat deinde Sapiens humilitatem , in qua est firmissimum pietatis , & innocentiæ , fundamentum . Quod ut melius faciat , docet , fieri uix posse,ut aliquis ex statu suo concidat,& grauibus ruinis opprimatur, nisi superbia , & arrogantia , præcedat . Est enim calamitas , atque ruina , supplicium , spiritus elationi constitutum . Longe igitur ad utilitatem melius, ad honestatem clarius , ad uitæ præsidium tutius , est, cum humilibus animum sapiéter abiicere,quam cum superbis triumphare . Humiles enim Diuino præsidio fulciuntur;superbi autem, illius iudicio conteruntur . Ait deinde, eos,qui uerbo eruditiuntur,omnia bona reperire . Quo uerbo,quæso?Num humano? Non certe. Omnis enim homo mendax est, & in summa imbecillitate uersatur. Diuino igitur . Quocirco Sapiens ille dicebat,se longe pleniore gaudio cumulari in Diuinorum testimoniorũ meditatione , quam si omnes diuitias inuenisset . Quis igitur diues ? Quis opulentus ? Quis denique beatus est,nisi is tantum, qui uerbo Diuino nititur , & omnem spem uitæ, salutis , & dignitatis , in Deo reponit ? Qui sapiens , inquit , est, corde appellabitur prudens. Inter sapientiam , atque prudentiam, discrimen ponitur . Sapientiam enim dicunt esse in naturæ peruestigatione , in ueritatis inquisitione , in Diuinarum , & altissimarum , rerum speculatione, constitutam . Prudentiam uero in Reip. moderatione , in familiæ conseruatione , in rebus noxiis acerrime repellendis , in salutaribus adsciscendis, sitam esse statuunt . Itaque multos sapientes esse dicunt humanarum rerum prorsus ignaros, & ad Remp. gerendam inutiles , & ea de causſa ab omni negotiorum tractatione repellendos ; alios uero sapientiæ expertes appellant,quos tamen,ut uiros acres, & ad mala propulsanda fortissimos , & ad bona comparanda promptissimos , Reip. præficiendos statuunt. Hunc errorem tollit Sapiens,& eos reprehendit, qui sapientes a Reip. procuratione reiiciunt; quasi

Psal.111.

Psal.118.

quasi fieri non possit , ut , qui sapientes sunt, prudentiæ laude præcellant.Sit ea sapientia , cui se dediderunt,non ostentatio ; sit Spiritu Diuino tributa,non humano ingenio magis acute,quam salutariter,inuenta; publicam salutem , non popularem admirationem,spectet;actiones suas ad Dei gloriam , non ad propriam dominationem, referat . Quis poterit uerius prudens , quam huiusmodi sapiens, appellari ? Quis enim acutius, quæ sunt Reip. noxia, atque pestifera , præcauebit?Quis clarius ea,quæ sunt utilia,atque salutaria,prouidebit ? Quis prouidentius insidias, in specie fictæ pietatis latentes,inspiciet ? Quis fortius impendentia mala propulsabit ? Quis uera bona diligentius ad totius Reip. salutem comparabit ? Diuina namque disciplina ad notitiam bonorum sic instructus est , ut nihil interuenire possit,quod eum fallat;eoque robore confirmatus, ut nullius metu impediri possit, quo minus ea, quæ Reip. profutura cernit, animo maximo, & alacritate summa,conficiat.Quid,si ad illius sapientiam eloquentia fuerit adiuncta? Poterit ne aliquid communibus rebus utilius inueniri? Eloquentiam igitur sapientis extollit continuo Sapiens,inquiens:Dulcis,inquit,eloquio, maiora reperiet . Duplicem eloquentiæ fructum proponit . Vnum,iucunditatis; alterum , utilitatis: quorum alterum sine alterius ope est imbecillum . Iucunditas enim, nisi sequatur utilitas, est inanis,& ludicra, & magis comœdijs,quam gratitati , sapientis hominis accommodata . Vtilitas uero , nisi antecedat iucunditas , constitui commode non potest.Cum enim humana natura laborem fugiat,& uoluptatis appetens sit,uoluptate honesta est allicienda , ut laborem non inuita suscipiat . Nomen autem Dulcedinis, eloquentiæ suauitatem declarauit : maiorum uero, hoc est doctrinæ nomen, utilitatem . Ait deinde, intellectum esse fontem uitæ,illis ipsis , qui uera intelligentia prædi ti sunt. Ex illorum enim uentre , ut ipse Dominus ait , flumina continenter emanant , quæ cupiditatis sitim facillime restinguunt, & immortalitatis fructus efferunt . Doctrina uero stultorum dementiæ fructus ad perniciem producit. Cum uero sapientiæ partus,eloquentia sit,congruum fuit , ut , qui tam Diuinis laudibus ornauit sapientiam , eloquentiæ etiam laudes explicaret . Inquit igitur : Cor sapientis erudiet os eius , & labijs eius addet gratiam . Si nimeloquentię admiramur, si illius iucunditate perfundimur,si magnificentiam illius uehementer expetimus,sapientiæ operam demus . Ex illius enim splendore eloquentiæ lumen exoritur; &, qui sapiens non fuerit , stulta loquacitate , & immodica garrulitate,aures obtundet; eloquens uero esse nullo modo poterit . Hæc igitur est prima eloquentiæ laus,quod sit ex sapientia , partu felicissimo,generata;secunda uero laus,quod sapientiæ lumen longe lateque diffundat . Muta namque sapientia illi tantum prodest , in quo insidet, alijs uero nullum adiumentum affert. At, cum eloquentiæ sibi præsidium adiungit,admirabiles utilitates habet . Erudit enim impe-

Ioan.7.

ritos,consolatur afflictos,iacentes erigit,læguentes excitat, audaces reprimit , timidos corroborat , morbos animi pellit , a mæstitia auditores auocat,& omnes denique,qui attente aures orationi præbent, studio uerę uirtutis incendit .
Has omnes eloquentiæ laudes Salomon animo complectens,ait: Fauus mellis est sermo iucundus, dulcedo animi,& sanitas ossium . Non dulcedinem tantum,sed etiam utilitatem, illius exponit . Ossa namque , idest mentis afflictæ uires,excitat, & languidam uim ad robur amissum reuocat,& animi statum collocat. Non solum igitur honestissima uoluptate animum reficit , uerum etiam firmo robore communit.

Est uia quæ uidetur homini recta , & nouissima eius ducunt ad mortem . Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum:uir impius fodit malum, & in labiis eius ignis ardescit. Homo peruersus suscitat lites , & uerbosus separat principes . (*hoc ex Hebræo explicari sic potest, & delator principum societatem dissoluit .*) Vir iniquus lactat amicum suum , & ducit eum per uiam non bonam . Qui attonitis oculis cogitat praua , mordens labia sua perficit malum(*Hoc est,Qui oculos suos occludit,aliquid peruersũ cogitat;qui labia uersat,malũ perfecit.*) Corona dignitatis senectus quæ in uiis iustitiæ reperietur. Melior est patiens uiro forti : & qui dominatur animo suo,expugnatore Vrbium . Sortes mittuntur in sinum,sed a Domino temperantur .

Hoc certe planum est, in tantis tenebris , hominum uitam,& in tanta rerum ignoratione,uersari , ut, quamuis ingenium sit sagacissimum,& acutissimum , & multorum negotiorũ usu instructissimum , nemini tamẽ exploratum esse possit, an id,quod uult,& expetit,& omni labore,& studio, consectatur , sit sibi causſam tæterrimæ pestis allaturum.Quocirca una tantum est prudentiæ uia certissima,ea nempe , quæ uera fide nititur , & uitæ suæ custodiam , & rei bene gerendæ consilium,Deo credit,atque permittit.Non quidem,ut interim otio diffluat,sed ut laboris,& industriæ,fructum,ad Dei prouidentiam,& benignitatem,referat;&,quidquid euenerit , ut illius uoluntate gestum æquo animo comprobet ; & intelligat,id esse,quod suæ saluti conducit.Ostendit deinde Sapiens,quot modis homines uarios labores in uita suscipiant . Omnes enim uicum sollicite quærunt;& os,hoc est edendi necessitas, laborare,& sudare , atque eriam pericula subire, compellit . Alij namque terram arant , alij arbores conserunt , alij rei pecuariæ operam dant, alij artes fabriles exercent,quidam remp. capessunt , quidam postremo ex militia rem parare,& augere,contendunt.Omnes tamen ex diuersis laboribus unum sibi finem proponunt , qui est in

Universidad de Deusto
Biblioteca

explenda cupiditate uitæ tuendæ positus. Hi tamen omnes uituperandi minime sunt. Labore namque legitimo,& Reip. non inutili,immo uale necessario,ad suam,atque familiæ, incolumitatem,opes exquirunt. Alij uero sunt, qui laborem honestum fugiunt,aliamque uiam, plenam sollicitudinis,ineunt,quæ est malitia,& calliditate, ad perniciem munita. Hi sunt illi, quos non hominum pudor, non legum sanctitas, non Dei metus, a maleficio continet, sed omnia iuris repagula conuellunt, ut immanes opes per summum scelus adipiscantur. Nec enim mediocribus contenti esse possunt,quos infinita cupiditas exagitat. Hos dicit Sapiens summo studio,& cõtentione, sibi ipsis pestem machinari,& dum medio crem laborem subterfugere studẽt,curis,& angoribus assiduis afflictari, & immensis laboribus defatigari,ut principatum obtineãt; qui tamen, tantum abest,ut, quod appetunt, adipiscantur, ut potius ipsa cura,& sollicitudine, qua sibi summas opes parare nituntur, malum infinitum sibi moliantur,& ignẽ sempiternum,quo excrucientur,incendant. Quot autem modis iniqui in iniquitatis studio,& contentione, laborent, consequenter Sapiens exponit. Alij namque pacem turbant,& lites excitant, & amicitias dirimunt, &,quæstus gratia, seditionum fluctus extollunt. Alij eos,quos sibi socios adiunxerunt, quamuis natura malitiosi non sint, eo tantum, importunitate orationis,impellunt, ut, spe ostensæ utilitatis illecti, sceleris societatem ineant. Itaque non satis habent,sibi ruinam struere,nisi multos etiam simul in eandem calamitatem trahant, & secum miseros esse compellant. Faciem uero eorum, qui toti sunt in conflandis sceleribus occupati,luculenter exponit. Qui attonitis oculis, ut interpres uertit,ideſt qui oculos,inquit,occludit, peruersum cogitat, qui labia mordet, & uersat, malum perfecit. Quod non sic est intelligendum, ut tum demum uir maleficus labia uerset, cũ id facinus,quod cogitãt,ad exitũ perducit;sed,cum mente secum agitaret, quo modo fraudem machinaretur, oculos pæne clausit, ne aliquid oculis obiectum animum alio auocaret, & ita meditationi sceleris officeret. At,postquam, cogitando,rationem sceleris inuenit,quasi perfecto iam scelere,triumphauit,& labia, comminando, uersare cœpit. Cum uideris,inquit,hominem profligatum,atque perditum,oculis demissis,attentissime cogitantem, intellige, illum ad aliquod insigne facinus meditari. Cum rursus eundem, iam elatis oculis,labia commouere conspexeris, scito,iam illi plenum sceleris consilium in animo consistere,& iccirco,tamquam patrato iam facinore,gloriari. Corona summa decoris,& dignitatis,est Senectus, quæ in uia iustitiæ consistit. Numquã enim senex iustitiæ laudem retineret, nisi in iuuentute,in uirtutis,& honestatis, gloria uiguisset. Omnia siquidem in extrema ætate,siue bona,siue mala,ad summum perueniunt, ita,ut mali,perditissimi in extrema senecta fiant; boni, tunc summam uirtutis,atque iustitiæ, maturitatem assequantur. Qui igitur ad extremum in studio iustitiæ perstiterunt,& oẽs impetus cupiditatis a se cõstantissime represserunt,summa laude,atque gloria,dignissimi sunt, atque, tamquã Diuini uiri,summis honoribus afficiendi. Ait,uirum longanimum esse uiro forti præstantiorem. Longanimitas,uerbum est,iis, qui pure loquuntur, ignotum,sed in sanctis litteris usitatum. Est autem Longanimitas, animi grauitas, & constantia,qua iracundiæ repugnatur,& uindicta in commodum tempus reseruatur, ut spatium resipiscendi habeat is,qui iniuriam intulit. Is,inquit, qui non ira commouetur,qui statum retinet, qui se ipsum superat,clarius opus fecit eo, qui bellũ profligauit,& urbes hostium excidit. Multi namque de hostibus uictorias consecuti sunt,qui,a se ipsis uicti,turpissime conciderunt. Docet deinde Sapiens,neque fortunam,neque casum,in uita dominari, sed omnia sic euenire, ut Deus uel ab initio designauit, uel,ut gloriæ suæ seruiret,cadere permisit. Quod adeo uerum est, ut eductæ ex sinu sortes non sine Diuino consilio educantur.

CAP. XVII.

MElior est buccella sicca cum gaudio, (*sine,cum pace*) quam domus plena uictimis cum iurgio. Seruus sapiens dominabitur filijs stultis, & inter fratres hereditatem diuidet. Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus. Malus obedit linguæ iniquæ: & fallax obtemperat labiis mendacibus. Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius: & qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Corona senum, filij filiorum: & gloria filiorum, patres eorum.

Diuitiæ expetuntur ad animi requietem, & tranquillitatem. Existimant enim homines,fore, postquam congestas habuerint opes domi, quibus necessitates omnes subleuare queant, ut nihil interueniat, quod illos sollicitudine ulla conturbet. Quod si secus euenerit,non ne liquet, esse multo præstantius,solo pane cum animi tranquillitate uesci,quam uictimas in conuiuio iugulare cum assiduo iurgio,& cõtentione? Erat enim in more positum, ut prius religionis gratia homines uictimas immolarent, quam conuiuium ex ijsdem carnibus instruerent. Sed domus plena uictimis cum iurgio, pacem, cuius gratia opes expetuntur,minime consequitur. At pauper,solo pane contentus,tranquillissima pace fruitur. Seruus sapiens dominatur in filiis Domini sui,si fuerint infames, & flagitiosi. Serui namque sapientes,naturæ lege,non serui,sed liberi,sunt. Sic enim natura comparatum est;ut sepientia coerceat temeritatem, & non temeritas sapientiam oppressam dominatu teneat. Cum igitur sapiens aduerso aliquo casu seruitutem aliquando seruit, id con-

id contra naturæ legem fit,quæ semper ad sapientes imperium defert. Qui tamen, etiam in seruitute,cum dederit insitæ sapientiæ documentum, imperium adipiscitur. Intelligunt enim Domini, salutem suam eorum moderatione contineri. Itaque illos sæpenumero non solum rei familiari,sed liberorum etiam educationi, præficiunt. Neque solum eos libertate donant, uerum & heredes cum filiis instituunt. Quin etiam ad summum interdum imperium, propter admirationem uirtutis,euehuntur. Sic Ioseph in Aegypto imperium consecutus est. Sic Daniel,& illius sodales,imperium Babyloniæ,atque Mediæ, consecuti sunt. Sic alij permulti iugum seruitutis depulerunt, ut sapientia sua multorum mortalium saluti prospicerent. Qui enim natura serui sunt, salui esse non alia ratione poterunt, quam sub sapientum dominatu. Sed,cur non semper ita fit? & cur imperium,quod est sapienti committendum,Principi temerario, & insano, permittitur? Quia multitudinis flagitia, cum ad summum peruenient, tyrannide constituta,puniuntur.

Et præterea ærumnæ,quas sapientes sub tyrannorum immanitate animo inuicto perferunt,eorum gloriam,& decus,amplificant. Vt enim aurum,aut argentum,igne probatur,sic probat suorum corda Dominus,ut, tamquam ex conflatura quadam,puriora,& longe clariora,ad immortale decus euadant. Cum uero non desint, qui ad ueritatem erudiant,qui pietatis disciplinam tradant, qui uiam uitæ monstrent, cur tam multi sunt, qui perditos homines disciplinæ fallacissimæ magistros assectentur, malintque illis aures prębere,qui ad pestem,& exitium sempiternum, duces sunt,quam auscultare illis, qui ad sempiternam salutem uocãt? Quia multo plures sunt, qui animum corruptum gerant, & ex fraude, & fallacia,compositi sint, quam qui pura mente uitam instituere, & ex ueritate suspensas rationes habere,studeant. Perinde autem cuiusque docilitas est,quales illius mores sunt. Improbi enim facillime,propter insitam in animo prauitatem, se ad eorum studium applicant,quorum doctrina impunitatem improbitati propositam animaduertunt; & fraudulenti mendaciis, atque fraudibus, admodum libenter obtemperant.

Inde fit, ut errorum auctores, & principes, tam multos sectatores habeant, qui eos admirentur, atque suspiciant. Plerique enim impudenter elatos,& inflatos,homines, qui ingenium ostentãt, & uirtutem simulant, & sanctimoniam ementiuntur, & multos mortales ad se magnificis promissis alliciunt, Diuinos arbitrantur, cum interim modestos, & humiles, ueriſimaque uirtute, & non inani ostentatione,florentes,iocis, & sibilis,insectentur,eorumque disciplinam ingrate repudient. Hos,inquit Sapiens, non tam pauperes ipsos, quam eorum patrem, nempe Deum, qui eos benignitate sua complectitur,probris afficere;& eos, qui alterius ruina lætantur, impunitos minime fore. Immanitas enim non potest clementissimo Domino placere. Homines igitur, humanæ imbecillitatis immemores, qui in aliorum ruina se posse eisdem calamitatibus uexari, & suppliciis torqueri,minime recordantur,superbia,& crudelitate, iram Diuinam in se acrius prouocãt;atque perficiunt,ut seuerissimo Dei iudicio corruant, grauioreque supplicio mactentur, quam illud fuerat, in quo nimis intemperanter insultauerant. Et, quamuis hæc sententia in omnes, qui in aliorum miseria lætantur, conueniat, ad eos tamen præcipue pertinet, qui in sanctorum hominum cruciatibus exsultabant. Christi enim discipulos primum contemptione, atque derisione,persequebantur; deinde,omni crudelitate lacerabant;& ex eorum nece magnam uoluptatem capiebant. quod scelus minime impunitum fuit. Omnes enim, qui tam immane facinus susceperunt, dirissimo supplicio consumpti sunt. Ait deinde,diuturnam propagationem, & sobolem,esse parentum decus eximium;quod fit,cum posteri,maiorum,qui cum laude uixerant, uestigiis insistunt,& ad eandem uirtutem liberos eruditunt,ut eiusdem uirtutis exemplum diutissime permaneat, & generis princeps immortali memoria celebretur. Vt enim filiorum decus,& turpitudo, patres dedecore afficit, ita filiorum, atque nepotum,decus insigne, parentum gloriam laudibus eximiis,atque propemodum sempiternis,illustrat. Similiter, qui bonis parentibus procreati sunt,merito maiorum suorum nomine gloriantur: quemadmodum ij, quorum maiores fuere aliqua macula non uulgaris dedecoris adspersi, mentione illius turpitudinis,erubescunt. Deiicit animos generis macula, & posteritatem infamiæ labe contaminat. Cum hoc ita sit, quid ad nominis claritatem magnificentius esse potest quam sanctissimis disciplinis multos filios gignere, satuque Diuino posteritatem procreare, ad sempiterni nominis gloriam, & regni cælestis hereditatem, nullis sæculis interituram? Quid rursus filiis illustrius, quam in maioribus suis Diuinos uiros enumerare; quorum disciplinis,& exemplis, instituti, ad studium immortalitatis,atque Diuinitatis,adspirant.

Non decent stultum uerba composita, neque principem labium mentiens. Gemma gratissima, exsultatio præstolantis: (*Ex Hebræo sic explicari potuisset,Gemma gratissima est munus in oculis illius,qui illud possidet.*) quocumque se uertit, prudenter intelligit. Qui celat delictum,quærit amicitias: qui altero sermone repetit, separat fœderatos. Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum. Semper iurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum. Expedit magis ursæ occurrere raptis fetibus, quam fatuo confidenti sibi in stultitia sua. Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius. Qui dimittit aquam, (*hoc est,qui aquæ uiam aperit*) caput est iur-

Universidad de Deusto
Biblioteca

est iurgiorum:& antequam patiatur contumeliam, iudicium deserit. (*id est, antequam contentio suscitetur, litis materia tollenda est.*) Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est uterque apud Deum. Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere non possit?

Non decet, inquit, elegans sermo dementem, qui ornamentis orationem illustrare nititur, cũ interim nihil hominum prudentum approbatione proferat; sed tantum inanes uerborum sonitus, absque ullo argumento, profundat; &, quo oratio illius est magis elaborata, eo clarius illius inanitas apparet. Quod si stultum parum decet orationis cõcinnitas, quanto minus decebit Principem mentiri? Stultus enim in dicendo inuitus errat: at Princeps spõte sua delinquit. Et stultus, cum eleganter loqui studet, ad laudem enititur; Princeps, mentiendo, turpitudinem insignem subire minime uereatur. Quid enim magis turpe sit Principi, quam mendacium, excogitati non potest. Primum enim, mendacium est a metu profectum. Qui enim mẽtitur, aut iudicium metuit, aut offensionẽ, aut uitæ periculum. Timor autẽ, est miserrimæ seruitutis indicium, & animi minime constantis argumentum. Vnde sequitur, ut Princeps meticulosus, sit nomine Principis prorsus indignus. Nec enim Princeps appellari debet, nisi is, qui excelso, & elato, animo est, & humana infra se posita iudicat. Qui autem timet, id certe, quod timet, longe superius, atque fortius, opinatur. Præterea, si iudicium timet, est iniustus; si hominum offensiones, obnoxius; si pericula, parum fortis. Cum igitur neque iniquus, nec adulator, neque imbecillus, Principis dignitatem obtinere possit; &, qui mẽtitur, omnibus his flagitijs opertus necessario sit; constat certe, nihil esse Principe mendace flagitiosius. Postremo, cum Principis officium sit, Remp. florentem, atq. beatam, efficere; beatam porro Remp. non falsa bona, sed opes uerissimæ, faciunt; Princeps igitur, qui mendax exstiterit, non poterit esse huius tam præclari muneris architectus. Non enim uera bona in Remp. conferet, sed falsa, & inania. Quo modo enim efficiet Remp. uerissimis bonis affluentem, nisi perperuo in illum summũ Dominum, qui est summa, atque sempiterna, ueritas, mentem intenderit? At, qui mentitur, non in Deum, sed in Diuini nominis hostẽ, qui mendacij auctor, atque adeo parens, est, oculos conijcit. Vnde colligitur, non posse ullo modo Principem mendacem Remp. procurare. Cum igitur uidemus, homines amentissimos dicẽdi, laudem aucupari, aut Principes mendacijs oblectari, possumus non absque ratione, suspicari, eos sub hoste generis humani stipendia facere, seque totos ad Antichristi similitudinem, atque mores, effingere. Gemmam gratissimam esse dicit munus illis, quibus donatum est. Non enim ponunt in lucro, quodantea possidebant. Id igitur, quod aduenticium est, quod minime sperabant, plurimi faciunt, & illius recenti possessione egregie lætantur. Quare prudenter ab interprete Exsultatio præstolantis fuit appellatum. Munus igitur missum, hominibus aditum ad gratiam aperit; munus negotium sollertissime gerit; & muneribus denique omnia, ad uoluntatem illius, qui potentibus gratificari studet, efficiuntur. Sed quid hoc est, quod Sapiens ait? Num nos admonet, ut, cum fuerit nobis aliquid cum Principibus agendum, non ueritate, sed muneribus, innitamur, iudices etiã donis expugnemus? Credibile certe non est. Sed uel Principes accusat iniquitatis, qui id, quod est iustitiæ debitum, ad munera transferunt; & eos, qui non tam causſæ, quam donis, confidunt, illis, quos uirtutum merita confidentes facit, longe præponunt; uel, quod magis reor, ex hac hominum iniquorum similitudine exemplum sumit ad negotia apud rerum omnium Dominum sapienter administranda. Quemadmodum Dominus, ut est apud Lucam, exemplo, ab iniquo seruo, callido tamen, qui sibi amicos ex mammona iniquitatis effecit, deducto, nos instruit ad benignitatem, & misericordiam, egentibus tribuendam. Quasi dicat: Si ab hominibus aliquid impetrare uis, aut in iudicijs litem obtinere cupis, munera largiris: aliter enim arbitraris, futurum, ut nihil tibi ex animi sententia procedat. Similiter, si cũ Deo aliquid agere uis, quod ad salutem, & dignitatẽ, ualeat, est tibi etiam muneribus pugnandum: quemadmodum ille dicit, Non apparebis ante me uacuus; sed dices, quæ munera illi possũ offerre, in cuius potestate omnia sunt? Illa certe, quæ scis illi fore gratissima: Vitæ nempe conuersionem, animi puritatem, hominum caritatem, uiduarum, & pupillorum, patrocinium, & Diuinæ legis studium, & reliqua eiusmodi munera, quibus delenitur, & a seueritate ad gratiam frequenter inflectitur. Nec est etiam parum prudens admonitio, ut secũdum Deum te illis gratum ostendas, quorum beneficiis obligatus es, uolũtatemque tuam muneribus missis testificeris, ut sic illum oblectes, qui te sibi deuinxit, & dignus beneficijs multo amplioribus uidearis. Ostendit deinde, quo modo sit cum hominibus uiuendum, & iniuriæ uicissim tolerandæ, si uolumus pacem, & cõcordiam, perpetuo tueri. Si enim nimis exacte ius nostrum exquirimus, & cum amicis, & necessarijs, acriter expostulamus; fieri non potest, ut pristina cõiunctio diu maneat, immo plerumque accidit, ut amor summus in odium acerbum conuertatur. Sunt enim quidam ita natura queruli, & contentionis cupidi, ut numquam de iure suo decedere uelint, licet magnum periculum acerbissimæ dissensionis impendeat. Quod quidem uiris magnis, magnaque uirtute præditis, non potest accidere; sed amicorum errata dissimulant. Intelligunt enim, fieri uix posse ut quisquam ita legem amicitiæ seruet, ut numquam in officio delinquat. Iccirco iuquit Salomon, Qui amicitiæ firmitatem quærit, delictum celare: qui uero querimoniam iterat, & sæpe eandem accu-

Luc. 16.

Exod. 33.

dem accusationem repetit, animos alienat, usque adeo, ut, etiam Principem, a quo sibi malum gra uius metuere debeat, aduersarium sibi constituere, minime uereatur. Hi sunt, qui, ut est in uetere Prouerbio, malunt perdere amicũ, quã dictũ. Ratio autẽ, uel amicitiæ retinẽdæ, uel alienatæ uoluntatis reconciliãdę, est in offensionis obliuione, & nõ in illius intempestiua commemoratione, ponenda. Quam facilis autẽ sit medicina, quæ prudentibus adhibetur, ex eo perspicitur, quod illorum morbi, una tantum admonitione depelluntur; at stulti, neque cẽtum plagis ad sanitatem reducuntur. Prudentiæ autem munus est, pacẽ unice tueri, temeritatis, & insanię, dissensiones excitare, cuius quidem improbitatis stulti capite tandem plerumque pœnas luunt: ea enim moliuntur, & efficiunt, ut sit illis extremum supplicium legibus irrogandum. Hoc est autem, quod significat Sapiens, cum ait, Malum illis angelũ, idest nuntium, impendentis uidelicet necis, afferendum. Horum omnium malorum stultitia mater est: quæ quidẽ ut pestilentior sit, est plerumque cum insigni confidentia coniũcta. At, cum furiosus, & insanus, confidens est, sibique prudentiam, & acumen, arroget, neque pudore contineri, neque metu deterreri, neque officij religione prohiberi, potest, quin in suorum etiam perniciem erumpat. Tunc igitur multo tolerabilius est, in ursam catulis orbatam incidere, quã stulto nimis confidenti occurrere. Quid autem de furore illius dicendum est, qui non solum se infestum præstat illis, a quibus fuit leuissima iniuria lacessitus, neque illis tantum, a quibus numquam fuit iniuria uiolatus, sed in illos etiam furenter inuehitur, quibus est multis beneficijs obligatus? Huius quidem perfidia non erit impunita. Numen enim Diuinum est ingratis acriter infensum. Cum autem in discordia sit legum contemptio, morum corruptio, Reip. totius euersio, is, qui discordiæ auctor est, omnium malorum causſam sustinet. Vt enim, qui aggeres fluuijs oppositos disturbat, atque disijcit, causſam dat uastitati, quæ frugibus inferatur; ita, qui in Rep. aditum discordiis aperit, est, qui statum Reip. impetu furibundo prosternit. Qui igitur patriam suam tueri, & conseruare, desiderat, summo studio, cura, uigilantia, prouidere debet, ne dissensiones oriantur. In principijs enim omnium malorum causſa consistit. Est igitur in principio omnis discordiarum materia subtrahenda, & nascentibus morbis occurrendum. nam, postquam uires collegerint, sanari difficillime poterunt. Intelligendum tamen est, omnem discordiarum causſam a corruptis iudicijs exsistere. Est enim discordia ciuilis, pœna Diuina, populis, propter legis contemptum, & iudiciorum corruptelam, & flagitiorum impunitam licentiam, seueritate sanctissimi numinis, irrogata. Consequens igitur fuit, ut post discordiarum mentionem causſa ueerissima ciuilis dissensionis explicaretur. Ait igitur Sapiens, nõ solum Deum offendere eum, qui crimine liberat impium, sed etiam illum, qui iustum, & innocentem, crimine condemnat. Vterque igitur infando, scelere constrictus, in se iram Diuinam concitat. Neque solum in iudicio, cum ferenda est de uno quoque sententia, cum ab æquitate discceditur, Dei numen adu indictam incenditur, sed etiam in sermone quotidiano peccat is, qui hominem impium laudibus ornat, & qui hominem iustum, & pium, uituperat. cum enim laudatur impius, hostis nominis Diuini laudatur; quod est facinus impudentissimum: Cum uero iustus uituperatur, amicus Dei probris afficitur; quod similiter est crimen scelestissimum. Itaque oportet, antequam sententiam de hominum moribus, atque uita, feramus, illorum facta diligenter expendere, ne, temerario, & repentino, iudicio, irã in nos Diuinam prouocemus. Ait deinde, nullum umquam fructum opes immanes stulto allaturas. Emat ille quidem agros, emat supellectilẽ, emat gemmas, atque monilia; cum tamen sapientiam emere non possit, quam utilitatem ex opibus summis percipiet? Fructus enim diuitiarum, non in possessione, sed in earum recto usu, consistit. Rectus autem diuitiarum usus, Sapientia continetur. Vt enim non multæ citharæ, sed recte pulsandi artificium, citharœdum faciunt; ita non grandis pecunia, sed pecuniæ salutaris usus, hominem uere diuitem reddit. Qui igitur huius artis expers fuerit, quem fructum ex pecunia feret? Nullum prorsus. Immo, quo magis opulentus exstiterit, eo magis infelix, & miser, erit. Pecuniam enim ad dedecus, & exitium, conferet, &, quod potuerat esse salutis publicæ materia, erit illi, propter stultitiæ magnitudinem, sempiternæ pestis instrumentum. Est igitur illi, qui diues esse uelit, sapientia comparanda: quod stultus facere non potest. Pretio enim caret, quo sapientia emitur, nempe, modestia, & humilitate, incensoque immortalitatis studio, & ardenti pietate, & religione. Odit enim disciplinam, monitores insectatur, insolenter extollitur, Dei iudicia contemnit, &, opinione sapientiæ inflatus, ita se gerit, quasi possit ipse Remp. uniuersam prudentia, quam sibi impudenter assumit, facillime moderari.

Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur. Stultus homo plaudet manibus, cum spoponderit pro amico suo. Qui meditatur discordias, diligit rixas: & qui exaltat ostiũ suum, quærit ruinam. Qui peruersi cordis est, non inueniet bonum: & qui uertit linguam, incidet in malum. Natus est stultus in ignominiam suam: sed nec pater in fatuo lætabitur. Animus gaudens ætatẽ floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa. Munera de sinu impius accipit, ut peruertat semitas iudicij.

Anteponit Sapiens uerum amicum fratri: fratrem enim facit sanguinis necessitudo, amicum autem morum bonorum similitudo. Et frater est a natu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

a natura tributus, amicus autem libero iudicio delectus. Præterea, Amici nomen, si amor, qui animos conglutinauit, refrixerit, exstinguitur; at Fratris nomen in odio etiam capitali permanebit. Itaque Amici nomen numquam ab amoris ui, & ratione, seiungitur; Fratris uero nomen, in odio etiam immani retinetur. Nullę sunt enim capitaliores insidiæ illis, quæ a fratribus in fratres sępe nun.er comparantur. Itaque amicus semper diligit; frater, cum angustia premitur, fratrē, a quo flagitat opem, fratrem appellat, ita, ut tum demum exoriri, & fratris nomen agnoscere, uideatur. Et hoc etiam est ualde odiosum, quod officiū ab amico tributum accidit semper amico gratissimum; quod autem fratri cōfertur, minime gratum. Existimat enim is, qui a fratre beneficium accipit, multo minus sibi tributum esse, quam debebatur: omnes namque fratris opes in suis numerat. Non autem est ea mens sapientis, ut fratrem ab amicitiæ coniunctione secludat, sed, ut doceat, amicitiæ nomē esse per se sanguinis propinquitati præferendū. Et hac sententia docet Sapiens, quanti sit amicus faciendus; ea uero, quę sequitur, ostendit, quanto iudicij pondere sit examinandus is, quem ut amicum deligimus. Stultus enim nimis est, qui fidem suam obligat, pro eo, cuius fidem exploratam non habet. Non intelligit enim, quātis se periculis exponat is, qui pro ignotis, & alienis, qui nullum umquam ueræ uirtutis specimen in uita præbuerunt, sponsores esse uolunt. Hoc enim sponsionis officium amicis spectatis, & cognitis, & non illis, de quorum uirtute, & constantia, nulla umquam opinio fuit, debitū est, & optimo iure, cum necessitas efflagitat, tribuēdū. Ab iniurijs deinde absterret, & admonet, ne umquam nobis impunitatem proponamus. Qui enim ab imperio legitimo deficit, contentionem suscitat: ex ea uero contentione periculum sibi ipse extremæ calamitatis intendit, & damnum, quod intulerat, necessario compensabit. Vt enim sit aliquis tam mollis animi, ut iniuriam persequi nolit, aut tam timidus, ut ius postulare non audeat, in illo certe iudicio sanctissimo, in quo non potest ulla fraus, aut immanis potētia, dominari, is, qui fecit iniuriam, debito supplicio cruciabitur. Qui igitur iniquitatē suscipit, grauissimam pœnam suscipit. Qui autem opinatur, sibi nullum iudicium, propter summas opes, esse subeundum, est amentissimus. Vt enim, qui domum nimis excelsam ędificat, quo ostium altius est, & magis in altum prominet, eo grauius, cum labitur, in ruina conteritur; ita, qui nimis extollitur, eo grauiore supplicio mactabitur, quo insolentius efferebatur. Et tamen mirum est, quantam uim bonorum homines amentes, non modo e summę potentia, uerum e cordis iniquitate, & e lingua impuritate, sibi polliceantur. Itaque mirifice sibi placent, & eos despiciunt, qui fraudes concipere timēt, & insidias struere nesciunt, sed simplici, & pura mente uitam instituunt. At nemo illorum, quod fraude, atque mendacio, lingueque uersutia, consequi nititur, ullo modo consequetur; immo, ea calliditate, qua nimis efferuntur, omnes sempiternum sibi exitium comparabunt. Et tū ita sunt amentes, ut nō solum malitia gloriētur, uerū & filios suos ad prauitatem, monitis, & exēplis, erudiant. Erroris igitur pestilentissimi pœnas luēt, & homines improbi, & illi etiā, qui fuerint in filiorum educatione negligentes. Filius enim stultus afficit patrem dedecore, eximioq. dolore cruciat, & apud inferos etiam illis, qui sunt in sempiternā miseriam detrudendi, ex filiorum amentia, & improbitate, doloris nō mediocris cumulus accedet. Mirum est, cum tantū animus a coporis natura distet, esse tamen tantū inter utrumque fœdus, ut uix quidquam esse possit uni ab altero seiunctum. Inde fit, ut lætus animus, corpori, sanitatis, & bonæ ualetudinis, causam afferat: quemadmodum & animi angor assiduus, corporis robur paullatim absumit. Cum igitur nulla possit esse in mente iustitiæ experte iucunditas, consequens est, ut, qui firmam ualetudinem tueri perpetuo uelit, in iustitiæ studio perseueret. Quod quidem impius non facit; immo, muneribus delenitus, leges, atq. iudicia, perfringit, & contra ius & fas causas impuris hominibus adiudicat. Sed, quid est, quod Sapiens ait, impium de sinu munus accipere. Per Sinum intelligit intimum animi recessum, & cordis peruersissimas machinationes. Qui fraudem igitur mente concipit, pecunia iudicium redimere statuit; & ideo dicitur impius de sinu illius munus accipere, cuius gratia secundum illum iudicat, qui munus obtulit.

In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ. Ira patris filius stultus, & dolor matris quæ genuit eum. Non est bonum, damnum inferre iusto, nec percutere principem qui recta iudicat. Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est: & pretiosi spiritus uir eruditus. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens.

Prudens salutem cogitat, utilia meditatur, suū officium facit, alienum non usurpat. ne autem labatur, diligentissime cauet, cum his curis noctes & dies excubat, ne quidquam sibi sit impedimēto, quo minus ad beatam uitam perueniat. Nullam igitur temeritatis, & inconstantiæ, significationem dat, sed uultu, & taciturnitate, quam graui iudicio sit præditus, ostendit. Nec enim fieri potest, ut ex animo, in tam graues curas intento, aliqua species leuitatis foras emineat. At stultus, insitæ imbecillitatis immemor, sibi minime prospicit, suum officium negligit, in alienum furenter inuadit, salutem suam non curat, in alios pestem machinatur; uarijs curis distentus, in contrarias partes impellitur; & nunc huc, nunc illuc, animo discurrit; quæ sunt in adspectu posita, non uidet, & ultimas terras temere peruagatur. Hoc enim est illi propositum, ut solidum

officij

officij fructum pro nihilo ducat; & leuia, & inania, cogitatione peruestiget. Itaque temere ruit, inaniter exultat, furibunde cōcitatur; &, cum tantis motibus animi, horis singulis, atque adeo momentis, agitetur, fieri non potest, quin multis signis insitam leuitatem, & inconstantiam, demonstret. Ne autem parentes sint in disciplina filiorū dissoluti, docet, quanta uis malorum ex filiorum insania in parētes redundet. Dolet, & angitur, pater, cum filium cernit in furore uersari; mętet, & lamentatur, mater, cum uidet, filium, quem cum multis doloribus fuerat enixa, in pernicie bacchari. Ad maiorem autem acerbitatis, & doloris, cumulum, accedit desperatio sanitatis. Furiosi enim respuunt omnem medicinam, & in ipsos medicos inuehuntur. Tales autem erant illi, qui dicebant, Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris. Non possunt enim homines furiosi, tenebris assueti, ferre lucē; & iustitię splendorem odio immani persequuntur. Hoc odium Prophetas crudelissime persecutum est; hoc multos homines sanctos afflixit; hoc innumerabili iustorum multitudini necem attulit; hoc denique summum iustitiæ parentem, nostręque salutis architectum, in Crucem egit. Cum autem homines conscelerati hoc infandum facinus aggressi sunt, existimabant, se preclare rebus suis consulere. Nam, occasu lucis, ipsius insitę turpitudinis infamiam occultare cupiebant; & præterea licentiam flagitiorum obtinere desiderabant. Vtrique autem rei erat impedimento clarissime lucis amplitudo. Flagitiorum namq. turpitudo multo clarius in luce meridiana perspicitur; & in iustitiæ ipsius splendore minus liberæ sunt hominum uoluntates ad peccandum. Ex interitu igitur Christi, homines perditi, sibi & dignitatem, & impunitatem, pollicebantur, & maximas simul utilitates spe inanissima deuorabāt. Non ita erit, inquit Sapiens. Nullū enim bonū ex iusti ipsius interitu cōsequentur illi, qui eū omni crudelitate lacerandum suscipient; nec illi quidē, qui principes, hoc est Christi discipulos, odio iustitiæ, quā prædicaturi sunt, crudelem in modum percutient. Vtitur autem ea figura, qua dicimus, hominem minime lætari, cum eum summa tristitia cōfectum significare uolumus. Ita Salomon, cum dicit, Nō est bonum, damnum inferre iusto, neque percutere principes propter æquitatem, hoc plane dicit, non, ut sperabant, impij utilitatē ex immanitate sua percipient, immo, malorum omnium tempestate iactabūtur, & suppliciorum fluctibus obruentur. Quod Salomon prædixit, effectum cernimus. Iudei namque, post Christi necem, libertatem amisērūt, bonis omnibus spoliati sunt, calamitates dirissimas patiūtur, extorres, & exsules, uagantur, angore, metu, sollicitudine, cruciātur, omnium mortalium odio flagrant, undique expelluntur, & eijciuntur, nec ullum in tantis malis solatium, aut laboris alleuamentū, inueniunt. Similiter, qui Christi discipulos, propter odiū æquitatis, immanissime persecuti sunt, nullum ex ea crudelitate emolumentum consecuti sunt, sed potius grauissimas pœnas exsoluerunt. Quantū periculū ex effrenatæ linguæ petulantia rebus humanis impendeat, est explicatu difficillimū. Sapiens igitur, quēadmodum coercet animi motus, ita linguæ frenum injicit, ne quidquam ex ore prodeat, quod damnum inferat, aut offensionem excitet, aut nomen ignominia deformet. Itaque uerba diligenter examinat, & officiorum momenta perpendit, ante, quam aliquid e corde depromat. Dixi, inquit Dauid, Custodiam uias meas, ut non delinquā lingua mea. Et Iacobus, Si quis in uerbo non offenderit, hic perfectus est uir. Recte igitur Salomon Sapientes appellat eos, qui orationi modum statuunt, & pretiosum spiritum, idest salutaris eloquentiæ fructum, esse dicit in eo, qui iudicio loquitur, & orationem ita moderatur, ne umquam in perniciem, & dedecus, erumpat. Tantum autem momentum in opportuna taciturnitate ponit, ut asserat, stultum etiam in tacēdo aliquam sapientiæ laudem non immerito consequi. Non enim est contemnendum prudentiæ signum, mentis inopiam silentio tegere, &, quod officere nomini, atque dignitati, potest, taciturnitate comprimere.

Sapien. 2.

Psal. 38.

1. Iacob. 3.

CAP. XVIII.

Occasiones quærit qui uult recedere ab amico, omni tempore erit exprobrabilis. (*Hebraice, sic, Qui desiderio tenetur, separatus inquirit, & in omni solida doctrina se commiscet.*) Non recipit stultus uerba prudentiæ, nisi ea dixerit quæ uersantur in corde eius. Impius cum in profundum uenerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium. Aqua profunda uerba ex ore uiri: & torrens redundans fons sapientiæ.

Desiderium ducit hominem, & in eo uehementer elaborat, ut, quod appetit, adipiscatur. Quo autē desiderium est ardentius, eo incitatur animus uehementius. Iccirco fit, ut, qui flagrat sapientiæ cupiditate, curam sępenumero rei familiaris abijciat, hominum familiaritatem refugiat, communionem sanguinis aspernetur, & omnia tandem deserat, quæ possunt contemplationi ueritatis officere, usque eo, dum, quod acerrime cupit, assequatur. Itaque, neque naturę peruestigationem negligit, neque parum naturæ partes inter se fœdere consentientes admiratur, neque negligenter astrorum splendorem, & cælestis naturę conuersiones, intuetur, neque reliquarum artium disciplinas fastidiose reijcit, ut, illis, tamquam adminiculis, erectus, facilius ad Dei cognitionem perueniat. Hęc omnia stultus irridet, neque aliud comprobat, quā id, quod inaniter in animo uersat, & cogitationes cordis sui, studijs sapientiæ longe anteponit. Hanc sententiam, si Hebræum consulamus, ad sapiētiæ studium pertinere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tinere,non ambigo. Interpres illam ad infidelitatem amicitiæ retulit, cuius sceleris offensionem, nulla inquit posse temporis longitudine oblitterari. Certissimũ uero summæ stultitiæ argumentum,est in impietate constitutum. Summa porro uilitas,est in omnium flagitiorum colluuione. Soli igitur sunt maxime contemnendi, & probris omnibus afficiendi, qui pietatem oderunt, & in flagitiorum sordibus perpetuo uolutantur. Contra tamen fieri uidemus. Nam,qui sunt omnium mortalium contemptissimi, uirtutis amplitudinem,& sapientiæ claritatem, despiciunt; &,qui sunt omnium turpitudinum maculis inusti, probra in eos iaciunt,qui ueræ dignitatis gloria præcellunt. Hoc est autem,quod Sapiens dicit,cũ impietate cõemptionẽ coniungi,& cũ uilitate contumeliã. Vt enim quisq. maxime impius est, ita maxime ludibrio habet pietatẽ;&,qui sunt maximis flagitijs infames, in hoies uerissimæ dignitatis ornamentis exultos cõtumelias intorquent. At,cum uenenum ex ore impiorum prosiuit, aque dulcissimę ex ore piorum hominum cõtinenter emanant. Aquas autem profundas appellat Sapiens,ut ostendat,non esse torrentium similes, qui hieme tantum fluunt; accedente autem æstate,Solis ardore consumuntur. Aquæ enim ueræ sapientiæ, perẽnes sunt, & tum uel maxime sitim restinguunt,cum ardentius expetũtur. Sic enim ait summus,atque sempiternus, Sapientiæ magister, Qui biberit ex aqua,quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Alibi uero, Similiter, inquit, futurum,ut ex animis eorum, qui in illum crediderint, perennes aquæ fluant: hæ autem aquæ, quas ipse Dominus ostendit,sunt illæ,quas Salomon hoc in loco demonstrat atque Profundas appellat,quod exhauriri,& consumi,minime possint. Sunt enim salutares, atque sempiternæ, quæ ex ore uiri sapientis emanant. Omnes enim illius orationes, ex Diuinæ gratiæ perennitate nascuntur, & ad Diuinam gloriam conferuntur.

Ioan.4.

Ioan.7.

Accipere personam impij non est bonum, ut declines a ueritate iudicij. Labia stulti miscent se rixis, & os eius iurgia prouocat. Os stulti contritio eius, & labia ipsius ruina animæ eius. Verba bilinguis, quasi simplicia, & ipsa perueniunt usque ad interiora uentris. Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est opera dissipantis. Turris fortissima nomen Domini: ad ipsam currit iustus, & exaltabitur. Substantia diuitis urbs roboris eius, & quasi murus ualidus circumdans eum.

Vtilitatis species illudit hominibus amentissimis,ita, ut, contra ius, litem secundum illos dent in iudicijs,qui multum in Rep. uel opibus, uel gratia,possunt. Nam uel illorum potentiam extimescunt, uel ab illis gratiam inire student, ut res suas eorum fauore communiant. Non cernunt interim miseri,quanto magis metuenda sit infinita illius summi Domini potentia, qui est grauiter infensus iniquis,& quanto ardentius sit gratia illius expetenda, cuius summa benignitate, & inuicto præsidio,bonorum opes egregie muniuntur. Nõ est bonum,inquit, personam accipere,hoc est,potentiam,aut gratiam,aut necessitudinem, aut nobilitatem, sed tantum æquitatem, in iudicij examine perpendere. Cum dicit, Non est bonum, hoc plane dicit, Non, ut sperabant improbi iudices, erit illis fructuosum, perperam alicuius hominis potẽtis gratia iudicare. Immo, iudicium illud corruptissimum,illis pestem, & sempiternum exitium, afferet. Oratio stulti,lites, & contentiones, excitat. Quantam enim offensionem sermo inconsideratus afferat, minime cogitat;sed tantum,ut, quod mente parum sana conceperat,foras eijciat, elaborat. Neque uidet interim,cum,ut temeritati suæ satisfacit,id,quod erat silentio supprimendum, effutit, non solum se multis nocere, quos conseruare præstitisset;sed sibi ipsi grauissimæ cladis periculum moliri,quod præcauere debuisset. Qui enim multa loquitur, &, quidquid illi in mentem uenit,festinanter effundit, sibi sæpenumero pestem comparat. Quid de uersuti, & callidi, oratione dicendũ est? Is, qui non se in loquendo præcipitat,sed operam dat,ne eorum animos,qui rerum potiuntur, offendat, num sibi prospiciet? Nullo modo. Cum enim malitia in homine dominatur, multa uersat in animo,multa subdole fingit,multa callide machinatur. At omnis oratio,cum ad animi naturam efficta sit, consequens est ut hominis astuti, & ueteratoris,oratio,multiplex, & uaria, & incõstans, sit, & in tot se species induat, quot sunt fraudes,quę in animo uersantur. Nunc igitur adulabitur, nunc illius nomen,quem ante laudauerat, insectabitur: aliquando se periculum propulsare simulabit rursus, eundem,quem ante defenderat, capitis arcesset. Erit igitur calumniator,atque confidens, mendaciis innixus. Itaque se in animos hominum, sermone fraudulenter efficto, insinuare conabitur,ut eos tãdem, nihil hostile suspicantes, euertat. Hoc est autem, quod Sapiens asserit, hominis uafri,& astuti,sermones, prima specie blandiri, deinde in intima uentris, id est in ipsam uitæ sedem, & cordis penetralia, mortiferum telũ iaculari. Sed inquies, is qui ita fuerit instructus, alijs quidem nocebit, suum uero statum astutissime conseruabit. Non est ita. Nec enim tantas uires habet calliditas, ut inclusas libidines,& intestinas fraudes, celare diuposit. Cum igitur,quod impuri homines secretum tenebant, apparuerit, tanto maiorem offensionẽ incurrent, quanto maiore odio dignæ sunt inuidia occultæ, quam facinus apertum. Operis feliciter absoluti laus in diligentia consistit. Qui enim negligenter aliquid gerit, non efficit, sed, quod efficiendum susceperat, euertit. & dissipat. Est enim Negligentia, officij contemptio, imperij legitimi recusatio, de-

fidiæ

fidiæ ualde turpis argumentum mollis, & effeminati, animi languor, atque perfidiæ insignis indicium. Contra fidem enim facit, qui commissum munus negligẽter exsequitur. Quocirca merito exsecratur Hieremias eum, qui negligenter gerit opus Domini. Iure similiter Sapiens, non minus criminosum censet, opus susceptum negligenter geri, quam idem opus dissipari. Infinita sunt hominibus intenta pericula. Alij tamen alias opes sibi parandas existimant, quibus se tueantur. Sapientes quidem opem sibi a Deo tantum flagitandam existimant; &, hoc præsidio firme constituto, omnia mala, quæ possunt incidere, sibi minime metuenda putant. Multi uero, hoc neglecto præsidio, cum sibi multa auxilia parare conantur, tum uel maxime ad coaceruandam pecuniam modis omnibus enituntur.

Hie. 48.

Sunt igitur hominum factiones bipartito distributæ. Vna siquidem, in nomine Domini salutis arcem sibi egregie munitam fore confidit; alia, pecuniam, ut firmissimum uitæ præsidium, intuetur. Qui sunt igitur Sapientes existimandi? Illi ne, qui præsidio pecuniæ, quam fures auertunt, hostes diripiunt, inuecta morte deseruntur? Nullo modo.

Sed illi potius, quorum præsidium, & firmissimum uitæ propugnaculum, est in nomine Domini constitutum. Quod est autem nomen Domini? Si nomen, quod præcellentissimæ naturæ uim,numen, imperium, maiestatem, explicet, exquiris; nobis ignotum, est, atque, ut rectius dicam, nullum prorsus est. Nullum enim nomen, nulla oratio, nulla cogitatio, id comprehendere potest, quod est natura sempiternum, magnitudine maiestatis amplissimum, potentia, & uiribus, infinitum, atque, propter lucis immensitatem, longissime a cælitum etiam cognitione remotum. Si uero nomen scire uis, quo mentes nostræ ad spem firmissimam salutis erigantur, multa sunt.

Ea tamen omnia, uno potissimum continentur, eo nempe, quo & benignitas erga nos,atque potentia, declaratur. Alterutrum enim sine alterius ope, imbecillum est. Nec enim iuuat ulla benignitas sine potentia; neque rursus potentia sine benignitate, fructum aliquem poterit afferre. Vtrumque igitur est necessarium, ut is, cuius præsidio nitimur, & uelit, & possit. Semel, inquit Dauid, locutus est Deus; & duo hæc audiui, quia potestas Dei est,& tibi, Domine, misericordia. Vtraque autem uis,& immensæ potestatis, & clementissimæ uoluntatis, Iesu sanctissimo, & augustissimo nomine satis luculenter exponitur. Hoc enim salus uera, atque sempiterna, designatur. Salus autem a Deo tantum est postulanda, & expetenda, qui solus omnia, quæcumque uult, efficit in cælo, & in terra, & cuius tanta bonitas est, ut non solum sceleribus nostris ignoscat, uerum & nos, per unici filij merita, in societatem Regni cælestis inuitet. Hoc est igitur unicum miseriæ humanæ perfugium; hoc salutis inuictum præsidium; hoc gloriæ uerissimæ firmamentum; hæc turris fortitudinis, in quam omnes iusti confugiunt, ut hostium impetum facillime repellant, & ornamentis Diuinis, & gloria sempiterna, circumfluant. Quid diuites? Opinantur illi quidem, in exstructis pecuniæ aceruis esse sibi urbem muro fortissimo cinctam. Non uident enim homines amentissimi, opes humanas, odio & inuidia, circumsideri,insidiis circumueniri, hostili incursione deleri, cladibus infinitis exponi, & dira uastitate consumi, &, quod dirissimum est, earum cupiditate uiam ad sempiternam miseriam egregie muniri. Videbunt, inquit ille uir Diuinus, iusti, & ridebunt, & dicent, Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in uanitate sua. Cum igitur aliquod periculum imminet, non est nobis ad pecuniam, sed ad nomen Domini, recurrendum, si salui, & ornati, esse uolumus. & in omni rerum discrimine semper inuicti. Omnis enim, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Pſal.51.

Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur. Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. Spiritus uiri sustentat imbecillitatem suam: Spiritum uero ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Cor prudens possidebit scientiam, & auris sapientium quæret doctrinam. Donum hominis dilatat uiam eius, & ante principes spatium ei facit. Iustus prior est accusator sui: uenit amicus eius, & inuestigabit eum. (*hoc est ex Hebræo, Iustus prius examinat litem suam cum uenit proximus eius ut inquirat in eum.*) Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat.

Pſal.61.

Nihil est magis gloriæ Diuinæ contrarium, quam Superbia. Superbus enim in se omnia ponit, Dei beneficia ad uirtutem suam transfert, muneribus Diuinis inflatur, & insolescit, & quodammodo sibi Diuinitatem tribuit. Consequens igitur est,ut de statu suo concidat, Diuinoque iudicio peruertatur. Contra uero, humilis, qui omnem spem salutis in Diuina benignitate reponit, Dei clementia, de puluere excitatur, ut honoribus summis illustretur. Itaque semper casum calamitosum antecedit superbia; & delati honoris amplitudinem antecedit humilitas. Repentinum iudicium, est non solum temeritatis, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam iniquitatis, argumentum. Qui enim respondet, antequam audiat, aut decernit antequam causſam diligenter examinet, & mentis, & æquitatis, expers habendus est. Mentis quidem, quia in re, quam prorſus ignorat, iudicium nimis feſtinanter interponit; æquitatis, quia indicta cauſſa condemnat. Si igitur temeritas, eſt ignominia notanda, & iniquitas maledictis omnium configenda; reſtat, ut is, qui reſponſum dat, antequam aliquid audiat, ſit omnium prudentum iudicio uituperandus, & a Reip. moderatione repellendus. Prudentia igitur, & ſingulari mentis æquabilitate, præditus ſit, neceſſe eſt is, cui aliquod publicum munus aſsignatur. Sed hoc non eſt ſatis, uel ad rem familiarem recte conſtituendam, uel ad publicam ſalutaribus inſtitutis egregie temperandam.

Eſt enim opus etiam animo magno, & excelſo, opibus Diuinis innixo, & uirtutibus exaggerato. Signum eſt enim, non adeſſe fidem in Diuino ſubſidio firmiſsime collocatam, cum animus ſpem ſalutis abijcit, & metu conficitur. At ſine firma fide nulla uirtus exſtare poteſt. Spiritus uiri, inquit Sapiens, ſuſtentat imbecillitatem. Virum appellat hominem uirtute præcellentem, & inuicto robore firmatum. Hunc igitur nulli caſus exterrent, nulli terrarum motus exanimant, neque uniuerſi quidem orbis ruinæ de ſtatu deijciunt, cum ſit præſidio Diuino circumſæptus, ita, ut facillime naturæ imbecillitatem fulciat, & inuicta uirtute corroboret. Vt enim in morbis, corporis ægrotantis fiducia magnam uim habet ad recuperandam ſanitatem; & ægroti deſperatio medicorum ſpem debilitat, & omnem plerumque medicinam inutilem reddit; ſic animum ope Diuina confidentem nullæ res aduerſæ frangunt, abiectum uero conturbant, atque conficiunt. Quis igitur tunc animum iacentem excitabit? Quis fractum confirmabit? Quis abiectum, atque diffidentem, eriget? Fruſtra namque manum porrigimus illi, qui ſibi ipſi opitulari, propter deſperationem, recuſat. Hoc in loco interpres pro נבאה facilem ad iraſcendum reddidit. quod Septuaginta, ὀλιγόψυχον δὲ ἄνδρα hominem, qui eſt animo abiecto, Græce uerterunt. Eſt autem נאה dolere, triſtitia affici, & morbo affligi. Cor prudens, hoc eſt, Intelligens, inquit Sapiens, ſcientiam poſsidebit. Intelligens autem eſt, qui ſapientiam omnibus bonis anteponit. Nemo enim hoc ſtudio flagrauit, & illi diligenter incubuit, quin uoti compos euaderet. Ad reliqua enim bona paranda, quæ uulgus hominum præclariſsima putat, humanis uiribus homines enituntur; ad ea uero, quæ Diuina ſunt, adſpirare nemo poterit, qui non ope Diuina fultus exſtiterit. At hominum conatus, irriti plerumque fiunt; ſpiritu autem Diuino confirmati, omnia, quæ cupiunt, aſſequuntur.

Sed quærendum eſt, num ſcientiæ cupiditati ſit aliquis modus conſtituendus. Non prorſus. Si enim ab ijs rebus, quæ certis finibus circumſcriptæ ſunt, nullis finibus humana cupiditas arceri poteſt, quo tandem modo terminari poterit infiniti boni cupiditas? Nec enim auari ulla pecunia ſatiantur; nec ambitioſi ullum terminum honoribus, & imperiis, ratione præfiniunt; neque libidinoſi uoluptatibus ullis expleri poſſunt; neque crudeles ullo ſanguine ſatiantur; neque denique homines amentes, & perditi, qui ſummum bonum in rebus interituris ſitum eſſe ſtatuunt, ullo termino continentur. Quo modo igitur uerum eſt, cum humana boni ſummi cupiditas infinita ſit, eo quod ad infinita bona perfruenda nati ſimus, ut ea cupiditas, quæ ueriſsimum ſibi bonum proponit, ullo fine terminetur? Neceſſario igitur fit, ut, qui iam ſapiens eſt, eo gradu ſapientiæ, in quo iam locatus, eſt, contentus minime ſit, ſed ultra progredi, & plura ſcire, deſideret. Ideo ſequitur, Auris ſapientis quæret ſcientiam. Mens enim ſapientis in bonum infinitum intenta eſt, & ita numquam poteſt ad extremum peruenire, poteſt tamen diebus ſingulis opibus augeri: parui autem animi eſt, nolle, cum poteſt, in re tanta proficere, & diuitiarum cæleſtium acceſsione locupletari.

Dixerat Sapiens, muneribus negotia feliciter expediri. Hic eandem ſententiam repetit, cum, ſimilitudine ex humanis negotiis ducta, ſignificat, ei, qui uult apud Deum negotium ex animi ſententia gerere, eſſe muneribus agendum, operamque dandam, ut ad Principes, qui apud Deum multum gratia poſſunt, muneribus introducatur. Munera ſunt, pietas in Deum, caritas in homines, religionis ſanctitas, uitæ puritas & caſtimonia, & continuum precationis ſtudium. Oſtendit deinde Sapiens, nullum fore homini iuſto, culpa ſua, certamen. Nam, antequam iuſtus in iudicium uocetur, ipſe ſibi iudex eſt. In iudicium uero amorem ſui non adhibet; iram, inuidiam, odiũ, cupiditatem repellit; omnia, quæ mentem tenebris opplere ſolent, a ſe longiſsime remouet; tum litem ſecum diligenter expendit; &, ſi proximus ius æquum poſtulat, nullam moram interponit, quin illi cauſſam libenter adiudicet. Quod ſi ius fuerit anceps, & dubium, facillime, ſi aduerſarius ab ea mente non fuerit alienus, Sorti iudicium committit. Adeo enim ſunt omnia in conſilio Diuino conſtituta, ut neque ſors quidem, cum ita conuenit, extra iudicium illius educatur. In rebus autem dubiis, & controuerſis, ſors diſcordiam ſedat, pacem conciliat, motus comprimit, & omnes occaſiones diſſenſionum circumcidit. Hæc autem facillime fiunt, cum cupiditas immanis, & importuna, reſecatur. Cum autem cupiditas dominatur, nulla poteſt eſſe nec inter fratres quidem fœderis firma conuentio: ut continuo ſequitur:

Frater qui adiuuatur a fratre, quaſi ciuitas firma: & iudicia quaſi uectes urbiũ. (*Hebræi ſic interpretantur, Frater deſertor durior eſt Vrbe munita, & contentiones ſunt ut arcis repagula.*)

Quan-

Quanta uis ſit cupiditatis indomitæ, ex eo perſpicitur, quod non ſolum ſocietates fœdere ſacro ſancto firmatas diſſoluit, ſed etiã naturę iura perrumpit, & fratres in fratres incitat, eoſque in mutuam perniciem impellit. Si enim uolumina ſacra conſulimus, ex illis cernimus, primos duos fratres, a primo generis humani parente generatos, ita diſsimile inter ſe uitæ inſtitutum tenuiſſe, ut alter alteri necem, per ſummum ſcelus, intulerit. Si te ad Romanorum annales contuleris, reperies, Romæ fundamenta fuiſſe a Romulo, ipſius Vrbis conditore, fraterno ſanguine polluta, & infecta. Quid de fabulis dicemus? Eſt aliquid magis poetarum carminibus celebratum, quam acerbiſsimũ Eteoclis, & Polynicis, odium, quod eos tandem ad cædem mutuam, ſine ullo reſpectu, ad coniunctionem ſanguinis adegit? Neque ſolum hiſtoriæ plenæ ſunt, neque fabulæ tantum huius tanti furoris memoriam replicãt, uerum & uita cõmunis huius ſceleris exempla non pauca ſuppeditat. Siue id accidit, quia inuidia in eos, qui ſunt eadem condicione nati, uehementius erumpit, quia indigne patiuntur multi, eos, qui ſunt eiſdem parentibus orti, dignitate præcellere; ſiue, quia non facile poſſunt alij alios beneficijs obligare; quia quilibet a fratribus omnia ſibi deberi ſtatuit; multoque minus ſibi tributum eſſe conqueritur, quam ius propinquitatis efflagitabat; ſiue, quia offenſiones, a fratribus acceptæ, quo minus erant metuendæ, eo grauius uulnus infligunt; ſiue poſtremo, quod ſic natura comparatum eſt, ut, quo longius a malo diſſidemus, eo, cum ruimus, eodem malo fortius adſtringamur. Ita uero fit, ut, cum aliquis ab amore fraterno, quem ſummum eſſe decebat, abſcedit, odio ſummo capiatur. Quacumque igitur de cauſſa id fiat, certe conſtat, fratrum contentiones, cum cupiditatis, & inuidiæ, telis ſtimulantur, eſſe diriſsimas. Tantum enim malum eſt in cupiditate, ut iura etiam ſummæ neceſsitudinis, & affinitatis, effringat, & ſic fratres in fratrum perniciem incitet, ut nihil dirius, & capitalius, fingi poſsit. Eſt igitur, ut Sapiens ait apud Hebræum, odium in fratres excitatum, urbe munita fortius; quia citius Vrbem munitam expugnabis, quam odium penitus inſitum ex eorum animis euellas: eſt durius arcis excelſæ repagulis; quia facilius fores arcis perfringes, quam aditum fratri in gratiam fratris offenſi patefacias. Si autem ſius neceſsitudinis ſeruetur, quo fratres indiſſolubili fœdere adſtringuntur, nulla poterit tanta rerum calamitas in eos inuehi, quæ neceſsitudinem illam dirimat. uis enim naturę, qua illa conſtanter permanet, omnium urbium munitiones, conſtantia, & firmitate, ſuperat.

De fructu oris uiri replebitur uenter eius, & genimina labiorum ipſius ſaturabunt eum. Mors & uita, in manibus linguæ: qui diligunt eam, comedent fructus eius. Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem a Domino. Cum obſecrationibus loquitur pauper, & diues effabitur rigide.

Tantum malum eſt in linguæ immoderatæ licentia, ut non ſatis habeat Sapiens, nos de tam inſigni periculo ſemel admonere, niſi eandem admonitionem ſæpius repetat. Hoc autem in loco id magis facere conueniebat, quia diſſenſionis periculoſiſsimæ acerbitatem meminerat, quæ frequenter ex perditorum hominum oratione naſcuntur, qui ſe ita medios interponunt, non ut diſsidentes animos amore conglutinent. ſed ut etiam bene conuenientes odio inflammẽt. Vt igitur homines a maledicentiæ peſte deterreat, oſtendit, mortem, & uitam, in lingua conſiſtere. Nam, uel odium excitat, uel odio finem imponit. Hoc autem facto uel mortem affert uel uitam conſeruat.

Præterea, qui linguam in calumniam, & maledicentiam, conferunt, ſunt a morte deuorandi, & cruciatibus ſempiternis afficiendi; qui uero ea lites dirimunt, & ſaluti communi proſpiciunt, ſunt in futura, uita Diuinis bonis, æuo ſempiterno, cumulandi. Vnde colligitur, & mortem, & uitam, in linguæ poteſtate conſiſtere.

Sed, quia plerumque accidit, ut mulieres, cum ſint ad iram concitæ, uariiſque animorum motibus agitentur, & ob id uiros ſuos ſæpe ad peſtiferam ſeditionem ſollicitent, oſtendit iterum Sapiens, quantum bonum ſit homini, mulierem inuenire. Mulier enim, in auxilium uiro, & non in perniciem, data fuit. Et mulieris officium eſt, uiri iracundiam lenire, eumque ab odio ad beneuolentiam reuocare, & non naſcenti odio faces admouere. Mulier igitur, quæ uirum ad diſcordiam furenter inſtigat, non mulier, ſed furia eſt, in mulieris forma, ad infelicis uiri perniciem figurata. Qui igitur mulierem, & non furiam, domum duxit, ſingulari beneficio a Deo affectus fuit. Non enim dedecus extimeſcet: non rei familiaris interitum lamentabitur: non ad odium ſine graui cauſſa commouebitur: non denique erit imperio muliebri, cum inſigni macula turpiſsimæ ſeruitutis, adſtrictus. Ponit deinde Sapiens ob oculos ſpeciem uiri pauperis, ius ſuum humiliter, atque demiſſe, poſtulantis, & diuitis ſuperbiam, duriſsime, & contumelioſiſsime, poſtulatum repudiantis; ut pauperis humilitatem ſubleuandam, & diuitis ſuperbiam deteſtandam, arbitremur, ſi uolumus nos exemplo illius conformare, qui ſuperbis reſiſtit, & humiles in gratiam recipit.

Vir amicabilis ad ſocietatem, magis amicus erit, quam frater.

Pauci admodum ſunt, qui rite, atque ſancte, leges amicitiæ ſeruare poſsint. Nam, ut alia omittam, tanta uis amicitiæ eſt, ut unus animus e pluribus fiat. Ergo, cum animus ſecum ipſe diſſidet, atque diſcordat, non unus animus poteſt

Universidad de Deusto
Biblioteca

appellari,sed quodammodo plures.Nō est enim simplex,sed multiplex, & ex tam multis partibus conflatus, quot sunt uitia, quæ illum exagitant. Aljo enim trahit auaritia, alio detorquet ambitio; in aliam partem rapit immanitas, in aliam instigat libido;& , ne plura flagitia persequar,ita dilaceratur,ut sui compos esse nequeat. Qui igitur secum minime conuenit, quo tādem modo cum alterius animo ita conglutinabitur, ut nullum inter utrumque discrimen sit? Vnde sequitur,ut,qui flagitiis oppressus est,non possit ullo modo cum alterius sensu,& uoluntate,coniungi. Ille igitur tantum amicis deditus esse poterit, qui est a cupiditate nefaria remotus, qui non est flagitiis affinis, qui animi sui partes dissidentes colligit,& rationis imperio obedire compellit. Hic igitur, cum alium, eadem natura,& moribus,constitutum,nactus fuerit,in illo, tamquam in se,mentem defigit, in illum studia conferet, & cum illo ita amoris sanctitate copulabitur, ut nihil uni ab altero seiunctum esse possit. Hi sunt,qui ad amicitiam apti sunt, quos interpres Amicabiles ad societatem appellat; qui, cum amicos obseruant,non commoda sua respiciunt,sed amicorum commodis, & emolumentis,inseruiunt;qui grata beneuolētia amicos prosequuntur;qui deniq. non pluris se ipsos,quā ipsos amicos,faciunt.Qui igitur eiusmodi sunt, nō mirum est,si ardentius ament, & constantius in fide permaneant, quam fratres, qui non eisdem omnino moribus constituti,& imbuti fuerint.

CAP. XIX.

MElior est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quam torquens labia. (*hoc est,quam uerbis uersutus,& insipiens.*) Vbi non est scientia animæ, non est bonum: & qui festinus est pedibus, offendet. Stultitia hominis supplantat gressus eius: & contra Deum feruet animo suo. Diuitiæ addunt amicos plurimos: a paupere autem & hi quos habuit separantur.

Multi ponunt in caliiditate sapiētiam; &,quo quisque malitiosius ingenium uersat, eo melius rem gerere, & fortius statum suum tueri, posse, statuūt.Quod longe secus euenit. Omnis enim, qui uirtutis expers est,amens est. Non intelligit enim, felicem animi statum uirtute contineri. Ergo,cum mentis expers sit, uitam rectē constituere,& ad finem,quem sibi proponit, peruenire nequit.Nam,quo magis ad beatam uitam enititur,eo a uita beata longius aberrat, & grauioribus malis obruitur.Contra uero,pauper,& humilis,qui non falsa opinione acuminis insolescit,recta graditur,sensim incedit, in alterutrā partem minime declinat, & sic tandem fit, ut, quod sapienter expetit, feliciter assequatur. Vbi igitur abest scientia, ibi nullus locus felicitati relinquitur.Temeritas enim furibunde ruit, &, quo magis accelerat,eo miserius concidit,& grauioribus ruinis opprimitur.Summa stultitia, improbitas est.Improbitas autem,uarie torquet animum,& a uia deductum,tab omniq. officio distractum,furere compellit,usque adeo, ut non solum in homines incitetur,sed etiā in Deum maledicta cōijciat.Quantas uires habeat cupiditas, ex eo colligitur,quod rarissimum genus sit eorum, qui iustæ amicitiæ sanctæ colant.Homines enim omnia pecunia metiuntur.Et iccirco fit, ut innumerabiles sese ad diuitum nomen adiungant, & pauperes ab amicis suis deserantur. A diuitibus enim assectationis mercedem sperant, a pauperibus nihil sperant.Amicitiam igitur simulant,cum longe ab amicitiæ sanctionibus absint. Non enim homines diuites, sed diuitum opes, amore eximio prosequuntur.

Testis falsus non erit impunitus:& qui mendacia loquitur, non effugiet. Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici procul recesserunt ab eo. Qui tantum uerba sectatur,nihil habebit:qui autem possessor est mentis,diligit animam suam,& custos prudentiæ inueniet bona. Falsus testis nō erit impunitus: & qui loquitur mēdacia, peribit. Non decent stultum deliciæ, nec seruum dominari principibus.

Natura quidem sunt omnes homines ueritatis appetentes,& a studio uanitatis auersi. Cur igitur est omnis homo mendax? Quia uel metuunt,uel sperant. Mentiuntur igitur,& peierāt, uel ut pœnam effugiant,uel ut illis, a quibus aliquid emolumenti exspectant, gratificentur. At, nec ex iudicio elabetur, qui mendacia ex animo promit, nec ullius potentis hominis opera liberabitur, qui sanctissimam religionem periurio uiolat. Liberalitas principis, hominum mentes allicit; multique sese ad illius nomē libenter adiungunt, quem munificum esse uident. Non est igitur Liberalitas, laus in Principe contenenda, ut ea fama multitudinē sibi conciliet. Est tamen hoc Principi considerandum,esse modum in largiendo statuendum, ne, si ultra modum largitas progressa fuerit, materia benignitatis exhauriatur.Quod si acciderit,hominum studium refrigescet,& fides continuo uacillabit,ita,ut facile homines eo se conferant,unde certius assectationis præmium sibi donatum iri confidant. Non contemnat ille quidem beneficentiæ laudē, sed aliis uirtutibus longe clarioribus hominū admirationem cōmoueat,nempe,iustitia,moderatione,animi magnitudine,& pietate.Nam,si,neglectis reliquis uirtutibus hac una sibi egregie munitam uiam putauerit ad nominis claritatē, multis se difficultatibus implicabit. Primū quidem, cum largitio non possit ad omniū fructū peruenire, multo plures erunt destitutione offensi,quā beneficijs obligati.Deinde,cū cupiditas hoium immoderata sit, & expleri minime possit,nec eos qdē, quos bñficiis deuinctos tenere cupit,explere ullo modo poterit.Postremo,cū oēs opes effuderit, si aliquis casus aduersus inciderit,non poterit periculum a Rep. propulsare. Duo igitur sunt liberalitatis officio prouidēda. Vnū,ne quid indignis sine respectu ad merita tribuatur; alterū, ne opes publicæ sine ratione dissipentur.Intelligant etiam,eos, qui sine maximarum uirtutum meritis Principes assectantur,non Principes,sed Principum opes,quibus inhiant, amare. Sed ad Salomonis instituta nos reuocemus, qui hāc sententiam alia continuo confirmat. Inquit enim, tantam esse cupiditatis immanitatem, ut nulla caritas insit,ubi nullum emolumētum speratur. Proinde fieri, ut fratres fratrem pauperem odio habeant, & sodales inopes despiciant,& omnes, qui promissa flagitant,a se longissime repellant. Qui enim,inquit Sapiens, uerba sectatur, nihil habebit,nam,inopes, quod sibi a diuitibus promissum fuerat,coacti necessitate,recusant.

Promissa uero, propter auaritiam eorum, qui fidem dederant,se officio minime defuturos, non comparent. Non ingentes igitur pecuniæ, sed opes prudentiæ,sunt,quæ nomen,& decus, afferunt,& salutem perpetuo conseruant. Qui possessor, inquit,est mentis,hoc est qui prudentiam retinet, seruat animam suam. Rursus deinde falsum testem insectatur,& mendaces minaciter exterret.Tum ait, nō decere stultum uoluptatem. Primum quidem,quia decus in modo,& moderatione,consistit:stultus autem,quæ sit uis moderationis,ignorat.Deinde, quia stultus futiles,& inanes,uoluptates exquirit,ueras autem,& stabiles,pro nihilo ducit. Tum, quia uoluptates illæ, cum momento temporis effluant,animum dolore afficiū, & insignitur pitudine maculatū,relinquunt.Postremo quia stultus secundam fortunā ferre non potest. Cum igitur aliqua iucunditate perfunditur,insolescit,& insanit,& mentis compos esse non potest. Quod si stultus in uoluptate bacchatur,quid de seruo fiet,cum hominum peccatis principes, hoc est optimates, & uirtutibus summis excultos, oppressos impotēti dominatu tenuerit?Quis illius insolētiam ferret?Quis amentiam tolerabit? Quis furorem illius,& insaniam, non odio prosequetur?Cum enim animus minime uirtutis,& constantiæ, grauitate firmatur,honores insoliti illum iudicio rationis spoliant, memoriam pristinę condicionis obruunt,totam denique mentem eripiunt. Sic denique furit,& insanit, ut nihil turbulentius excogitari possit. Quod minime mirandum est. Qui enim iucunditatem aliquam sustinere nequit, &, illius motu perculsus,a mente deseritur, quo tandem modo imperium nulla moderatione terminatum sustinebit? Quod autem de seruo dicitur, ad omnes stultos transferendum est. Omnes enim stulti serui sunt.

Doctrina uiri per patientiam noscitur,& gloria eius est iniqua prætergredi. Sicut fremitus leonis, ita & regis ira: & sicut ros super herbā,ita & hilaritas eius. Dolor patris filius stultus:& tecta iugiter perstillantia,litigiosa mulier. Domus & diuitiæ dantur a parentibus,a Domino autem proprie uxor prudens. Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet. Qui custodit mandatum, custodit animam suam: qui autem negligit uias suas,mortificabitur.

Si iracundia mentem de gradu deijcit, si animum sanitate spoliat,si nihil est,quamdiu feruor iracundiæ uiget, quo iracundus a furioso distinguatur;consequens necessario est,ut qui iram cohibet,& tranquillitatē retinet, & multa dissimulat,summus uir habendus sit;&,quo grauior erat offensio,quę illum stimulabat,eo gloria illius clarius eminebit.Ira tamen Regis, ut Sapiens ait, est metuēda,tamquam leonis fremitus, & gratia Regiæ serenitas appetenda. Vt enim ros herbā lætificat,sic Regis gratia hominis mentē exhilarat. Nō enim timemus illius irā, qui nocere nequit; neq. gratiā illius appetimus,qui opitulari nō potest. At Rex,penes quē utriusq. rei summa potestas est,& metuendus est,ne uitā eripiat; & amandus,ut salutē sulciat. Sed quærendū est,cū summi uiri sit,irā cōtinere,ne se proijciat,& Rex, si iure hoc nomen obtinet, est omnibus summis uirtutibus egregie cumulatus, quo modo dicit Sapiēs, iram illius esse maxime metuendā?Quia uidelicet animus illius non cōmouetur,nisi,cum tāta est sceleris immanitas, ut dissimulatio sit in maximo scelere ponēda. Ad Regis enim munus, & officium, pertinet, strumā ferro seueritatis exsecare,ne totam Remp. pestifera lue cōtaminet. Cum igitur ira Regis nō leuibus causis,sed maximis,atq. grauissimis, excitetur, est offensio illius pertimescēda. Quod si Rex,qui Dei uice in terris ius administrat,ualde metuendus est,quid de Rege illo summo dicemus,cuius leuissimo tactu montes fumant,terra contremiscit,Orbi fundamēta quatiuntur, & cælum tenebris obductū flammas intorquet? Reliquum igitur est,ut numen illius perpetuo metuamus,& gratiam precibus assiduis flagitemus. Naturæ quidem humanæ sensus in societatem tendit, & solitudinem aspernatur, & respuit, ita, ut nihil illi iucundum esse possit in uita,qui solitarius est.Præterea,imbecillitas ipsius naturæ, nisi ope hominum mutua fulciatur, quo tandem modo statū tuebitur? Prima autē societas uiri,& uxoris, exstitit: inde parentum,atq. filiorū,coniunctio profluxit:inde reliquę societates exortæ sunt. Ratio autē postulat,ut in primis societatibus amor ardētior, fides constantior,auxilium salutarius,solatium iucundius,requiratur. Sic autem fiet, ut uir uxorem, tamquā se ipsam,diligat;uxor,marituū & amet,& uereatur;parentes, filios diligēter instituāt; filij, parētibus obediāt: & ita sint oēs inter se amore, & animorū consensione deuincti, ut extā sancta societate fructus iucūdissimi capiātur. Quid,si filius stultus fuerit?Certe patrē, q in illo spē nominis collocauerat,miserabiliter afflictabit. Quid,si mulier iracunda nimis & furiosa,fuerit:Vtū infelicē discruciabit.Oia igitur ex illa societate uel de cōtraria hōis opinioni prouenient. Nam pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

animorum coniunctione, diſsidium; pro uoluptate, cruciatum; pro rei familiaris cura, diſsipationem; pro tranquillitate, immanem tempeſtatē, ex uxore conſequetur. Vnde colligitur, uxorem moderatam, & recte moribus, & uita conſtitutam, eſſe Diuinū beneficium precibus aſsiduis a Deo poſtulandum. Hereditas enim, inquit Sapiens, a parentibus filijs obuenit: at uxor prudens a Deo conceditur. Deinde, opus eſt, ut parentes ſint, & in filiorum educatione, & in rei familiaris procuratione, diligentes. Pigritia enim ſoporem inducit. At familia, nō ſomno, atq. deſidia, ſed uigilātia, & induſtria, ſuſtentatur. Caput tamen domus feliciter adminiſtrandæ, eſt in Diuinæ legis ſtudio ponendum. Qui enim Dei præceptum ſeruat, animam ſuam ſeruat; & ſic facillime non ſibi tantum, ſed familiæ uniuerſæ, proſpiciet.

Feneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & uiciſſitudinem ſuam reddet ei. Erudi filium tuum, ne deſperes: ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam. Qui impatiens eſt, ſuſtinebit damnum: & cum rapuerit, aliud apponet. Audi cōſilium, & ſuſcipe diſciplinam, ut ſis ſapiens in nouiſſimis tuis. Multæ cogitationes in corde uiri: uoluntas autem Domini permanebit. Homo indigens miſericors eſt: (*Hebraice, Deſiderium hominis miſericordia eius.*) et melior eſt pauper, quam uir mendax. Timor Domini ad uitam: & in plenitudine commorabitur, abſque uiſitatione peſſimi. (*boc eſt, Et, cum fuerit in ſontes animaduerſum, malum non ſentiet.*)

Miſericordia nihil eſt utilius. Non enim perit, quod propter Deum in egentes impenditur, ſed ab ipſo Deo egregij fenoris acceſsionibus ampli ficatur. Cum homines officijs obligare uis, operam perdis. Aut enim, propter inopiam, gratiam non referunt; aut, propter perfidiam, gratiam habere recuſant. At, cum beneficium in pauperem conferſ, ſummum Dominum tibi artiſsime deuincis, qui poteſt miſericordiam ampliſsimo præmio munerare, & numquam ab ope hominis clementis, atque benigni, deducitur. Quod ſi benignitas omnibus prompta eſſe debet, multo maiore ſtudio eſt in filios conferenda. Benignitas autem in filios nulla præſtantior eſſe poteſt, ea, quæ in recta educatione, & in ſalutari diſciplina, conſiſtit. Augeant, inquit Sapiens, reliqui parentes, opibus per iniuriam partis, patrimoniū, quo filij ad perniciem intemperanter abutantur: tu uero erudi filium tuum. Sed, quid eſt, quod ait, Deut.21. Ne deſperes? Quia non uult lex, ut eſt in Deuteronomio, operam ſine ullo fructu ſuſcipi: in eo filio erudiendo, qui obedientiam contumaciter abiicit, & ad extremum conſilia deteſtatur, & impie monita parentum repudiat. Iccirco Hebræus dicit, Dum ſpes eſt. ideſt autem, dum docilis eſt, dum pudore aliquo continetur, dum in aliqua officij mediocritate uerſatur, & denique dum nondum ad ſummum impudentiæ, & audaciæ peruenit. Sic enim efficies, ne ad mortem, & ſupplicium, trudatur. Nam, ſi fueris nimis indulgens, & non in eo laboraueris, ut filius tuus ad pietatem eruditur, cum maximo animi tui cruciatu, filio necis cauſſam attuleris. Non uult tamen Sapiens, ut parentum ſeueritas in filiorum correctione ultra modum progrediatur, ne filij animo puſillo fiant. Iræ namque, tam in liberis inſtituendis, quam in Rep. moderanda, modus ſtatuendus eſt, ne in furorem erumpat. Iracundia enim uehemens, non mediocris furor eſt. Qui autem furit in homines, furenter inuehitur, & ita frequenter in diſcrimen ſalutis incidit. Et malum præterea eſt inſanabile. Vt enim, inquit Sapiens, ſæpe uelis hominem iracundum e periculo mortis eripere, nihil proficies. Implacabilis enim natura, nulla admonitione mitigatur, & ſemper aliquem ad morbum, quo eſt oppreſſa, & impedita, cumulum furoris adiicit, quo tandem pœnas temeritatis clade merita luat. Ab hoc autem periculo longe aberunt, qui conſilio parent, qui diſciplinam accipiunt, qui non animi furentis impetu, ſed ratione, ducuntur. Iccirco ſubiungitur, Audi conſilium, & ſuſcipe diſciplinam, ut ſis ſapiens in nouiſsimis tuis. hoc eſt, ut longe in poſterum uitæ tuæ proſpicias. In conſilio tamen capiendo id præcipue conſiderandum eſt, non eſſe proprio iudicio uel confidendum, ſed omnia ad Dei uoluntatem, & moderationem, referenda. Ille namque demum uitam recte gubernat, qui omnes uitæ rationes habet in Dei numine, conſilio, uoluntate, conſtitutas. Hominum conſilia ſunt uaria, dubia, & incerta; & exitus plerumque ab opinione eorum, qui ſapientes exiſtimantur, longe diuerſi. Sunt enim multi errores in uita: omnia tenebris occuluntur: quid ſit euenturum, nemo poterit, quamuis multo ingenio ualeat, exploratum habere. Reliquum igitur eſt, ut illi ſummæ ſapientiæ cuſtodiam ſalutis noſtræ committamus, quæ numquam falli, & decipi, potuit. Multæ, inquit Sapiens, cogitationes in corde uiri: at Domini conſilium ſtabile ſemper erit. Non eſt quidem rationis opera contemnenda, ſed eſt opus, ut ipſa ratio Spiritus ſancti numine dirigatur. Aliter enim, ſi Diuina moderatione fuerit deſtituta, in perniciem frequenter incurret. Summa igitur ſapientia eſt, non in nobis, ſed in Diuino conſilio, ſalutem noſtram collocare. Magnam autem ſapientiæ rationem in miſericordia ſitam eſſe, colligitur. Sapiens enim ſibi maxime prodeſt. Prodeſt autem ſibi maxime, qui ad beatam uitam, ad quam frequenter enititur, tandem peruenit. Beata porro uita, miſericordia, & benignitate, comparatur? Nam plenitudo legis, eſt dilectio. Sed inquies, Quid pauper faciet, qui benignus eſſe non poteſt. Non erit ille quidem, ſi pietate coluerit, a fructu benignitatis excluſus. Amore nāq. ſtudio, ſedulitate, doloris ſenſu, laboris cōlone, caritatis officium egregie præſta- Rom.13.

præſtabit; cum interim diues, qui opes ſuas cōprimit, & nullam earum partem cum ijs, qui erāt opera illius fulciendi, communicat, ſit miſeris adnumerandus. Itaque multo felicior, & opulentior, eſt pauper, qui in ſtudium benignitatis, quantum poteſt, incumbit, diuite, qui debito officio non fungitur, & ita fidem nefarie prodit. Debitores enim ſunt omnes, qui opibus abundāt, ijs pauperibus, qui opera illorum indigent, maxime uero, quos ſecū cernunt eſſe pietatis fœdere, & ſocietate, cōiunctos. Mendax igitur eſt homo, cū debitū, quo eſt alligatus, ſoluere recuſat. Pauper igitur, miſericordia, quod deſiderat, aſſequetur; diues autem auarus, qui officium ſuum egentibus denegauit, excludetur. Timor Domini, ad uitam ducit. Si enim ardens legis ſtudium uitam continet; ſi modus, atque temperatio, qua ira coercetur, mortis periculum repellit; ſi, qui opes ſuas cum egentibus benigne communicat, ad cælum uiam munit; ſi, qui ſapientiæ ſtudium omnibus uitę commodis anteponit, immortalitatem comparat; & hæc omnia bona a timore Domini, tamquam a fonte totius uirtutis, oriuntur; parum ne liquet, timorem Domini ad uitam ducere? Qui igitur Deum timet, bonorum omniū copia redundabit, &, cum fuerit in hominum ſcelus animaduerſum, abſque ullo ſupplicij metu, in ſumma iucunditate uerſabitur. Sed, quo ampliora præmia ſunt uirtuti propoſita, eo maiore odio digni ſunt, qui ea, uel, propter deſidiam, negligunt; uel, propter improbitatem, minime concupiſcunt. Ait igitur Sapiens:

Abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eam. Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit. (*Hebraice ſic, Si percuſſeris deriſorem, imperitus cautior erit.*) ſi autem corripueris ſapientem, intelliget diſciplinam. Qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominioſus eſt, & infelix. Non ceſſes fili audire doctrinam, nec ignores ſermones ſcientiæ. Teſtis iniquus deridet iudicium: & os impiorum deuorat iniquitatem. Parata ſunt deriſoribus iudicia: & mallei percutientes ſtultorum corporibus.

Elegāti amplificatione Sapiēs inſectatur ignauiam. Cum enim nihil ſit in uita, quod animum magis ad laborem acuat, quam famis metus; tamen tam inſignis, inquit, deſidia, pigri hominis animum occupat, ut, cum manum in ſinum, metu frigoris, immiſerit, nec ad ſumendum cibum eam inde extrahere, & ori admouere, uelit; tantum abeſt, ut in uictu comparando operam nauare ſtudeat. Itaq. mauult periculum famis adire, quam laborem ullum, uel leuiſsimum, ſuſtinere. Fruſtra igitur opera in illis admonendis conſumitur, qui turpiſsimam ceſſationem modis omnibus amplectuntur. Sunt igitur non uerbis impellendi, ſed flagris de ſomno ſuſcirandi. Itaque ſeuera iuris adminiſtratio ualde neceſſaria eſt, uel ad ignauiam aliqua ratione repellendam, uel ad ſcelera debitis pœnis ulciſcenda. Eſt enim iudiciorum ſeueritas, admodum ſalutaris Reip. medicina, qua animorum morbi depelluntur. Et multi, qui erant peſtiferis uitijs oppreſsi, ſanitatem recuperāt. Recte, inquies, ſi morbi ſanabiles ſunt. Sed deſperatis medicina non uidetur adhibenda. In ſanabiles autem ſunt illi, qui, confidentia acuminis innixi, non ſolum flagitijs innumerabilibus cooperti ſūt, ſed omnia uirtutis officia derident, & religionis ſanctitatem ludibrio habent. Quid igitur pœnam illis non irrogabimus, quia ſanari non poſſunt? Minime, inquit, eſt impuriſsimis hominibus impunitas danda; immo ſcelus eorum acriore ſupplicio uindicandum. Nam ſummæ improbitatis malum reſecandum eſt, ne ſerpat in dies latius ad Reip. totius exitium, & exemplum ſeueritatis ſtatuendum, quo homines, qui nondum ſunt omnino deprauati, in officio contineri poſsint. Multi namque, quos recta ratio non cohibet, ſupplicij metus exterret. Quid de Sapiente ſtatuendum, ſi in errorem interdum prolapſus fuerit? Is plagis non indiget, ſed admonitione tantum. Si enim illum obiurgueris, ad officium continuo redibit, & non mediocris ſapientiæ cumulus illi, ex tuis monitis, accedet. Sunt tamen multi, adeo in monitores ſcelerati, ut non ſolum alienos, a quibus admonentur, neque ſolum propinquos, a quibus erudiuntur, uerum & parentes, qui de illorū uita ſunt ualde ſolliciti, & ideo illos a flagitio, & impuritate, ad honeſtatē traducere nituntur, acerbo, & immani, odio perſequātur. Quorū ſcelus non erit inultum. Qui enim patrem excludit, & matrem eijcit, præter alias pœnas, quæ ſunt illi ſubeundæ, notis ignominiæ ſempiternis deformabitur. Lex enim iubet, ut, q debitis honoribus eos, per quos in uitam ingreſſus eſt, afficere non uult, uita ſpoliatus ſit, & dedecore ſempiterno cumuletur. Quam lubricum uero, & quā periculoſum, ſit, aures quibuſuis diſciplinis inconſiderate prębere, exempla quotidiana declarant. ſpecie namque leporis, & uenuſtatis, auditores alliciunt; & ſplendore uerborum captis uenenum mortiferū porrigunt; &, dum ſalutem oſtendunt, perniciem moliuntur; dum fidem oratione celebrant, ad perfidiam, & ſcelus, inſtituunt; dum uitam polliceantur, in ſempiternam mortem eos, qui ſe ſequūtur, eijciūt. Teſtem iniquum, inquit Sapiens, deridere iudicium. Nā, quo pacto potuiſſet quiſquam ad tantum facinus induci, ut iuſiurandum negligat, & Deum, quo teſte, fidem, conceptis uerbis, adſtrinxit, tam nefando ſcelere uiolet, niſi iudicium Diuinū contemnat, atque deſpiciat? Itaque religionem ſpernit, periuriumque ſingulari artificio ad homines ſimplices omnibus bonis euertendos ſtatuit. Qui eiuſmodi autem ſunt, iniquitatem deuorant. Perinde enim iniuriis, quas multis mortalibus intulerunt, oblectātur, atque ſi iucundiſsimo cibo famem depuliſſent. Vitæ namque iucunditatem in ſcelerum omnium machinatione ponunt. Quod tamen non impune ferent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rẽt. Deriſoribus enim parata ſunt uerbera, & ſtultis acerrimæ contuſiones. Ius enim eſt, ut, qui in ſanctitates cachinnos importune ſuſtulit, ſempiterno fletu, atque cruciamento, amentiã ſuam lamentetur; &, qui ſibi, cum eſſet amentiſsimus, ſapientiæ nomen arroganter uſurpauit, diriſimas pœnas amentiæ perſoluat. Verbera autem, & contuſiones, tam paratas eſſe dicit, ut firmitatem deſtinatæ ſententiæ demonſtret.

CAP. XX.

LVxuriosa res uinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit ſapiens. Sicut rugitus leonis, ita & terror regis: qui prouocat eum, peccat in animam ſuam. Honor eſt homini qui ſeparat ſe a cõtentionibus: omnes autem ſtulti miſcentur contumeliis. (*ideſt, ex Hebræo, Gloria eſt homini deſiſtere a lite, omnis autem ſtultus illi ſe miſcet.*) Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æſtate, & non dabitur illi.

In uini potu, præter naturæ recreationem, quæ ſitus ludus eſſe uidetur. Vinum enim pellit ex animo mæſtitiam; curarum obliuionem inducit; riſum deinde immodicum excitat; iocis deinde petulantibus, poſtquam res magis atque magis caleſcit, inuicem decertatur; poſtremo ad iurgia, & peſtiferam etiam contentionem, peruenitur. Nihil eſt igitur in uino ſine moderatione ſumpto uiri præſtantia dignum. Si enim ludum quærimus, nos non ad iudum, & iocum, ſed ad grauitatem, & conſtantiam, nati ſumus. Si iurgiorum euentum attendimus, nihil eſt magis dignitati mentis humanæ contrarium. Eſt enim maledictu & iurgium, magis ferinis animi motibus incitandis, quam iudicio mentis, & rationis, accommodatum. Itaque modicum merito laudari ſolet; extra modum uero, eſt ſummo uitio uertendum. eripit enim mentem, corrumpit ualetudinem, turbat pacem, diſcordiam concitat, libidinem inflãmat, & hominum denique ſtatum in ſimilitudinem belluę traducit. Cum uero uini intemperanter exhauſti proprium ſit, nihil ſecretum tenere, ſed ſine ullo delectu maledicta dicere, tum uero tanta eſt amentia, ut ebrij omnia, quæ animo cõpreſſa tenebant, effundant, uſque adeo, ut in Reges etiam iacere contumelias, cum magno uitæ periculo, minime uereantur. Quam metuenda ſit Regis ira, iam Sapiens oſtendit; & nunc eãdem ſententiam iterat, ut rurſus admoneat, quantum uitę periculum ex linguæ maledicentia hominibus ſtultis impendeat. Prudentis autẽ hominis eſſe docet, ſedare litem; ſtulti, & amentis, ætatem in litibus, ſine graui cauſſa, conterere. Et, quia magna pars hoſium uirtutis officium, non tam propter mentis cęcitatem, (omnes enim natura iudicant, nihil eſſe uirtute præclarius) quam propter ignauiam, atque deſidiam, & animi puſilli, & anguſti, diffidentiam, deſerit, pigritiam rurſus inſectatur. Oſtẽdit igitur, fore, ut, quem admodũ agricola piger, cum, frigoris metu, ne aret, impeditur, nullas fruges æſtate colligit, & poſtea ſine ullo fructu mẽdicat; ſic homines, qui, laboris metu, nullum ſtudium in pietatem conferunt, poſt hanc uitã fruſtra opem ſuppliciter imploraturos.

Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde uiri: ſed homo ſapiens exhauriet illud. Multi hoĩes miſericordes uocãtur: (*hoc eſt, ex Hebræo Multi hoĩes, hoĩem beneficum præconio celebrant.*) uirum autem fidelem quis inueniet? Iuſtus qui ambulat in ſimplicitate ſua, beatos poſt ſe filios derelinquet.

Viri ſapientis conſilium appellatur Aqua profunda, non tantum propter ſapientiæ perennitatem, (numquam enim exhauritur,) quam propter intelligentiæ difficultatem, ad quam pauci dociles inueniuntur. Primum enim, homines, rebus terrenis addicti, uerbi Diuini myſteria nõ intelligunt; quod autem non intelligunt, & contemnunt, & irrident, & odio perſequũtur. Deinde, qui fidẽ profitentur, imperfecti tamen ſunt, minime ea, quæ ſunt in rebus Diuinis recõdita, & abſtruſa, percipiunt. Oĩs enim, inquit Paulus, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis Dei. Similiter & Dñs ipſe dicebat diſcipulis, cũ adhuc eſſent propemodum infantes, & imbecilli, Multa habeo uobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Quis igitur aquam profundam hauriet? Vir intelligens. Is autem intelligens eſt, qui progreſſus magnos habet in fide; qui ſe totum ad ductum, & imperium, Diuini Spiritus applicuit. Loquimur, inquit Paulus, ſapientiam inter perfectos. Hi ſunt igitur, qui a Paulo, & a reliquis Diuinis uiris, atque adeo ab ipſo Dei filio, Diuinitus erudiuntur. Cum uero multa ſunt impedimenta, quo minus homines Diuinis opibus augeantur, tum nullum eſſe poteſt grauius eo, quod obliuione continetur. Indigni enim ſunt Diuina beneficentia, qui minime memoriam accepti beneficij grata uoluntate proſequuntur. Hoc autem uitio maxima pars hominum laborat. Multi namque ſunt, qui liberalitatem, & munificentiam, laudibus efferunt; qui autem fideliter gratiam referant, aut ſaltem ſe beneficio deuinctos eſſe fateantur, ſunt rariſsimi. Quod ſi hoc crimen eſt inter homines ualde nefarium, & odio iuſto digniſsimum: quid de illis exiſtimandum eſt, qui ſunt in Deum, a quo innumerabilibus beneficijs cumulantur, ingratiſsimi? Iuſtorum autem præmia, nullius oratione explicari poſſunt. Habet enim Pietas, promiſsiones uitæ, quæ nunc eſt, & futurę. Inter illas una eſt, ut eorum ſemen non deleatur. Non uidi, inquit ille, iuſtum derelictum a Domino, neque ſemen eius quærens panem. Ille namque ſummus, atque ſanctiſsimus, Dominus, qui pœnas parentum expetit a filijs, qui parentum ſcelus imitantur, uſque

uſque in tertiam, & quartam generationem, (quam tandem ex hominum memoria, ſi non reſipiſcunt, exterminat) a parentibus iuſtis inchoans, in uniuerſam poſteritatem, quæ parentum ueſtigijs ingreditur, gratiæ ſuæ magnificentiam admodum large diffundit. Vt enim impij filios ad exemplum inſitæ improbitatis informant, ita & iuſti liberos ſuos ad omnem rationem uirtutis, atque pietatis, inſtituunt. Hac autẽ ratione fit, ut, qui integritatem ſuam conſeruat, & numquam iuſtitiæ uiam deſerit, filios ſui nominis heredes in uita relinquat; cum impiorum ſoboles, quãuis aliquo tempore florere opibus, & potentia, uideatur, funditus tandem pereat. Eſt præterea conſiderandum, non eſſe tantum filios eos, qui ſecundum rationem ſeminis natura ſuſcipiuntur, ſed multo etiam magis illos, qui moribus, & diſciplinis, informantur, ita, ut referant formam, & imaginem, eorum, a quibus ſunt inſtituti. Inter Doctores autem, multum intereſt. Sunt enim, qui non ſimpliciter ambulant, ſed peruerſiſsimis diſciplinis auditores inficiũt. Horum igitur poſteritas interibit. Sunt alij, qui fidei, & religionis, integritatem ſumma conſtantia retinent, multoſque filios ad ſui immitationem, & monitis ſapientiſsimis & moribus ſanctiſsimis, frequenter alliciunt. Horum igitur poſteritas in uita permanebit.

Rex qui ſedet in ſolio iudicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo. Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato? Pondus & pondus, menſura & menſura, utrumque abominabile eſt apud Deum. Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera eius. Aurem audientem & oculum uidentem, Dominus fecit utrumque.

Regis officium eſt, mala repellere, bona parare, tenebras diſcutere, lumen porrigere, flagitia radicitus euellere, omnium uirtutum plantaria ſeminare, & efficere denique, ut Reſp. florens, & felix, & beata, ſit. Id numquam aſſequetur, niſi ſedeat. Rex enim, uagus, & incõſtans, & nullo in loco conſiſtens, officio ſuo fungi nõ poterit. Deinde, opus eſt, ut ſedes illius iudicij Solium ſit. Intelligat enim opus eſt, ſe non eſſe Regem factum, ut ludat, atque perpetuo iocis oblectetur; nec ut aliis eripiat, quod aliis ſine iudicio largiatur; nec, ut potentibus obnoxius ſit, & multitudinẽ deſpiciat; ſed, ut imperium ſapienter adminiſtret, & omnes controuerſias iuris æquabilitate componat; neque ullo modo putet in iudicijs eſſe rationem uel gratiæ, uel offenſionis, uel nobilitatis, uel familiaritatis, habendam; deinde merita uirtutis expendat, ne, quod eſt uirtuti maxime tribuẽdum ad indignos transferat, & opes Reip. in leuitate conſumat: intelligat poſtremo, ſummam gloriam non tam eſſe in hoſtium ſtrage, quam in ciuium ſalute, collocandam. Bellum enim, cũ neceſsitas cogit, eſt fortiter, & animoſe, gerendum. Hoc tamen Pacis officium, cum omnium maximum ſit, eſt multo maiore cura, ſtudio, uigilantia, procurandum. Rex autem, qui in iudicij ſolio ſederit, & maximo opere in ſtudium iuſtitiæ, & pietatis, incubuerit, facillime munere ſuo, cum inſigni nominis gloria, perfungetur. Non enim ſe decipi ſinet; numquam procul aberit; non in muneris ſocietatem homines amentes, ſed ſapiẽtes, uocabit; a Deo, cuius mentem conſulet, illuſtrabitur; ſubditorum fideli præſidio munietur. Hanc gerendi muneris facilitatem ut Sapiẽs oſtendat, ait, Regem, qui in ſolio iudicij ſedet, oculorum intuitu mala omnia diſpulſurum. Cum autem dicitur, omnia mala Regis ſapientis oculis expellenda, non ſic eſt accipiendum, ut nullum flagitij leuiter impreſsi ueſtigium in Rep. relinquatur. Quis enim tantum ſibi arrogare poteſt, ut ſtatuat ſe nullis umquam uitiis affinem fuiſſe? Puritas enim, non eſt tam hominis officium, quã Diuinę gratiæ beneficium. Qui igitur ſibi laudem puritatis aſſumit, Diuinam gloriam impudenter uſurpat. Deinde, propter imbellicitatem naturæ, ſancti etiam homines interdum labuntur, qui tamen non ſuis uiribus, ſed Dei ipſius præſentis opibus, erigun-tur. Deinde, nemini poterit, ſine Dei ſingulari illuſtratione, penitus exploratum eſſe, quamuis ſceleris ſibi conſcius non ſit, eſſe ſe omni crimine liberum. Delicta enim quis intelligit? Poſtremo, quid ſit euenturum, nemo per ſe præſtare ullo modo poterit. Etſi igitur hominis inſani, & arrogantis, ſibi puritatem perpetuam polliceri; cũ multis modis accidere poſsit, ut eam uel aliquo uitio, uel obliuione, deperdat. Non poterit igitur Rex ſapiẽs, & cõſtans, & uigilans, præſtare, ut oĩa flagitia exſtirpentur, ſed operã ſtrenue dabit, ut ea, quæ magis eminẽt, & peius Reip. nocent, exſtingantur. Cum uero ad Regis officium maxime pertineat iuſtitiæ firmamẽtum, dolos, & fraudes, acerrime coercebit. Nã p Pondus & pondus, Hebræorum more ponderis inæqualitas deſignatur, qua ſolent homines uti, cũ in emptione, pondere ſibi iuſto, omnia tradi uolunt; in uenditione, pondus imminuunt, ut proximum aſtute decipiant. Eſt tamen aduertẽdum, per Pondus equũ, iuſtitię equitatem in ſanctis Litteris ſignificari. Cum igitur dicit Sapiens, Ponderis fraudem, Deo grauiſsimam offenſionem afferre. hoc plane dicit, Deum omnem fraudem, & iniuriam, acerrime deteſtari; ut Regem doceat, ſempiterni Regis exemplo, odio habere malitiam, & iniquitatis calliditatem iuſto ſupplicio uindicare. Cum uero ſint multi adſciſcendi, quibus Rex cõſiliarijs, & adiutoribus, uti poſsit, ſi hæc electio ſorte, & non iudicio, facta fuerit, multis incommodis agitabitur, & Reſp. tyrannide improbitatis exercebitur. Multi namq. Regis gratia, & familiaritate, ad ſuam tyrannidem frequenter abutuntur. Eſt igitur adhibenda in hominum delectu ſumma prudentia, ne bonorum locus ab hominibus impuris occupetur. Sed inquies, difficillimum negotium eſſe, miniſtros idoneos eligere, cũ tanta ſit in hominibus, ad fallendum, fraus, & aſtutia, &

Pſal. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia,& tam artificiosa uirtutis simulatio, ut etiam sapientes, illustri specie capti, in familiaritatem recipiant homines,sceleribus infinitis alligatos. Verum id quidem est. Sed improbitas occultari diu nequit.nam oculi,frons,supercilia,oratio deinde,& studia,postremo actiones, & perditi etiã conatus, quid intus in animo latet,aperiunt,& inclusam pestem multis signis ostendunt, ita, ut facillimum sit,quidquid fraudis integumentum uelabat,inspicere.Si enim pueri, qui nõdum per ætatem aliquid efficere potuerunt,quod claram significationem,uel probitatis,uel malitię,daret, tamen multa signa dant, quibus posimus uel spem de illorum futura bonitate habere,uel eam prorsus abijcere;quid de ętate iam robusta dicendum,qua multi suæ naturæ documenta necessario præbent? At in pueris uidemus magnum esse discrimen. Alij namq.flexibiles natura sunt,& ea indole præditi,ut liceat nobis in illis spem,si fuerint mediocriter instituti, uirtutis, & dignitatis, collocare;alij,contra,duritate quadam,& contumacia, naturæ, sint efferati, ut sit eorum salus desperatissima, præsertim si educatio mala ad eos omnino corrũpendos accesserit. In primis uero,omnibus cogitandum est,nihil esse,quod non in Dei oculis, & prospectu, sit, Nullæ sunt tenebræ,quibus occultemur; nulla locorum longinquitas,quibus effugiamus. Omnia illi patent,atque diluescunt; & ea etiam, quæ intimis animi recessibus occuluntur, speculatur,& inspicit. Si enim oculos,quibus adspicimus,effinxit,quo modo nõ clarissime omnia cernet? Si aures, quibus audimus, fabricatus est, quo tandem modo fieri potest, ut non omnium mortalium uoces exaudiat?Nulla enim ratione potuisset sensus nostros tanto artificio machinari, nisi sensibus infinitis, quibus omnia late complectitur, fuisset instructissimus. Si igitur hominum adspectum ueremur, cur non multo magis uultum illius summi Domini extimescemus, & ad illius conspectum trepidabimus?

Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat: aperi oculos tuos, & saturare panibus. Malum est, malum est, dicit omnis emptor:& cũm recesserit,tunc gloriabitur.Est aurum,& multitudo gemmarum: uas autem pretiosum labia scientiæ. Tolle uestimentum eius qui fidei iussor exstitit alieni,& pro extraneis auferpignus ab eo. Suauis est homini panis mendacii, & postea implebitur os eius calculo. Cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis (*sine, consultationibus*) tractanda sunt bella.

Rursus,ab ignauia,atque desidia,homines deterret;& rursus,metu egestatis, & famis,e somno excitare contendit, cos, qui tantis rebus indormiunt. Agitur enim salus, & uita; agitur dignitas sempiterna; impendet exitij periculum;tempus accelerat;& mors appropinquat; & nos interim de die in diem, quod sedulo curandum nobis est, differimus, atque procrastinamus. Quid hoc est? Num ea,quæ nobis fruenda proponuntur,contemnenda sunt? An pretium tantum est, ut,eo impenso,egestas pertimescenda sit? Præmia sunt, diuitiarum affluentia, clarissimi decoris amplitudo, uita bonis Diuinis expleta, & sempiterno gaudio cumulata.Pretium est,fides,alacritas,& industria.Difficile nimis,inquit,est, a somni,atque soporis,iucunditate diuelli. At, quanto grauius erit,egestate,& oĩum bonorum pęnuria, cõflictari?Malũ est,malũ est,dicit oĩs emptor.Sic etiã dicit piger, Graue est,graue est,otiũ fugere, & laborẽ excipere.At,si tãdẽ experrectus fuerit, & bona, quæ minimi ducebat,inspexerit, &, quã leues,& exigui,sunt labores, quibus illa comparãtur,cõsiderauerit;admirabitur, & obstupescet, & pristinum somnum, atque torporem, quo oppressus exstiterat, summa uituperatione dignũ iudicabit. Sed sic sunt quidã hoies immersi tenebris, atque somno dediti, ut ne maximis quidẽ uocibus excitari, & laborem suscipere, uelint. Summa igitur eloquentia opus erit ad tam præclarum munus feliciter obeundum. Nec enim ingens auri purgatissimi põdus, neque gemmarum fulgor,& copia, neque uasa aurea,& argentea, excellenti opere facta,atque perpolita, sunt ulla ex parte cum eloquentiæ splendore conferenda. Ea namque caliginẽ dispellit, somnũ fugat,lucem diffundit, industriam acuit, studium incitat, & homines cupiditate immortalitatis in flammat. Vbi denique eloquentia dominatur, ibi nulla dementia uiget. Non enim suadet illa, ut ei credas, cuius fidem numquam explorare, & cognoscere potuisti. Nã, qui pro alieno fidem suã obligat, pro pignore supellectilem uniuersã dabit,& sic tandem uestibus etiam spoliabitur. Sic se gesserunt illi, qui fidem hominibus impurissimis habuerunt,illorumque promissis inducti, cum sibi Diuinas opes proposuissent, humanæ etiam rationis iudicio miserabiliter orbati sunt. Suauẽ dicit esse Sapiẽs in principio panem mendacij, hoc est, men dacio, fraude,& iniuria, partum: insigne enim lucrum putant homines, esse id, quod sine labore, mẽtiendi artificio,quæ fierunt;& sibi ualde placent:illa enim calliditate delectantur: sed tandem nullum ex opibus per iniuriam partis fructum consequuntur. Opes enim dilabuntur; animi, recordatione sceleris, anguntur,& pœnis iniquitatis assidue cruciãtur. Suauitas enim falsa, in acerbitatem ueram conuertitur. Itaque pro pane calculos in ore sentiunt:calculi autem mandi non possunt,sed dentes infringunt,& linguam impediunt,totamque rationem defensionis, & spem salutis, omnino præcidunt. Omnia fere, quæ consilio geruntur, exitum felicem consequuntur. Consilio enim, Resp. sapienter administratur; res familiaris augetur;mores,& instituta salutaria, conseruntur; bellum rectissime gubernatur: ubi denique rectum consilium uiget, nulla tempestas incidere potest,quæ statum bene fundatum clade contaminet.

minet. Sed,a quibus consilium postulabimus? Ab amicis, inquis.Recte mones.Sed,quales debent esse amici, quibus arcana nostra credenda sunt?Non, inquit, illi, qui commissum secretum enuntiant; neque illi, qui fraudibus elaborant, ut omnia ad utilitatem suam reuocent; neque illi postremo, qui adulando, & mẽtiendo, se in Principum animos insinuant.Sic enim sequitur:

Et qui reuelat mysteria, (*hoc est secretum.*) & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua,ne commiscearis.

Qui secretum commissum uulgat,fidei desertor,& non amicus,appellandus est;qui fraudulenter ambulat,non amici dignitatem, sed pecuniã, caram habet. Adulator autem dilatat labia sua, qui est uitæ pestis, disciplinæ corruptor, & sempiternus ueritatis hostis, & ea de caussa publicæ salutis euersor.

Qui maledicit patri suo & matri,exstinguetur lucerna eius in mediis tenebris. Hereditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. Ne dicas, Reddam malum pro malo:exspecta Dominum,& liberabit te. Abominatio est apud Dominum pondus & pondus: statera dolosa non est bona.

Rectissimo Dei iudicio sancitum est,ut is,qui in eos impius est,per quos uitæ compos est,& luce fruitur,uitæ luce spolietur, & eo tempore spolietur, quo minus id sibi euenturũ metuebat, & quo eius uita magis omnibus suis necessaria uidebatur. Et, quia plerumque accidit, ut filij molestissime ferant, parẽtes suos uiuere,quia se hereditatis fructu tamdiu fraudari putant,quamdiu parentes in uita manent;euenit,propter illius cupiditatis immanitatem, ut maledicta interdum in parentes iaciant. Consequens igitur fuit,ut sententiæ precedenti, hæc annecteretur,qua filij admonerentur, ne nimis hereditati oculos cupiditatis adijcerent,ne nimis approperarent,ne patris mortem appeterent,sed tempus libenter exspectarent,quo parentes e uita discederent,ne ue ante illorum mortem in possessionẽ inuadere conarentur. Potest etiam hæc sententia illis accommodari, qui, antequam illis uirtutibus instructi sunt, quibus præditos esse oportet eos, quibus sunt honores publici deferendi,se nimis festinanter intrudunt,& munera publica præpropera ambitione sibi delegari contendunt.Quoquo tamen modo sententia intelligatur, nimia festinatio non erit impunita,Nam impietas debito supplicio plectitur,& ambitionis temeritas infelici euẽtu conuincitur;& sic fit, ut lætum initium tristis, & ærumnosus,exitus consequatur. Admonemur deinde,ne iniuriarum ultores esse uelimus. Qui enim per se iniuriam persequi studet, multis erratis se ipsum irretiat opus est.Primum,est quod, dũ scelus illius, a quo læsus est, imitari nititur, in eũdẽ morbũ incidit,quod detestari,& nõ imitari, debuisset.Alterũ est,quod,dum uindictam nimis expetit,se fructu insignis decoris,atque adeo cuiusdam Diuinitatis,priuat. Diuinum siquidem est, non perturbari offensione, non commoueri iracũdia, non agitari motibus ullis, sed delictis ignoscere,& malefacta beneficijs compensare,& Dei clementiam sequi,qui non,simul atque delinquimus, fulmina sua uibrat,sed spatium resipiscendi concedit.Postremo, Dei officium, & munus,impudenter usurpat.Mihi,inquit ille,uindicta,& ego retribuam. Cum igitur nos ipsos per nos ulcisci contendimus,præter crimen,quo nos ipsos adstringimus,inimici caussam subleuamus Cum enim is,qui iniuriam intulit,offensis minime satisfacit,sed ad extremum in eadem improbitate perseuerat, Deus eam caussam suscipit,& in eos,qui,fecerunt iniuriam, acriter animaduertit. At,cum homines per se pœnas reposcere conãtur,propter suam imbecillitatem, id, quod nimis cupiunt,minime consequũtur. Sapientis igitur hominis est, uindictam iudici sanctissimo reseruare. Nam omnes,qui in illo spem sui iuris,& honestatis, reponunt, præsidio suo tuetur, & ab omni maleuolorum ódio,& inuidia,liberat.Rursus insectatur ponderum fallaciam, & iuris inæquabilitatem. Cum uero dicit, stateram dolosam non esse bonam, hoc plane dicit, non esse utilẽ.Qui enim põderibus fallis utitur, utilitatẽ haud mediocrem ex ea fraude sibi proponit.Sed longe secus euenit. Nam, præter Diuini numinis offensionem, quæ sempiterno supplicio uindicanda est, nullã utilitatẽ ex malitia percipiet. Multis enim modis, qui fraudes in Rep. suscipiunt,opes amittunt.Omnia enim, quæ mendacio,& uanitate,comparantur, euanescunt.

Rom.12.

A Domino dirigũtur gressus uiri: quis autem hominum intelligere potest uiam suam? Ruina est homini deuorare sanctos: & post,uota retractare.

Difficillimum est homini, eo, quo tendit, suo studio,& labore,peruenire. Vt enim iam dictum est,non quod homo cogitat,sed quod Deus de illius statu decernit, efficietur. Ille uiam rectam monstrat;ille gressus firmat;finis uiæ,illius numine, & beneficio,continetur. Reliquum igitur est, ut omnes nostras curas,& cogitationes,ad gloriam illius dirigamus,qui dux est uiæ,salutis auctor,& immortalitatis architectus: ab illo postulemus,ut non, quod ipsi uolumus,sed quod ipse constituit,de nobis fiat. Id enim erit nobis salutare,quod ipse decernit,non quod nos nobis bonum fore suspicamur. Religionis inconstantia, est laqueus,quo multi ui cupiditatis adstringuntur. In aduersis enim rebus constituti uota suscipiunt; ex aduersitatibus emersi,id, quod Deo cõsecrauerãt,conatu sacrilego repetendũ putãt, ut illud deuotent. Sacrilegio deinde speciosam caussam uel necessitatis, uel honestatis, obtendunt.Nam,uel asserunt,se non posse,sine eo munere,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nere,quod dedicauerãt,familiæ cõsulere, uel suæ condicionis dignitatem retinere. Hoc igitur laqueo adstricti,ad iudicium reseruantur,quod nullis fraudibus eludi potest, ut sacrilegij,atq. perfidiæ,simul grauissimas pœnas luant. Verum est autẽ uotum, ut lex Diuina sancit,sine ulla tergiuersatione pſoluere, & nõ in propriũ usum,quod erat religione consecratum, astute conuertere. Potissima autẽ cura Regis esse debet, pietatem supplicio impijs irrogato sancire,Ideo sequitur:

Dissipat impios Rex sapiens, & incurvat super eos fornicem. *(Hebræus sic explicat, Et inducit rotam super eos.*

Ex impietate,oĩa flagitia,quę Remp.contaminant,oriuntur.Sũt igitur impij, Regis sapientis iudicio peruertendi. Itaq. non erit satis illi,eos, qui religionẽ uiolãt, & sanari nullo pacto uolũt, exterminare,nisi carpentis inductis eos cõterat, atque comminuat, ne ulla memoria tam nefandi sceleris in uita remaneat.Rota,pro curru ponitur.quemadmodum Carina,pro naui. Principes autem uictores, olim,curribus falcatis in orbem circumductis,hostes, a quibus odio capitali dissidebant,contrucidabant: quemadmodũ Dauid
2.Reg.12. de Ammonitis suppliciũ sumpsit. id autem mouit Salomonem, ut diceret, Regem sapientem impios rota trucidaturum.Quod tamen non est sic accipiendum, ut sit nunc opus falcatis curribus ad impiorum internecionẽ; sed,ut intelligatur, esse uehementer elaborandum, quoad fieri possit, ut cum impiorum interitu impietatis etiã memoria deleatur.

Lucerna Domini spiraculum *(siue, spiritus)* hominis,quæ inuestigat omnia secreta uentris. Misericordia & ueritas custodiunt regem,& roboratur clementia thronus eius. Exultatio *(siue, decus)* iuuenum fortitudo eorum,& dignitas senum canities. Liuor uulneris absterget mala, & plagæ in secretioribus uentris. *(Hebraice sic, Liuores uulneris absterges cum malo, & plagas intestinas uentris.)*

Complectitur Sapiens in summa, quo præsidio sit hominum uita sapienda, ut hostium impetum a se reprimat, & bonorum copia redundet. Lucernam autem Domini appellat,gratiæ Diuinæ lumen,quod mẽtem illustrat, & recreat, & ornamentis afficit, & iucunditate perfundit. Eam dicit esse Spiritum hominis, ut per Spiritũ intelligamus illam animi præstantiam, qua cælum intuetur,Diuina,atque sempiterna,considerat.Ponit Paulus discrimen inter animam, & spi
1.Cor. 2. ritum, ut sit anima, ea, quæ corpori prospicit, & humana tantum spectat, nec ad opes Diuinas adspirat,Spiritus uero qui cęlestia,atque Diuina, contemplatur.Animæ natura est,quæ nobis cum reliquis hominibus communis est, & humanitatis sensu continetur: Spiritus uero,Spiritus sancti donis,atque muneribus,efficitur. Anima igitur hominis, in spiritum, hoc est in formam Diuinam,instinctu,& impulsu Spiritus Diuini,trãsformatur. Et hæc est illa noua creatura,quã Paulus asserit Christi numine, in animis fidelibus,sa- Cor. 5. & ad Gal. 6.
tu Diuino,generari. Lucerna uero Diuina,Spiritus hominis appellatur, hoc in loco; ea figura, qua operis auctori Operis nomen imponitur, quam Grammatici Metonymiam appellant; ue luti, cum dicimus, Christum esse nostram salutem,& iustitiam, & redemptionem; & cum dicimus,Deum uitam nostram esse. Eodem modo Lucerna Domini, Spiritus noster, & uita nostra, nominatur. Ea namque uigemus,spiramus,sensibusque Diuinis afficimur, & in cælum recta contendimus. Humanus animus, Diuinæ lucis absessu,nihil cernit,quod ad salutem ualeat; nihil sentit,quod expediat;nihil decernit, quod felicem exitum consequatur. Rursus autem,Diuinæ lucis exortu, & in uitam excitatur; &,qui se antea ignorabat, se clarissime uidet, & mentis suę intimos recessus explorat.Per Ventrem enim in sanctis Litteris mentem significari, perspicuũ est omnibus,qui in illarũ studio uersantur.Ventris igitur interiora sunt, mentis intimæ sensus, studia, & cogitationes, quæ in ea latitabant, & quarum inanitatem ante minime perspiciebat. postquam uero splẽdore Diuino collucet,tum demum sentit,& intelligit, quæ sit illius natura, in quem finem creata sit:itaque se ipsam excitat,ut opera Diuina moliatur.Cum enim naturæ Diuinæ sit,per gratiam Diuinam, particeps, omnia, quæ sunt intra cęli complexum,despicit,& ad Diuinitatem modis omnibus adspirat. Non sunt igitur uitæ præsidia in animæ natura ponenda, sed in Diuini Spiritus luce collocanda. Animalis 1. Cor. 2.
enim homo non percipit ea,quæ Dei sunt: at Diuinus homo, in suprema cæli fastigia, ductu, & auxilio,sancti Spiritus, euehitur.Et hoc quidem præsidium omnibus,qui Christi religionem sancte colunt,& fidem summa constantia seruant, est beneficentia Diuina propositum. Reges tamen, præter hoc commune præsidium, aliis etiã ab eodem spiritu fulciendi sunt. Primum est, ut intelligant,Regis statum, non tam opibus, & armatorum præsidijs, quã subditorum amore,& fidelitate,stabiliendũ. Opes enim insidias minime repellunt;& hominum præsidia,caritate, & fide, secluſa, eisdem ipsis, qui illis circumsepti sunt, erunt ualde metuenda.At subditorum amor,laude Regiæ clementiæ, & benignitatis,incenditur; & fides,Regis ueritate,& constantia,cõfirmatur. Nemo enim potest odio persequi bonitatem; neque fidei spectatæ,& cognitæ,ulla condicione,diffidere.Cum uero in Regibus hę uirtutes eminẽt, tanto clarius splendent, quanto status illius altior est, & ad plures utilitas earum cum insigni admiratione diffunditur. Rex igitur,qui thronũ suum clementia,& fide,corroborauerit, nec suorum insidias extimescet, nec hostium incursionẽ formidabit;cum nihil sit in terris fide, & amore, ualentius. Hoc quidem, est primum præsidium. Alterum, est armorum robur, atque prudentiæ consilium: quorum alterum sine alterius ope imbecillum

becillum est.Quid enim arma proderunt, si omnia temeritate corruerint?Quam utilitatem consilium afferet,si nullæ fuerint uires,quæ id, quod est prudenter cogitatum,exsequantur?Decus autem iuuentutis,in animi magnitudine, & robore,consistit;& senectutis laus,canicie,hoc est prudentiæ maturitate,cõtinetur.Est igitur opus Regi, ut iuuenes in armis exerceat, senes autem prudentia graues in consilium adhibeat. Nec enim a iuuentute laudes perfectæ sapientiæ requiruntur, nec a senectute uires inuenum flagitantur. Tertium porro subsidium est in iudiciorum seueritate positum. Frustra namque arma comparantur ad hostiles impetus reprimendos: frustra similiter ad consilium senes euocantur, si hostes domestici minime repelluntur. Hostes uero domestici,& intestini,sontes sunt, & facinorosi; quibus si fuerit scelerum impunitas attributa, Rempub. multo crudelius,quam externi, hostes, dissipabunt.Hi uero nõ sunt leuibus pœnis,sed acerrimis,coercendi, ne eorum contagio ad perniciem Reip. totius erumpat. Chirurgus enim, qui non tam de sanitate recuperanda, quam de præsenti dolore minuendo,laborat, uulnus non curat, sed mortem accersit. Nam, in magnis uulneribus, remedia, quæ non inferunt dolorem, non possunt esse salutaria. Est enim sanies abstergenda, est uulnus obligandũ, est putredo resecanda, &, si uulnus interius penetrauit, est aliqua pars corporis ferro latius aperienda, ne purulenta sanies inclusa residеat, quæ deinde serpat ad corporis totius exitium. Qui igitur in periculosis uulneribus dolorem etiecit, sæpissime sanat; qui omni dolore saucium leuare conatur,interimit: Similiter censet Sapiens, esse Rempub. gerendam,cum malo, hoc est cum dolore, flagitiorum uulneribus, atque contusionibus, inusto. leues namque plagæ, leuibus remediis sanantur; partes autem grauissimis malis afflictæ, nullo modo absque doloribus summis ad sanitatem reuertuntur. Vt igitur in Principe nullo pacto crudelitas, sed clementia summa, requiritur, ita in summis Reip. periculis non dissolutio, sed seueritas, efflagitatur. Et re uera maior crudelitas excogitari non potest in Principe, ea, qua scelerum impunitate Resp. uniuersa iugulatur.

CAP. XXI.

Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque uoluerit, inclinabit illud. Omnis uia uiri recta sibi uidetur: appendit autem corda Dominus. Facere iustitiam & iudicium magis placet Domino, quam uictimę. Exaltatio oculorum, & dilatatio cordis, lucerna impiorum peccatum.

Præclara dignitas Regis, est maiestas excellens,atque plane Diuina. Nam & munus Diuinum est,& auxilium,quo firmatur,ut muneri si-
bi commisso perfungi cum laude possit,est certe Diuinum.Sed uidendum est,quis tandem sit ille, qui tanto nomine dignus sit. Non ille profecto, qui totus est in cupiditatis dominatu, qui libidini,& auaritiæ,seruit,qui furore,& amentia,ducitur,& denique est a studio pietatis, & religionis, auersus. Quo pacto enim Rex appellari potest, qui est flagitij,furoris,& sceleris,detestandi mancipium? Nullo enim modo Rex est, qui liber nõ est. Præterea,si Rex est is,cuius cor in manu Domini est,nõ potest appellari Rex is,cuius cor est abalienatum a Deo, & ad hostes Domini ipsius adiunctum.Sensus enim,& studium carnis, hoc est libidinis,& impuritatis,a Dei mẽte,& sententia,perpetuo dissidet. Vnde sequitur, hominem Rom.8.
flagitiosum a Deo minime regi. Quis igitur Rex est?qui iustitiam colit,qui cæleste numen intuetur, qui libidinem coercet, qui motibus animi turbulentis obsistit, qui mentis statum singulari uigilantia cõseruat,& ita confert omnes curas, & cogitationes, in publicam salutem, ut numquam oculos a cæli conspectu deiiciat. At dices, Vt is sit, qui est in Regia sede locatus, nullo tamen modo poterit negotiis innumerabilibus, quæ sibi commissa sunt, pro dignitate satisfacere. Alio enim uocat iuris administrandi ratio, alio belli comparandi necessitas, alio plebis infimæ querimonia, alio tyrannorum immanitas: quorum cupiditati opus est,ut uim suæ seueritatis opponat. Nihil,inquit Salomon,erit facilius. Si enim reuera,& non tantum nomine,Rex fuerit,cor illius erit in manu Domini,& ab ipso Domino ita dirigetur,ut ipsius muneris ratio postu lauerit. Vt enim, qui hortum,summa cura consitum,singulari diligentia colendum suscipit, facillime sarculo riuulum accersit,& in arbores,& olera,& plantas, deducit; sic Dominus mentem Regis in omnes partes deriuat, ut nihil patiatur ardore Solis aduri. Sic igitur Rex, Dei moderatione ductus, pacis artibus incumbet, ut bellicas non intermittat; sic bellum comparabit,ut iniuriam interim suis inferri minime patiatur; sic ad homines se tuendos dabit, ut numquam religionis memoriam deponat; sic religioni seruiet, ut Remp. admodum uigilanter administret; sic denique singulis rebus insistet, ut uniuersitatem summa cura, studio, sollicitudine, complectatur. Quo modo, inquis, poterit tam multa negotia sustinere? Quia cor eius in manu Domini. Vt enim ille cælum terras, maria, supera, media, infima, formas innumerabiles, ita regit, & temperat, ut nihil sit, in omni rerum natura,ab illius imperio,& rectione,derelictum;ita Regibus, qui uice illius in terris Diuinum munus exsequuntur,hoc largitus est,ut omnibus rebus illorũ moderationi commissis prouidentiam impertire possent. Adsciscat Rex sapienter muneris socios, & in Deo mentẽ defigat; & sic demum fiet, ut, tamquam aquam in riuulos diuisam, rebus omnibus suæ potestati permissis,ope Diuini numinis,mentẽ accommodet.Quãtus error uersetur in uita,ex eo perspicitur,quod maxima pars hominũ se suum officium

Universidad de Deusto
Biblioteca

recte facere ſtatuit, & ea uia progreditur, qua ſe beatum fore cõfidit, cum interim ſe in miſeriam ſempiternam furenter iniiciat. At illi tãtum iter rectum ſuſcipiunt, quorum mentes Deus illuſtrat, quorum corda ſibi deuincit, & quibus beatæ uitæ uiam monſtrat. Et, qui ſunt illi tandem, quorum Deus ductor eſt? Illi certe, qui iuſtitiæ muneribus ornati ſunt. Nullum eſt enim ſacrificium iuſtitia ſanctius, nullum magnificentius, nullum denique, quod illi iuſtiſſimo Domino poſſit eſſe iucundius. Sacrificate, inquit Dauid, ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. Illi igitur ſolum ſapientes ſunt, qui tota mente in ſtudium iuſtitiæ, atq. pietatis, incumbunt. Soli enim beatæ uitæ compotes erũt, & in omni æternitate gloria Diuina cumulati. Hanc autem certiſsimam uiam homines cæci cupiditate deſerunt, & alias ineunt, quibus ſeſe longiſsime ab eo fine, quem ſibi proponunt, abducunt. Illi enim, ut beati ſint, omnes animi neruos intendunt: at omnes eorum labores in miſeriam conferuntur; quales ſunt ij, qui ſeruiunt ijs flagitiis, quæ Sapiens cõti nuo recenſet. Ait enim, oculorum elationem, animi cõfidentiam, impietatem falſa ſapientiæ opinione ſubnixam, qua tamquam lucerna dirigun tur, illis cauſſam extremæ calamitatis allaturam. Dum enim ſibi dignitatem arroganter aſſumũt, in ſummum dedecus incurrunt; dum ſibi omnia pollicentur, tum ſe cunctis bonis ſpoliant; dum ſibi peracuti uidẽtur, tenebris teterrimis obruun tur. Plerumq. igitur errant. Hoc enim ſignificat Sapiens, dum ait, Peccatum eſt. Hoc eſt aũt, error eſt, temeritas eſt, dementia eſt. Eſt enim eorũ caſus, & ruina, qui ſibi recte conſiſtere uidentur.

Pſal.4.

Cogitationes robuſti ſemper in abundantia: omnis autem piger (*Hebraice, Et animus præceps*) ſemper in egeſtate eſt. Qui congregat theſauros lingua mendacii, uanus & excors eſt, & impingetur ad laqueos mortis. Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere iudicium. Peruerſa uia uiri, aliena eſt: qui autem mundus eſt, rectum opus eius.

Hominis naui, & uigilãtis, induſtria laudatur, quem Robuſtum merito interpres appellat; & pigri, atque præcipitis, animi inconſulta temeritas uituperatur. Diligentia namque, parat opes; mens autem præceps, & deuia, partas euertit. Diligentia enim, occaſionem minime prætermittit; pigritia, ob metum cõſequentis laboris, eam labi e manibus patitur; proiecta autem temeritas, occaſionem non exſpectat. Furenter igitur ruit, & omnia, quacumque fert impetum, inſita dementia proſternit. Hoc eſt autem, quod dici ſolet, Matura lente. Maturandi uerbum diligẽtiam præſcribit; Lentitudinis autem uerbo, ne ſine conſilio quidquam geramus, admonemur. Vtrumq. enim uitioſum eſt, & negligentia, & præpropera diligentia. Vtraque enim ratione fit, ut multa bona pereant illis, qui uel oblatam facultatem efluere ſine fructu patiuntur, uel, non exſpectata facultate, ad ea, quæ intemperanter appetunt, irritis conatibus enituntur. Nihil tamen eſſe poteſt inanius eorum ſtudio, qui mendaciis, & calumniis, opes parandas, & augendas, exiſtimant. Quæ enim fraude, & mendacio, parantur, momento temporis euaneſcunt; &, cum uita in ueritatis ſtudio ſita ſit, neceſſe eſt, ut, qui mendacio gaudet, laqueo mortis implicetur. Deus enim, cum ueritas ſumma ſit, & perennis uitæ fons, omnes mendaces a ſe longiſsime repellit. Quam peſtiferis erroribus imbuti ſint omnes, qui præ ſua cupiditate iudicium contemnunt, ex eo liquet, quod, dum opes quærunt, in inopiam detruduntur; dum quietem expetunt, motibus turbulentiſſimis concutiuntur. Iniuriæ enim, quas ciuibus ſuis intulerant, eos ita uexant, ut reſpirare non ſinant. Eſt enim ſceleris cõſcientia, cruciatus aſſiduus, atque ſempiternus. Vnde concluditur, Viũ uiri, qui lumine Diuinæ mentis orbatus eſt, eſſe peruerſam, & impiam, & ab utilitate eorum, qui ſe in eam dant, uehementer alienã. Omnes enim, qui non Dei legem, ſed uoluntatem ſuam, conſulunt, rectum iudicium oderunt. At is, cuius animum iniquitas minime depranauit, & qui puritatem, Diuina gratia partam, cura ſumma retinuit, cum recta uia proficiſcitur, in ſalutem ſempiternam opus rectum ſemper efficiet.

Melius eſt ſedere in angulo domatis, (*ſiue, in ædis angulo*) quam cum muliere litigioſa, (*hoc eſt, ad rixam concita*) in domo communi. Anima impii deſiderat malum, non miſerebitur proximo ſuo. Multato peſtilente ſapientior erit paruulus: & ſi ſectetur ſapientem (*Hebraice, Et cum doctrinam tradideris ſapienti*) ſumet ſententiã. Excogitat iuſtus de domo impii, ut detrahat impios in malum. Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur. Munus abſconditum exſtinguit iras: & donum in ſinu indignationem maximam.

Cum Sapiẽs monet, ut potius in angulo anguſtę ędis habitemus, quam in laxa, & magnifica domo, cum muliere contentioſa, & turbulenta; omnem materiã rixæ, & contentionis, amputandam cenſet: exempli tamẽ gratia, mulierem contentioſam poſuit. Admonet deinde, ne quiſquam audeat uxorem ducere illam, quam intellexit eſſe iracundam, & turbulentam. Citius enim tigrem domaueris, quam iracundiam mulieris effrenatę compreſſeris. Quod ſi domus tua tantũ eſſet, mulierem extrudere facillimũ fuiſſet. Cum uero communis eſt, quo tandem modo illam expelles, quæ iuris ſui nimis retinens eſt, & animi feritate nimis trucuiẽta. Reliquum eſt igitur, ut bellũ inexpiabile, cum inſigni moleſtia, & nimis diuturna, ſuſtineas. Qui igitur mulierẽ immanẽ, & importunam, domum ducit, ſuppliciũ ſibi ipſe admodũ graue conſtituit. Quamquã, ut dictum eſt, non

eſt, non ſolum mulieris ſæuitia fugienda eſt, ſed etiam omnium hominum contubernium, quorum natura non multum ab amentia muliebri diſtat, ſummopere uitandum. Ex ea namque immoderatione imminet ſæpenumero ijs etiam, qui cum illo uiuunt, ſalutis, & uitæ, periculum. Signum magnum apponit hoc in loco Sapiẽs, quo impium a pio internoſcamus. Impius enim, cum ſit a ſumma bonitate tota mẽte diuulſus, & cum ſumma improbitate, peſtifera pactione, coniunctus, malũ fere ſemper cogitat; peſtem, & perniciẽ, meditatur; in rebus aduerſis proximi ſui miſericordia minime cõmouetur. Sequitur enim ducem ſuũ, hoſtem nempe generis humani ſempiternum, ſub quo ſtipendia facit. Diuino autẽ iudicio decretum eſt, ut, qui pauperis preces minime ad aures admittit, a Dño, cum opem illius implorauerit, non audiatur. Sed, cur egentiũ preces ab hominibus impiis nõ audiũtur, & iuſta poſtulata repudiantur? Quia, ut inquit Iſaias, oẽs diligunt munera. Munera uero irã leniunt, & acrimoniam obtũdunt, atq. debilitãt, & gratiã colligunt, & faciunt denique, ut oĩa illis, qui pecunia pugnant, expedita fiant. Pauper autem nõ habet, quo ſibi aĩum potentis, & irati, cõciliet. Sed, quãto fuiſſet potentibus utilius, & ſalutarius, flectere muneribus miſericordię, & benignitatis, irã Dei, quã muneribus hoĩum clãdeſtinis oblectari. Beatus. n. eſt, inquit Dauid, nõ qui donis rẽ familiarem auget, ſed qui intelligit ſuper egenum, & pauperem. In die enim mala liberabit eum Domtnus.

Iſa.1.

Pſal.40.

Gaudium iuſto eſt facere iudicium: & pauor operantibus iniquitatem. Vir qui erraverit a uia doctrinæ, in cœtu gigant ũcommorabitur. Qui diligit epulas, in egeſtate erit: qui amat uinum & pinguia, non ditabitur. Pro iuſto dabitur impius: & pro rectis iniquus.

Omnis iucunditas in naturæ perfectione conſiſtit. Cum autem conſuetudo naturam uel perficiat, uel immutet, conſequens eſt, ut quilibet ſtudijs illis delectetur, quibus ſe multis annis exercuit. Sic autem fit, ut, quemadmodum homo maleficus maleficio ſuo, quaſi facinus præclarũ geſſerit, oblectatur, ita iuſtus ex iuſtitiæ actionibus inſignem uoluptatem percipiat. Magnum tamen eſt, inter utramq. uoluptatem diſcrimen. Iuſtus enim, ueris bonis gaudet; iniuſtus, falſis, & inaniſsimis. Iuſtus, ſtabili iucunditate perfunditur; iniuſti gaudium, cõfeſtim euaneſcit; & mœſtitia ſæpe concluditur. Iuſtus, cum Diuinis opibus expletus ſit, non ualde humanas exquirit; iniuſtus, cũ nullis diuitijs ſatiari poſsit, ppetua indigentia cruciatur, iuſtus poſtremo nullum caſum extimeſcit: at iniuſtus, quamuis id diſſimulet, illata iudicij mentione, toto corpore, & animo, contremiſcit. Et tamen ij, qui doctrinam deſpiciunt, & opibus per iniuriam partis efferũtur, ita ſunt amentes, ut opinentur, eſſe imbecillitatis ſummæ, æquo iure cum ſuis ciuibus uiuere, & legibus obedire, & humanitatis officia tueri. Erit igitur illis idem ſupplicium cum gigantibus, quos moribus, & uita, ſequũtur, merito ſubeundum. Vt enim gigantes, uiribus elati, & inflati, cum tenues homines omni contumelia lacerarent, & iniuriis quam plurimis onerarent, nulloque metu manus a maleficijs abſtinerent, ita Diuino iudicio conciderunt, ut eorum nomen in terris obliuione ſepultum ſit, & ipſi apud inferos cruciatu ſempiterno torqueantur; ita, qui illorum ueſtigiis inſiſtunt, & gloriam in tyrannica potentia conſtitutam habent, iudicio Diuino peruerſi, corruent, & nomen eorum funditus interibit, ipſique ſempiterno ſupplicio mactabuntur. Et hac quidem oratione Salomon homines ab iniuria, & immanitate, deterret. Sed, cum non ſit ſatis ad ſalutem, tyrannidis mores exſecrari, niſi etiam ſumma uigilantia fuerit in ſtudio uirtutis elaboratum, rurſus deſidiam inſectatur; & homines, egeſtatis formidine, a iocis petulantibus, ab immodicis epulis, ab ebrietate, & unguẽtis, reuocare conatur. Ait deinde, iniuſtum eſſe piaculum; cum inquit, Pro iuſto dabitur impius. Quo modo? Quia iuſti, cum in Dei tutela ſint, nullo modo poſſunt malis opprimi, & a ſtatu ſuo demigrare. Omnes enim inſidias, omnes nocendi cogitationes omnes conatus, quos impij ad bonorũ perniciem comparant, Deus uertit in bonum, ita, ut improbi bonorũ gloriæ ſeruire compellantur. Nam, dum ſanctiſ laboribus exercentur, flagitia, quæ, propter imbecillitatem, commiſerant, expiantur; &, per inuictam patientiam, multo ampliora præmia conſequuntur; & poſtremo, dum ſummus, & ſanctiſsimus, iudex iniurias ſanctis illatas rectiſsimo iudicio perſequitur, ſuorum gloriam multo clarius illuſtrat.

Melius eſt habitare in terra deſerta, quam cum muliere rixoſa & iracunda. Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo iuſti: & imprudens homo diſſipabit illud. Qui ſequitur iuſtitiam & miſericordiam, inueniet uitam, iuſtitiam, & gloriam. Ciuitatem fortium adſcendit ſapiens, deſtruxitque robur fiduciæ eius. Qui cuſtodit os ſuum, & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam. Superbus & arrogans uocatur indoctus, qui in ira operatur ſuperbiam.

Quam ſit mulieris audacis, & iracundæ, contubernium metuendum, ſæpius inculcat; ut admoneat homines, cũ mulieris alicuius matrimoniũ habere cupiũt, ut ſint magis de illius moribus, & uita, quã de magnitudine dotis, atq. forma, ſolliciti. Nullã enim tætriorem peſtem arbitratur uir ſapientiſsimus muliere temeraria, & inſana, turbas horis ſingulis, atq. adeo momentis, commouente. Mulier quidem creata fuit, ut homo ſociã, & comitẽ, laboris haberet. At, cum nulier fuerit immanis, uirũ labore minime leuabit, ſed potius inſita feritate uitam illius acerbam, & ærumnoſam, efficiet. Tũc igitur melius fuiſſet uiro, in ſolis

Universidad de Deusto
Biblioteca

terris, atque uastitate, uitam degere quam huiusmodi mulieri matrimonio copulari. Omnia uero mala denitat sapientiæ studium. Iccirco Sapiens ad sapientiæ laudes redit. Ait igitur, opes immensas, uoluptates uerissimas, odores suauissimos, in domo sapientis inueniri. Quem Iustum noster interpres uocat, eundem Sapientem Salomon appellat. Solus igitur sapiens omnium bonorum copia circumfluit; cum insipiens, ut inanes opes paret, ueras disturbet, omnemque sibi aditum ad diuitias, & iucũditates, sempiternas, propter detestabilem furorem mentis, & rationis, intercludat. Opes autem sapientis explicat, cũ ait, eum, qui sequitur iustitiam, & misericordiam, fore participem uitæ sempiternæ, iustitiæ Diuinæ, & diuitiarum cælestium, quas misericordia Domini omnibus, qui in iustitiæ, & misericordiæ, studio uersantur, magnificentissime constituit. Quod si sapientia opes pararet, non tamen uires haberet ad eas firmo præsidio muniẽdas, frustra opes parauisset, quæ fuissent subito diripiendæ. Sed non est ita. Nihil est enim sapientia fortius, nihil constantius, nihil ex omni parte munitius. Bellum enim illius moderatione continetur; & salutare sapientis hominis consilium maximos exercitus sæpe fundit, & urbes etiam munitissimas exscindit. Quocirca nihil poterit sapientia excogitari ualentius. Is est enim sapientiæ parens, ut non modo suos sapientiæ opibus instruat, uerum & inuicto præsidio confirmet. Quam lubricum sit linguæ flagitium, & quam periculosa maledicendi cõsuetudo, & sæpe iam Sapiens dixit, & idẽ sæpius est non sine caussa repetendum. Odium enim excitat, seditiones concitat, pericula tæterrimæ pestis incendit, ita, ut nihil possit esse funestius. Is igitur, qui custodit os suum, ex angustiis innumerabilibus educit animam suam. Quid autem de superborum immanitate dicendum? Cum enim homines, a Diuinis placitis abhorrentes, sibi ingenium, & acumen, arrogãt, & summam sapientiæ opinionem sibi temere, atque inimis confidenter, adsciscunt, omnes homines religione constrictos deridẽt, nempe, quos stultissimos arbitrẽtur, eo quod religione impediantur, quo minus opes per iniuriam sibi comparent. Nec enim Deum res humanas curare putant; itaque illudunt simplicitatẽ, illudunt innocentiam, illudunt iustitiam, religionẽ iocis petulantissimis insequuntur, & in sanctitatis contemptione egregiã laudẽ urbanitatis querunt. Sublato igitur Dei metu, quod tãdẽ facinus erit, quod homo superbus, si uires collegerit, non suscipiat?

Desideria occidunt pigrum: nolverunt enim quidquam manus eius operari. tota die concupiscit & desiderat: qui autem iustus est, tribuet, & non cessabit. Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere. Testis mendax peribit: uir obediens loquetur uictoriam. Vir impius procaciter obfirmat uultum suum: qui autem rectus est, corrigit uiam suam. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit.

Mirum est, quam sæpe Sapiens Pigritiam exagitet. Ea namque bonam etiam naturam, quasi quædam rubigo, paullatim exedit; ea instar tacti ueneni, uirtutis indolem conficit, atq. cõsumit; ea debilitat, atque frangit, industriam; ea postremo pauperiem extremam, atque iniustitiam, ex se procreat. Qui enim, propter summã ignauiã, summa inopia circumuentus est, furari, atque latrocinari, compellitur. Vt autem in pigritia non aliud esset mali, quã desiderium perpetuum sine ullo fructu. id tantum est, ut sit summa cõtentione fugiendũ. Torquet enim desiderium, & acerbissimo cruciatu animũ discruciat, cum non conceditur potiri eo, quod homo uehementissime concupiscit. Et tamen, cũ desiderium animũ assidue uersetur, & inopia miserabiliter angat, sic sunt quidam fracti, & debilitati. desidia, ut nullũ laborem suscipere uelint. Contra uero, iustus, quod cupit, assequitur, quia laborem minime fugit. Hoc in loco, cum iustum pigro opponit, ostẽdit, pigrum esse iniustum. Manus enim afferet alieno cum poterit, qui nihil proprium in uita possederit. Et præterea, qui laborem recusat, iniustus est, quia imperium legitimũ detrectat. Lege enim Diuina ad laborem omnes excitamur. Iustus, inquit, tribuet, neque cessabit. Iustum adeo, diuitẽ esse dicit, ut non solum sibi, sed alijs etiam, opes suppediteat, quibus subleuentur. Neque cessabit, hoc est liberalissime sua bona communicat. Nemini inuidet, bona sua minime compressa tenet, cum omnes facere cupiat bonorum suorum participes. Hic certe liquet, Salomonem non tam de bonis terrestribus orationem habere, quam de cælestibus, quibus omnes iusti circumfluunt.

Hostias impiorum inquit esse Deo uehementer exsecrandas; maxime uero cum de rapinis offeruntur. Impius enim, qui impietatẽ minime deserit, & Deo tamen uictimas immolat, malã certe opinionem de mente Diuina recipit, cum existimat, iudicem illum sanctissimum posse muneribus improbis placari, & a recto iudicio detorqueri. Itaque scelus insitum alio scelere nõ minore ualde impudenter auget, & cumulat. Testis mendax peribit, non solum, quia meritas pœnas sanctissimo Dei iudicio persoluet, uerum, quia, mendacij conuictus, obmutescet. Nemo enim illi credet, qui semel periurio hoies fraudare conatus fuerit, & iurisiurandi religionẽ neglexerit. Cõtra uero, obediens, ut interpres uertit, qui aures ueritati præbuerit, q nihil, nisi quod auribus, & adspectu, perceperit, pro testimonio dixerit, fidẽter incedet, auctoritateq. sua fretus, uictoriã loquetur, ut interpres inquit, hoc est, ut Hebræus ait, ppe tuo loquetur, nẽpe in omni loco sententiã dicere minime formidabit. Quod est, de improbitate uictoriã reportare, & in omni negotio superiorẽ euadere: semper enim ueritas eminet. Diuino pſidio munita. Quãto malorũ oĩum comitatu circumsæpta

sæpta sit impietas, est explicatu difficillimum. Vnum tamen est, quod omnem spem sanitatis incidit, nempe, animus in errore nimis obstinatus, & monitoribus, qui eum sanare cupiunt, acriter infestus. Vt enim ægrotus, qui in morbo nimis periculoso medicinam omnẽ respuit, e morbo emergere nequit, ita, qui in errore susceptо adeo contumaciter adhæresicit, ut dignitatẽ suam imminui opinetur, si pedem a pestilenti uia reuocauerit, nullo modo poterit ulla firma spe salutis inniti. Contra uero, uir æquitatis appetens numquam ualde a uia ueritatis aberrabit, quia uel per se, uel aliorum monitis inductus, recta progredietur, & ita fiet, ut uitæ cursum felicitate summa confician. Summa temeritas, & amentia, detestabilis furor, & insania, in falsa opinione prudentiæ consistit. Qui enim aliquid ignorat, illius tamen rei, quam ignorat, artem, & scientiam, minime profitetur, minime se proijcit, assensionem sustinebit, peritos consulet, leuiter, & sensim, gradietur, ad ductum se, & imperium, intelligentis applicabit, & ita nusquã offendet, neque corruet. At, qui sibi scientiam rei sibi prorsus ignotæ insolenter assumit, impetu furibundo concitatus, omnia, quæ susceperit, funditus euertet, seque tandem præcipitem in extremam perniciem dabit. Cum uero in hac summa dementia multa odiosa, & nimis exsecranda, sint, tum nihil est dementius, quam ingenium exacui ad Diuina consilia labefactanda. Quæ te amentia uexat, homo perditissime? num cogitas, te posse, mentem Diuinam fraudibus tuis eludere? an potentiam uiribus tuis infringere? Si ingenium tuum intelligẽtiæ Diuinæ mentis anteponis, es amentissimus; si uires immensas uirtutis Diuinæ contemnis, es omnium perditorum hominum sceleratissimus. Quare uersa in omnes partes ingenium; omnes uias, quibus eo, quo intendis, aliquãdo peruenias, excogita; insidias strue; fraudes omnes machinare; ut tandẽ, experiundo, sentias, quam inanes, & irriti, sint corũ conatus, qui se consilijs Diuinis opponunt. Nec enim solum numquam, quod animo meditaris, efficies, uerum etiam recusans, & inuitus, eris Diuinæ uoluntatis instrumentum. Sic enim mala etiam in ordinem reducit, ut omnia sibi seruire compellat. Quid de uiribus dicendum est, quibus homines inaniter efferuntur? Quid iuuat, delectus maximos habere, ingentes exercitus comparare, equitatum innumerabilem armis instruere, si Diuini numinis auxilium non affuerit? Nec enim in exercitus magnitudine, sed in cælestis numinis ope, uictoria, & salus, uniuersa consistit.

CAP. XXII.

MElius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ: super argentum & aurum, gratia bona. Diues & pauper obuiauerunt sibi: utriusque autem operator est Dominus. Callidus uidet malum, & abscondit se: innocens pertransiit, & afflictus est damno. Finis modestiæ timor Domini, diuitię & gloria & uita. Arma & gladii in uia peruersi: custos autem animæ suę longe recedit ab eis. Prouerbium est, Adolescens iuxta uiam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.

Nomen bonum, a splendore ueræ uirtutis exoritur, & est etiam uirtutis efficiens: nec enim solũ in se decus admirandum continet, sed etiam multos mortales, exemplo suo, in uirtutis studiũ incitat. Præterea, amore uerissimæ pulchritudinis homines incendit, & gratiam sibi Diuinam, imitatione claritatis Diuinæ, conciliat. Non sunt opes ullæ; nulli, uel argenti, uel auri, immanes acerui, cum ueræ gloriæ dignitate, & amplitudine, cõparandi. Cum enim sit nõ humanis tantum, sed multo etiam magis opibus Diuinis stabilita, ita tum suum facillime tuetur, & de hostibus suis mirifice triumphat, atque postremo decoris immortalitatem consequitur. Neque diuitię ullũ dignitatis pondus apud Deum habere possunt; neque paupertas ab omnium rerum effectore cõtemnitur; cum idem Dominus diuitem, & egentẽ, condiderit; ut uterq. uirtutis instrumentum, si uellet officio fungi, paratum semper haberet. Diues nempe, ut insigni beneficentia; pauper autem, inuicta patientia, opes stabiles possideret. Nõ igitur apud Deum refert, quantas quilibet opes habeat, sed quantis ueris simi decoris ornamentis, atque præsidijs, instructus sit. Omnia tamen uirtutum decora, prudentiæ, & calliditatis, præsidio continentur. Qui enim callidus est, in futurum lõge prospicit, insidias uitat, pericula propulsat, atque diligentissime cauet, ne partæ dignitatis opes de manibus elabantur. At innocens, ut interpres reddidit, hoc est qui minime cautus est, nullũ casum extimescit, ab incepto minime desistit, sed nimis confidenter incedit, & adeo temere per loca periculosa, & infesta, progreditur, ut tandem corruat. Itaque non satis est, bonum nomen adipisci, nisi eundẽ statum singulari cautione, & calliditate, munias. Cum autẽ multæ cautiones excogitari possint ad opes partas singulari præsidio muniendas, nulla tamen est ab omni casu, atque ruina, securior, moderatione, & humilitate. Humilitas enim, confidentiã aspernatur, fidẽ amplexatur, nullas sibi uires assumit, sed omnia uitę præsidia in Deo cõstituit; & ita fit, ut ab ipso Deo nullo umquam tempore deseratur. Est enim humilitas, cum Dei timore, indissolubili fœdere sociata; timor autem Domini, est, ut sæpe iam dictum est, ueri simæ sapientiæ fundamentum. Qui igitur ad hunc modum humilis est, sapiens est. Sapientia porro, omnes opes stabiles, atque sempiternas, consequitur. Humilis igitur, nullo modo concidet, sed diuitias immortales, sed Diuini decoris amplitudinem, sed uitam sempiternam, absq. ulla mali formidine, comparabit. At homines amentes, qui sibi sapiẽtes uidentur, hac neglecta uia, in aliam se dant, qua pro salute, quã appetunt, in pestem, & pernicię, deferũtur. Præsidia namq. uitæ in malitia collocant; &, cum ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

xime fuerint in alios teterrimi, tum vel maxime fortunas suas fundatissimas arbitrantur; & ex hominum calamitate opes sibi, atque dignitatis excellentiam, parare nituntur. Itaque fides opponunt, quæ aculeis homines, absque vllo merito, pungãt, laqueos tendunt, quibus multos mortales impediant, vt, illis abiectis, ipsi passim volitent, & innocentiam perditis conatibus intercludant. At, qui uitam caram habent, & minime, quæ situia salutis, ignorant, horum consilia detestantur, & a uia iniquitatis longissime recedunt. Quod igitur remedium adhiberi potest, ne homines, pestiferis erroribus excæcati, in sempiternam pestẽ incurrant? Præclara, inquit, institutio. Quod enim hominibus a primis annis insitum est, ad extremum plerumque uitæ spiritum retinetur. Vt igitur, qui a prima ætate domesticis flagitiorum exemplis, & perditis institutis, infecti sunt, uix sanari possunt; ita, qui sunt ab incunalibus ad iustitiam, & pietatem, eruditi, difficillime a uirtutis, & religionis, uerissimæ uia deducuntur.

Diues pauperibus imperat: & qui accipit mutuum, seruus est fenerantis. Qui seminat iniquitatem, metet mala, & uirgа iræ suæ consummabitur. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. Eiice derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntque causſæ, & contumeliæ.

Qui libertatem retinere cupit, sumptibus pareat, tenui uictu cõtentus sit, noxias uoluptates aspernetur, ne trucidatus fenore cogatur subire importunum diuitis, atque feneratoris, dominatum. Qui enim in ære alieno est; uultum creditoris extimescit; &, ne illi in seruitutem addicatur, noctes, &, dies, nimis anxie reformidat. Iniuria tamen, qua pauperes a diuitibus afficiuntur, non erit impunita. Nam diuitiæ, iniquitate, & iniuria, partæ, dilabuntur; & præterea iudicium Diuinum grauissimas pœnas expetet ab iniquis, qui pauperes per summum scelus spoliant. Hoc est autem, quod significat, cum ait, eum, qui seminat iniuriam, mala metere. Opes enim iniquorum ad nihilum recidunt, & casibus grauissimis euertuntur, ita, ut eorum posteri in summa mendicitate uersentur. Præterea, uirgа iræ suæ conficiuntur. Quid autem est Virga iræ suę? Virga, est iudicium: significat enim insigne Regium, ad iniquorum euersionem, & bonorum dignitatem, publice constitutum. Vtrumque autem est iure debitum. Supplicium enim debetur improbis, præmium uero bonis. Virga igitur iræ, seuerum iudicium designat, quod improbi, iure, atque merito, suum appellare possunt. Hæc enim est illorum merces, hoc sceleris insiti patrimonium, hæc hereditas impijs eorum sedulitate parta, & amplificata; ita, ut, qui misericordiæ opes aspernati sunt, iræ sempiternæ, ut Paulus ait, thesauros possideant. Hæc igitur ira, quam sibi parauerunt iniqui, illos funditus perdet. Contra uero, qui non solum non appetunt alienum, uerum de suo egentibus largiuntur, & semper sunt ad benigne faciendum propensi, stabile patrimonium obtinebunt, & in laude perpetua uigebunt. Hæc tamen sententia nimis stulta, & antiqua, ducitur a multis, qui acuminis, atque prudentiæ, laudem in malitia ponunt; qui dolis, atque fraudibus, efferuntur; qui bonitatem ludibrio habent, & iustitiam petulantissime derident. Horum conuictum, atque commercium, fugiendum esse, docet Sapiens. Nam superbia, hominum contemptionem procreat; maledicentia, huic morbo finitima, offensionem concitat; auaritia, bonis alienis oculos semper adijcit; & ita fieri non potest, ut, qui cum derisoribus uiuit, ullum pacis fructum possideat.

Roma.

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum eius habet amicum regem. Oculi Domini custodiunt scientiam, & supplantantur uerba iniqui. Dicit piger, Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. Fouea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam. Sultitia colligata est in corde pueri, & uirga disciplinæ fugabit eam.

Cordis puritatem, orationis puritas, & sententia grata, consequitur. Cum enim oratio ex intima mente profluat, consequens est, ut, qualis mens ipsa fuerit, talis oratio ex illius penetralibus depromatur. Ita necessario fit, ut purus, & ornatus, animus puram, & uerissimis ornamentis illustratam, orationem foras emittat; contra uero, animus impurus, & flagitio contaminatus, oratione sua, insitæ turpitudinis significationem det; &, quamuis id occulere uelit, inclusas tandem sordes ostentet. Vnde sequitur, neminem posse eloquentiæ laude præcellere, nisi purus, & integer, sit, & studio iustitiæ, atque pietatis, incensus. Is igitur uera eloquentia, quæ iustitiæ comes est, Regis animum sibi deuinciet. Regis, inquam, non tyranni, amorem sibi conciliabit. Tyrannus enim, non ueritati, sed adulationi, aures suas præbet; & facillime fallacias fucatæ orationis uerissimis sententiis anteponit. Cum autem in ueri Regis animum oratio hominis probi, atque prudentis, influat, tum uel maxime sempiterno Regi, quem nihil, præter puritatem, atque iustitiam, delectat, erit gratissima, quam tanta uoluntate comprobabit, ut sanctissimo amicitię fœdere secum huiusmodi oratorem consocict. Quomodo autem id fiat, continuo Sapiens ostendit, cum ait, oculos Domini obseruare scientiam, & uerba eorum, qui iura conuellunt, euertere. Hoc est autem, orationem eorum, qui sapienter, & uere, loquuntur, libenter audire, iniquorum autem orationem comprimere, &

re, & eos, qui fallacissima dicendi ratione nituntur, de omni statu deturbare. Vt autem hominis pij oratio sit summo Regi gratissima, facit spiritus ille, quo ad dicendum impelluntur, Diuinisque uiribus incitantur. Ab hac autẽ Diuina gratia, hoĩes duplici causſa deseruntur. Vna est, iniquitas; altera, negligẽtia. Iniquitas, bellũ inexpiabile cum Diuina probitate perpetuo gerit, negligentia, minime ad opes Diuinas cõparandas enititur. Deus autem, & improbis infensus est, & pigros, & desides, minime fauore suo complectitur. Laboribus enim honestis præmiũ proponit; otium uero, & ignauiam, detestatur. Iccirco Salomon utrumque malũ insectatur; &, cum iniquitatem maledictis insequitur, tum pigris, & ignauis, maculam detestandæ turpitudinis inurit. Est autem Timiditas, pigritię comes. Vt enim animus altus, & excelsus, nihil timet, &, cum sibi præmia ingentia proponat, omnia facillima putat, & ita fit ut omnes sibi labores excipiendos arbitretur; ita demissus, & abiectus, animus, cum nihil amplum cogitet, & nulla spe summæ dignitatis erigatur, desperatione summa fractus, langueſcit, & impeditur, quo minus aliquid uiro dignum moliatur. Semper enim non solum metuendas res, sed etiam minime metuendas extimescit. Leo, inquit, foris est; si limine pedem extulero, occurret malum aliquod, non minus, quam leonis immanitas, pertimescendum. Otium uero, libido consequitur; libido autem, in meretricẽ prolapsa, est horrenda uorago, in quã multi mortales ita deijciũtur, ut inde expediri nõ possint. Illi igitur, quibus Deus iratus est, in eã detrusi, spem salutis abiiciunt, & ita se totos flagitio, & impuritate, cõficiendos permittũt. Os alienæ appellat Salomon, meretricis blãditias, atq. lenocinia, quibus homines perditos, atque profligatos, irretit. Remediũ uero, ne hoĩes in tam dirã pestem præcipites eijciantur, est recta disciplina. Si enim disciplinã remoueris, in nullã spẽ exitus felicis induci ullo modo poteris. nã uoluptatis libido, est in natura insita; omniaq. sunt in nobis ad uoluptatem temere propensa, quæ mentem tenebris obruunt, & impediunt, ne perniciem, in quam deducitur, animaduertat. Disciplina tamen adhibita, fit, ut rationis lumen emineat, & malum impendens clare cernatur, & animus, turpitudinis metu deterritus, a peste refugiat.

Qui calumniatur pauperem, ut augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit. Inclina aurem tuam, & audi uerba sapientium: appone autem cor ad doctrinam meam. quæ pulchra erit tibi cum seruaueris eam in uentre tuo, & redundabit in labiis tuis. Vt sit in Domino fiducia tua, unde & ostendi eam tibi hodie. Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus & scientia, ut ostẽderem tibi firmitatem & eloquia ueritatis, respondere ex his illis qui miserunt te.

Ius Diuinum flagitat, ut, quemadmodum, qui humanum sanguinem nefarie fundunt, sanguine suo pœnam homicidij luant; ita decretum Diuinum est, ut, qui bona aliena diripiunt, aliorum etiam tyrannide spolientur. Quemadmodum est apud Isaiam: Væ qui prædaris? Non ne & prædaberis? Auaritia igitur, detestanda est, non solum, quia calumniatores, & improbos homines, in miseriam sempiternam præcipites agit, sed etiam quia ij, qui pauperes uexauerunt, in hac uita, egestate, & mendicitate, sępenumero cruciantur. Nihil est igitur ad opes stabiliendas æquitate, & recta disciplina salutarius. Diuitiæ namque, uarijs casibus euertũtur. At iustitiæ prędia, & præclaræ eruditionis opes, nullis unquam sæculis interibunt. Reliquum igitur est, ut omnes uitæ cogitationes, & actiones, ad studia sapientiæ conferamus, & sapientes assidue consulamus, eorumque præcepta, & consilia, uitæ legem existimemus; & sic ea complectamur animis, ut numquam a memoria nostra discedere patiamur. In uentre enim, hoc est in intima mente, recondita erunt, eximia iucunditate, & hilaritate, conspersa; &, cum ea ex erudito corde deprompseris, eloquentiæ admirationem commouebunt. Eloquentiæ namque fons, est uerissimæ sapientiæ disciplina. Ille namque solus, recte, & sapienter, eloqui potest, qui est æquitatis, & sapientiæ, Diuinis artibus instructissimus. Sed, quæ tandem est sapientiæ summa? Benignitatis Diuinæ fiducia. Qui enim non hominum gratia, non pecuniæ magnitudine, non artificio, & calliditate, sed Diuina tantum clementia, nititur, atque confidit, omnemque spem uitæ, salutis, dignitatis, immortalitatis, habet in Dei patrocinio collocatam, præclare uitam geret, statumque beatum, atque plane Diuinum, consequetur. Res enim illius erunt, non hominum industria, sed ope Diuina, atque moderatione, constitutę. Hoc in loco, rursus Sapiens decreta sua commendat, &, quam salutaria sint, acerrimo studio demõstrat, ne audeant homines, socordia, & ignauia, cum ingrati animi scelere, tantas, atque tam præclaras, opes effundere. Quid est enim æquitate, quæ animi statũ exornat, mentisq. decus, & imperiũ, tuetur, excellentius? Quid ueritate, quę fraudes omnes, & insidias aperit, errorumq. tenebras lõgissime propellit, expetibilius? Si enim miserrimus est, qui, specie boni fallacis, in eum errorem incidit, ut uerissimis malis obruatur, quo modo non erit ille beatissimus, qui, luce ueritatis illustratus, mendacium odio persequitur, studioque uerissimæ felicitatis inflammatus, opes uerissimas intuetur, ad easque tandem, ductu spiritus Diuini, perducitur? Ecce, inquit, ut noster interpres uertit, descripsi eam tibi tripliciter, in cogitatione, & scientia; hoc est, tibi grauissimas sentẽtias scripsi, consiliorũ, & scientiæ, plenas? Sententiæ sunt illę maxime ratæ, quæ nos ad Dei cognitionẽ erudiunt; consilia uero, quibus admonęmur, ut in rebus administrandis impiorum mores, & studia, detestemur, animosque nostros non perditorũ hominum exemplis, sed lege Diuina, conformemus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus.summamque prudentiam in Dei timore sitã esse statuamus; scientia uero,est intelligentia, qua fraudes inficta specie sanctitatis latentes sagacissime odoramur,ut illis acerrime repugnemus.Ad hunc autem modum, commissum nobis munus,& fideliter,& uigilanter,obire poterimus, & fideli responsione illis,qui nos miserunt, egregie satisfacere. Qui autem sunt illi,qui nos mittunt?Illi,in quibus auctoritas inest,qui iurisdictionem administrant, quibus,ut Dei uicarijs, obtemperare debemus ; ijs autem, cum a nobis fuerit ratio eorum,quæ gessimus,petita, respondere confidenter,& uere,poterimus, & in ratione reddenda minime titubanter eloqui, si sapientiæ decreta tenuerimus . Quilibet enim de re,quam exactissime tenet, & de munere, quod singulari fide procurauit,sapienter edisseret.Quid de ratione, quam sumus ipsi summo Domino rediturj, statuendum est? Illi etiam,quantum per naturæ imbecillitatẽ licuerit,si sapientiæ decreta seruauerimus,de munere nobis delegato optimẽ rationẽ referemus.Quod si per eos,qui nos miserunt,Deũ intelligas,sensus non erit ab eo, quod Salomonis uerba disignant, alienus . Nam sæpenumero in sanctis Litteris,Dei numen,propter personarum distinctionem, numero multitudinis explicatur.

Non facias uiolentiam pauperi, quia pauper est:neque conteras egenum in porta,quia iudicabit Dominus causſam eius, & configet eos , qui confixerunt animam eius.Noli esse amicus homini iracundo,neque ambules cum uiro furioso: ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Noli esse cum his qui defigunt manus suas , & qui uades se offerunt pro debitis : si enim non habes unde restituas, quid causſæ est ut tollat operimentum de cubili tuo? Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Vidisti uirum uelocem in opere suo?coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.

Pauperes,propter pauperiem,contemnuntur, & ideo prædæ iniquorum expositi sunt, quia nullas ad resistendum uires habent . Tenues homines,potentium iniuria circumueniuntur, nec ullam rationem retinendi iuris inuenire possunt. cum enim nec aduocatos, neque patronos, habeãt,in porta,hoc est in foro,(in porta enim iudicia olim exercebãtur)causſa cadunt,&, per summam iniuriam , condemnati , discedunt . Iniqui enim,quasi numquam sint in iudicium uocandi, aut per uim extra iudicium,aut per malitiosam calliditatẽ in iudicio, pauperes omni uictu fraudant,& inanes eijciũt. At Deus, illorum uindex erit,& pœnas grauissimas ab ijs , qui pauperes bonis euertunt,seuerissime reposcet. Quantum periculum illis impendeat, qui sese cum iracundis, & furiosis,hominibus coniunxerunt, exemplis uitæ quotidianis experimur. Cum enim homo iracundus rabide concitetur, & conuicia furibunde iaciat , multorum iram in se prouocat, & ita sibi,& socijs,periculum necis intendit.Iam de temeritate eorum , qui sine ulla graui causſa pro alienis spondent,neque uident, quam temerarij sit,pro illis , quorum fidem exploratam non habent,fidem suam obligare,iam sæpe Sapientis admonuit, & hic rursus eandẽ admonitionem repetit,ut homines minime malos a temeritate deterreat . Monet deinde , ne terminos antiquos loco suo moueamus.quod est etiam lege Diuina prohibitum,& sollemni etiã exsecratione condemnatum . Qui enim terminos conuellit , ius Diuinum uiolat,societatis humanę iura perfringit, proximos e patris bonis exturbat, pacem , & concordiam,dirimit,lites,& contentiones , exsuscitat,omnibusque modis,quantum in se est,statum totius Reip. labefactat . Non solum igitur est communis iuris euersor, uerum etiam numinis Diuini contemptor. Cum enim in solitudine tantum facinus audet, aut se a Deo minime cerni putat;aut confidit , se facillime Dei iudicia, & legis sanctissimæ comminationes, eluſurum . Quamquam hoc in loco non solum facinus in terminis euellendis uetatur , uerum & legum, atque morum , transgressio, & innouatio,prohibetur.Nam,cum Reip. status tolerabilis est , & certa legum moderatione terminatur, qui illum immutare contendit , mortem ipsius Reip. uniuersæ maturat. Nouitas enim legum,uel interitũ ciuitatibus affert,uel certe eas in summum discrimen salutis inducit . Vt autem nouitatis auctores a furore conatur auertere , & ut patrios mores , & instituta, quæ cum Diuina lege non pugnãt, conseruemus; adhortatur; sic hominum in officio legitimo,& debito, diligentiam laudibus ornat.Ad agendum enim nati sumus. Vita uero, est breuis ætui spatio circumscripta;& opus,quod est nobis impositum,in æternitatem tendere debet.Si igitur ad uitæ breuitatem,ignauia , atque tarditas,accesserit,uita nobis repentino,sine ullo fructu,prætersluet:quod erit maxime miserandũ. Sunt ignaui,atque desides,ignominia sempiterna notandi , & opibus , ad quas est nobis modis omnibus adspirandum,destituendi . Contra uero , qui diligentiam , & alacritatem , adhibent, sunt muneribus sempiternis afficiendi. Si enim, qui in operibus humanis industrij sunt , opera, quæ suscipiunt,cum laude summa perficiunt, ex ea ratione Regum gratiam acquirunt , & opibus Regum beneficentia cumulãtur ; quid erit dicendum de præmijs , & ornamentis,& honoribus,qui sunt a summo rerum Domino , diligentibus,& strenuis,constituti ?

CAP. XXIII.

Quando sederis ut comedas cũ principe,diligenter attẽde quæ apposita sunt ante faciẽ tuam: & statue cultrũ in gutture tuo,Si tñ habes in potestate aĩam tuam,

tuam , ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij Noli laborare ut diteris : sed prudentiæ tuæ pone modum . ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere:quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & uolabunt in cælum . Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius:quoniam in similitudinẽ arioli & coniectoris æstimat quod ignorat. Comede & bibe,dicet tibi , & mens eius non est tecum .

Admonet Sapiens, Principis statũ esse in loco ualde lubrico,& periculoso, tuti. & ideo minime expetendũ,sed uotis oĩbus fugiendum. Est enim ab amicis ueris desertus , adulatorum multitudine circumseptus,ab inuidis oppugnatus, insidijs innumerabilibus expositus, & assidua malorum omnium tempestate conuulsus. Nullum habent Principes firmum uitæ præsidium . Cum multi uel oderint,uel inuideant,uel irascantur, uel metuant,& pauci admodum illum saluum, & incolumem,esse cupiant . Non loquitur hic de Rege, cuius cor est in manu Domini , sed de Principe, qui,opibus humanis innixus,se salutari præsidio munitum esse confidit, & iccirco de præsidio Diuino non ualde cogitat . Huius autem opes sunt inanes, huius dapes iniucundæ, quæ ficta suauitate ueneni sensum eripiunt , & ita uitam prius auferunt,quam remedium adhiberi possit . Nec solum Principes infinita pericula circumsistunt, uerum omnibus eorum domesticis, & familiaribus, qui plurimum apud illos possunt , similiter intenduntur.Odio enim apud multitudinẽ sunt, & inuidiæ flatibus exagitantur,& calumnijs etiã uarijs aut eijciuntur,aut in summum uitæ discrimen impelluntur . Hoc est igitur, quod Sapiens admonet, ne nimium Principum familiaritates appetamus,si uitam caram habemus,sed , adhibito cultro,uel,ut Hebræus inquit,guttur potius spinis sæpiamus, ne supra modum ciborum illorum falsa dulcedine capiatur . Illæ namque dapes, cum sint fallacissimæ , & casibus diris simis expositæ, dum uitam sustentare uidentur, ruinã, & interitum, minitantur . Similiter etiam admonemur , ne nimis in pecuniæ studium incumbamus, sed sedulitati , & industriæ , nostræ modum constituamus. Nam, qui diuites fieri uolunt, ut 1.Tim.6. Paulus ait,incidũt in desideria noxia, atque mortifera , quæ deprimunt, ac demergunt , homines in sempiternum exitium. Et,ut nullum aliud malum ex pecuniæ studio nascatur,impietatis scelus tantum est,ut nullam eo excogitari possit immanius. Homines autem,in Dei loco,pecuniam uenerantur,& fidem,atque spem, quã in Deo collocatam habere debuissent , in pecunia reponunt. Quid,quod nõ semper auaris concessum est,illis opibꝰ inanissimis,quas inexplebili auiditate cupiunt,cumulari?Euolãt enim,& in sublime feruntur,&, tamquam somnia,oculos intuentium,abscessu repentino,deludunt. Sic autem fit, ut opes stabiles,atque sempiternæ, parabiles sint . nemo enim umquam earum studio flagrauit , quin ad eas ope Diuina peruenirit : at opes inanes sæpenumero sine ullo fructu ab hominibus expetuntur. Cum hominibus inuidis commercium habere,ualde periculosum esse,dicit Sapiens . In quo, quemadmodum a nimia Principum familiaritate reuocauit homines firmę salutis appetentes, ita nunc inuidos, qui præcipue in Principum aulis uersantur , canendos esse , monet . Hominum suspectum,& insidiosum,genus.nihil in illis inest purum,& simplex , & cum aliqua parte bonitatis ingenuæ coniunctum , sed omnia uersuta , & malitiosa calliditate subnixa. Oderut probitatẽ, odio persequuntur industriam,somnum minime capiunt , dum ualde metuunt , ne quisquam uir excellens ad familiaritatem illorum , quos ipsi fallaciis suis in potestate continent,adspiret. Itaque,quamuis dicant , Comede , & bibe. hoc est, meas opes communes existima,mẽtiuntur, & illis ipsis,ad quos benigne loqui didicerunt, interitum machinantur.

Cibos quos comederas euomes, & perdes pulchros sermones tuos . In auribus insipientium ne loquaris: quia despiciẽt doctrinam eloquij tui.Ne attingas paruulorum terminos,& agrum pupillorum ne introeas: propinquus enim illorum fortis est:& ipse iudicabit contra te causſam illorum . Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad uerba scientiæ. Noli subtrahere a puero disciplinam:si enim percusseris eum uirga, non morietur.tu uirga percuties eum: & animam eius de inferno liberabis.

Inuidia,omnia fœde contaminat,& efficit, ne quidquam,quod ex illa proficiscitur, in proximi commodum redundet . Neque solum cibi, quos illa suppeditat , insuaues, & acerbi, sunt,uerum etiam ita mouent stomachum, ut protinus euomantur,hoc est,ut nullæ reliquiæ e simulato inuidi officio utilitatis resideant . Nec enim hic tam cibi, quam familiaritas , quæ ciborum usu conciliatur,intelligenda est. Et hoc non satis est ; uerũ & uerba officij plenissima,quæ gratia illius emiseris , in peiorem partem accipiet . De termino minime conuellendo iam præcepta dedit.Hic tamen pupillorum præcipue meminit ; quia, cum sint auxilio magis destituti , facillime fit , ut iniqui illorum possessiones occupẽt,& eos, per summam iniuriam,ex agris,qui illis hereditate obuenerant, extrudant.Itaque illorum patronum, & uindicem,Deum fore,confirmat . Est enim pater pupillorum,& iudex uiduarum, ita,ut,qui iniuriam illis intulerit, sit acerbissimo supplicio cruciandus.Rursus , sapientiæ disciplinam cõmendat : quasi dicat : Qui Principum gratiam ambiunt,qui societatem cum inuidis coire studeant, qui in agros alienos inuadunt,id,ut opes sibi parent,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rent, efficiunt. Omnes tamen in summo errore uersari, demonstro. Tu, si uis opibus summis ornari, & augeri, fac, quod toties adhortatus sum, ut summa alacritate, & uigilantia, sapientiæ studia recolas, eaque tota mente complectaris, quæ te opibus firmissimis opulentum reddent; liberosque tuos, a teneris annis, artibus præclaris, & sanctis uitæ monitis, eruditos suscipe, & uirga, quoties fuerit opus, a praua institutione deterre. Si enim nimis indulgens exstiteris, eos perdes: contra uero, si cum seueritate, quoties id recta ratio flagitauerit, illos a fluxa disciplina reduxeris, illorum uitam a sempiterno exitio reuocabis.

Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum: & exsultabunt renes mei, cum locuta fuerint recta labia tua. Nō æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Dñi esto tota die: quia habebis spē in nouissimo, & præstolatio tua non auferetur. Audi fili mi, & esto sapiens, & dirige in uia animum tuum.

Amoris ardentissimi significatione, Sapiens, eos, quos edocet, studio sapientiæ inflammare conatur. Filios nominat; se ex eorum bonis summo gaudio cumulandum fore pronuntiat; eis præterea ex sapientiæ studio amplissimæ dignitatis ornamenta pollicetur, & uoluptatem summam denuntiat. Vt enim stultitia mærorem effi cit, ita sapientia mentes splendido cultu, & ornatu, lætificat. Admonet igitur rursus, ut, a perditorum hominum moribus abstracti, omnem uitam timore Domini gubernent, & Diuinis institutis, & non flagitiorum exemplis, omnes actiones administrent: pietatisque fructum amplissimum proponit, qui numquam euertetur.

Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad uescendum conferunt: quia uacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & uestietur pānis dormitatio. Audi patrem tuū qui genuit te: & ne contemnas cum senuerit mater tua. Veritatē eme, & noli uendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam. Exsultat gaudio pater iusti: qui sapientē genuit, lętabitur in eo. gaudeat pater tuus, & mater tua, & exsultet quæ genuit te. Præbe fili mi cor tuū mihi, & oculi tui uias meas custodiant. fouea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. insidiatur in uia quasi latro, & quos incautos uiderit, interficiet.

Qui uino dediti sunt, & perpetuo epulis indulgent, patrimonium dissipant, ualetudinem perturbant, otio corrumpuntur, somno diuturno languescunt: interim mens obtunditur, & hebescit, ita, ut nihil possit amplum, & excelsum, cogitare, & aliquid superum, atque cæleste, contueri. Sic igitur fit, ut ebrius, & ganeo, nō solum corpore sit egentissimus, uerum etiam extrema inopia mentis, & rationis, miserrimus. Hoc est aūt, quod significat, cum ait. Et uestietur pānis dormitatio. Quasi dicat: Somnum, lacertis uestibus nuditatem contegere. Vestis enim, industria, & uigilantia, & non somno, comparatur. Magnum igitur miseriæ fundamentum, est in ebrietate, & ingluuie, & somno, constitutum. Ab hac tanta calamitate Sapiens omnes conatur auertere; & amorem, quo ad hanc admonitionēm incenditur, nominibus explanat. Se enim Patrem nominat, &, quasi Filios, omnes, disciplinis salutaribus informare nititur. Audi, fili, patrem tuum, & audi matrem tuam. Illos, inquit, detestare, qui te odio persequuntur, & a salutis uia deducere uolunt, & illis te audientem præbe, qui te patria caritate, & materno amore, complectuntur. Fac igitur, ut, probitate, & sapientia, tua, matrem tuam, cum senuerit, afficias uoluptate, & nullo modo senilē illius ætatem dolore conficias. Eme ueritatem: omnia, inquit, proscribe, ut possis emere bona uerissima. Quo tandem pretio ueritas emenda est? Fide, Dei promissis innixa, hominum beneuolentia, & caritate, Diuinę legis obseruantia: tum denique ueritatem emimus, cum eam uanis, & fluxis, opibus anteponimus; & facile illis caremus, ut opibus uerissimis affluamus: eas contra uenales proponimus, cum, præ terrestrium rerum cupiditate, eas despicimus. Summa igitur sapientia, salutaris disciplina, clarissimumque prudentiæ lumen, in comparanda ueritate consistit. Si nostrum officium est, oblectare eos, qui nos ualde amant; (nostris enim bonis gaudent, & mala nostra cum lugubri admodum querimonia lamentantur, & nemo est, qui nos ardentius amet, quam ij, a quibus geniti sumus) cur operam non dabimus, ut eos gaudio afficiamus, quibus tāto uinculo deuincti sumus? Gaudio exsultat, inquit Sapiens, pater iusti; & sapientis mater lætitia effertur. Da igitur operam, ut patrem tuum, & matrem tuā, uehementer oblectes. Quod facies, si iustitiam coluerís, & sapientiæ studia tota mēte complexus fueris. Quod si illi, qui corpora nostra genuerunt, tam insigni gaudio cumulantur, cum uident nos officium nostrum facere; quid erit exstimandū de gaudio illo, quod summus animorum pater excipiet, si fuerimus in nostræ salutis, atque dignitatis, studio uigilantes? Si enim ita loqui fas est, quemadmodum afflicta tur illius spiritus, cum nostram salutem prodimus, & hosti perditissimo, qui nobis pestem, atq; perniciem, perpetuo machinatur, obtemperamus; ita consequens est, ut gaudio triumphet, cū totis uiribus in studium nostræ salutis incumbimus. Deliciæ enim, ut iam uidimus, Diuinæ sapientiæ, sunt, esse cum filijs hominum. Hostis igitur immanissimi perdita consilia detestemur, ut aures optimo parenti, qui tanto studio nobis consulit, præbeamus; & ita numquam a salutis uia

uia declinabimus. Et, quia serpentis antiqui calliditas in eo plerumque uersatur, ut amoribus meretricijs illectos a studio pietatis abducat, rursus admonet Sapiens, ut tantum periculū fugiamus. Meretricē enim, Foueam profundam appellat, ut casum, & ruinam, metuamus; Puteū angustum nominat, ut, quam difficilis exitus sit, intelligamus. Qui enim meretrici semel in seruitutem addicitur, difficillime in libertatem uindicatur. Quæ quidem, ut latro, insidias ponit, non solum, ut imperitos spoliet, uerum etiam, ut trucidet; & ad eam rem socios sibi tanti sceleris adsciscit, adulatores nempe, & homines flagitijs infames.

Cui uæ? cuius patri uæ? cui rixæ? cui fouea? Cui sine caussa uulnera? Cui suffusio oculorū? nō ne his qui commorātur in uino, & studēt calicibus epotādis? Ne intuearis uinū quando flaueſcit, cum splenduerit in uitro color eius: ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus uenena diffundet. Oculi tui uidebunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa. Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo, & dices, Verberauerūt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi. Quando euigilabo, & rursus uina reperiam?

Quis, inquit, ingemiscet? Quis sese lamentis dedet? Quis grauissimæ ruinæ periculum adibit? Quis facillime uulnera mortifera sustinebit? Cui oculi rubebunt, & obruti caligabunt? Illi, certe, qui sine ullo modo uinum hauserit. Is enim morbis opprimetur; is rerum omnium penuria cruciabitur; is in meretrices incidet; is, propter mulierculas impuras, plagas assidue sustinebit; is tandem adspectum corporis, atque mentis, amittet. Vinum quidem, in principio, colore placet, & gustu; &, cum moderate sumitur, non est reijciendum. Cum tamē extra modum procedit, quasi serpens, morsu dilacerat, & homines parū cautos interimit. Quid enim inter hominem mortuum, & uino uehementer oppressum, inter sit, non facile dixerim. Vterque enim sensibus orbatus est, & humano iudicio destitutus. Hoc tñ est inter utrumque discrimen, quod, cū homo e uita discedit, ut corpus iaceat, aius tamen interim, si non male uitā instituit, uiuit, & uiget, & sensu Di uino perfruitur. At, cū ebrius decumbit, non tantum illius corpus perditum, & fusum, iacet, uerū & animus est leto funestissimo perditus. Homo namque, uino languidus, libidine furit, & meretricibus in seruitutem addicitur, & in Deum etiā maledicta conijciet, si id impudicis mulieribus placere opinatus fuerit. Erit tunc miser ille, seruus flagitij, turpitudinis, & impietatis, & ab omni spe melioris condicionis deiectus. Alligatus enim tenetur, uinculis durissimis impeditur, ne se loco commouere possit. Reliquum igitur erit, ut, tamquam in profundo mari, assidua tempestate quatiatur, &, quasi in nauis carcheſio decūbēs, sine intermissione iactetur, & ita iactetur, ut sibi opitulari nō possit. Quid deinde? Nullū oīno mali sui sensum capiet? capiet certe. Numquā enim tantum potest diuturna peccandi consuetudo, ut omnem sensum dignitatis in natura penitus insitum prorsus exstinguat, & deleat. Semper enim uigebit, non tamen ita, ut uitam det, sed ut acriorem morsum doloris efficiat. Nihil enim est scelerum recordatione mentibus humanis acerbius. Sed, quid refert? Quemadmodū enim apud inferos, quamuis maleficiorum conscientia fontes excruciet, nullum tamen ex eo dolore fructum percipiunt; ita plerumque fit, ut homines profligatissimi, cum flagitiorum suorum recordatione torquentur, nullam utilitatem ex eo cruciatu capiant, immo, quo acrior est malorum sensus, eo crimen sceleſtius est, cum nec illo dolore uicti ad officium redire uelint. Hoc autē in loco Sapiens hominem flagitiosum lamentantem inducit. Percusserunt, inquit, me, neque tanti uulneris sensu in uiam redire uolui; plagis me contuderunt, & debilitarunt, & tamen sponte mea in eadem miseria permansi: quando euigilabo? Ostendit, se grauissimo somno consopitū fuisse; & iccirco se ipsum excitari concupiscit, ut ad bonā frugē redeat. Corporis enim lāguorem, mentis cæcitatem, animi seruitutem, uitæ dedecus, & ignominiam, bonorum euersionem, & oīa deniq. mala, quibus oppressus erat, sōno tribuenda putat; & ob id somnū exsecratur, & expergefieri desiderat, ut officio suo egregie perfungatur. Hoc enim uidetur dicere, cum ait? Quando euigilabo. Sed uide hoīs perditi languore, atque turpissimam seruitutem, qua in miseria sponte sua perseuerat. Declarat enim, omnem suam uigilantiam in uini potione, & in libidine, consumi. Ait enim, Et rursus uina reperiam; & apud Hebręum, Addam, & adhuc requiram, Vinū nempe, & Veneris impurissimæ fructum. Hi namque sunt, quos Paulus ait propter desperationem se tradidisse libidinibus artissime constringendos. Itaque concluditur, eum, qui huiusmodi uerbis utitur, esse in profundam foueam deiectum, & angusto puteo circucluſum, ne umquam possit emergere, & cæleſtem lucem respicere. Sic enim sunt addicti flagitiis, ut, quamuis mala sua frequenter ingemiscant, ex illis expediri nullo pacto uelint. Eph. 4.

CAP. XXIIII.

Nē æmuleris uiros malos, nec desideres esse cum eis: quia rapinas meditatur mens eorū, & fraudes labia eorū loquuntur. Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur. in doctrina replebuntur cellaria, uniuersa substantia pretiosa & pulcherrima. Vir sapiens, fortis est: & uir doctus, robustus & ualidus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dus. Quis cum dispositione initur bellū: & erit salus ubi multa consilia sunt.

Cum homines uersuti, & callidi, opes sibi comparant, periculum magnum intenditur imperitis, qui eos, quos diuites animaduertunt, sapientia præditos esse iudicant, seseque ad illorum imitationem conferre statuunt. neque uident interim, quam inanes sint opes eorum, qui fraudibus nituntur, quam insigni inuidia flagrent, in quanto odio sint, quam cito ex oculis, atque manibus elabantur, in quantam offensionem Diuini numinis incurrant. Si uis, inquit Sapiens, nomen tuum firmum, & stabile, reddere, & opes tuas salutari præsidio confirmare; uanitate aspernare, sapientiam amplectere, pietatem unice cole. ea namque domum ædificat, & opes ingentes, atque sempiternas, cōgerit, firmissimoque præsidio communit. Est enim hoc sapientiæ munus, ut non modo opes comparet, sed eas etiam robore uirtutis inuicto cōfirmet. Fortitudo enim, sapientiæ comes est, & prudentia robur firmissimum continetur. Neque enim bella, tam uiribus, quā prudentia, geruntur; & multo facilius uictoriæ consilijs, quam exercitus inconditi magnitudine, pariuntur. Multitudinis enim inconsultæ temeritas, sibi ipsi plerumque exitio est; &, quo maior est, eo furentius in pestem ruit: at paucorum prudentia maximum decus ex multitudine effrenata consequitur, quia nihil temere gerit, & ita numquam a felicitate deseritur. Nihil enim recte procedere potest, nisi ijs tantū, qui rerum causas non ignorant, & exitus, qui ex antegressis caussis oriuntur, mente prospiciunt, & consilio incidentibus rebus occurrunt, &, ut omnia in finem propositum optime dirigantur, elaborant, &, quod caput totius felicitatis est, in Deo salutis spem ardentissima fide reponunt, nihilq. omnino contra Dei legem, & ordinem, gerendum statuunt. hi igitur semper felices erunt. Iis uero, qui fraudibus omnia sibi curanda putant, omnia de terrime cadent.

Excelsa stulto sapientia, in porta non aperiet os suum. Qui cogitat mala facere, stultus uocabitur. Cogitatio stulti peccatum est: & abominatio hominum detractor. Si desperaueris lassus in die angustiæ: imminuetur fortitudo tua. Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris, Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetq. homini iuxta opera sua.

Excelsam stulto sapientiam dicit esse, quia longe ab illius adspectu & utilitate, remouetur, ita, ut, cum in iudicio uocatur, hiscere non possit. Iccirco omnis, qui fraudes concinnat, Stultus rectissime uocabitur; quia, cum maxime illi opus erat eloquentia ad caussam dicendam, sceleris conuictus, obmutescit; & tum demum intelligit, quam inanis est ille, qui in mendacio salutis spē suam collocauerat. Cogitatio stulti, peccatū est, hoc est autem, error est. Cur ita tandem? Quia eadem ratione, qua se ad periculum fugiendum omni conatu comparabat, sese in idem periculum iniecit. Quid de illusore dicendum? Num parum liquet, cum esse omnium amentissimum iudicandum, qui legem ludum putat? qui religionem spernit? qui turandi sollertia gloriatur? qui Dei iudicium minime pertimescit? Est igitur ille, stultorum omnium stultissimus, & scelestorum scelestissimus, dirissimo omnium iudicio peruertendus. Hi uero sunt, qui maxime sunt bonis infesti, & pietatem summis conatibus oppugnant. Docet igitur Sapiens, esse contra eos uirtutem acrius excitandam, & uires animi minime remittendas. Si, inquit, animum abieceris, uiresque tuas sponte remiseris, uirtus, ipsa languescet, atque debilitata succumbet, ne possit improbis ullo modo repugnare. Contra uero, si uires animi acriter excitaueris ipsa uirtus inuictum robur assumet, quo non solum perditis conatibus obstas, sed etiam, illis magna cōtentione superatis, clarissimum triūphum ducas. Nec enim tibi Diuinum præsidium deerit, quod semper animis maximis, & ad spem Diuinæ benignitatis firmiter erectis, affuit. Sed, qua tandem ratione poterimus nobis auxilium cęleste polliceri? Hominū, inquit, caritate, & benignitate. Da igitur operā, si uis, ut Deus tibi subsidio semper occurrat, ut hominibus, quo ad poteris benigne, consulas, & eos, qui incommodis opprimuntur, ope tua subleuandos existimes. Et, quo maior fuerit malorum grauitas, qua illos afflictos animaduerteris, eo uigilantius elabora, ut eos e malis eripias. Cum uero nullum sit in uita malum periculo mortis horribilius, fac, ut, quoad licet, & fas est, homines, qui ad mortē ducūtur, ex mortis ipsius faucibus educas, ut Deus te a sempiterna morte seducat, & compotem sempiternæ salutis efficiat. Quid, si homo in periculo constitutus mihi ignotus fuerit? Num illius etiam caussa laborabo? Certe, inquit Sapiens. Dei enim caussa, non hominis, est tibi contentio illa suscipienda; nec ab hominibus merces, sed ab ipso summo rerum omniū conditore, postulanda, & exspectanda. Ille namque, qui corda hominum condidit, & quidquid in animo latet, cognitum, & perspectum, habet, cum intelligat, qua mente ad hominem liberandum accesseris, si puro animo facinus tam præclarum obieris, amplissimo te præmio munerabit.

Comede fili mi mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo: sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ: quam cum inueneris, habebis in nouissimis spem, & spes tua nō peribit. Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti, neque uastes requiem eius. Septies enim cadit iustus, &

stus, & resurget: impij autem corruent in malum. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exsultet cor tuum: ne forte uideat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam. Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios: quoniam non habent futurorum spem mali, & lucerna impiorum exstinguetur. Time Dominum, fili mi, & regem: & cum detractoribus non commiscearis: quoniam repente consurget perditio eorum: & ruinam utriusque quis nouit?

Sapientiæ iucunditatem cum melle comparat, quia nihil est in rebus humanis melle uel dulcius, uel ad purgandum pectus, & ulceribus etiā omni sanie liberandis efficacius. Vtrumque autem Sapientia facit. nam & mira iucunditate perfundit animum, & morbos omnes expellit. Et præterea, cum omnia, quæ uersantur in uita, sint fluxa & caduca, sola sapientiæ præmia sunt immortalia, atque plane Diuina. Impium uero Sapiens minaciter exterret, & illius conatum, quoties insidias ponit, contra iustum irritum fore prænuntiat. Vt enim iustus sæpe in die labatur, & concidat, Dei clementia nixus, exsurget, & inuitis hostibus statum suum feliciter recuperabit. At impius, cum ciderit, ita malis opprimetur, ut excitari non possit. Hæc quidem cum de casu impij dicta sint, admonet interim Sapiens, spiritu Christi eruditus, ne in malis, & calamitatibus, inimicorum gaudeamus. Sunt enim nobis diligēdi, & maleficia beneficiis compensanda, ut illi summo Domino placeamus, qui Solis lucem super iustos, & iniustos, diffundit, & pluuiam e cælo dimittit, ad uitam bonorum, & improborum, frugibus alendam, & sustentandam. Admonemur etiam, ut uindictam Dei iudicio reseruemus. Aliter enim, si nimis uindictæ cupidi fuerimus, inimicos nostros subleuabimus. Deus enim eorum caussam minime susci
Rom. 12. pit, qui per se aduersarios ulcisci uolunt, Diuinumque munus usurpare contendunt. Mea est, inquit, uindicta, & ego tribuam. Qui igitur per se iniuriam sibi ipsis illatam persequuntur, iram Diuinam ab aduersariis auertunt. Multi, bono animo præditi, cum cernunt impios opibus florere, & esse apud multitudinem in magno honore, id egre patiuntur. Admonet igitur Sapiēs, condicionem improborum magis esse miserandam, quam sanis hominibus expetēdam. Vt enim aliquo tempore, splēdore, dignitate, & populari gloria, circumfluere uideantur, repente tamen occidunt, & opes illorū funditus euertuntur, nomenque obliuione sempiterna deletur. Quid ergo faciendum, ut opibus firmis aucti, & ornati, simus, & nomen nostrū nulla obliuione temporis obruatur? Time, inquit, Deum & Regem. Quem Regē narras? Illum nempe, quem Deus ipse constituit super Sion montem suum, ut legem sempiternā sanciat, suosq. iustitiæ Diuinis muneribus exornet. Iustorū autem opes auerti minime possunt, eorumque memoria nullis umquam sęculis interibit, nempe, quæ sit Diuinis monumentis, in cælo, ad æternitatem, consecrata. Contra uero, qui muneribus insolescūt, & honoribus ad iniuriam abutuntur, neque, quid sibi sit iure commissum, sed quid hominum ieuitate permissum, cogitāt, & omnia ad proprium commodum nefarie conuertunt, momento temporis interibūt. Supplicia uero, quibus excruciādi sunt, quis nouit? Vt enim præmia bonis constituta cogitatione comprehendi non possunt, ita supplicia, sontibus irrogata, hominum cogitationem superant. Vtriusque autem, dicit; quia duo sunt, ut dictum est, improborum genera; alij namque sunt in homines tæterrimi, alij uero nō modo homines iniuriis uexāt, sed etiā sunt in Deū scelestissimi; & eos, qui sunt in homines tantū malefici, Salomon cōmuni nomine improbos appellat; qui autem etiam sunt in Deū scelerati, impios nominat. Vtrique tamen sui sceleris sempiternas pœnas exsoluent.

Hæc quoque sapientibus.

Vt ex hoc loco perspicitur, Salomon opus ita cōtexebat, ut illud interdum interrumperet, maxime autē in hoc sententiarum uolumine. Non enim omnes sententiæ sic inter se connexæ sunt, ut non liceret eas distinguere, & alias ab aliis seperari. Cum igitur opus confecisset, & alias sententias alio tempore protulisset, uisum est illi posteriores prioribus agglutinare. Etiam hæc ad sapientes inquit. Quare dicit ad sapientes? Quia sapientes sunt, qui disciplinam attentis auribus accipiunt, & minime, quod commode dicitur, aspernantur. Quid est igitur, quod dicit?

Cognoscere personam in iudicio, non est bonum.

Non dicit, caussam contra ius adiudicare personis notis, non est bonum. Sententia enim inepta fuisset, & Salomone prorsus indigna. Quis enim non intelligit, sententiam ferre contra legem, esse facinus scelestissimum? Quid igitur dicit? Hoc certe, esse nimis periculosum, in iudicio personarum rationem habere. Quemadmodum enim munera ita mentes excæcant, ut facillime iudices a uero iudicio deducant, non quidem, ut illis propositum sit, iuris religionē uiolare, sed, ut opinentur muneribus immutati, ius esse, quod ius non est, ita eos, inquit qui personas norunt, hoc est qui uel nobilitati, uel dignitati, uel gratiæ, uel cognationi, uel amicitiæ, aliquid in iudicio tribuendum existimant, & ideo cupiunt, ut, cum eis leges faciant, in quos ipsi uoluntate propendent, facillime commutari animis, ita, ut opinentur, cum perperam iudicant, se recte sententiam protulisse. Qui igitur recte iudicare statuit, opus est, ut sanguinis communionem aspernetur, ut amicitiæ rationem a iudicio repellat, ut sensum naturæ repu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

diet,ut offensiones obliuiscatur,ut denique non homo,sed Deus quidã inter homines,sit.Vt enim Deus non motibus ullis a statu deducitur, ita, qui iudicat,immobilem se prębeat,& nihil aliud, quam iuris sanctitatem, tota mente respiciat. Deut. 33. quemadmodum scriptum est in Deuteronomio, in fine: Qui dicit patri suo,& matri suæ, Nescio uos, & fratribus suis, Ignoro illos,& nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt. Cum Deo enim loquitur Moses, & ostendit ei, qui uelit in iudicio Dei officio fungi,esse omnẽ prorsus affectionem a iudicio remouendam.Aliter enim, se difficillime cõtinebit,quin aliquid in iudicando sensibus deprauatis attribuat.Hoc est igitur,quod ait Salomon,non esse bonum,hoc est,esse malum,& periculosum,nosse personas in iudicio. Cum enim iudicium sit Diuinum;& iudex, Dei uicarius sit; necesse est,ut, in iudicando, hominis personam deponat,& Dei personam sustineat.

Qui dicunt impio, iustus es: maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus. Qui arguunt eum, laudabuntur, & super eos ueniet benedictio.

Constat,impium esse Dei inimicum.Immane igitur scelus est, impium laudibus ornare, & ei, qui cum Diuina lege perpetuo bellum gerit, atque adeo factis,& maledictis,in ipsum Deũ inuehitur,iustitiæ testimoniũ tribuere.Quid est enim aliud,Dei hostem laudibus ornare,quam,Deum probris afficere:Quod cum malitiose ab improbis fiat,ut ea ratione a populis, qui in impiorum potestate sunt,laudem obtineant,iudicio Diuino fit,ut ipsi tandem populi,eos,qui impiis adulantur,exsecrentur,& configant maledictis omnes, qui,ut popularem gratiam ineant, impudentissime mentiuntur. Contra uero,qui obsistunt sceleri,& arguunt impietatem,quamuis,in principio,impiorum opera,male audiant,ab omnibus tandem,debitis laudibus efferuntur.

Labia deosculabitur, qui recta uerba respondet.Præpara foris opus tuum,& diligenter exerce agrum tuum, & postea ædifices domum tuam. Ne sis testis frustra contra proximum tuum, nec lactes quemquam labiis tuis. Ne dicas, Quo modo fecit mihi, sic faciam ei: reddam unicuique secundum opus suum.

Non minus allicit ad amorem animos oratio prudens,& respõsum beneuolentiæ plenum, quã osculum,in pacis,& amicitiæ, signũ datum. Quo circa cauẽdum est, ne animos hominum a nobis asperis uerbis alienemus, immo benigne respondeamus, & absentes debito honore minime fraudemus,&, quoad fieri potest,homines nobis oratione conciliemus, si uolumus pacem, & amicitiam,tueri. Quod uero sequitur,ad rei familiaris prudentiam ualde pertinet.Sunt enim multi lauti,& sumptuosi,qui sine iudicio uillas ædificant, antequam sciant,an prædia fructuosa sint. Consere prius, inquit, agrum, fruges exara, uineas sciẽter institue,deinde per otium ædifica. fructus enim ædificationi sumptus suggeret; & tunc impensa recto iudicio facta putabitur, cum annui fructus uberes exstiterint. Cum enim tellus bene culta egregiam mercedem colono industrio persoluat,qui tarde conserit,magnum damnum facit; & qui nimis cito in uillarum inani magnificentia opes insumit,ad inopiam plerumque redigitur. Quod quidem præceptum cum in re familiari summo studio seruandum sit, tum in opibus animi comparandis multo diligentius retinendum, nempe, ut multo magis in solido fructu, quam in splendida specie,laboremus, & nihil ad ostentationem, sed potius omnia ad utilitatem animi, referamus. Prohibet deinde, ne temere testimonium dicamus,ne simul & proximi famam oratione parum considerata maculemus, & religionem sanctissimam uiolemus. Quod quidem,tantum abest,ut multi faciãt, ut, suspicione tantum leuissima tacti, multa confirment,quæ prorsus ignorãt, &,quasi nihil certius esse possit,ita id,quod nesciũt, persuadere conantur. Cum uero irati sint, uindictæ cupiditas eos cogit non modo alios sceleris insimulare, sed etiam,quod finxerunt,aut suspicati sunt, iureiurando confirmare. Ab hoc ultionis studio conatur Sapiens homines auertere. Duo namque mala sibi comparat, quisquis uehementer ultionem expetit. Primum enim,iram Diuini numinis in se concitat. Deus enim ueniam denegat iis, qui ueniam proximis impartire recusant. Deinde, eum, quem perditum cupit, magna ex parte ira Diuina liberat. Nam Deus, quamuis peccatum imposita pœna coerceat,iniuriam non uindicat illatam illi, qui per se iniuriam persequi contendit.

Per agrum hominis pigri transiui, & per uineam uiri stulti: & ecce totum repleuerant urticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.Quod cum uidissem,posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. Parum inquam dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres ut quiescas: & ueniet tibi, quasi cursor,egestas tua,& mẽdicitas tua quasi uir armatus.

Magnum est,socordiæ & pigritiæ,malum. Vt enim uir nauus, & industrius, ex paupere diues efficitur, ita diues piger inopia tandem premitur,& rerum omnium pænuria cõflictatur. Pigro enim squalent agri,& dumorũ asperitate uastantur,uineę densissimis uepribus obruuntur,& oẽs fructus intereunt;& ita, dũ somnũ nimis amplectitur,per somnũ,& ignauiã,bonis oĩbus spoliatur.Quid de aĩo dicendũ est?Cũ enim disciplinis excolitur,

excolitur, cum ad cæli cõspectum erigitur,cum, ut Dei cognitionem capiat, de somno frequenter excitatur, cum dies atque noctes in studium Diuinæ legis incumbit, mirifice nitescit,& splendido cultu uirtutis exsultat, uberrimosque ex se fructus passim fundit,& oĩa denique,quę ex illo proferuntur,sunt uehementer illustria,atque salutaria. Contra uero, cum obrepit somnus, & obliuio mentem occupat, & animi cõtentionem frangit,& debilitat, uirtus liquefacta conniuet, & libido uinculis soluta acrius effertur,eoq. tandem hominẽ redigit,ut miserrime uiuat, quamuis antea fuisset omnibus diuitijs expletus.Vrticæ namque sentes,& spinæ, flagitia sunt, quibus animi,cultura destituti,miserabiliter obruuntur, & macerię,quæ feras aditu arcebãt, dissipantur.

CAP. XXV.

HAE quoque Parabolæ Salomonis quas transtulerunt uiri Ezechiæ regis Iuda.

Ex hoc loco planum fieri potest, quod ante dictum est,aliquot Salomonis sententias dispersas fuisse,& postea,hominum doctorum opera,ne perirent,reliquis,quæ circumferebantur, agglutinatas esse. In primis autem, in sanctissimi Regis Ezechiæ comitatu, credendum est, non defuisse homines,doctrina, & religione, præstantes, qui operam strenue in antiquitate recolenda nauabant; ex quibus hi fuerunt, qui has Salomonis Parabolas ad reliquas adiunxerunt,ne tam præclara doctrina ex animis hominum elaberetur. Quid est igitur,quod scriptum erat a Salomone, & a reliquis sententiis auulsum?

Gloria Dei est celare uerbum, & gloria regum inuestigare sermonem.Cælum sursum, & terra deorsum, & cor regum inscrutabile. Aufer rubiginem de argento,& egredietur uas purissimum:aufer impietatem de uultu regis,& firmabitur iustitia thronus eius.Ne gloriosus appareas corã rege,& in loco magnorũ ne steteris. Melius est enim ut dicatur tibi, Ascende huc:quam ut humilieris coram principe.

Cum Deus habitet immensam lucem, quam nemo possit mentis acie sustinere, ad gloriam illius pertinet,mysteria, quæ homines percipere nequeunt,occultare, ne uidelicet ij, qui sunt tenebris assueti, magnitudine insolitæ lucis obruti,ad spectum amittant. Sunt enim arcana, quæ nefas est hominibus enuntiare; propterea quod nimis imbecilli sunt, & ad tantam disciplinam prorsus indociles. Iccirco Deus, ut aliquo pacto homines terrenis rebus affixos erudiat,similitudines a rebus corporeis assumit,& figuris,atque imaginibus, utitur, & Diuina humanis integumentis inuoluit,ut ita,sensim, atque leniter, pro cuiuslibet hominis captu, eos ad aliquam cognitionem sui numinis inducat.Contra maiestatem enim illius est,Diuina secreta iis, qui nõ possunt ea percipere,diuulgari; & præterea imminet grauе periculum imperitis,cum illis obiiciuntur ea, quæ non possunt mente,& ratione, comprehendere. Non sunt enim margaritæ porcis tradendæ,ne eas,quarum pretium, quantum sit, minime uident,pedibus proculcent,& in eos,qui margaritas illis offerunt,inuehãtur.Iccirco in Euangelio Dominus numquam fere,sine parabolis de rebus cælestibus in concione disserebat. Quia non erat datum multitudini, Regnum cælorum clare cernere.& apud Marcum legimus, ea tantũ ab illo tradi hominibus, quæ intelligi ab illis poterant.Aliter enim,contemptus,& irrisio, sequeretur, & longe grauioris ruinæ periculum. Pertinet igitur ad Dei gloriam, ea, quæ sunt ab humani ingenij facultate remotissima,uelamentis obtegere,quoad usque, in disciplina progressi,possint ea absque ullis integumentis inspicere.Cum igitur Deus ea celat,quæ homines intueri nequeunt, non solum Maiestati suæ consulit, sed etiam ab hominibus grauissimum exitij periculum propulsat. Hoc est igitur Dei officium; Regis uero,hoc est hominis iusti, Regiisque uirtutibus ornatissimi, quod tandem officium est? Scrutari uerbum Diuinum;&,qui sensus in parabolis lateat, diligenter inquirere,in eoque multũ operæ,& studij,consumere,ut tandem ea perspiciat, ad quorum notitiam hominum uulgus adspirare nequit.Beati enim, qui scrutãtur testimonia eius,& toto corde exquirunt eum; qui dicũt, Reuela oculos meos, & cõsiderabo mirabilia de lege tua; qui flagrant cupiditate sapientiæ, ad eamque tandem Spiritus Diuini ductu perueniunt; qui denique sunt ab ipso Deo disciplinis cælestibus instructissimi. Cum his enim Deus arcana sua communicat, quæ hominibus reliquis abscondit. Hi uero nihil moliuntur, nihil agunt, nullum munus administrant, nisi de Dei ipsius mente,& sententia. Qui enim spiritu Dei agũtur,hi filij Dei sunt. Cũ uero incertum sit, quo illos Deus sit impulsurus,aut quod sit illis munus assignaturus,fit, ut nemo queat intelligere,quo tandem euocandi sint. Itaque citius cæli altitudinem intelligentia superabis,aut terræ profunditatẽ cogitatione penetrabis, quã, quid in Regis animo lateat,cogitatione percipias. Quod si hãc sententiam uelis ad Reges, qui nõ modo Regia uirtute prędi ti sunt, uerum etiam Regnum possident, accommodare, intelligendum est hoc in loco, duplex officium in Rege requiri. Vnum est,uerbum Diuinum scrutari, totamque mentem in summo Rege defigere, ut ab eo multa discat, quæ ad Regni sui administrationem transferat; alterum, ut non omnia,quæ mente concipit, in uulgus effundat, sed ita secreta teneat, ut cuilibet facilius sit cæli secreta perueſtigare, aut terræ uiscera oculis intueri, quam, quid in animo illius insideat, opinione consequi. Monet deinde Regem, ut summa diligentia a sua familiaritate, & congressu, longissime

Psal. 118.

Rom. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gissime repellat, omnem impietatis, & iniustitiæ labem. Rex enim, qui ad familiaritatem suam homines, impietatis infamia maculatos, aut iniquitatis maculis adspersos, admittit, duplex incommodum subit. Vnum enim, est summum dedecus, & ignominia; alterum, Regij muneris obeundi difficultas. Nam in suspicionē uenit Rex, cum homines perditos in gratiam recipit, esse se ijsdem flagitiis affinem; &, quoties aliquid Regie facere uoluerit, ab improbis, qui cum illo fuerint, fraudibus impedietur. Quemadmodum igitur argentarius, qui uas aliquod opere excellēti facere cogitat, prius argentum cōflat, ut omnem ab illo scoriam auferat, ita Regi opus est, qui aliquid cum uerissima laude gerere studet, ut prius omnem impuritatis, & labis, contagionem lōge submoueat, neque quemquam ad familiaritatē suam admittat, nisi quem nouerit esse uerissimæ uirtutis laude cumulatum. Et hoc quidē præceptum ad Reges pertinet, quos docet Regis soliū, non tam maximis militum copiis, quam proborum hominum sapientia, & fidelitate, cōfirmari. Quod deinde sequitur, ad eorum disciplinā, qui sunt in Regum aulis assidui, traditur, nempe, ut corā Rege glorioſi ne sint. Ne uidelicet ostententse, & inaniter insolescant, & locum appetant, e quo possint cum ignominia deturbari. Multum enim, inquit, præstat, a loco inferiore, quem moderate tenes, ad altiorem euehi, quam ab altiore, quem arroganter occupare conatus es, in inferiorē dimitti. Hoc est autem, quod Dominus in Euangelio Lucæ totidem fere uerbis admonet. Vt enim sæpius inquit, Omnis, qui se abiicit, extolletur; &, qui se extollit, abiicietur. Lucæ 14.

Quæ uiderunt oculi tui ne proferas in iurgio cito: ne postea emendare non possis, cum de honestaueris amicum tuū. Causſam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles: ne forte insultet tibi cum audierit, & exprobrare non cesset. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur uerbum in tempore suo. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.

Iræ nimiam celeritatem continendam, docet. Fit enim, ut, qui cito commouetur, & excandescit, feruore iracundiæ furentius elatus, intorqueat in amicum cōtumeliam, cuius se ualde postea sine ullo fructu pæniteat. Danda igitur opera est, ut æquabili compositione omnis litiū materia subtrahatur, ante quam ad iurgia uentum sit. in quo, cum multa uehementer odiosa sint, tū illud est satis inhumanum, oborta contentione, arcanum, quod erat, dum amicitia manebat, amico commissum, passim diuulgare. Fidem enim suspectam facit, uitæque societatem disturbat, is, qui, interposita offensione, secretum enuntiat. Nemini enim credes umquam, cum tibi explo-

ratum esse minime possit, an amicitiæ fœdus sit semper inuiolabile permansurum. Reliquum igitur est, cum non habeas, cum quo secreta tua communices, & in cuius fide conquiescas, ut omne genus hominum tibi suspectū, & inuisum sit, & ita uitam acerbam agas, & in perpetua formidine, & anxietate, uerseris. Cum autem uetum fuisset, ut pristinæ beneuolētiæ recordatio memoriam præsentis offensionis obrueret, tu contra facis. nam, ut iracundiæ turpissimæ seruias, sensu præsentis offensionis amicitiæ pristinæ memoriam deponis. Sic autem, uno & eodem facto, duo flagitia committis. Nam & fidem nefarie uiolas, & famæ tuæ male consulis. Is enim, cui nunc infensus es, quem olim amicum habebas, uitia tua probe nouerat. Cum igitur audieris, te officium antiquum prodidisse, ut iniuriam sibi illatam ulciscatur, sordes tuas occultas similiter enuntiabit; & ita, eam tibi maculam dedecoris inuret, quam non facile possis abstergere. Cum uero omnes amicorum offensiones ex intempestiuo aliquo dicto sumi plerumque soleant, existimandum est, non esse mediocre prudentiæ officium, linguam cōtinere, &, antequam uerbum ullum facias, quidquid dicturus es, sani iudicij ponderibus examinare. Si uerbum enim temere missum amicos alienat, quo modo nō multo magis eos, cum quibus nullæ cauſſæ tibi necessitudinis intercedunt, in te multo uehementius incitabis? Rectissime igitur a Sapiēte dictum est, Verbum opportune prolatum, esse cum malis aureis, in argentea emblemata scienter inclusis, comparandum. Vt enim, cum emblemata argentea ita cęlata sunt, ut aurū, quod inclusum in se continent, luculenter emineat, aurum multo clarius splendet; ita, cum sapiens, quod oportet, & decet, in loco pronuntiat, sapientia illius multo magis enitescit, longiusque lumen suum, & cum maiore gloria, diffundit. Quid igitur, inquies, numquā ne licebit amicum asperioribus uerbis accipere? Licebit sane: sed multum refert, qualem tibi amicum delegeris. Nam, si moderatus est, & rectę moribus, atque uita, constitutus, & in aliquo officio deliquerit, & tu illum ob eam rem increpaueris, gratum habebit. Oratio namque tua non minus in se decus continebit, quam inauris aurea, & aureum monile, quibus pulchra facies exornatur. Quod enim officiū honestius, atque iucundius, quam, ab amicis sapientibus corrigi, & emendari, atque in salutis uiam reduci? Quid homini moderato salutarius, dum a proposito longius aberrat, quam, iucunda amici hominis oratione ab errore illo reuocari?

Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei qui misit eum, animam ipsius requiescere facit. Nubes, & uentus, & pluuię non sequentes, uir gloriosus & promissa non complens. Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam. Mel inueniſti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus euomas

illud. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando fatiatus oderit te.

Frigus niuis, pro magno frigore ponitur. Tempore autem messis, quid magno frigore iucundius existimari potest? Sic etiam legatus, cū Domini personam sustineat, & dignitatē illius, cum fide, & uigilantia tuetur, & ex animi sententia negotia gerit, Domino gratissimus est. Tales fuerunt Christi discipuli, qui, cum fide summa, sibi impositum munus obierunt, orbemque terrarum ipsius summi Domini nomine compleuerunt. Contra uero, Philosophi, qui, uanissimis opinionibus inflati, sectatoribus suis uirtutis splendorem, animorum tranquillitatem, dignitatis amplitudinem, polliciti, nihil horum præstiterunt, erant similes quibusdam nubibus, quæ spem imbris ostentant, cum nec ros quidem ex illis in terras siccitate exustas defluat. Patientia nihil esse salutarius ad iram Principis leniendam, exempla uitæ quotidiana declarant. Tacendo enim, & perferendo, multi multa consequuntur; quæ numquam obtinuissent, si, rerum indignitate stimulati, ius suum, cum importuna querimonia, postulassent. Iam uero, oratio mollis, atque moderata, iram perfringit, & facile animum Principis offensi conciliat. Et hæc ratio, cum hominibus, qui multum in rep. possunt, transigendi est utilissima. Quid, cum est nobis summi Domini læsum numen summo studio, & contentione, placandum? Est ne quidquam animo perculso, & abiecto, salutarius? Aut patientia, ad illius iram flectendam, fortius? Aut assidua oratione, cum criminis admissi detestatione, ad gratiam illius recuperandam, uehementius? Modum præscribit Sapiens in uoluptatibus exquirendis. Vt enim stomachus, mellis nimiam dulcedinem ferre non potest, ita nimia uoluptas fastidio semper affinis est. Abstrahit animum præterea a ueritatis studio; corporis ualetudinem corrumpit; animi neruos incidit; mentem tenebris circumfundit; totum hominis statum labefactat, multisque doloribus intercludit. Et hæc est ratio, quare mel in sacrificijs adhiberi non poterat; ut designaretur, uoluptatem nimiam esse parenti, & architecto, nostræ salutis, iniucundam, eo quod plurimum rationi nostræ salutis officiat. Ob id igitur Sapiens ait, Fruere quidem uoluptate, sed legitima, sed moderata, sed ea, quę neque Deo offensam afferat ullam, neque hominum societatem lædat. Aliter enim, cum simul & Dei religionem polluas, & in hominum offensionem incidas, & corporis, & animi, ualetudinem perturbes, præter fastidium, grauissimos, atque maxime diuturnos dolores, tibi, tam corpore, quam animo, comparabis. Sic autem sunt omnia humana. uoluptas, dolorem procreat; familiaritas, odium; mentis elatio, dedecus; confidentia, ruinam. Quocirca, nihil poterit esse in uita, Moderatione prouidentius. Si, inquit, assiduus in domo proximi tui fueris, eueniet tandem, ut is, diuturna consuetudine fatiatus, te expellat, & eiiciat. Est igitur etiam in amicitiis modus seruandus, ne familiaritas nimia in odium erumpat. Vnde concluditur, nihil esse nimis expetendum, nisi Dei gratiā. Ex ea namque percipitur uoluptas sine fastidio, comparatur amicitia sine repulsa, exardescit amor absque formidine. omnes denique in Diuina familia necessitudines sunt fide firmissima constitutæ; & uoluptates eximiæ, stabiles, atque sempiternæ.

Iaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimoniū. Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ, & amittit pallium in die frigoris. Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo. Sicut tinea uestimento, & uermis ligno: ita tristitia uiri nocet cordi. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.

Quantum malum in falso testimonio sit, similitudinibus Sapiens conatur exprimere. Innocentem enim contundit, ut malleus; transfigit, ut gladius; in uiscera penetrat, ut sagitta. Alias etiam similitudines transfert ad eorum amentiam, qui hominis improbi fiducia nituntur. Vt enim dens fractus mandere nequit; & pes, e commissura diuulsus, uestigium facere non potest; ita, qui spe nititur illius, qui fidem sanctam non habet, & officium prodere minime uetetur, nullam utilitatem ex ea confidentia percipiet. Qui enim semel fidem deserit, cum fide pudorem simul amittit; & ita fit, ut, qui in illo spem collocat, sit amentissimus. Adulabitur enim, & assentabitur, tantisper, dum res tuas florentes adspexerit. Si te uero aliquo grauī casu perculsum uiderit, a te continuo semigrabit. Si tempora non fuerint moderatione distributa, &, quid rerum necessitas pro rerum incidentium ratione flagitat, animaduersum; necesse erit, ut officia conturbentur, multaque fiant uituperatione dignissima. Homo mœrore perditus iacet, qui quidem est doloris communione subleuandus, & a mœstitia, non hilaritate, sed eodem prope mœstitiæ sensu, sensim, atque leuiter, auocandus; & tu interim lætum carmen modulabere, atque intempestiue saltabis? Hoc autem, non est, solatium afferre, sed insultare in malis, & dolorem, quo miser premitur, amplificare. Non es igitur minus inhumanus, quam si hiemis tempore hominem uestę spoliares; neque minus amens, quam si nitrum, quod seruare conueniebat, infuso aceto dilueres. Eas caritatis, & prudentiæ, leges nobis imponit Paulus, ut cum lugentibus lugeamus, & cum gaudentibus gaudeamus, qui eas leges transiliunt, aut caritatis expertes sunt, Rom. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut prudentiæ totius ignari. Si enim in rebus aduersis proximi sui exsultant, sunt immanissimi; si uero illi solatium importuno cantu adhibere student, amentissimi. Dum enim amicum consolari studet, eum mærore conficiunt. Sequitur illud caritatis perfectissimæ præceptum, quod Paulus in epistolam ad Romanos commodissime transfert. Eo namque monemur, ut esurientem inimicum cibo fulciamus, & sitienti pocula ministremus. Sic enim iniurias nobis illatas cum insigni gloria uindicabimus. Quo modo, inquies? Quia non est nobis, si sapimus, cum hominis natura certamen institutum, sed cum hominis improbitate, quę illum ad facinus impulit. Danda est igitur opera, ut improbitatem exscindamus, & si fieri potest, omnes illius fibras amputemus. Hoc autem strenue fit, cum eos, qui nos læsérunt, beneficiis afficimus. Pudebit enim illos tunc immanitatis, & intemperantiæ; uictique nostra probitate, improbitatem suam detestabuntur; & nostræ uirtutis constantiam admirabuntur, quæ tanta fuit, ut nullis iniuriis eam de statu deiicerent. Ipsos igitur & sui maxime pœnitebit, & nobis etiam inuiti testimonium cuiusdam Diuinitatis dabunt. Diuinum siquidem est, nullo aduersariorum impetu commoueri, Diuinamque probitatem imitari. Sic igitur carbones in caput inimici congeruntur. Nam illius mens, quæ caput animi est, suæ dementiæ recordatione, pœnas dabit; &, si quæ reliquiæ improbitatis in animo illius resederãt, exurentur. Et tamen, siue ille sanatus fuerit, siue curari noluerit, tu præmium a Deo tam admirabilis uirtutis obtinebis, & de inimici dolore mirifice triumphabis. Hoc est autem, quod Paulus ait, Noli uinci a malo, sed uince in bono malum. Vincimur a malo, cum, uindictæ cupiditate, de statu concidimus, & inimici furorem imitari contendimus. Vincimus bono nostro malum alienum, cum nostra uirtute malum inimici profligamus, cum constantiam perpetuo retinemus, cum maleficia beneficiis ulciscimur.

Rom. 12.

Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, & in domo communi. Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua. Fons turbatus pede, & uena corrupta, iustus cadens coram impio. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria. Sicut urbs patens & absque murorum ambitu, ita uir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

Maledicentię culpam, non is tantum sustinet, qui clamculum nomen aliorum prauitatis insimulat, sed is etiam, qui orationem illius libenter ad aures admittit. Si enim seuetam faciem calumniatori ostenderis, maledicentiamque tibi minime gratam esse demonstraueris, malitiam illius comprimes, perficiesque, ne is iterum ad te innocentis nomen deferat. Vt enim Aquilo pellit imbres, sic hominis probi seueritas calumniam propulsat. Quod ad contentiosæ mulieris contubernium attinet, tam sæpe repetit eandẽ sententiam Salomon, ut appareat, illum, earum importunitate, solito grauius offensum, illas acrius, quam commodum uidebatur, insectari. Quidquid nimis desideratur, quo ardentius expetitur, eo pleniorem uoluptatem efficit. Sic fit, ut, cum procul absunt illi, quos non uulgari amore complectimur, cum de illis bonum nuntium accipimus, non minorem uoluptatem sentiamus, quam illi, qui nimis sitiunt, cum sitim aqua frigida restinguunt. Præterea, regio longinqua, cælum est; nuntius bonus, est Christi gratia, ad mẽtes nostras permanans, quæ nostros animos admirabili iucunditate perfundit. Quanta iactura in hominis iusti morte fiat, non intelligunt homines imperiti. Tantum igitur abest, ut damnum commune lugeant, ut potius lætitia gestiant. Est enim animus iusti, fons uiuus, aqua perennis, remedium salutare, omnibus, qui in opes illius, attenta consideratione, respiciunt. Ex illo enim consilia capiuntur, exempla sumuntur, flagitia illius adspectu profligantur. Nam, &, qui bona indole præditi sunt, illius monitis, & exemplis, omnes uitiorum labes facile repellunt, & flagitiosi in uerissimæ uirtutis luce peccare non audent. Præterea, hominis iusti precibus numen placatur, & uindicta in eos, qui medicinam obstinate repudiant, differtur. Verum, cum impietas, pietatis Diuinum splendorem, propter tenebras, quibus oppleta est, ferre minime queat, omnes conatus eo comparat, ut hominem iustum de medio tollat, ut, eo amoto, liberius, atque licentius, in omni flagitiorum, & scelerum, colluuione uolutetur. Vt enim lucem odit, quia uitiorum deformitatem in oculis, & adspectu, proponit; ita uirtutis splendorem odio immani persequitur, quia sperat, posse se, omni pudore solutum, in omni genere malitiæ, & improbitatis, impune uolitare. Cum igitur dolis, & fraudibus, iusto necem infert, gaudio triumphat. Iusto quidem minime nocet. Non enim potest iustus, cum in Dei præsidio lateat, ab improbis damnum accipere. Nocet tamen illis, qui iusti beneficio nitebantur. Fontem enim conculcatum adspiciunt; uenam, e qua tam salutares aquas hauriebant, sibi ipsis exaruisse cernunt. Multi denique, metu prohibentur, ne pietatem publice colant. Timent enim, ne eodem leto pereant, quo iustum exstinctum animaduertunt. Hoc est autem scandalum Crucis, in quod multitudo incidit, & percussa concidit, & in ruina conteritur. Iustus perit, inquit Isaias, & non est, qui recogitet. a facie malitiæ collectus

Isa. 57.

lectus est iustus. Quo in loco Propheta, cum iusto præclare actum esse, dicit, cum, a malitiæ cogitatione segregatus, tranquillissima pace fruitur, & illis, qui iusti ope destituti sunt, non mediocrem pœnam illius nece irrogatam esse, docet. Carent enim uirtutis exemplo, orbantur honestatis luce, destituuntur illius præsidio, cuius meritis ueniam multis in locis impetrabant; &, quod omnium malorum maximum est, cum cernũt, illum, ut hominum opinio fert, ab impijs occisum, aut saltem in exsilium pulsum, & spoliatũ ab illius disciplina, quasi a fonte pedibus conculcato, & immanissime conuulso, resiliunt. Dixerat antea, multum mellis, hoc est nimiam dulcedinẽ, esse noxiam, eo quod acerbitatis etiã nimiæ causſam afferat: in quo a nimia uoluptatis cupiditate homines absterrebat. Nunc autem, eadem Mellis similitudine, deterret homines a nimia rerũ Diuinarum peruestigatione. Non quidẽ, quod sit ullus modus in amore Diuino statuendus, aut ullis finibus studium ardentissimum religionis terminandum; sed, quod earum rerum, quæ non possumus ullo modo mente percipere, nimis curiosa peruestigatio, est Maiestatis Diuinæ contemptio. Mentes ipsæ beatissimæ, atque pro ratione insitæ probitatis, & religionis, clarissima luce completæ, immensitatem Diuini splendoris omnino intueri nequeunt; & homuncio, in tanta caligine, terminos sibi assignatos transilire conabitur, ut, quod uideri non potest, speculetur? Facinus est scelestum, & insolẽs, nõ mediocri pœna uindicãdũ. Cõtinet enim proiectę audacię, & minime ferendę temeritatis, argumentum. Vt autẽ, qui Solem aduersum intueri contendit, tenebris repentinis oppletur; ita, qui mentem nimis in gloriam, & splendorem Diuinæ claritatis, intendit, tenebris tætris obruitur. Animaduertendum tamen est, hoc in loco, quod Salomon apud Hebræũ utitur numero multitudinis, cum Diuinũ numen significat. Non enim dicit, non esse nimiam operam ponendam in splendore gloriæ illius perscrutando, sed in splendore gloriæ illorũ, nempe, ut in natura Diuina distinctionem personarum designet. Porro autem, in natura Diuina speculanda, non est argumentis inquirendum: id quod est ab omni, etiam cælesti, intelligentia remotissimum. Vis enim infinita, quo tandem modo poterit finita mente, & ratione, comprehendi? Reliquum igitur est, ut fide, & pietate, Diuinum numen ueneremur, &, amplitudine Maiestatis attoniti, fileamus, &, obstupefacti, fateamur Diuinæ uirtutis, & decoris, immensitatem. Aliter enim, erroribus turbulentis imbuti, ab hoste spoliabimur. Vir enim, qui non continet spiritum, ne in infinitate peregrinetur, similis erit Vbi nudatæ muris, & hostium incursionibus, & rapinis, expositę. Cum enim mens non insistit in loco certo, sed temere, atq. sine fine, uagatur, facillime impetu hostis opprimitur.

CAP. XXVI.

Quo modo nix in æstate, & pluuiæ in messe: sic indecens est stulto gloria. Sicut auis ad alta trãsuolans, & passer quolibet uadens: sic maledictum frustra prolatum in quempiam superueniet. Flagellũ equo, & chamus asino, & uirga in dorso imprudentiũ. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Respõde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse uideatur.

Monstrum, atq. prodigium, erit, tempore messis niuem in terras decidere: sed, si id acciderit, erit id frugibus inimicum, atque minime diutur num. Nix enim, Solis radijs liquefacta, diffluet. Sic erunt honores ad hominem insanum delati. nam id, quasi mõstrum immane, homines exterrebit; & uirtutũ segetes aut peruertet, aut certe retardabit; & ornamẽtum dignitatis ab homine furioso diu retineri minime poterit. Multi quidẽ de potentibus conqueruntur, & in cælum manus intendunt, atque mala omnia illis, a quibus damnati sunt, imprecantur. Id autem interdum iure faciunt, interdum uero sine causſa. Quid ergo faciendũ est ijs, qui iudicant? Num semper secundũ pauperes litẽ dabunt? Minime. Inquit enim lex, Pauperis non misereberis in iudicio. Quid, si dira supplicia indicibus imprecati fuerint? Cõtemne, inquit, exsecrationes sine iudicio prolatas. Vt enim uolucres abscedũt, & ut hirũdines regiones uolatu trans mittunt; sic exsecrationes eorum, qui iure damnati sunt, euolant, & euanescunt. Ius igitur constanter exerce; &, quid plebs insana clamitet, minime labora, atque intellige, insipientes, non admonitione, sed malo, cogendos, ut officium suum faciant. Vt enim flagello impellitur equus ad cursum; & chamo asinus, ut minime a recta uia declinet, impeditur; sic homo furiosus, & insanus, non oratione, quam audire recusat, sed proposita pœna, quam pertimescit, est in officio continendus. Quid interim homines imperiti loquantur, minimi faciendum est. Si enim in multitudinis insanæ sententiam discesseris, eiusque dementiam oratione comprobaueris, eris eiusdem insaniæ particeps. Caue igitur, ne ita insano respõdeas, ut uidearis insanię illius adiutor; sed ita potius, ne sibi ipse sapiens esse uideatur, uæsaniam comprime, furori resiste, supplicium, si nõ resipuerit, minitare, ut aliquod remedium morbis illius adhibeas.

Deut. 20. Exod. 23.

Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit uerba per nuntium stultũ. Quo modo pulchras frustra habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorũ parabola. Sicut qui mittit lapidẽ in aceruum Mercurij: ita qui tribuit insipienti honorem. Quo modo si spina nascatur

in manu

Universidad de Deusto
Biblioteca

in manu temulenti: sic parabola in ore stultorum. Iudicium determinat causſas: & qui imponit stulto silentium, iras mitigat. Sicut canis qui reuertitur ad uomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam.

Qui negotium mandat homini mentis experti, perinde est, atque si pedes, & crura, sibi suffringeret, aut iniquitatem biberet. Bibere autem iniquitatem, est, iniquitatem ludibunde suscipere & ex illatis iniurijs gloriari. Stultus enim numquam recta progreditur; non uia, & ratione, in prudentiæ uestigijs insistit; numquam firme ponit in loco pedem; sed semper in officio claudicat. quod si aliquid gerere nult, id nullo modo, nisi per uim, & iniuriam, efficere conatur. Itaque, aut nihil omnino gerit, quia claudus est, hoc est industriæ uiribus omnino destitutus; aut, si aliquid gerit, per uim, & iniuriam, omnia conficere nititur. Qui igitur illi negotium committit, male gesti negotij culpam sustinet; & perinde est, atque si sibi ipse pedes excidisset, aut ex iniquitate fructum uoluptatis eximiæ spectasset. Claudus, quamuis oculis uiam cernat, frustra cernit, quia ingredi nullo modo potest. sic etiã stultus, quamuis sententiam grauissimam ore pronuntiet, sine fructu pronuntiat. Non enim eam in uita moderanda sequitur, immo per imbecillitatem labitur, cum omni uirtutis robore careat.

Qui in Rabbinis magnum nomen habent, uel pro Aceruo lapidũ a Salomone usurpari putant: quemadmodum Latinus pro eo Aceruum Mercurij reddidit. ut significaret, eum, qui, ad stultum honorem defert, cum honor sit sapientiæ fructus, & splendor eximius, instar illius esse habendum, qui summi pretij lapidem ab alijs lapidibus minime distinguit. Vel fundã significari existimãt, ut Septuaginta interpretes cum hanc sententiã ex Hebræo Grece uerterũt, sunt arbitrati. Honor enim ad stultũ delatus, illum omni iudicio, si aliquid rationis lumen in eo residebat, repente spoliat, & motibus crebris exagitat, & in orbẽ circũducit, & de omni statu longissime detorquet. Nã, si mediocres homines honoribus summis immutantur, &, propter grauitatis inopiam, popularis celebritatis uentũ ferre nõ possunt, sed uel in profundo demerguntur, uel in litus eiiciuntur. quid de eorum naufragio putãdum est, qui, antequam honoris inopinati uentus in eos impetũ ferret, erant iam in diuersas partes, immanissimi furoris tempestate, iactati? Vt enim nauis exigua, ingenti malo, & maximis uelis, instructa; quouis flatu deprimitur, ita animus hominis, qui non est uera uirtute stabilitus, honoribus inflatus, obruitur. Summa igitur uirtute opus est illi, quem non queat uenti popularis insolentia de statu cõuellere. Si igitur, ut diximus, mediocres etiam homines, aura populari concussi, furibunde ruunt, quid de insanis est aliud existimandũ, quam, ut, quemadmodum lapis, in funda torqueantur, & turbulentissimis motibus exagiten tur? Ebrius non sentit spinam in manu penitus inhærentem. sic & insanus, cum sententiam grauem in ore semper habet, minime sentit, illud, quod profert, ad se pertinere: ueluti, si dicat, omnia bona uere uirtutis studio contineri, cum ipse longissime a studio ipsius uirtutis aberret; aut decernit hominem flagitiis infamem esse miserrimum, cum ipse flagitijs omnibus coopertus sit; aut, cum statuit nullum crimẽ impunitum fore, operamque minime dat, ut uitæ conuersione omni crimine liberetur. In Principis manu positum est, omne Reip. recte cõstituendę documentum. Omnes enim illum intuentur, illius uestigiis ingrediuntur, totosq. se ad illius mores effingunt. Si igitur ille uirtute præcellens exstiterit, multi etiam illius exemplo uirtutem egregie colẽt. Si, contra, uitijs se cõtaminauerit, uitiorum colluuio in Remp. uniuersam redundabit. Hoc cum ita sit, quanto dolore capientur illi, qui Remp. saluam uolunt, cum, Principem insanis, & sceleratis, hominibus deditum esse, perspexerint? Quales enim sunt homines, quibus fauet, talem opinionem de illo, merito, atque iure, boni concipient. Cum igitur ad suã amicitiam homines stultos, & iuris contemptores, aggregauerit; cum eos muneribus, & ornamentis, affecerit; omnem spem publicæ salutis abijciendam esse, iudicabunt. Cæcus enim est, qui cæcorum ministerio nititur, claudus, qui claudo mandat aliquid, quod est cum celeritate gerẽdum; ebrius, qui dolorem ex aculeis infixis minime sentit: ut lapis ex funda ad inferendum malum proijcitur, qui suorum furore, quocumq. illis libuerit, cõtorquetur. Omnia denique mala, quibus stulti oppressi, & impediti sunt, in Principes illos redundent, opus est, qui stultorum operis utuntur. Verum. Sed, cũ non omnes perfecti sint, boni etiam Principes in iudicando decipiuntur; & ita fit, ut, quos esse bonos uiros opinantur, ad se adiungant, quos postea experiuntur esse terrerrimos. Recte. Sed, si eos, quorum scelus est ab illis penitus exploratũ, a se minime repulerint, sed iterum ad idem munus adsciuerint, nulla ignorationis excusatione se defendere poterunt. Tunc igitur in illos præcipue quadrabit, quod scriptum est de omnibus, qui ad intermissa uitia impudentissime reuertuntur. Vt enim canis ad suum uomitum redit, ita Salomon facere dicit homines, qui, conuicti stultitiæ, exempla repetunt, & ita dedecus amplificatum subire minime reformidant.

Vidisti hominem sapientem sibi uideri? magis illo spẽ habebit insipiens. Dicit piger, Leo est in uia, & leæna in itineribus: sicut ostium uertitur incardine suo, ita piger in lectulo suo. Abscondit piger manus sup ascella sua, & laborat si ad os suum eas conuerterit. Sapientior sibi piger uidetur septem uiris loquentibus sententias. Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius,

Cum

Cum uaria, & multiplex, stultitia sit, nulla tamen maior, & pernicioſior, est illa, qua sibi multi, nimis insolenter, sapientiam arrogant, cum sint earũ rerum, quarũ cognitionẽ assumunt, imperiti. Sic enim se ostẽtant, sic efferũtur, sic se negotijs difficillimis admiscent, ut nihil malle uideatur, quã, amentiam suã, rebus pessime gestis, cũ publico damno, redargutã, ab omnibus irrideri. Multo igitur tolerabilior est insanus, eo, qui sapiens sibi uidetur; cum nihil insanius esse possit illis, qui se scientiam tenere profitentur earum rerum, quas prorsus ignorant. Piger, est animo imbecillo præditus, desperatione fractus, inani formidine præpeditus, ne negotium gerat ullũ, ex quo sibi uictum comparet. Multo namq. magis laborem, quam famem, extimescit. Dum igitur illum inopia ad laborem excitat, omnia difficiliora, & tristiora, suspicatur, quam possint excogitari. Nec minus timet in uiã ingredi, aut in foro negotiari, quam si omnia publica loca essent immanibus belluis infesta. Et ita fit, ut numquã loco moueatur. Quemadmodũ, inquit Sapiens, ostium in cardine ita uertitur, ut numquam inde abscedat; ita piger in lectulo suo uolutatur. Vt autem magis in oculis ponat hominis pigri, atq. desidis, ignauiam, hyperbolice loquitur. Quid magis homini necessarium est in uita, ad eam sustentandam, cibo, atque potu? Quid minus laboriosum, quam, cibum manu propria ori porrigere? Sic tamen, inquit, est piger ignauus, & totius laboris impatiens, ut manum, patinis insertam, ad os, ut cibum sumat, nimis grauate reducat. Et tamen, cum torpore, & desidia, languescat, cum laborem fugitet, cum otio eneruatus sit, cum sapientia non ignauiam, sed industriam, & uigilantiam, requirat, se sapientiorem putat multis, qui, responsis commodis, & acutis, quam instructi sint bonarum artium disciplinis, ostendunt. Nescio enim quo modo fit, ut, quo quisque est amentior, eo acuminis opinione insolentius efferatur. Quod in pigro est multo magis admirandum. Quasi enim sit somnus industriæ præferendus, ita se nauis, & industrijs, hominibus anteponit. Intelligendum tamen est, quo præcipue hæc Salomonis insectatio referatur. Rarissimum est enim genus hominum, qui nihil omnino moliantur, qui omni cura, & sollicitudine, uacui sint, qui totos dies, atque noctes, stertant. Hæc autem Salomonis oratio ad multos pertinet. Est igitur animaduertendum, omnes homines otiosos appellari, qui, quamuis uigilent, atque laborent, omnis tamen eorum uigilantia, & labor, in nugis impenditur, Nam, & qui alea noctes, atque dies, ludunt, otiosi sunt; qui amoribus flagitiosis conficiuntur, otio torpent; qui principibus adulantur, otio similiter diffluunt. Omnis denique, qui rem suam familiarem disipari permittit, qui familiæ non prospicit, qui filios non sapienter instituit, quamuis assiduo labore discrucietur, nihil agit. Is igitur tantum aliquid agit, qui utilia confecta tur, omnesque suas cogitationes ad solidum fructum referendas existimat. Itaq. non ij, qui nihil omnino faciunt, sed qui nihil, quod ad utilitatẽ, & fructum, ualeat, faciunt, otiosi sunt. Secundum hãc rationẽ innumerabiles otiosi sunt. Qui enim uirtutis studia contemnunt, qui officia sua non faciunt, qui nihil de uita sempiterna cogitant, qui omnes curas ad terrenas tantum opes dirigunt, qui facillime, dum opibus inanissimis affluunt, ueras fastidiose reijciunt, otio fracti, atque debilitati, iacent; & ita repentino moriuntur, ut nequeant ullo modo remedium inopiæ, & egestati, quæ illos subito premit, inuenire. Quamquam igitur Salomonis oratio omnes otiosos amentiæ damnet, præcipue tamen in illos inuehitur, qui nullum opus efficiunt, quo uitam sempiternam, & immortales opes, adipiscantur. Admonet deinde Sapiẽs, ut ita otium detestemur, ne, laboribus inanissimis, sine fructu distringamur: quemadmodum faciunt ij, qui sine causſa personam suã in litibus alienis interponunt. Vt enim, qui canẽ auribus tenet, inire rationẽ nõ facile potest, quẽadmodũ canẽ rabide furentẽ, uel dimittat, uel retineat, (si enim dimiserit, morsum metuit; si retinet, ibi, sine ullo fructu, cum insigni molestia, cõmorabitur) ita, qui sine causſa se socium litibus alienis adscribit, implicitus hærebit. Si enim socium deserit, officium prodit, & in fidei uiolatæ crimen incurret; si litem persequitur, assiduis curis, atque molestijs in re aliena, cum magno suæ detrimento, conflictabitur.

Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem: ita uir qui fraudulenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus dicit, Ludens feci. Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis: & susurrone subtracto iurgia cõquiescũt. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignẽ, sic homo iracundus suscitat rixas. Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima uentris.

Nihil est pestilentius homine callido, & acuto, qui simulat amorem, & odium struit, qui perniciem comparat, & dolum fictæ beneuolentiæ inuolucro contegit; ut hominem minime malum a suspicione periculi imminentis auertat, & tandẽ incautum opprimat. Qui, cum summa contentione necem inferre conatus sit, & ad sceleris machinationem nihil intactum reliquerit, deprehensus tamen, ait, se, ut imperitis illuderet, finxisse, se illi pestem moliri, quem in animo, & oculis, habebat, quasi minime tuis set in scelere conflando labore nimio defessus. Quicũque ludit, leniter laborat; qui uero nimium laborem excipit, minime ludit. Præterea, qui ludit, non sanguine ludit; qui uero sanguinem petit, ludum simulare nequit. Facillimum igitur est, animum falsum, atque fallacem, qui in ficta probitatis specie mortifera tela uibrat, signis arguere. Cum autem odium ex lingua pestilenti ortum habeat, Salomon omnem culpam dissensionis, & odij, in maledicorum calumniam transfert. Vt enim, lignis amotis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

amotis,ignis exstinguitur, sic, maledicentiæ ueneno sublato,odium cessat, contentio sedatur,ira comprimitur, pax conciliatur,& omnis animorum perturbatio conticescit. Blanditias hominum perditorum Salomon maxime cauendas esse,præscribit.Ore namque præseferunt uoluntatem egregiam, & studio benignitatis incensam, cum interim in cortela figere conentur.

Quo modo fi argẽto sordido ornare uelis uas fictile,sic labia tumentia cum pessimo corde sociata. Labijs suis intelligitur inimicus,cum in corde tractauerit dolos: quando submiserit uocem suam,ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius. Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in cõsilio.Qui fodit foueam,incidet in eam: & qui uoluit lapidem,reuertetur ad eum. Lingua fallax non amat ueritatem: & os lubricum operatur ruinas.

Vt argentum, inquit,cum, scorijs colliquefactum,testa,in quam influit, obducitur,ita,ut nullum ex eo uas, antequam expurgatum sit, fieri possit; sic diserti hominis oratio cõtumeliarum aculeis admixta, cum est ardentius emissa, minime testam,hoc est cor prauum,in quam infunditur,emollit. sed incendit,atque perfringit.Is igitur, qui uelit hominum morbos sanare,& alienas uoluntates oratione colligere, contumelias omittat; quidquid dicturus est, expendat.& seligat;dura molliat;odiosa reijciat;ea,quæ fructum nullum sunt allatura, & nocere aliqua ex parte possunt,silentio supprimat;& ita orationem,tam quam argentum,omni scoria absurditatis expurget,ut omnis oratio, quoad fieri possit, non ad offensionem,sed ad sanitatem,referatur.Et certe nullum argumentum clarius potest indicare, quid lateat in animo,quam oratio.Cum enim ea ex intima mente depromatur, & lingua necessario foras aliquid emittat, ex eo,quo redundat animus;opus est ut, odium inclusum, & fordes lutulentas aperiat, & ostentet, & quamuis ad aliquod tempus, quod in animo reconditum est, occulere uelit,non ita diu poterit celare,quod ui spiritus uiolenter intercluſi refunditur. Vt enim stomachus, nimis oppletus,euomit id,quod concoquere non potuit, ita animus, cum est uarijs cogitationibus, & multiplici flagitiorũ omnium redundantia, cumulatus, eructat, & multa tandem ex se fundit, quibus ea, quæ latitabant,extent,& emineant. Oratio igitur, morbos latentes indicat,inuidiam ostentat,malitiam promit; & ne, omnia persequamur, nihil omnino potest animo sic contineri, quin tandem erumpat. Ergo, cum uirtus, & innocentia, simulari diu nequeat, non est illi credendum, ex cuius oratione explorate cognosci potest, quam sit animus illius,malitia,& improbitate,corruptus.Nam septem nequitiæ, (hoc est, multiplex improbitas) in illius animo insident,quæ tãdem apparebunt. Improbus enim, aliquando occultat odium, ut incautis repente uastationem inferat; aliquando manifeste in concione homines probos sceleris insimulat, insidias ponit, periculum creat, moles struit, ne exitũ ullum bonis pateat, ne ue innocentia intercluſa respiret,mendacio nititur, odium excitat, monitoribus infestus est, fallendi artificio gaudet,ut,cum eos, quos in fraudem impellere cupit,ad se lenocinijs allexerit, in extremam calamitatem præcipites exturbet. Supplicia tamen tantis sceleribus proposita minime uitabit. Corruet enim tandem, & omnium maleficiorum, quæ animo concinnauit, & opere machinatus est,sempiternas pœnas exsoluet.

CAP. XXVII.

NE glorieris in crastinũ,ignorãs quid superuentura pariat dies. Laudet te alienus,& non os tuum: extraneus,& non labia tua. Graue est saxum,& onerosa arena: sed ira stulti utroque grauior. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati spiritus ferre quis poterit?

Cum tanta sit rerum humanarum inconstantia, & tam subita florentis fortunæ conuersio,is, qui omnem uitæ suæ statum felicem perpetuo fore confidit, neque uarios casus extimescit, & sic, opibus elatus, incedit, quasi nihil possit interuenire,quod illum de gradu deijciat,est certe humanitatis expers, & uitæ communis ignarus. Similiter enim,atque mare tranquillum repentini turbines, & procellæ, ita perturbant, ut illud sedibus imis conuellere uideantur,ita uarię malorum tempestates in homines in altissimo gradu locatos incursant; uoluptatem dolor excipit; risum fletus consequitur; ualetudinis integritati morbi succedunt; & honores ignominia plerumque deformantur; & ita festi dies,felicitatis insigni specie collustrati,extremæ miseriæ tenebris obruuntur. Quid,quod mors numquam procul abest, sed uitam quotidie decerpit, atque consumit, usque eo, dum repente totam exhauriat? Quando autem mortalis uita finem sit habitura, nobis exploratum esse non potest, cum mors singulis horis,atque adeo momentis, emineat.Huius uero niſeræ condicionis præmeditatio, duplicem fructum fert. Primus est,moderatio,qua quisque,memoria perpetuo tenens, quantis sit periculis expositus,& quam cito omnes opes humanæ præterfluant, non insolescit, neque extollitur; neque homines reliquos cum intolerando fastidio contemnit; sed in omnibus rebus secundis modum ita seruat, ut numquam à statu demigret. Alter est, quod ita præmunitus semper est, ut numquam improuiso saucietur. Vt enim in bellis, qui iter inexplorato faciunt,subita hostium incursione dissipantur;qui uero ordinem conseruant, & per exploratores hostium

hostium aduentum multo ante percipiunt,facillime impetum eorum sustinent; ita, qui assidue cogitant, quot modis opugnari possunt, sic parati sunt animis,ut nullo casu terreri,aut perturbari, & de mentis statu decidere, possint. Repentina enim tela,mortiferum uulnus infligunt; prouisa uero, armis ad ea excipienda quæsitis, cum felicitate repelluntur. Hoc est igitur in summa, quod Sapiens præscribit, ne, cum res nobis ex animi sententia contingunt, efferamur; cum exploratum nobis esse non possit,an dies crastina sit aliquid allatura, quo omnia subito commutentur. Vno namque temporis momento, quæ spem firmissimæ felicitatis ostendebant, ad perniciem traducuntur. Cum uero omnis insolentia uehementer odiosa sit, tum ostentatio propriæ dignitatis nullo modo ferenda est.Nam,qui se ipsum eximie laudat, primum ostendit, se in magna sui ipsius ignoratione uersari;deinde, cũ se nimis amet,de se æquum iudicium facere non potest;postremo,aut,ut stultus,irridetur; aut, ut arroganter inflatus, inuidiam in se acerrimam concitat.Fac,inquit Salomon, ut tantum magni tudine uirtutis excellas,ut alij te laudare cogantur:tu uero, ne sis magnificus tui ipsius ostentator, ne simul & ueræ uirtutis laudibus spolieris, & insolentiæ dedecus,& ignominiam,subeas.Nõ potest enim honestatis opibus exornari, is, qui modestiæ laudem,quæ continet totius dignitatis decus,& pulchritudinem, aspernatur. Quam sit autem æmulatio, & obtrectatio, perpessu difficilis, ostendit, ex comparatione rerum, quarum onus frangit hominum uires, & pondere intolerando debilitat.Lapis,inquit,grauis est,& grauis similiter arena: ira tamen stulti ualde potentis, multo grauior. Nam,instar torrentis, imbribus aucti, dum extra ripas effunditur, quacumque dat impetum,oia prosternit. Riualitatis tñ obtrectatio,est longe grauissima. Quam Hebrei קנאה uocant.quo nomine Salomon hoc in loco utitur: pro quo Septuaginta interpretes Ζῆλος reddiderunt: quam animi ægritudinem noster Latinus Spiritum concitatum appellauit. Qui enim amat, cum aliquem amari suspicatur ab ea, quã habet cariſsimam,irascitur,furit,insanit,extra se rapitur,mentis suę compos esse nequit,usq.adeo, ut nulla ponderis magnitudo,sit cum onere,quo premitur,ullo modo comparanda. Inde colligi potest, quanta sit numinis cælestis offensio, cum aliquid aliud in loco illius reponimus;cum alienos Deos adsciscimus; cum uel pecuniam,uel uoluptatem, uel popularem uentum, pro Deo ueneramur; cum denique rei alicuius amorem Deo,qui nos tanta bonorum omnium affluentia cumulauit,præponendum ducimus.

Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus. Meliora sunt uulnera diligentis,quã fraudulenta oscula odientis. Anima saturata calcabit fauum:& anima esuriẽs etiã amarum pro dulci sumet. Sicut auis transmigrans de nido suo, sic uir qui derelinquit locum suum. Vnguento & uarijs odoribus delectatur cor:& bonis amici cõsilijs anima dulcoratur. Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris:& domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. Melior est uicinus iuxta,quam frater procul.

Publica flagitij manifesti reprehẽsio, coercet delinquentis temeritatem,& multos præterea ab eiusdem flagitij imitatione deterret:at amor occultus, qui nullis se officijs ostendit, est prorsus inutilis. Et, quo maior est necessitas, & magis officium flagitatur, eo minus prodest amor,qui non officia præstat.Quæ autem maior necessitas animo fingi potest, ea, qua homo salutis uiam deserit, & in uias sempiternæ pestis ingreditur? Qui igitur tunc amicum non ab exitio reuocat, amicitiæ legem uiolat.Vulnera diligẽtis, sanitatis gratia,amicis imponuntur. Vt enim Chirurgus,cum tuber sanie distentum incidit,dolorem quidem facit, sed eo dolore sanitatem homini ægroto restituit;ita uerus amicus, cum in amici uitia asperis uerbis inuehitur, ut aliquo modo amici animum uulneret,nihilominus tamen, ut amici sanitatem recuperet,elaborat. At,qui odio flagrat,idque dissimulat,& se confirmat,ut amoris speciem præferat, & fraude eum,quem osculatur, pessime lædit. De illius enim pernicie cogitat, cuius se amicissimum profitetur. Quantum malum afferat opulentia, ex insolenti fastidio perspicitur.Dulcia contemnit,dapes communes aspernatur,exquisitas uoluptates exquirit, ciuilem societatem repudiat, iura cõsueta proculcat, & , cũ nihil sit dulcius æquitate, æquitatem pati minime potest, totisque uiribus ad tyrannidem adspirat.Contra,pauper,id,quod diues amarum iudicat,dulcissimum esse statuit. Ius enim suum obtinere concupiscit,&, si id impetrauerit, nihil amplius sibi expetendum arbitrabitur.Qui nouitatis est cupidus,& nulla in certa sede consistit, sed,præsentis commoditatis fastidio, alia cõmoda requirit,&,infinita cupiditate stimulatus,loca uaria commutat,similis est uolucri,nidum suum præcipiti uolatu deserenti. Nulla enim in sede conquiescit, is, cuius cupiditas expleri non potest.Multæ quidem sunt in uita ægrotantis animi medicinæ: sed uix ulla poterit reperiri oratione boni amici salutarior. Vt enim suauissimi odores ualetudinem affectã recreant, atq. reficiunt, sic sapientis amici consilium animum iacentem erigit, & mæstum exhilarat, & dubium confirmat,& debilitatum corroborat.Quantum sit uerus amicus fratri præferendus, Sapiens alio in loco demonstrauit. Nomen enim Amici numquam ab Amore seiungitur: inter fratres uero inimicitiæ capitales sæpe numero concitantur. Monet igitur Sapiens,ut neque amicos nostros, neque parẽtum amicos,deseramus,sed amicitiæ fœdus semper sanctũ habeamus. Amicum enim uerum semper adiutorẽ habebimus,fratrem non semper.Moneo igitur,inquit,ut,cum calamitate aliqua

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliqua te oppressum uideris, ne domum fratris tui petas. Raro enim auxilium impetrabis. Tenamque florentem colet, deiecum minime subleuabit. Vicinus, est omni officio ad amorem alliciendus. Presto namque semper erit, ut tibi, cū opus fuerit, subsidio occurrat. quod frater, si procul abfuerit, præstare minime poterit.

Stude sapientiæ fili mi, & lætifica cor meum, ut possim exprobranti respondere sermonem. Astutus uidens malum, absconditus est: paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia. Tolle uestimentum eius qui spondit pro extraneo, & pro alienis aufer ei pignus. Qui benedicit proximo suo uoce grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit. Tecta pestilentia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur. qui retinet eam, quasi qui uentum teneat, & oleum dexteræ suæ uocabit.

Rursus Patris nomen interponit, ut nos studio sapientiæ acrius inflammet; ut possim inquit respondere probrum mihi obiicienti, quod te male instituerem, Vt enim sapentia tua, meum decus est, ita dementia tua in meam ignominiam redundabit. Sapientię uero munus est, prouidere in posterum, &, cum periculum uiderit, subterfugere. quod temerarius minime facit; sed, quamuis periculum impendens animaduertat, nimis confidenter ultra progreditur, & ita ruinis opprimitur. Sępenumero Sapiens admonuit, ne prohis, quorum fides explorata non est, fidem obligemus. sponsio enim inconsiderata libertatem abijcit, rem familiarem alienis addicit, omnibusque bonis eum, qui temere spopondit, spoliat. Eandē sententiam repetit hoc in loco, & apud Hebræum sexu femineo usus est; ut edoceat, eos, quibus minime credendum est, aut mulieres esse, aut homines non ualde a muliebri leuitatē, & inconstantia, distantes. Tolle, inquit, ab eo uestimentum eius, qui spopondit pro extraneo, & pro alieno supellectilem nexu iuris obligauit. Hoc est, statue illum omni supellectili spoliatū esse, qui tam temere pro alienis, pro impuris, pro infidelibus, fidem suam adstrinxit. At inquies, Bonum esse uirum existimabam; & ideo fœdus amicitiæ cum illo libentissime percussi; quod sine scelere uiolare minime posse statuebam. Iā hoc non fuit mediocre temeritatis argumentum, tam cito fidem illi habere, cum quo nullum commercium habueras, ut posses illius mentem, & naturam, atq. fidem, penitus explorare. Qui enim mane uoce clarissima laudat illum, cuius fidem minime expertus est, perinde est, atque si malediceret. Quomodo? Quia multo citius, quam homines prudentes faciunt, de homine ignoto iudicium fecit. Non enim claram diei lucem, quæ tenebras discutit, exspectauit. Temerarium se igitur factis ostēdit. Qui autē ab hoie temerario, & insano, laudatur, probris afficitur. Præterea, qui nimis cito laudat, cito etiā uituperat. Illusus enim, eum, quē laudibus summis ornauerat, maledictis omnibus proscindit. Cum autem nulla societas statuenda sit, nisi cū hominibus, uita, & moribus, egregie constitutis, & summa fide, & granitate, stabilitis, tum mulieris contentiosæ familiaritas est maxime præcauenda. Vt enim stillicidium, dū pluuium tēpus est, perpetuā molestiam exhibet ijs, qui sunt eadē domo, ui, & importunitate, imbris, inclusi; sita mulier, quæ nūquā ab imbri, hoc est a naturæ suæ immanitate, deseritur, perpetuo litigat, sine ulla intermissione clamat, cū omnibus ad se adeuntibus expostulat, diras etiā imprecatur, questibus, & lacrymis, omnia complet, & aures hominum miseras querimonijs assiduis obtundit. At sanari poterit, inquies, & precibus, atque lenocinijs, ad aliquam partem moderationis inflecti. Citius, inquit Sapiens, uentū, quo minus perflet; impedies, aut extinctus oleum dextra continebis. Malum est difficile sanabile, & nulla ratione, nisi morte, delendum.

Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui. Qui seruat ficum, comedet fructus eius: & qui custos est domini sui, glorificabitur. Quo modo in aquis respondent uultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. Infernus & perditio numquam implentur, similiter & oculi hominum insatiabiles. Quo modo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis.

Ferrum cum ferro ita coniungitur, ut unum corpus fiat, sic is, qui amicitiam sancte colit, ita cum amico copulatur, ut ambo in unam mentē, & uoluntatem, coalescant. Tales erant illi de quibus scriptum est, Credentium erat cor unum, & Act. 4.
anima una. Sed, cur non Aurum, aut Argentum, aut aliud metallum, sed tantum Ferrum, memorat? Quia nulla alia metalli massa, alteri eiusdem generis massæ, sine ferrumine, aut conflatur, aut coniungitur, solumq. ferrum in ferrum inseritur. Vbi enim utrumque ferri fragmentum in fornace mollitum exstiterit, mallei, & incudis, opera, ita coniunguntur, ut unum corpus ex utroque fiat; sic amicitia uera animos, sine ulla externæ compositionis ope, conglutinat. Præterea, ob eam rem, Ferri potius, quam metallorum aliorū, meminit; quia solum ferrum uitæ commodis seruit. nec enim aurum, nec argentum, nec aliud quoduis metallum, terram proscindit, neque uineas fodit, nec hortos cōserit, neque fruges metit, neque naues firmat. ex solo namque ferro, uomeres, ligones, falces, & anchoræ. fiunt; &, cū aliquod huiusmodi instrumentum frangitur, ferro facillime redintegratur. Sic etiam ueri amici sibi mutuam opem afferunt; & animi eorum inter se ad opera utilia, atque salutaria, firmissime conso-

lidantur.

lidantur. Malus agricola semper egebit, bonus bonis abundabit. Qui seruat, inquit, ficum, comedet fructum eius; qui ficum diripi sinit, nullum fructum ex eadē arbore percipiet. Sic is, qui Dominum obseruat, qui uoluntati illius obtemperat, qui in illum intuetur, ut, quidquid sibi fuerit imperatum, protinus exsequatur, honore cumulabitur. Est igitur, si uolumus honores summos adipisci, nobis mens erigenda; ut summum Dominum semper, quoad licet, adspiciamus, & sanctionibus illius diligenter obtemperemus, ut sic tandem honoribus summis exornemur. Cor qui
Hie. 17. dem hominis peruersum est, & inscrutabile, ut inquit Hieremias. Solus igitur Deus, quidquid in intimis animi recessibus latet, explorat, & inspicit. Verum enim uero, omne, quod intus latet, foras tādem eminet. Nam, uel factis, uel dictis, uel signis, id, quod opertum erat, ostenditur. Itaque minime fieri potest, ut diutissime, quod homo machinatur, occultum sit. Hic tamē Sapiens non loquitur de hoie callido, & astuto, sed de aperto, atque simplici. Hi enim sunt, inter quos uera amicitia firmatur. Quod enim ueteratorijū, & malitiosum, est, nō potest ullo modo amoris ueri fœdere cōtineri. Est autē amici ueri proprium, ut in amico, tamquā in speculo, imaginem suā uideat. Est enim quilibet eorum sic alteri similis, ut nihil sit, quo distingui possint, cū uterque, quo ad animorum speciē attinet, sit ad eandem formam, & speciē, Spiritus Diuini beneficio, & numine, factus. Præterea, naturæ cōsensione fit, ut corda sibi mutuo respondeant. Vnde euenit, ut, qualiter ego sum animatus in alterum, sic illius amor in me, uel uigens, & incitatus, uel languidus, atque remissus, sit. Si igitur amicū ardenter amo, multis experimentis intelligo, me uicissim ab illo ardenter amari. Sic autē fit, ut, quoties in amicum oculos intendo, in illo, tamquam in aqua pellucida, faciem meam clare uideam. Sed, cur rarissimum est hoc amicorum studium, quod ita deuincit animos inter se, ut nullum omnino discrimen, quod ad ueras opes attineat, dari possit? Quia hominum cupiditas omnem coniunctionem dirimit, atque facit, ut naturæ etiam societatem dissoluat. Est enim animus hominis, qui est terrenis opibus affixus, inexplebilis, ita, ut satiari numquam possit. Vt enim mors sic omnes mortales occupat, ut numquam saturetur; & infera regio sic uita functos in se recipit, ut numquam expleatur; ita cupiditas humana sic inhiat rebus omnibus, quas uidet, ut nullū terminū sibi præfiniat, immo, quo plura possidet, maiore indigētia crucietur. Quod statim sequitur, mirū uideri debet. Nā, quod uirtus rebus aduersis probetur, ut igne aurū, nemini dubiū est. Vt autem, tamquā igne, laudibus examinetur, id credibile uix est. Non. n. fieri posse uidetur, ut res secundæ uirtutem exerceant. In rebus autē secundis laus publice tributa, primum locū obtinet. Est tamen animaduertendū, nihil esse ad statum labefactandum uehementius, rerum secundarum affluentia. Exsultat enim animus, & præceps rapitur, & insolescit, & sui ipsius obliuiscitur, & a mente, & ratione, deducitur. Iam uero, cum laudibus etiam effertur, usq. eo furit, ut sibi quodammodo Diuinitatem tribuat. Quo circa robustioris uirtutis existimatur, in rebus secundis, quam in aduersis, animi statum conseruare. In aduersis enim rebus, necessitas animi uires ad resistendum excitat; in secundis, securitas easdē uires remittit: & res aduersæ, cogitationē humanę fragilitatis afferunt; secundæ uero, obliuionem insitæ imbecillitatis inducunt: atque postremo, calamitates ad sapiētiam erudiunt; res autem florētes animum iudicio rationis spoliant. Qui igitur, in felici statu constitutus, laudibus non inflatur, non extollitur, non humanæ imbecillitatis memoriam deponit, sed modum conseruat, & statum suum cum grauitate, & constantia, tuetur, is merito perfectus uir habendus est, & omni laude dignissimus.

Si contuderis stultum in pila quasi pti sanas feriente desuper pilo, nō auferetur ab eo stultitia eius. Diligenter agnosce uultum pecoris tui, tuosque greges considera: non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione & generationem. Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ uirētes, & collecta sunt fena de montibus. Agni ad uestimentum tuum: & hædi, agri pretium. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ, & ad uictum ancillis tuis.

Stultitiæ malum, est insanabile. opibus enim angetur, inopia non minuitur; deliciis amplificatur, doloribus non aufertur; semper inhęret insitum penitus in cordis ipsius penetrali, ne possit ulla ratione, nisi cum uita, depelli. Aegroti namque salus, qui omnem medicinam aspernatur, & respuit, omnino desperanda est. At stultus, cum se sanum, atque benealentem, opinetur, medicinam, & medicū, odio immani persequitur. Cum autem multæ rationes rei familiaris augendæ, atque tuendæ, ab hominibus inuentę sint. Sapiēs rusticam, atque pecuariam, reliquis opibus longe anteponit. Primum enim, ea nō augetur iniuriis, non crescit fenore, non flagrat inuidia, non incurrit in odium, non altrix est otij, non luxuriam procreat; sed est pudoris, & officij, & continentiæ, magistra: deinde, nō furtis eripitur, aut calumnijs auertitur, aut, hostiū incursione, in lōgin quas oras asportatur: postremo, non auaritia nimia reconditur, sed, in usum familiæ, large, atque munifice, promitur. Itaq. nulla possessio magis utilis, & fructuosa, Reip. potest existimari, aut quæ uerius propria possidentis haberi possit. Nā pecunia cōdita, & abstrusa, nihil prodest; in usus quotidianos impensa, consumitur; ita, ut, asseruata, sit inutilis; deprompta, paullatim exhauriatur. Sic etiam honores, ut ex populari leuitate pendent, ita eadem leuitate detrahuntur. Hoc est autē, quod Sapiēs ait, cū dicit, ut Hebręus refert, Coronā nō esse perpetuā. Per Coronam. n. intelligit honores, & imperia, quæ uel amētia multitu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dinis ad alios transferuntur,uel perditorum hominum calumniis euertũtur. Vel,ut Latinus interpretatur, Corona tribuetur in generationem, & generationem,illi nempe,qui rem pecuariam, & rusticam,bene coluerit. nam fructus ex gregibus,& agris,perpetui sunt; & quotannis, si diligentia fuerit adhibita, multipliciter amplificati, proueniunt. Oues enim,uestitum præbent;hirci, calceamenta;capræ, lac,in cibum familiæ uniuersæ,suppeditant. Carnes minime desunt; pecudum fructus ueneunt; grandis pecunia comparatur;serui ad agros colendos emuntur; fruges annis singulis exarantur;ita,ut illæ tantum opes maximi faciendæ sunt, quas & pecorum sollers custodia,& agri diligẽtissime culti profundunt. Nihil igitur esse potest coloni industrij domo copiosius,& opulentius. Non timet interim tempestates; piratas non extimescit; non inuidorum fraudes exhorret;non adulatur multitudini; non se ad libidinem Principis ullius effingit. Liberalitas non exhaurit domum, cum opes sine ullo intertrimento foras emanent, & multorum inopiam facillime sustentent. Hoc tamen intelligendum est: Cum sapiens Agriculturam omnibus rationibus augendæ pecunię longe præferat,eius orationem eo potissimum pertinere, ut admoneat,in certa negligere, certa curare,aliena contemnere, propriis operam nauare, ea, quæ sunt casibus uariis obiecta,trãsilire,in his,in quibus fors minime dominatur,laborem impẽdere, fragilia postremo, & caduca, pro nihilo ducere, in illis autem operam,& studium,cõsumere,quæ conuersionem minime formidant;hoc est,ut uno uerbo dicam, ut animi curam habeamus: qui si fuerit egregie cultus,uberrimos ex se fructus effundet,qui nullis umquam tempestatibus interibunt. Exhortatur præterea omnes,quibus populorum cura cõmissa est,ut secũ recogitent, se hominibus pascendis,atque summa uigilãtia tuendis,esse præpositos. ex quo munere, si fuerit diligenter administratum,fructus sempiternos,cum laude,& gloria,sempiterna,comparabunt.

CAP. XXVIII.

FVgit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit. Propter peccata terræ multi principes eius: & propter hominis sapientiam & horum scientiam quæ dicuntur, uita ducis longior erit. Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri uehementi in quo paratur fames. Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui custodiunt,succenduntur cõtra eum. Viri mali non cogitant iudicium: qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia.

Impij,numquam uacui metu,cura, sollicitudine,esse possunt. Agitat enim eos maleficorũ conscientia,scelerũ assiduæ pœnæ eos ita persequuntur, ut respirare minime sinant. Si oculos in cælum attollunt,recordantur facinorum, quæ in cæli rectorem conflauerant;si terram intuentur,iniuriæ, quibus terram oppresserant, eos insectantur;si statum animi sui conspiciunt,eum acerbissime uexatum,atque de sede conuulsum,animad uertunt. Non Phassur,inquit Hieremias, erit nomen tuum,sed pauor undique. Hoc,quod uir Dei. Hie.20. uinus dixit homini scelestissimo, in omnes impios tranferri potest, cum sint omnes terroribus assiduis exanimati, quamuis, uultu, malorum multitudinem,quibus sunt circumuẽti,dissimulent. Inde adeo fit, ut omnes rumusculos extimescant,ut ad quemuis strepitum,quamuis eos nemo persequatur,anxie trepident,& quouis uehementioris auræ flatu contremiscant. Contra uero,iustus,in omni rerum conuersione,ut leo,confidenter incedet, nullis tempestatibus de statu conuelletur, in totius etiam cæli ruina constantiam retinebit. Nam pietatis illum conscientia mirifice confirmat, & spe in Dei præsentis auxilio posita roboratur,usque adeo,ut etiam in communi orbis ipsius uastitate, nulla formidine concuti possit, sed tũ uel maxime exspectatione suę salutis exsultet. Cum Principes in terra commutantur,& imperia ab aliis ad alios transferuntur, necesse est,ut status Reip. commutetur, ut ciues nouis,& intolerandis, tributis opprimantur, ut iura potentium tyrannide conculcentur,ut iniuriæ multæ fiant, ut nouus Princeps hominum querellis aures minime præbeat, cum multo magis de dominatione sua,quam de Reip. commodis,sibi cogitandum existimet. Hæc autem tanta uis malorum, qua tãdem ratione uitari poterit? Ciuium prudentia,& moderatione, & æquitatis studio. Numquam enim summus Dominus, penes quem est omnium rerum potestas, permisisset ullam Rerum publicarum perturbationem, nisi,scelere populorum grauiter offensus,eos tyrannorum immanitate ulcisci statuisset. Cum igitur multitudo licentia furit, cum Principes e plebis bonis prædas agunt, cum libido dominatur, & æquitas in exsilium pellitur, & partium dissensio omnia perturbat;reliquum est,ut Reip. commutatione, & noui Principis dominatione, populi uniuersi furor,& amentia,puniatur. Et,ut grauior ipsa pœna sit,euenit plerumque, ut ipsa plebs,odio furens,e corpore suo deligat eum,cuius importunitate sit tandem bonis omnibus euertenda. Exsistit enim tunc in plebe uir tenuis, sed acer,qui se popularibus suis,fraudibus,&,dolis,insinuat, & eorũ caussam,ut apparet, summa contentione suscipit,cũ is non amore populi,sed sua caussa,laboret. Cum autem in ciuili dissensione quiuis homo uilissimus, si audacia, & impudentia, præditus fuerit, honores, quos uelit, adipiscatur, euenit tandem, ut eum, tamquam libertatis uindicem, & iniuriarum defensorem, & uirum denique ad aduersarios ulciscendos acerrimum, Principem deligant,& præsidio sæpiant, imperioque summo corroborent. Is igitur, nuper egenus, modo Princeps, insolenter exsultat, & eos ipsos, per quos fuit ad summos honores euectus; omni uictu spoliat, & tyrannus immanis efficitur. Hic est autem pauper ille terrimus, qui pauperes impotenti dominatu uexat,omnesq. opes Reip. domum auertit,ita, ut omnium domos exinanitas relinquat. Hunc autem facit Sapiens similem imbri immodico, qui segetes non alit, sed aquis immodicis fruges omnes corrumpit. Vt enim pluuiæ, certo modo terminatę,fecunditatem efficiunt,immensæ omnia peruertunt;sic imperium moderatum, Remp. opibus explet;immoderatum,& infinitũ, publicis commodis populationem, & uastitatẽ, infert. Cum igitur is, qui ex tenui fortuna Princeps efficitur,propter insolentiam,modum seruare nequeat,illos ipsos,qui se illi commiserunt,perdit, & affligit. Quo autem argumento percipiemus,quis salutaris ciuis,& imperio dignus, exsistat,aut ab omni Reip. moderatione repellẽdus? Oratione,inquit. Qui enim impiũ laudat, impia oratione declarat,se Dei legem polluisse, atq. ab illius placitis procul abscessisse. Contra uero,qui impium ferre nequit,& iniquitatem odio dignissimam iudicat,is certe demõstrat, esse se legis Diuinæ cultorem, & iussis sanctissimis ualde libenter alligatum. Quo pacto igitur, qui laudem tribuit impietati,Remp. bene geret? aut,qui odio habet iniquitatem,Remp. uexabit? At talis de uno quoque opinio recipienda est, qualis oratione demonstratur. Qui enim laudat impios, impius est;qui autem nihil in laude ponit, præter pietatem,& religionem,pius est. Quid,si aliquis,malus quidem ciuis exsterit,sed acer,& industrius,sed lõgo rerum usu præditus,sed ingenio ad negotia gerenda promptissimo? Huic non honores,& moderationẽ Reip. deferemus? Nullo,inquit,modo. Improbi namque homines, iudicium non intelligunt. Sunt enim a Deo,qui est fons,& origo, totius iuris,& æquitatis,auersi. Quo tandem igitur pacto recte iudicare poterunt ij, qui totam ignorant legis,& iudiciorum,uiam? Qui sunt igitur sapientes? qui iuris intelligentes? Ij,qui Deum pura,& integra, mente uenerantur, illiusq. uijs ingrediuntur,ut eum, quem inflammato studio sequuntur,inueniant. Hi soli,cum sint sapientiæ uerisimæ compotes, sunt ad populi moderationẽ euocandi;& illi, qui sceleribus cooperti sunt, licet sint singulari acumine præditi, ab omni procurationẽ repellendi;si cupimus florẽtem Remp. & bonis affluentem cernere.

Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam diues in prauis itineribus. Qui custodit legem, filius sapiens est: qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum. Qui coaceruat diuitias usuris & fenore liberali, in pauperes congregat eas. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit exsecrabilis. Qui decipit iustos in uia mala,in interitu suo corruet,& simplices possidebũt bona. Sapiens sibi uidetur uir diues: pauper autem prudens scrutabitur eum.

Diues,abundantia pecuniarum nixus, nullo iudiciorum metu,nulla officiorum religione,nulla hominum uerecundia, impeditur, quo minus in totius iniquitatis uiam se præcipitem det: at pauper, qui uitam suam integram ab omni labe conseruat, legem cogitat, iudicia mente recolit, pudore tenetur,ne fidem,& officium, prodat; & ita,dum dies in miseriã furibunde ruit, ipse sibi uiam ad uitã beatam egregie munit. Non igitur, qui opes immanes possidet,sed qui uitã lege moderatur,sapiens existimari debet. Qui enim legis sanctionibus alligatur,numquã temeritate ducitur,nulla labe dedecoris inquinatur, nulla cupiditate ad confiandum facinus impellitur, sed iuris integritatẽ perpetuo cõseruat,& ita fit,ut Deo summe placeat, & illius singulari præsidio confirmetur: at,qui,opibus inflatus,officium deserit,& per luxuriam opes effundit, ita, ut, quæ erant in commodum Reip. conferendæ, ad heluonum,& adulatorum,libidinem explendã transferantur, dedecore afficit patrem. Nomẽ enim summi patris,hominum insipientum contumeliis indignissime læditur, cum homines perditissimi opibus immanibus ad perniciem abutuntur. Homines enim de Deo publice conqueruntur,quod hominibus impurissimis diuitias immanes elargitus sit, cum interim multos uiros probos in egestate uersari uideant. Non enim intelligunt,diuitias improbis esse supplicium, paupertatem uero probis esse sempiternę felicitatis instrumentum. Qui enim malis artibus opes accumulant, in illis parandis,immenso labore franguntur; in custodiendis,cura,& sollicitudine, conficiuntur, & nullam interim solidam utilitatem ex illis percipiunt. At paupertas bonorum,eos minime labefactat,sed potius uirtutem eorũ exercet, animos solidis opibus explet,mentes clarissima luce collustrat,& mira iucunditate permulcet,atque tandẽ præmio sempiterno remunerat. Diuites,inquit Dauid,egerũt,& esurierunt; inquirentes autem Dñm,nullis bonis indigebunt. Quid,quod sæpenumero fit,ut pecuniæ diuitum, qui nulla benignitate miseriam inopum subleuabant,ad homines tandem beneficos Diuino cõsilio transferantur? multis enim modis euenit, ut benefici opibus diuitũ potiantur,& ita,quę erant in tenebris abstrusæ,in usum Reip. conferantur: cũ interim diuitis auarissimi posteritas extrema inopia conflictetur. Sed mirãdum nimis est,cum omnis uerissimæ sapientiæ disciplina, omnis summæ felicitatis ratio, omnium bonorum affluentia, in lege Diuina consistat, & homines natura sint sapientiæ,& felicitatis,& diuitiarum, acriter appetentes,ut legem odio habeant, nullaque ratione uelint legis præceptis,ut beatissimi fiant,obedire. Cupiditas eos obcæcauit,libido mente spoliauit,furor immanis exagitauit,peccãdi cõsuetudo in terrã deprẽsit,ut oculos in cælũ attollere non possent. Itaque beneficiũ Diuinũ aspernantur, & tam salutare munus ingrate repudiant; atq. ita fit,ut cupiditates suas pestilentes, atque mortiferas,beneficijs Diuinis anteponãt. Erit igitur oratio eorum exsecrãda. Cum enim opem Diuinam implorauerint, non audientur. Non enim toto

Universidad de Deusto
Biblioteca

corde, cum sceleris detestatione, opem in malis flagitabunt. At multi ita sunt moribus immanibus efferati, ut non modo uirtutis officia nefarie deserant, sed in eos, qui uirtuti student, sint infestissimi, eisque insidias faciant, & ruinæ periculum frequenter intẽdant, usque eo, dum laqueis adstringant, & in omnem calamitatẽ detrudant. Verum iudicio Diuino tandem fiet, ut improbi eodem laqueo, quem alijs tetenderãt, capiantur; &, qui a studio integritatis deduci minime potuerunt, uera bona possideant. Diuites quidem, ingenij acumine ualde gloriantur. Sapientiæ namque, & dexteritatis, argumentum, esse uidetur, opes acquirere. Nam, si stulti, & desidis, hominis est, aut propter ignauiam nullum studium in opibus quærendis ponere, aut propter amentiam partas opes in res inanes impendere; cur non erit hominis diligentis, & minime dementis, officium, rem familiarem multis accessionibus amplificare? Intelligendum tamen est, qui sunt diuites illi, quos sapiens stultæ arrogantiæ condemnat? Illi certe, qui rẽ maleficiis adaugent, qui pecuniæ abundantiam æquitati iuris anteponunt, qui nullum modum cupiditati præfiniunt, qui denique, ut Dominus interpretatur, omnem spem salutis, atque dignitatis, in pecunia reponũt. Hos enim dicit esse diuites, quos dixerat minime cæleste Regnũ ingressuros, qui quidẽ sunt amentissimi. Nam primũ quidẽ, non intelligunt, se interdum non sibi, neque suis posteris, sed alienis, laborare; deinde, cum arca numis impletur, animum miserabiliter indigere; tũ, iniurias, quibus extra modum locupletati sunt, minime impunitas fore; postremo, se non in homines tantũ maleficos esse, sed etiam in Deum sceleste sæuisse. Honores enim Deo debitos ad pecuniam transferunt. In ea enim spem uitæ collocant, quæ tota erat in Dei benignitate ponenda. Pauper igitur is, nempe, qui non pecuniam nimis intuetur, & omnes res humanas præ cælestiũ cupiditate pro nihilo ducit, & ob eam causam a diuite insolente despicitur, in ipsum inquiret. Boni nãque tandem de improborum scelere iudicabunt. Quin etiam, in hac uita, naturali iure comparatum est, ut boni de maleficis, & sceleratis, sententiam ferant. Cum autem id secus fit, non est secundum legitimi iuris rationem, sed secundum iudiciorum corruptellam, & prauitatem.

In exsultatione iustorũ multa gloria est: regnantibus impiis ruinæ hominum. Qui abscondit scelera sua, nõ dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Beatus homo qui semper est pauidus: qui uero mentis est duræ, corruet in malum.

Cum iusti uictores exsultant, & oppressa iniquitate imperium administrant, publicæ salutis auctores sunt, maximisque meritis uniuersam Remp. obligant, eximiam gloriam consequuntur, eo quod ciues suos florẽtes, atque beatos, efficiant. At uero, cum impietas erecta uolitat, & in opes publicas inuadit, tunc homo malis exercetur. Flagitiorum enim pœnas luit, & patientiæ documentum dat, ut exploretur, quo animo iniuriam perferat. Admodum salutaris medicina est, peccatorum confessio. Continet enim humilitatis argumẽtum, suscepti sceleris odium, sapientis conuersionis indicium, & ardens purissimæ uitæ desiderium. Simul igitur atque homo quilibet scelus admissum confitetur, & ad studium iustitiæ tota mente traducitur, ueniã impetrat. At, qui iustitiã simulat, cũ sit iniquus, & ficta pietatis specie crimen impietatis occultat, & aĩo in flagitiis obstinato, & obfirmato, quasi possit iudicium Diuinũ eludere, in eisdẽ erratis perseuerat, acerrime punietur. Pristina enim flagitia fraudulenta iustitiæ simulatione cumulauit. Beatus igitur ille est, qui iudicia Diuina metuit. eo nãque metu prohibetur, quo minus in se flagitium admittat, & admissa confitebitur, ueniamque supplici ter implorabit. Qui uero, animi quadam duritate, prauitatem retinet, neque ullo metu a scelere reuocatur, subito corruet, ut sempiterno cruciatu torqueatur.

Leo rugiens, & Vrsus esuriẽs, princeps impius super populum pauperem. Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam: qui autem odit auaritiam, longi fient dies eius. Hominem qui calumniatur animæ sanguinem, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet. Qui ambulat simpliciter, saluus erit: qui peruersis graditur uiis, concidet semel. Qui operatur terrã suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otiũ, replebitur egestate.

Princeps impius, qui dominatu populum, nec animo, neque opibus florentem, opprimit, neque cõiunctionem ullam nobilitatis extimescit, cum omni metu solutus sit, insitæ immanitati seruit, ita, ut sit cum Leonibus, & Vrsis, & cum omni belluarum immanium feritate, comparandus. Qui uero mentis expers est, cum sit negligens, atque dissolutus, &, otium artissime complexus, sese ab omni negotio remoueat, Regnique procurationem hominibus impuris, & flagitiosis, committat, & pauperum querimonias audire nullo modo uelit, ignauia, atque desidia, Regnum lafactat, atque tãdem bonis omnibus euertit. Multi namque Tyranni exsistunt, paucorum cupiditas ad euersionem multitudinis excitatur, potentium uis nullo iure cohibetur, clamores in cælum tolluntur, ipsiq. tandem principes opibus, atque dignitate, & interdum etiam uita, spoliantur. Vt enim, cũ is, cui nauis gubernanda traditur, est nauticæ artis ignarus, nõ solum uectores, sed etiã se ipsum, in summum periculum naufragij, & mi serimæ mortis, inducit; ita Princeps stultus, non subditis tantum necem, & exitium, sed sibi ipsi discrimen extremæ cladis, importat. Prudentia igitur non mediocris necessaria est ad tantum munus feliciter obeundum. Pars autem prudentiæ præcipua est, auaritiam refrenare.

Nullum

Nullum enim uitium menti tætriores tenebras offundit. Ea namque humanitatem eripit, crudelitatem excitat, omnes omnium fortunas absorbet, & dum cupiditatẽ expleat, omnia iura perfringit. Cum igitur odium in se multitudinis incitet, non potest diu uitam incolumem ab exitio conseruare. Solus igitur Princeps, qui odit auaritiam, uitam secure traducet, & dignitatẽ perpetuo retinebit. Homo crudelis, qui, per fraudem, & calumniam, homini probo uitam eripere conatur, non tantum malum proximo suo machinatur, ut non multo grauius, & funestius, damnum ipse sibi inferat. Dum enim alterius sanguinem petit, animo suo mortiferum uulnus imponit; dum pestem alterius corpori molitur, pestem sempiternam menti suæ comparat; dum alterius nomen delere studet, se dedecore, nullis sæculis eluendo, commaculat; & præterea in hac etiam uita interitu funestissimo pœnam luet; cladem fugiet, ex qua minime elabi poterit; opẽ magnis nocibus implorabit; nullus tamen illi subsidium afferet; itaque miserrime corruet omnis, qui aliis ruinæ periculum intendit. Magnum igitur uitæ remedium, est in uitæ integritate, & innocentia, constitutum. Nihil enim occulte gerit, quod foras prolatum sibi pernicio sum sit; nihil callide, & ueteratorie, facit, ut, tandem, sceleris euictus, meritas pœnas det; non a iustitiæ uia declinat, quam qui deserit, ut fraudis uias ineat, concidet semel, hoc est, in aliqua tandem manifesto deprehensus interibit. Labore igitur, & industria, non malitia, & calliditate, est res familiaris augenda. Labor enim, cum sit cum iustitia coniũctus, fructus solidos efferre solet: at fructus, qui malitia, & improbitate, comparantur, intereunt. Nihil enim iniuria comparatum, poterit esse diutur num. Qui agrum, inquit, suum colit, saturabitur panibus. Hac sententia, duas uirtutes unice commendat. Vna, est iustitia; altera, diligentia. Iustitiam quidem, cum fructus uberes non alienum agrum, sed proprium, colenti pollicetur; Diligentia uero, cum culturæ meminit, sine qua squalet ager, & pro frugibus sentes effundit. Docet autem, iniuriam, & negligentiam, causam egestatis afferre. Iniuriam quidem, quia numen Diuinum in omnes tandem iniustos animaduertit; Negligentiam uero, quia negligentes merito semper esuriunt, cum otium abundantiæ prætulerint.

Vir fidelis multum laudabitur: qui autem festinat ditari, non erit innocẽs. Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit, iste & pro buccella panis deserit ueritatem. Vir qui festinat ditari, & aliis inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei.

Fides sancte culta, non solum Dei gratiam acquirit, sed etiam hominum uoluntates ad se mirabiliter allicit. Contra uero, qui, pecuniæ cupiditate, fidem uiolat, &, dum opes nimis festinãter, quo iure, qua ue iniuria, congerit, fidem non cogitat, hominum offensiones non effugiet, & Diuino iudicio peruertetur. Non est utile, dum iudicium fit, aliud, quam iuris æquitatem expendere. Itaque, qui personæ, hoc est qui nobilitatis, uel gratiæ, uel potentiæ, uel emolumenti, ratione ducit, dum rem suam bene gerere putat, omnia bona sua dissipat. Ius enim Diuinũ flagitat, ut, qui, commodi sui gratia, Dei iudicium cõtemnit, omnibus commodis careat, & extrema indigentia crucietur; maxime uero, cum tanta sit apud homines impuros Diuinæ legis obliuio, ut, utilissimi commodi gratia, adius Diuinum nefarie uiolandum impellantur. Mirum autem est, quanta festinatione properent homines, ut diuitias coaceruent; neque solum, ut ditissimi fiant, elaborant; uerum, ut aliis omnem materiam rei familiaris augendæ præripiant, per omnes flãmas excurrunt. Quod uitium, non est tantum cupiditatis effrenatæ, sed etiam inuidiæ detestabilis, argumẽtum. Hi uero, dum cupiditate stimulãtur, dum inuidia contabescunt, dum oculos opibus alienis adijciunt, partim dolis, & fraudibus, partim immensis laboribus, omnia periclitãtur, usque eo, dum, & odio hominum, & cælestis numinis offensione, excæcati, quadam repentina tempestate iactentur, naufragioque iustissimo omnes opes, momento temporis, amittant.

Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum magis, quã ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Qui subtrahit aliquit a patre suo, & a matre, & dicit hoc non esse peccatum: particeps homicidæ est. Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat: qui uero sperat in Domino, sanabitur. Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Cum surrexerint impij, abscondentur homines: cum illi perierint, multiplicabuntur iusti.

Oratio quidem increpantis, aspera uidetur; adulantis uero, & blandientis, iucunda. Attamẽ emendatoris sapientis acerbitas, salutem inducit; blanditiæ uero adulatoris, exitium. Ita uero fit, ut, qui ad uoluntatem loquitur, quamuis ad aliquod breue tempus uoluntatem ad se uiri potentis alliciat, illi postea odio sit; contra uero, qui ueritate aures offendit, post ueritatis ipsius fructum in magna gratia apud eum sit, cui in principio non ualde placuerat. Falsa namque dulcedo, uitam reddit amarissimam; & sapiens orationis acerbitas efficit iucunditatem plenissimam. Qui patri uictum detrahit, impius parricida est, & omnium mortalium sceleste sissimus. Si enim, qui parentibus maledicit, grauissimum in se scelus admittit, quid erit de illo dicendum, qui parentibus uitã eripit? Eripit autẽ uitam, qui illos uictu spoliat. Lex Diuina illum adstringit, ut parẽtes alat, atq. sustentet opibus suis, & uicem mutuã reddat illis, quorum opera fuit in lucem editus, & enutritus, & moribus institutus. At is, qui patris

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem familiarem diripit, tantum abest, ut patri, atque matri, debitā gratiam referat, ut illis etiā, quantum potest, exitium maturet. Si igitur, ut est in ueteri prouerbio, uultu lædit pietas; &, qui in patrem iracunde inuehitur, morte dignissimus est; in illum certe, qui patris bona deprædatur, nullum satis dignum supplicii statui potest. Homo confidens, & elatus, & insito acumine subnixus, pacem odit, & iurgia concitat, & innumerabiles in se inimicos incendit; & sic fit, ut minime uitæ discrimen effugiat. Qui autem de se humiliter, atque demisse, sentit, & nihil sibi insolenter assumit, sed omne uitæ, atque dignitatis, præsidium habet in Dei benignitate constitutum, omne periculū Dei præsentis auxilio facillime propulsabit. Commēdat Sapiens liberalitatē, & munificentiam, in pauperes. Qui pauperis enim miseretur, Deum, qui pater est pauperum, sibi, si ita loqui fas est, uehementer adstringit, ita, ut fieri non possit, ut is, qui misericordiam tribuit inopi, a Diuina misericordia deseratur, cum is, qui misericordia pauperum minime commouetur, sit apud Deum detestabilis, & exsecrandus. Salus Reip. in iustorum honore, & impetio, tota consistit. Tunc enim iniquitas, metu compressa, delitescit; innocentia, ius suum facillime tuetur; iniuriæ repelluntur; uirtutes ornamentis debitis affi ciuntur; bonorum exemplo iustitiæ studium mirabiliter excitatur; omniaque opulentia, & digni tate, circumfluunt. At, cum hominum peccatis impij in alto honoris gradu locantur, tyrannis exsistit, & homines se in tenebras abdunt, ne tyrannorum uultum, cū exitij periculo, subire compellantur. Virtus igitur tunc intercluſa respirare non audet; honestatis, & iustitiæ, studium langue scit; & cupiditas ueræ gloriæ, cum magno Reip. malo, restinguitur. Vt autem impietatis domina tu, omnia bona Reip. funditus euertuntur, sic, ubi impij de statu conciderint, omnis Resp. cum summa bonorum affluentia instaurabitur, atque renouabitur, & Diuinus quidam ornatus efflorescet. Itaque multiplicabuntur iusti, cum impij corruerint. Nihil igitur poterit Rebus publicis salutarius excogitari, impiorum interitu.

Ei, qui non uult admoneri, furere permittitur; qui non uult in uiam redire, errare cōceditur; qui impendens periculum prouidere recusat, in periculum ruat. Itaque, malo repentino uehementer oppressus, occumbet; & opem imploranti nemo medebitur. Sapientia namque, cuius uocem uiri pertinaces impudentissime cōtemnunt, eis præsidium, quod pollicebatur, iustissime detrahit; &, quemadmodum illa in huius operis principio dixit, impiorum interitum iustissime cōprobabit. Multitudine iustorum populi salutem contineri, satis perspicuum est, & in impiorū dominatu ruinam. Opus igitur est, ut, cum honores deferūtur ad homines probos, populus significationem lætitiæ det; cum uero ad impios transferuntur, ingemiscat. Qui sapientiæ cultor est, omnia sibi bona comparabit. Ergo pater ex felicissimo statu filij uoluptatem percipiet: quemadmodum dolorem ingētem capiet, si filium uiderit meretriciis amoribus implicatum. Necesse namque est, ut patrimonium illius, qui meretricibus deditus est, breui dissipetur. Si uolumus igitur optimum parentem, cuius beneficio in lucem editi, & enutriti, & multis opibus, & ornamētis, exculti sumus, gaudio afficere, sapientiam, quæ est in illius cognitione, & in pietatis flagranti studio, sita, perpetuo sectemur; & sic, opibus summis, cum gloria summa, circumfluemus. Si uero, deserta sapiētiæ uia, ad meretrices, hoc est ad alienas disciplinas, & hæreticorū fraudes, declinabimus, omnes opes nostras effundemus, & in sempiterna mendicitate uersabimur. Rex iustus, moderatione sua statum Reip. firmat: at, qui nihil aliud, quam emolumenta sua, respicit, intoleranda tributa imperat, e subditorum bonis prædas agit, domos euersas, & exinanitas, relinquit, totumque Regnum funditus perdit, &, cum odio suorum, & inuidia, flagret, & Dei numen grauiter offendat, se tandem præcipitem in extremā miseriam dat. Principium autem calamitatis ab adulatoribus nascitur. Nam, si is, qui proximo suo adulatur, perinde est, atque si rete ad illius pedes alligandos expanderet, quid erit existimandum de perditis eorum conatibus, qui Principem, adulando, & assentando, laqueis durissimis impediunt, quo minus officio suo perfungatur? Quoties enim homo in officio delinquit, toties mortis laqueis arcte cōstringitur, ita, ut maleficiorum recordatione, uelit, nolit, assidue crucietur. Contra, iustus, ex omnibus rebus, quas gerit, quas animo molitur, quas mente recogitat, eximiam uoluptatem fert, & recte factorum conscientia mirifice in omni temporum uarietate sustentatur.

CAP. XXIX.

VIro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus superueniet interitus, & cum sanitas non sequetur. In multiplicatione iustorum lætabitur uulgus: cum impij sumpserint principatum, gemet populus. Vir qui amat sapientiam, lætificat patrem suum: qui autem nutrit scorta, perdet substantiam. Rex iustus eri gitterram, uir auarus destruet eā. Homo qui blandis fictisq. sermonibus loquitur amico suo, rete expandit greſſibus eius. Peccantem uirum iniquum inuoluet laqueus, & iustus laudabit atque gaudebit.

Nouit iustus causſam pauperū, impius ignorat scientiam. Homines pestilentes dissipant ciuitatem, sapientes uero auertunt furorem. Vir sapiens si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem. Viri sanguinum oderunt simplicem: iusti autem quęrunt animam eius. Totum spiritum suum profert

fert stultus: sapiens differt & reseruat in posterum. Princeps qui libenter audit uerba mendacij, omnes ministros habet impios.

Iustus, cum nihil apud illum sit æquabilitate iuris antiquius, nullius potētia poterit adduci, ut non secundum pauperem iudicet, si uideritlegē cū illo facere. Impius uero, cū Diuinum ius ignoret, facile uel muneribus, uel spe futuræ utilitatis, allicitur, ad causſam cōtra fas hoībus potentibus, & perditis, adiudicandā. Homines superbi, & acumine suo præsidentes, qui bonitatem irrident, summamque stultitiam in simplicitate ponunt, fraude capitali ciuitatem obligant, ita, ut uniuersam Remp. diris pœnis, propter cæleste numen offensum, obnoxiam reddant; sapientes uero, cū cernant, nihil ciuitatibus esse pestilentius, quam specie præsentis utilitatis a iure discedere, num quam ullis commodis alliciuntur, ut utilitatem honestati anteponant, & ita iram Diuinam a Rebus publicis auertunt. Vnde colligitur, nullum præsidium ad Reip. stabilimentum excogitari posse, uirtute, & iustitia, salutarius. Homo furiosus, & insanus, nullo modo rationi subijcitur. Quo modo enim, qui rationis expers est, rationi parebit? Itaque sapiens, si cum illo contraxerit, postquam ad suas rationes illum adducere non poterit, siue, hominis impudentia commotus, irascatur, siue stupiditatem mentis irrideat, nullum finem controuersiæ reperire poterit. Viri homicidæ, simplicitatem, & animorum integritatem, odio immani persequuntur. Non enim ferre possunt eum, qui oratione, moribus, & institutis, actionibus suis aduersatur; & iccirco uitæ illius exitium moliuntur: contra uero, iusti, eo neruos omnes intendunt, ut innocentiæ faueant, & homi nem integrum ab importunitate iniustissimæ necis eripiant. Multa quidem signa dat amentiæ homo stultus: nullum tamen euidentius eo est, quo omnes cogitationes suas ostentat; & nihil secretum tenet, quod totum tempore nimis alieno profundat: at sapiens spiritum suum cohibet, &, quæ sunt dicenda, opportune pronuntiat; &, quæ sunt reticenda, silentio comprimit; & ita orationem moderatur, ut nihil umquam ex ore illius excidat, quod sibi perniciem inferre possit. Quam periculosum sit Principi, aures præbere mendacijs, ostendit Sapiens, cum ait, futurum, ut omnes illius ministri sint scelestissimo crimine impietatis alligati. Primum enim, omnes in eo certatim elaborabunt, ut mēdacijs, illius sibi gratiam concilient. Principem igitur adulatione corrumpent, bonos ab illius familiaritate submouebunt; necem, innoxios criminando, multis inferent; multos opibus, per summum scelus, spoliabunt; sic tandem fiet, ut pietatem, Principibus, & patriæ, & Deo, debitam, uiolent, & ita pestem in uniuersam Remp. nefarie machinentur.

Pauper & creditor obuiauerunt sibi: utriusque illuminator est Dominus.

Rex qui iudicat in ueritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.
Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem qui dimittitur uoluntati suæ, confundit matrem suam. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera, & iusti ruinas eorum uidebunt. Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ. Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus: qui uero custodit legem, beatus est.

In eodem numero ponit pauperem, & hominem, calumnijs, & fraudibus, perditorum hominum nefarie circumuentum: fore tamen dicit, ut utriusque mentem Dominus splendore suę lucis illuminet, & eorum causſam suscipiat. Regni autem præsidium, atque firmamentum, esse collocandum in iustitia, demonstrat. Vbi enim Rex rectissimo iudicio pauperes subleuandos summo studio curat, neque ullo modo patitur, ut secundum illos iudicetur, qui non iure, sed opibus, & potentia, causſam obtinere contendunt, fieri non potest, ut Regnum illud dissipetur, & opes ad alias gentes transferantur. Vnde colligitur, omnes Principes, qui de summo imperij statu conciderunt, ideo concidisse, quia iudices perperam iudicabant, & contra ius, pecunia corrupti, potentibus litem addicebant. Quod uero ad puerorum institutionem attinet, si non tantum in eo publicæ salutis momentum positum fuisset, non tam sæpe Sapiens illud inculcasset. Quid enim aliud euertit Rēp. nisi ciues flagitijs omnibus cooperti, & terrimis sceleribus inquinati? Vbi igitur multitudo ciuium perditorum exstiterit, ibi salutē publicam euerti necesse est. At, ista multitudo, unde profluxit? Ex corrupta parentū disciplina. Si enim quilibet domi suæ liberorum curam habuisset, eosq. minime deprauari indulgentia sua permisisset, non tantum malorum fuisset in Resp. importatū. Nam, ubi multi perditi, & profligati, ciues exsistunt, Remp. facillime occupant, & occupatam sceleribus suis inficiunt; & ita, cum ad summam flagitiorum, & scelerum, peruentum est, numen Diuinum in homines animaduertit; uniuersaque Resp. & seditionibus intestinis dilaceratur, & hostium tandem armis exscinditur. Quia hæc mala plerumque ex matrum indulgentia proueniunt, dicit Sapiens, puerum, mala disciplina corruptum, ignominia afficere matrem suam. Iusti uero, in cōmuni rerum strage, & ruina, Dei sanctissimum iudicium contemplantur, illiusque laudes perpetua oratione concelebrant. Omnia autem mala, recta liberorum institutione, atque domestica disciplina, uitari possunt. Quocirca Sapiens eādem admonitionem repetit, & unumquemque ciuem exhortatur, ut filios suos illis moribus instituant, quibus parentibus solatio, atque præsidio, sint. Facillime nāque pater in filij probitate conquiescit, & ex multis eiusmodi institutis salus in uniuersam

Universidad de Deusto
Biblioteca

uersam Remp. redundat. Interim tandem optandum est, ne umquam desit in Rep. uir aliquis Diuinus, qui de mysterijs Diuinis edisserat, qui homines crebris monitis studio sanctissimæ religionis incendat, qui supplicium denuntiet ijs, qui a studio legis abhorrent, & toti sunt a cupiditate Regni cælestis auersi. Assiduæ nãque hominum Diuinorum admonitiones, multitudinem in officio continent: at, ubi illæ deficiunt, uitia pullulant, seges flagitiorum ingens exsurgit, densissimæ scelerum siluæ omnium uirtutum fruges obruunt, & reliquijs officiorum uastitatem inferunt. Tunc igitur calamitas, ira Diuina, in gentẽ perditam immissa, omnia peruertit. In eo tunc rerum exitio ille beatus erit, qui omnem uitam ad Dei legem direxit, minimeq. a Domini uia declinauit. Ad illum enim nulla calamitas peruadet; &, cum omnia fuerint clade consumpta, illi tantum uitam incolumem ab omni supplicio conseruabunt, qui animum gerunt lege sempiterna deuinctum, & omnem salutis spem in Deo collocant.

Seruus uerbis non potest erudiri: quia quod dicis intelligit, & respondere contemnit. Vidisti hominem uelocem ad loquendum: stultitia magis speranda est, quam illius correptio. Qui delicate a pueritia nutrit seruũ suũ, postea sentiet eum contumacem. Vir iracundus prouocat rixas: & qui ad indignãdum facilis est, erit ad peccandum procliuior. Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria. Qui cum fure participat, odit animam suam: adiurantem audit & non indicat. Qui timet hominẽ, cito corruet: qui sperat in Domino, subleuabitur. Multi requirunt faciem principis, & iudicium a Domino egreditur singulorum. Abominantur iusti uirum impium; & abominantur impij eos qui in recta sunt uia.

Seruus corrigi solet imperio, & nõ explicatione rationis, quare id sibi utile futurum sit. Erepta namque libertate, plerũque iudicium mentis obruitur, ita, ut non decernere possit seruus, quid sibi, aut cõseruis, aut Dii rebus, expediat. Quid, si seruus prudens sit, & intelligat ex eo, quod imperatur, periculum cõmunibus rebus imminere? Frusta intelligit. Consilium enim illius plerumque repudiatur. Nulla illius responsio est. In hoc est enim durissima seruitutis condicio, quod cogitur seruus intelligens perferre Domini parum sapientis insaniam. Homo præceps, atq. deuius, minime expendit uerba, quæ dicturus est. Itaque temere loquitur, &, quidquid illi in mentem uenit, sine ullo iudicio, nimis festinanter, effundit, & offensiones hominum non extimescit; & iccirco fit, ut multo magis insaniat eo, quem, ut furiosum, pueri sectantur, & multitudo deridet. Is enim, quem homines solum insanum uocant, cũ furor illius in omniũ oculis, & adspectu, sit, nihil rebus communibus nocere potest. At, qui sanus existimatur, & tamen, quid sit dicturus, minime perpendit, multum, si fuerit admissus, summæ Reip. nocebit. Est igitur quouis furioso, & insano, dementior. Seruus a Dño in delicijs enutritus extollitur, neq. minus insolescit, quã si esset ipsius Dñi filius, atque adeo cũ filijs heres institutus. Caue dũ est igitur a principio, ne seruus insolescat, & in filiorum opes irruat. Cui uero serui sint in officio continendi, tum uero temeritas, atque libido, coercenda, ne rationis imperium recuset. Aliter enim, tanquam serua nequissima, animi arcem occupabit, & contra naturæ legem rationem sibi seruire compellet. Sic etiam sunt reliquæ pestes animi resecandæ, ne dominatum uiolenter occupent, & mentem de statu deijciant. Quid est ira turbulentius, & mentis tranquillitati magis contrarium? Rixas concitat, turbas commouet, iudicium eripit, eoq. redigit hominem furore cæcũ, ut facinora capitalia moliatur. Superbia deinde animum furenter extollit, & admonet, ut sine ratione ad principatum adspiret; & ira ipsius animi statum disturbat, atque dissipat. Deus enim humiles ad summam dignitatem euehit, superbos autem de solio detrudit, eorumque nomen, tumulo sempiterno obliuionis obrutum, diris pœnis insequitur. Quid de cupiditate dicendum? Sic enim mentem hominis auari tenebris immergit, ut, oblita decoris sui, sese totam ad nomen furis adiungat, & cum illo societatem libentissime coeat, quem scit tenere fraudis, & latrocinij, principatum. Homo igitur perditus, & sub furis, hoc est diaboli, potestate cõstitutus, neque hoium uerecundia, neque Diuini iudicij metu, a tanti flagitij turpitudine reuocatur; &, quod lõge grauius est, iurisiurandi religionẽ contẽnit, & testimonio suo hoies scelestissimo facinore constrictos omni crimine liberat. Metu quidem mortis, malti, sese in laqueos mortis ipsius induunt. Quo modo? Mentiuntur, & peierant, ut e crimine elabantur; furantur, & latrocinantur, ut uitæ subsidia comparent; illis, a quibus sibi malum metuunt, exitium moliuntur, ut uitam sine cura traducant; doloris metu, fidem uiolant, quia dolore interitum afferri statuunt; eadem ratione, uoluptates nimis appetunt, quia illis uitæ firmamentum contineri suspicantur; ne plura autem persequar, omnia flagitia, atque scelera, uidemus a metu mortis ortum habuisse. Scelera autem, sunt mortis laquei, sunt uincula mortifera, sunt sempiternæ pestis instrumenta, quibus homines, dum mortem effugiũt, alligantur, & impediuntur, & ipsi morti miserabiliter addicuntur. Iccirco Paulus ait, genus humanum, propter metum mortis, seruum illius fuisse, qui principatũ mortis habuerat. Ait igitur Sapiens, mortis metum in mortis ipsius tyrannidem miseros homines addixisse. Quod igitur erit mortis propulsandæ remediũ? Fides certe, Christi gratia, & benignitate, nixa. Qui enim spem ponit in Domino, in edita munitione Heb. 2.

tione collocatus, impetum mortis arcebit. Et tamen sunt multi, qui, hoc salutis præsidio neglecto, alia sibi præsidia cõquirunt. quibus annumerandi sunt illi, qui nimis ambitiose a principibus gratiã initre student, cum Dii tũ sit salus, & illi tũ sint iudicio liberandi, qui ardẽti fide gratiam illius cõsecuti sunt. Quod tantum abest, ut impij faciant, ut eos exsecrentur, qui totis uiribus animi in studium iustitię, & pietatis, incumbunt. Vt igitur iusti errorem damnant eorum, qui mentis corruptæ iudicium æquitati Diuinæ legis anteponunt, sic impij iter iustitiæ, quod boni suscipiunt, temeritatis, & amentiæ, plenum iudicant, & ab eo, tamquam a peste, refugiunt.

CAP. XXX.

VErba Congregantis filij Vomentis. Visio quam locutus est uir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait.

Apud Hebræum sic legimus: Verba Agur filij Iaque sentẽtia grauis, Dixit uir ad Ithiel, ad Ithiel, & Vcal. Nouis nominibus excitat mentes nostras Salomon, ad rerũ admirabilium, atque Diuinarum, exspectationem. In primis autem, quærendum est, quis Agur iste fit, quis etiam Ithiel, & Vcal, qui in Salomonis Prouerbiis, cum insigni exspectatione, referũtur; unde fuerint exorti; cuius rei gratia in theatrum inducti; & quo modo, post sententiarum grauissimarum recensionem, ita discesserint, ut nusquam alibi eorum mentio fiat. Quærendum deinde est, quæ sit orationis tam difficilis, & obscuræ, sentẽtia. Quod ad primam quæstionem attinet, facilis responsio est. Non enim in rebus antiquissimis personarum explicatio exigi debet, cum nulla sint monumenta, a quibus possint erui; & minime necessarium sit, earum genus exponi, cum non genus, sed uirtus, & sapientia, requiratur. Satis est, opinari, Salomonis tempore fuisse uiros sapientiæ gloria præstantes, quorum sententias Salomon perire minime passus est. Immo, cum sapientiæ fuisset auidissimus, minime contentus ingenij sui mirabiliter illuminati partu, collectã a reliquis, quasi a sapientiæ conuiuis, exigebat, ita tamen exigebat, ut minime nomen eorũ reticeret. Nec enim sapientia inuidiæ affinis est; nec uera dignitate eos, qui uirtute affluunt, spoliandos arbitratur. Ergo, cum Salomon sapientiæ præcepta traderet, commodum illi fuit, ut suis decretis aliorum etiam præcepta, & sententias Diuinas, attexeret. Cum igitur uir ille summus, nempe Agur, filius Iaque, miras sententias duobus sodalibus, quorũ unus Ithiel, alter Vcal, appellabatur, explicuisset, earumque notitia ad Salomonem peruenisset, Diuino consilio factum est, ut eas Salomon ad commentaria sua agglutinaret. fieri etiam potest, ut Salomõ, quod magis reor, se ipsum alio nomine, nempe Agur, designaret, ut se paullo inferius Lamuel appellat. Sed hæc, quæ minus ad rem faciunt, omittamus; & ea, quæ sunt ponderis multo grauioris, explicemus. Atque primum, intelligendum est, multis in locis sanctarũ Litterarum, ita uirorũ nomina cum eorũ actionibus, & uita, congruere, ut plane liqueat, nomina sanctorum fæpenumero non casu aliquo, nec humano consilio, neque incõsiderata uoluntate, sed numine Diuino, consistere. Nam, ut ea nomina prætereamus, quæ sunt Dei ipsius uerbis explicata, quid de Melchisedech statuendum est? Quid de filio Isaiæ, Sear iasub nominato, cogitandum? Quorum quidem unum, Regiam Christi dignitatem, cuius Rex ille sanctissimus imaginem gerebat, mystice designabat; alterum, conuersionem eorum, qui prophetarum semine, & disciplina, continentur, exprimebat. Melchisedech enim idẽ ualet, quod Rex iustitiæ: at Sear iasub, reliquias per fidem conuertendas exponit. Secundum hanc rationem, licebit in sanctis Litteris nomina multa reperiri Diuinitus instituta. Ad hunc igitur modum oportet hoc in loco sententiam nominum, quibus utitur Salomon, interpretari. ut prudenter interpres Latinus fecit. Agur enim, idem est, quod Congregans: Iaque, est Obedientia. Vox uero Ithiel, significat Mecum Deus. Vcal autem, Potero. Vt sit sensus, eum fore sapientem, qui non abijcit disciplinam, sed, quidquid audit delibat, & percipit, summo studio recondit, & singulari sedulitate conseruat. Deinde is, Obediẽtiæ filius in sanctis Litteris appellatur, nempe, qui illis, quæ diligenter in animum congesit, obtemperat. Ab interprete autem, Vomentis, aut, ut nomen Hebręum etiam significat, Vomitus filius uocatur; quia deinde ea cum socijs, summa cum fidelitate, cõmunicat. Nomen Ithiel, significat, omnem sapientiam Dei gratia contineri. Tunc enim demum sapiẽtes esse poterimus, cum Deus in nobis fuerit; & tum omnia poterimus, ut Paulus inquit, cum Deus nos ope sua munierit, luce sua collustrauerit, cõsilijs suis instruxerit. Quod uero nomina hæc non sint sine magno consilio indita, oratio ipsa luculenter exponit. Sic enim inquit: Verba Agur filij Iaque, sententia grauis, oratio uiri habita ad Ithiel, ad Ithiel inquam, & Vcal. Cum sententiæ grauitatẽ, cum uiri sapientis auctoritatem, cum nominis iterati uim, & efficientiam, exponit, mentes ad audiendum uehementer exsuscitat, & ostendit, nusquam alibi maiorem ad audiendum attentionem, & alacritatem, efflagitatam merito fuisse. Sed nos iam ipsius orationis uim, & sententiam, perpendamus. Philip. 3.

Stultissimus sum uirorum, & sapientia hominum non est mecum.

Quid ait? Cum insignis spes sapientiæ esset ostentata, repente stultitia summa proponitur. Videtur uir sapiens risus captare. Erigit animum ad sapientiæ disciplinam; & eundem animum sapientiæ desperatione debilitat. Dicit enim, se non modo insipientem, (id enim uulgare est) sed etiam omnium mortalium stupidissimum. Nec enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim solum se sapientem esse negat, uerum etiã illius sapientiæ,quam reliqui homines sollertia, & studio, consequuntur, expertum. Quo modo igitur ullam sapientiæ disciplinam tradet, qui neque communem sapientiæ gradum est assecutus? Et, qui se stultissimum omnium mortalium esse profitetur, quid tandem dignum Doctorum hominum approbatione eloqui poterit?Sed, qui rem acutius animaduerterit, & uerisimæ sapientiæ momenta perpenderit,intelliget, illum demum esse sapientiæ compotem,qui se stultum existimauerit.Nam,primum quidem, intelliget, omnem humanæ sapietiæ rationem esse tenebris obscuratam,erroribus implicatam,angustijs circumscriptam, & a uero frequenter auersam, atque,ne plura dicam,dolis, & fraudibus, quas in se quisque machinatur,ab omni bene beateque uiuendi uia deductam.Quotus enim quisque est, qui sentiat, qui sapiat, qui officiorum rationem perspiciat,qui non penitus uiam uirtutis ignoret? Immo, quo magis homines ingenio ualent, eo plerumq. se pluribus erratis irretiunt. Quod si sapientiæ finis,est animi recta constitutio, (frustra enim sapit, qui sibi minime sapit;& constat, eos,qui sapientiam ostentant,& ingenij acumine insolentius efferuntur, esse animorum morbis agitatos, & de mentis statu conuulsos) non ne liquet, eos,ficta sapientiæ specie delusos, in summa ueritatis ignoratione uersari? Si tibi iter aliquod necessarium instaret, & tu equos, currus, uestes, uiaticum, comites, tibi parares deinde, iter ingressus, uarijs amfractibus, & conuersionibus,nullum exitũ habentibus,impediretur,quo minus eo, quo cupis,ullo modo peruenires, quẽ tandem fructum e sedulitate tua percipies?Nullum prorsus.Ita,si sapientiæ summã operam dederis,noctes insomnes traduxeris, undique magistros adsciueris, omnem uitæ cursum in disciplinarum studio consumpseris, & tamen numquam tranquillum animi statum,uirtutum opibus egregie munitum,assecutus fueris, amentiæ summæ pœnis agitabere. Nihil enim amentius est,quam, in communi stultitia, opinione sapientiæ furenter extolli. Ad communem enim dementiam ille præcipuus,atque singularis, error accedit, ex quo mala innumerabilia nascuntur.Facile namque is,qui sibi prudentiæ opinionẽ arrogat,si multos ad se aggregauerit. Remp. uniuersam in errores turbulentos,& pernicioſos, impellet.Non igitur sapiens,sed stultissimus, est existimãdus, qui,cũ multũ se disciplinis dederit, numquã perfectũ earum fructũ fuit studio consecutus. Vt enim, qui, ut aquam extrahat,terram in summã altitudinem fodit,si aquam non reperit, quo maiorem laborem in fodiendo suscepit, eo maiorem miseriam subiuit, ita, qui multum, ut sapiens euaderet,laborauit, si sapientiam sibi minime peperit, eo miserior est, quo se sine ullo solido fructu grauius afflixit. Is porro sine fructu laborauit, qui prope nullum ex labore suo uerissimæ uirtutis fructum tulit.Quam uero inanis sit eorum conatus, qui omnem ætatem in philosophia conterunt,eorum ipsorum, qui philosophiæ Principes existimantur, sententiæ declarant.Alij namque,ueritatẽ esse in profundo demersam, asseuerant; alij, uix millesimam esse partem,quæ scimus,eorum,quæ ignoramus,testificantur;alij, postremo, illud Socratis, nempe, Se hoc unum scire,se nihil scire, constanter arripiunt. Itaque omnes, qui ingenio, & litteris, antecellunt, & magis aliquid uidisse censentur, hac sententia sunt,ut nullã esse humanæ sapiẽtię uim,nullũ fructũ,nullũ pondus,arbitrẽtur.Vnde concluditur, multo sapientius esse, sapientiam sibi detrahere,quam assumere. Hoc enim est,homines,in rebus maximis stulte, & insolenter, arrogantis;Illud,rei magnitudinem,& difficultatẽ, prudenter intelligentis. Vnde colligitur, nostrũ sapientem,cum se stultum nominet, non frustra operam in sapientię studio collocasse. Numquã enim intellexisset,se esse a sapientiæ fructu remotissimum,nisi sapientiæ altitudinem alta, & excelsa,mente considerasset. Præterea,est intelligendum,omnem sapientiam in cognitione Dei consistere.Ille namque est rerum omnium parens,& cõditor,naturę totius initiũ,ordinis,pulchritudinis,& honestatis,architectus,bonorũ oĩum fons, & origo. Ab illo cuncta profluunt; benignitate illius cõtinentur;in illum, ut in uerissimum uitę finem in quo summa uitæ beatæ consistit, admirabili,atque admodum felici, conuersione referuntur. Ille igitur solum sapiens est, qui Deum cognoscit. Reliquæ uero rerum notiones iccirco ingenijs hominum exquisitæ fuerunt, ut illis, tamquam adminiculis, humanæ mentes excitatæ,facilius Dei cognitionẽ caperent.Oẽs enim artes, siue mathematicæ sint,siue physicę;siue cælestia rimentur, siue terrestria perueſtigent; siue mores hoium regant,siue Diuinis rebus operam dent,siue quodcũq. aliud moliãtur, eo referũtur, ut ex uniuersæ naturę operibus naturę parentem agnoscant, & rerum omnium Dominum uenerentur. Sapientiæ igitur finis, uitæque beatæ perfectio Dei cognitio est. Ergo,qui Deum non cognoscit, quamuis sit omnibus artibus summis excultus, eloquentiaque mirabili perpolitus, amentissimus est.Contra uero,qui Dei notitiam habet, quamuis nulla sit arte politiore commendatus,sapientia summa præditus est. Omnium siquidem rerum causſas, totãque beatæ uitæ rationem,mente pura complectitur. Verum enim uero, cum animus, scientiæ pabulo, tamquam ambrosia,atque nectare,saginatus, altior in dies fit,& ad inquirenda cælestia uehementior, omnes artes humanas,præ Diuinarum rerum consideratione,despicit,atque contemnit, & in Deo rerum naturas longe perfectius, quam in rebus animaduerterat,intuetur; longiusq. progressus, ipsam naturam præcellẽtissimam,quoad fas est, conatur inspicere, luce summa perfunditur, & admiratur,& obstupescit,usque adeo, ut,oppressis sensibus, & obruta mente,iaceat; &, quo clarius illustratur illius animus, eo dẽsioribus tenebris,& caligine, demergitur; ita,ut mentis compos minime uideatur.Calliditates humanas abijcit,naturæ cognitionem spernit,prudentiæ humanæ

manæ rationem pro nihilo putat,eloquentiæ studium puerile arbitratur, omniáque tandem,quæ apud homines ingenio præcellentes in magno pretio sunt, uilissima putat; solumque Deum intueri,solum amare,solum consectari, solo perfrui,tota mente desiderat. Cum tamen in illum mentem uehementius intendit,& illius summæ pulchritudinis,summæ dignitatis,summi splendoris,atque uirtutis, immensitatem animo complecti nititur, nimia luce, quã sustinere nequit, obrutus,quodammodo lucẽ amittit,& tenebris, admiranda ratione, circumfusus, nihil cernit, nihil sentit, nihil agit, nullius rei intelligentia commouetur, sed tantum attonitus extra se rapitur,ut amet, quod non uidet; ut cupiat, quod non intelligit;ut amplexetur,quod apprehendere non potest. Natura rerum,tunc inuersa uidetur.In clarissima luce,caligo mentem opprimit; in sapientia summa, furor impetum in animum dat;in Diuinis sensibus, omnes humanæ cogitationes obruuntur; in felicissimo statu, turbatio summa perspicitur.Sic autem fit,ut,cum ad summam sapientiam peruenitur, tum demum sapiens se stultissimum arbitretur.Nam sensus humanos oppressit, & Diuinos, quemadmodum expertus,non est assecutus.Intelligit,naturam Diuinam esse longe ab omni cogitatione remotissimã.Nam,quod de Deo intelligi potest, est certo modo,& ratione,finitum.Deus autem,opibus immensis,& uirtute infinita,ualet. Quamuis igitur sapiẽtes multa,& ualde magnifica,de Diuina mente concipiant, tum uel maxime sapientiæ munere perfruuntur, cũ se amentes existimãt,eo quod tunc id, quod in Deo summũ,& infinitum, est,mente considerant. Cogitant enim,Diuinæ uirtutis infinitatẽ comprehendi minime posse, & omnia,quæ de illius amplitudine dicũtur, esse pro nihilo putanda,si cum ijs,quæ neq. exprimi, neque cerni,neque intelligi,ulla ratione possunt, conferantur. Hęc est stultitia, hic stupor Aguris, hæc sapientis amentia, hęc uiri sanctí moderatio,qua se stultũ facit,ut sit sapiens;hoc est,quare sibi ingenij lumen detrahit,ut radijs lucis Diuinę colluceat.Vide autem, qualiter auditores attentos faciat. Nã,inquit, stultissimus sum hominũ, & intelligẽtia hominis nõ inest in me.Hoc enim dicit,Nõ sine fructu uos mihi attẽtos prębebitis: neque enim uobis humanæ disciplinæ præcepta tradam,nempe,quam,si cũ ea,qua uos instituere contendo,conferatur,contemptione dignissimã censeo,fallacissimã iudico,aspernor,atq. reijcio: sed omnia, quæ dixero, a cælestis sapientię thesauro depromentur. Ait deinde,ut magis eandem sententiam confirmet.

Non didici sapientiam, & noui scientiam sanctorum.

Audite,inquit,non humanæ disciplinæ iactationem,sed Diuinæ soliditatẽ. Nec enim ego hęc ab huius mundi sapientibus didici;sed ab eo,qui sanctos homines cælestibus disciplinis imbuit, accepi. Nec enim aliunde potest sapientia ad homines permanare,quam a cælo. Nisi igitur Spiritus Diuinus eam tradiderit, fieri non potest,ut quisquam particeps illius fiat.Nemo enim adscẽdit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo. Similiter hoc in loco Sapiens adiungit

Rom. 1.

Quis adscendit in cælum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligauit aquas quasi in uestimento? quis susciteauit omnes terminos terræ? quod nomen est eius, & quod nomen filij eius,si nosti?

Ostendit, illum solum posse ad sapientiam humanum genus instruere,qui sapientiam suam in naturæ operibus admirabili ratione demonstrauit.Is enim cælestem naturam finxit, & ornamentis Diuinis illustrauit: is spirabilem naturã, & uentorum uim,moderatione continuit, ne ultra,quam utile rebus humanis esset, irrueret? is similiter aquis modum constituit, ne tellurem eluuione consumerent:is terrarum fines, solidita te firmatos, ad certum pondus, & numerum, reuocauit.Is igitur solus,& potentia,& sapientia, & benignitate, infinita præditus est. Potentiam quidem ostendit,cum tam facile hæc omnia manibus suis effecit; sapientiam uero,cum tam singulari consilio,fœdere sanctissimo,diuersas inter se naturas adstrinxit; benignitatem postremo, cum omnes naturas adgeneris humani salutem, incolumitatem,eternamque gloriam,destinauit. Interrogationibus uero frequentibus utitur, ut magis summi cõditoris maiestatem exaggeret. Nosti,inquit,nomen eius?& nomen filij eius? In quo duo summæ sapientiæ decreta proponit. Primum est,nos nullum nomen habere,quo præcellentissimum Dei explicemus.Nomen enim,naturam rei cuiuslibet exponit. Ergo, cũ Dei natura inexplicabilis sit,consequens est, ut nomen illius sit ignotum. Alterum uero decretum, est, Dei filium,a patre,non secundum naturam,sed secundum personam,distingui. Quod uero personarũ discrimen sit, aperte demonstrat,cum ait.Quod nomen est eius,& quod nomen filij eius, si nosti? Quod uero natura minime filius a patre distinguitur,ostendit, dum nomen filij docet, non inexplicabile minus esse, quam patris ipsius nomen.Quod est certissimum eiusdem naturæ imperij,atque maiestatis, argumentum. Quid igitur?Nullum nomẽ Diuinitatis exstabit,quo possimus aliqua ratione cæleste nomen cogitatione comprehendere?Exstabit quidem; sed non illud, quod naturam Diuinam perfecte designet, sed quod aliqua ex parte opera summæ erga nos benignitatis explanet. Et,quo maius in nos donũ, & munus,exstiterit,eo clarius uim Diuini nominis explanabit. Et in hoc uis Diuinæ sapientiæ, cuius mentes purę participes esse possunt, constituta est: & hoc nomen est, quo sanctę Litteræ eos,qui sese ad illarum studium contulere, multis modis eruiunt. At nomen, quod perfecte

Dei

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei numen, & mentem, & amplitudinem, demonstret, exprimi nulla ratione potest. Et ea nomina, quæ operum uim aliquo modo declarant, is solus exponit illis qui sese in doctrinam illius contulerunt. Verbis enim illius, ueritissimæ sapientiæ disciplina continetur: quemadmodum continuo Sapiens inquit:

Omnis sermo Dei ignitus, chypeus est sperantibus in se.

Quo modo uera sapiētia in uerbo Diuino cōsistat, breuiter ostēdit. Primum enim, docet, disciplinam illius, esse purissimam, quasi aurum conflatum, & purum, quod in se scoriæ nihil habet
Psal. 18. admixtum. Quemadmodum scriptum est, Lex
Deut. 33. Domini immaculata. Est prēterea sermo ignitus, ut inquit Moses, in manu eius ignea lex. Vnde concluditur, & mentis puritatem, & uirtutis cæleſtis ardorem, uerbo Domini contineri. Verbū igitur Domini facit, ut homines sancti, & puri, sint, & amore Diuinitatis assidue concalescant. Sed, inquies, fore, ut grauissimum periculum adeant, & hostium machinis impediantur, quo minus ad eum gradum sapientiæ, & felicitatis, aspirent, quem sibi proposuerunt. Minime, inquit. Ipse namque Dominus, est scutum omnibus, qui in illo omnem salutis, & dignitatis, spem positam habent. Quid igitur restat aliud, nisi, ut omnes, qui sapientes esse uelint, se Deo in disciplinam tradant, legem illius seruent, omnibus illius præceptis obsequantur, uitam imperio illius moderentur, & ita illius inuicto præsidio muniantur, ne possint umquam de beatæ uitæ gradu dimoueri? Est igitur omne studium in Diuini uerbi puritate collocandum. Nec enim utile uerbū Diuinū esse poterit illis, qui illud adiū & io
ne impuræ disciplinæ contaminant, legisque sanctitatem fallacissima interpretatione corrumpunt, & sanctissimis rebus sordium notas impu-
2. Cor. 6. rissimas inurunt. Quo quid scelestius fingi potest? Quæ enim conuentio lucis ad tenebras? Præterea, conuicium legi Diuinæ fit, & sacrilegium immane suscipitur. Iccirco adiungitur:

Ne addas quidquam uerbis illius, & arguaris, inueniarisque mendax.

Caue, inquit, ne tm̄ scelus admittas, ne additamento fallacis disciplinę puritatē legis adulteres. sancta namque impuris contrectare, nefas. Dei uero numen, cōtaminata religione, minime placatur, sed ad uindictam impellitur. Si igitur, humana aliqua ratione deprauatus, aliquid profani ad disciplinam Diuinæ legis adiunxeris, & ita, ut uoluntati tuæ morem geras, uim uerbis Diuinis attuleris, argueris, hominisque impij, & scelerati, pœnam sustinebis; & mēdacij prēterea, atq. uanitatis, ignominia, cum insigni cruciatu, maculaberis. Quo modo? Primum quidem, quia fidem prodidisti. Fidē enim dederas, fore, ut legē seruares. at, dū legē falsis additamentis inquinasti, & a uero sensu detorsisti, ut libidini tuæ satisfaceres, pro sanctitate legis, disciplinę corruptelam, & sacrilegam mentem, in Dei templo collocasti; &, cū te pietatē colere simulares, impietatis impurissimæ facinus suscepisti. Præterea, tibi ipsi mentitus es. Opem namque tibi a Deo, propter legis studium, pollicebaris; & tu numen in te Diuinum, propter legis ipsius contemptum, acriter incitasti. Sic autem omnis, qui legem sempiternā ad libidinem interpretatur, & ea de causa multa de suo addit, ne legis seueritate teneatur, ad easque fraudes uersat ingenium, ut legem suis cupiditatibus seruire compellat, multis modis mendax est. Ementitur enim religionem, deserit fidē, prodit salutem, fallacijs nititur, &, dum sibi incolumitatē pollicetur, pestem, & perniciem, sibi ipse machinatur. Omnia igitur mala mendaciū ambitu suo complectitur. Mendacium enim, sanctissimam, quantum in se est, religionem funditus euertit, ius societatis humanæ nefarie uiolat, statumque hominis ipsius, qui mendacio utitur, perdit; ita, ut is, qui mendax est, in Deum impius, in hominem sceleratus, & in se ipsum proditor, sit existimandus. Recte igitur Sapiens orat Deum, ut se a mendacij calamitate eripiat. Ait enim:

Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar, uanitatem, & uerba mendacia longe fac a me. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum uictui meo necessaria.

Primum quidem, orat, & obsecrat, Deum, ut a se uanitatem, & mendacium, hoc est iniustitiam, & iniquitatem, repellat; deinde, ut ruinę periculū propulset, ne in mendacium incurrat. Periculum autem, est, uel in extrema inopia, uel in summis opibus, constitutum. Inopia enim deprimit animum, frangit spem, studium æquitatis abijcit, & furari, atque latrocinari, compellit; opes autem immanes, efferunt animos, & superbiā, & insolentiam, efficiunt, usque eo, dum Dei etiam numen despiciant: quemadmodum statim sequitur. Ait enim:

Ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.

Vtraque ratione mendacium excitari, & religionem contemni, perspicimus. Nam opes summæ, tyrannidem alunt; tyranni, religionem despiciunt; egestas summa, desperationem affert; desperatio, animum ad dolum, & fraudem, atque periurium, sollicitat. Et, quia mendacium, scelus nefarium in Deum concipit, & hominum famā lacerat, uitamque acerbam efficit, Sapiens a calumnia deterret omnes homines, & ijs, qui nomē alicuius falsō deferunt, apud eos, qui possunt innocentes opprimere, grauissimam pœnam proponit. Ait enim:

Ne

Ne accuses seruū ad Dominum suum, ne forte male dicat tibi, & corruas.

Hoc in loco Seruus appellatur omnis, qui, propter humilitatem, expositus est hominis potentioris iniuriæ, siue Dominus ille sit, siue iis opibus præditus, quibus facile tenuiorē in potestate contineat. Similiter Dominus nō is solus est, qui seruum possider, sed is etiam, qui uel opibus, uel imperio, princeps est, a quo facile cuiuis potest iniuria fieri. Quam prompti uero sint homines ad calūniam; quā facile falsa infamia, uel odio, uel inuidia, uel offensione, cōcitetur; quam libenter ab omnibus mēdacium pestilens excipiatur; quāta celeritate cursum suscipiat; quo modo ad innocentium perniciem serpat, est explicatu difficillimum. Calumnia, bonis ignominiā, innocentibus exitium, amicis offensionem, ciuibus discordiam, Rebus publicis calamitatem, afferre solet. ea lucem eripit, tenebras offundit, æquitatem tollit, iniuriam conflat, uitam oppugnat, necem affert, pestem, & exitium, importat. Nihil igitur fingi poterit maledicentia pestilentius. Rectissime igitur Sapiēs admonet, ne quisquā tam audax sit, ut calumniā adhibeat. is enim, qui uel a Dño, uel a principe, uel ab homine quouis, qui multis opibus excellat, fuerit, propter calumniā, oppressus. Dei opem implorabit, & uindictā supplicib⁹ uerbis expetet. Iudex uero sanctissimus, maledicētię scelus impunitū minime relinquet. Dixerat uir Sapiens, oē Dei uerbū esse inflammatum, & purgatū, & ab omni terrestri fęce, & flagitiorū contagione, secretū. Dixerat idem, uerbum esse firmissimū uitæ præsidiū, & tutissimū salutis propugnaculum. Ostenderat, omne mendacium esse mortiferum, & longe a puritate uerbi Diuini remotum. Nunc consequens est, ut ostendat, quā nefaria instituta sint eorū, qui ueritatē uerbi Diuini aspernātur, atq. reiiciunt, ut mēdaciū ample xentur, ut, cōfecti uanitate, dispereāt. Ait igitur:

Generatio quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit. Generatio quæ sibi munda uidetur, & tamen non est lota a sordibus suis. Generatio cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrectę. Generatio quæ pro dentibus gladios habet, ut commandat molaribus suis, & comedat inopes de terra, & paupe
res ex hominibus.

Exponit scelera, & flagitia, quę uersantur in uita apud hoīes, quos uerbum Diuinū minime cōtactu suo purgauit. Alij, inquit, parētibus infesti sunt, & corū uitā, a quibus uitā acceperunt, amarissimā efficiunt; alij uero, sibi uitæ puritatē insolenter assumunt, cū sint multis flagitiorum sordibus inquinati; quidā, intolerādo fastu, atq. superbia, passim uolitant, & erecti, & excelsi, reliquos mortales despiciūt; alij postremo, sūt crudeles, & immanes, ita, ut opes paupertū deuorēt, atq. confi
ciant, usq. adeo, ut nihil moliri, & agere, uideātur, quā, ut hoīes, quorū fortunę tenues sūt, e terra fu
rēter exterminēt. Adiūgit, ut magis pditos mores hoīum, qui a disciplina Diuinæ legis abhorrēt, in oculis ponat, infinitā eorū cupiditatē. Sic. n. ait:

Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes, Affer, Affer.

Sanguisuga, Cupiditatē significat. Cupiditatis autē duæ partes sunt, quas Sapiens Sanguisugæ filias appellat, nempe, Libido, & Auaritia. Cupiditas quidem est insita in natura, ea tamē lege, ut rationis imperium accipiat, & modo, atq. ordine, quē ratio præscribit, coerceatur. Sed, cū cupiditas obedientiā abijcit, & tyrannidē occupat, &, in animi arce cōstituta, contra naturā dominatur, rationemq. sibi subdit, tum nihil aliud in aīo audire potest, quā Affer. Affer, hoc est, imperiū cupiditatis sine ullo modo poscentis, ut oīa ad illā deferantur. Nam neque libido uoluptate aliqua satiari, nec auaritia opibus ullis expleri, potest. Vt autē hoc magis Sapiens explanet, ait:

Tria sunt insaturabilia, & quartū quod numquam dicit, Sufficit, Infernus, & os uuluæ, & terra quæ non satiatur aqua: ignis uero numquam dicit, Sufficit.

Per sepulcrū, odiū, & crudelitas immanis, intelligitur; per Vuluæ claustrum, immoderata libido designatur; per Terrā, quæ nūquā satiatur aquis, auaritia summa describitur; per Ignis incēdium, furor iracundiæ, pœnā sine modo repetētis, exponitur. Hæ quidē affectiones oībus innatæ sunt; sed, ubi ratione frenātur, nō ultra terminū a lege statutū progrediuntur. At, ubi legis, atque iuris, repagula cōuelluntur, tum aīus, his motibus agitatus, huc, & illuc, sine ullo modo, curfitat, ita, ut nullo in loco cōsistat. Tales autem sunt omnes, qui se legis Diuinę uinculis adstringi minime patiuntur. Est enim eorum cupiditas multiplex, & infinita, in uarias partes, rabide, atq. furenter, incitata, ita tamē, ut, quamuis oīa, quæ appetit, undiq. affluēter hauriat, cōtenta esse nō possit. Alia deinde scelera, quibus affines sūt ij, qui nō caste, & pure, Deū uenerātur, reperit, ita, ut illis, qui ea suscipiunt, dirū exitium comminetur. Ait enim:

Oculū qui subsanat patrē, & qui despicit partū matris suę, effodiant eū corui de torrentibus, & comedāt eum filij aquilæ.

Scelestum, & immane, facinus, est, impietas in parētes, quibus nēpe lucē, uitā, incolumitatem, & oēs opes, debemus. Per illos namq. suscepti, & in lucē editi fuim⁹; illorū labore, & sollicitudine, nutriti, & educati, & instituti, sumus; illi, sed'm Deū, oīa nobis, q̄bus uita cōtinetur, amātissime detulerūt. Ergo, qui in auctores uitæ ingratus exstiterit, æquū est, ut miserrime uitā finiat, nēpe, ut, inopia cōsumptus, ad torrētē, ut sitis illius aliqua ex parte releuari queat, se frustra cōferat, ut illic egestate, & fame, & morbo, intabescat; ut corui, oculos, q̄ in parētes impie intueri solebāt, cōficiāt; ut aquilę, carnes illius comedāt, & absumāt; qui nūquā in memoriā reduxere, se carnes illas a parēti
bus accepisse, ut intelligerēt, se parētibus obliga-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tos esse, ad uicē, quoad fieri posset, cumulate referentiā. Hoc tū intelligendū est, cum tātum scelus sit in impietate, qua parentes offendimus constituti, quantum tandem illud erit, quo pietatē, Deo, sanctissimo parenti, debitam, cum proiecta audacia, & impudentia, uiolamus? Ille enim uere nobis pater est, a quo geniti, & informati sumus. Ipse namque est, qui patres ad procreandam sobolem incitauit, qui corpora informauit, qui nos sensibus acutissimis instruxit, qui nobis aiam, & rationem, dedit, qui in nostris mentibus imaginem suæ claritatis impressit, qui cælum, qui terram, qui omnia, siue quæ in terris, siue quæ in aquis, oriuntur, ad nostros usus effinxit, qui nos ad Regiā dignitatem, & uitæ beatæ, atque gloriæ sempiternæ, societatem inuitauit, &, ut possimus tantis bonis potiri, a scelere deterret, & ad pietatem hortari minime desistit. Ergo, cum oculos in optimū parentem impudenter attollimus, cum contumelias in rerum omnium Dūm intorquemus, cū beneficia illius aspernamur, cū bellum dirum, & nefarium, omniq. odio imbutum, cum lege illius gerimus, nō ne iustum est, ut egestate, & inopia, cōsumamur? ut adspectum mētis amittamus? ut hostibus nostris, prædæ, & direptioni, relinquamur? ut illorum crudelitate laceremur? Hęc autē supplicia illos manent, qui puritate disciplinæ cælestis instituti minime sunt. His igitur tantis malis quod remediū inueniemus? Vnicū certe; ut, nefaria cupiditate relicta, totos nos ad studiū ignęæ legis traducamus, ut ita, purgati, & illustrati, a tyrānide peccati liberemur, & in nouā, atque cælestem, uitā ingrediamur. Recte. Sed poterimus ipsi nostris uiribus ad puritatem uitæ conuerti? Nullo modo. Valentius enim malū est, quā ut possit nostris uiribus, & rōne, profligari. Nisi enim nos Christi spiritus instruxerit, nisi animos nostros robore cęlestis uirtutis munierit, nisi opibus sempiternis a tyrānide aduersæ potestatis abstraxerit, oēm industriā nostram, ad salutē nostram cōparandā, sine ullo fructu, cōferemus. Hoc est, quod Sapiens cōfestim adiungit. Ostēdit enim admiranda ratione, benignitatē Diuinam rebus humanis prospicere statuisse. Sic enim ait:

Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, Viam aquilæ in cælo, uiam colubri super terram, uiam nauis in medio mari, & uiam uiri in adolescentia.

Hebraice, Et uia uiri in Virgine.

Hęc quidem Sapiens ait. Quæ uerba antequā explicate aggrediamur, de quouis Iudæo, Synagogæ magistro, libenter quæsierim, quā opinionē habeat de hoc Sapiente, qui nūc loquitur, siue Salomō ille sit sub Aguris nomine in theatrū inductus, siue alius fuit nominatus Agur, tāta sapientia præditus, ut nō immerito sententiæ illius ad Salomonis sententias adiunctæ sint. Num uere sapientem existimet? an potius hominē uanum, inaniq. sapientiæ nomine cōmendatum, uere sapientem dicit? Rursus interrogo, an opinetur fieri posse, ut is, qui sapiens sit, ineptissimus sit? Negabit profectō. Age nunc uideamus, si oratio hæc non aliam sententiā continet, ab ea longe diuersam, quam uerba ipsa designare uidētur, quid ineptius esse potest? Dignitate, & amplitudine noui nominis, aios nostros erexit, mentes nostras ad audiendum cælestis disciplinæ monita, Diuinaq. mysteria diligenter excitauit, res arcanas ab humana intelligētia disiunctas explicare conatus est. Quorsum? Vt, postquā aios nostros ad spem sententiarū raperet Diuinarū, repente in sententias insulsas, & ineptas, incideret? Quid n. magnū, & admiratione dignū, loquitur, hoc in loco, si uerba tantum expendas, uir sapiētissimus? Nam, quid ait? Se nō tenere uiā, qua Aquila cursum in libero cęlo cōficit. Nec ego quidē Turturis; & tū non ualde admiror. Viā similiter Serpentis super petrā se ignorare, testificatur. quasi homo possit in rupe uestigiū imprimere, ut uiā, qua per rupē ingressus est, quisquā oculis designet. Nam, quod ad uiā Nauis attinet in mari, tam incerta est, quā uia piscū. Sed, inquiet aliquis, huiusmodi oratio nes ineptas appellari nō posse. Nō enim, ut aliquid ignotū indicetur, sed ut cum rebus minus notis, ut illustriores appareant, aptissime conferātur, has similitudines adduci. Recte. Sed, quorsum hęc sunt adducta, uideamus; ut tū demum, quā accōmodata sint, iudicare possimus. Videamus igitur quartū, quod maxime Sapiens admiratur. Viā, inquit, uiri in עלמה hoc est uirgine. עלמה legisse uidetur interpres, quod pro Adolescentia usurpatur. Quid hoc est? hoccine portētū est? hoc ignotū, & admirandū? Nū parū nota sunt signa, quibus uia uiri in uirgine demonstretur? Nō, inquiūt, apud Hebręos Virginis nomen inuenitur, sed Iuneculæ trī. Falsum est. Nomē enim עלמה, & apud Mosem, & Isaiā, semper Virginē, & absco ditā uirginē, summa diligentia seruatā, designat. Sed sit, ut aiunt, iuuencula, abscondita tū, quod negare nō possunt. Nū uia uiri, qua ad illā ingreditur, nullis uestigiis aīaduerti potest? Sunt litteræ, lenocinia, preces, promissa, munera, introductiones, exitus, famulorū opera, antecedentia signa, & cōsequētia, testes quā plurimi, ita, ut nihil possit difficilius occultari. Quod si uelimus eorū sententiā sequi, qui hoc in loco per עלמה Adolescentiā intelligunt, & hoc etiā falsum est. Multa namq. signa sunt, quibus in adolescētia cuiusquā possumus, qualis futura sit uita illius, cōiectura prospicere. Nēpe, natura, educatio, & institutio. parentū mores, atq. familiæ disciplina, & alia, quæ caussa breuitatis omittimus. Nihil est igitur, qđ orationē hanc ineptiarū uituperatione liberet, si illius sniam ad Diuinum sensum nō reuocamus. Nā tota hæc orō ad Diuinitatē, ut ex his, quæ antegressa sunt, prospicere potuimus, adspirat. Quare nō uideo, cur Rabbini doctissimi sniam, quā Galatinus ex Hebræorū monumētis eruit, nō sequamur. Is.n. hæc oia de Christo interpretatur. Quā apte uero, postea uidebimus. Sed nunc sententiā illius, a quo hęc didicimus, explicemus. Per Aquilam, Christum inquit intelligi, in cælū euectum. Per Serpentē, Christū sub imagine peccati, cuius pœnā sustinuit in morte, cū peccati totī expers esset, sepultum. Per Nauem, Christi mortalem uitam,

rem, humanarum actionū fluctibus obiectam, adumbrari. Per Viā uiri in uirgine, Virginis sanctissimæ cōceptum, quo Christū aluo continuit, intelligendum esse. Et hanc esse Viam uiri in Virgine. Nam, ex quo primum tēpore Dei filius naturam sibi humanam adiunxit, uir confestim existit, & hunc Virgo circunidedit, & uētre suo totum complexa est. Cum uero Christi adscensum in cælum, cum illius mortem, & sepulturā, cū uitam illius inter homines Sapiens esset animo secum uehementer admiratus, tum nihil æque admirandum esse iudicauit, quam Virginis in sua integritate conceptū. Et merito quidē. Quid enim mirabilius fieri ab ipso Deo potuit? Numē præcellentissimum in Virginis uentre delituit. Deus humanā naturam sibi copulauit: omnipotens Dūs fragile corpus assumpsit, oībus humanis morbis obnoxium, ut innumerabiles labores exciperet, intolerandos dolores hauriret, pœnas sceleribus nostris debitas exsolueret, & mortis denīq. acerbitatē perferret, ut nos sempiternæ uitæ gloria cumularet. Vt hæc oia beneficia immē sæ benignitatis in nos cōstarent, Virgo cōcepit, uisceribusq. suis illum cōtinuit, quē naturę cælestis amplitudo cōtinere nō potuit. Virgo edidit cælestis exercitus imperatorē; uirgo aluit sempiterni decoris, & dignitatis, auctorē; & intra illius aluum is, qui oīa coercet, & continet, sine ulla sempiterni muneris uacatione, includi sustinuit. Natura, uehemēter admirata, cōtinuit; cælites nouis laudibus Dei numē extulerunt; eo partu, in cælesti regione, summæ potētiæ, atque benignitatis, cognitio aucta, & amplificata est. Sed, cur ultimo loco Sapiens posuit id, quod prius effectum fuit? Quia a rebus admirādis ad magis admirandas progrediēdum sibi esse iudicauit. Christi adscēsus in cęlum nō ualde admirādus fuit, quia in propriā gloriā, insita uirtute, euectus est, & in suas sedes, inuicto robore, penetrauit. Fuit igitur lōge admirabilius, auctorē uitæ morte dānari, & eum, qui uirtute infinita mortē interimit, uita spoliari, &, qui nulla peccati labe adspersus umquam fuit, peccati pœnā atrocissimā perferre, & sepulcro contineri illum, qui regionis inferæ claustra perfringit, & tenebrarum repagula conuellit. Qui tū mortuus seipsum excitauit, mortiq. necē intulit, & de tyrannide ipsius erebi clarissimum triumphum duxit. Quid illud? quantā admiratiē mouere debet rē acute cōsiderantibus? Sāctissimum Dei Filium mores hoīum, & perfidiæ humanæ cruciatum, sustinuisse, & humanis fluctibus, in tā periculoso, & infesto, mari, uariis procellis exagitato, iactari uoluisse. Cū uero nihil sit magis hoībus sanctis acerbum, quā improborum hoīum cōuictus, quid esse potuisset molestius illi summo totius sanctitatis auctori, quā hoīum scelestorū scelus intueri? Erat quidē hoc atrocius ipsa cruce supplicīū; quod tū, ut nos a peste redimeret, patiētissime tolerauit. Nihil tū fuit magis admirādum, quā, numen immensum, & infinitum, Virginis utero, sine ulla imminutione maiestatis, cōprehendi; & tā Diuini operis fabricā, qua ulla umquā nec maior, nec amplior, nec admirabilior, exstitit, intra sanctissimi corporis illius angustias, opera Diuini Spiritus, absolui. Quod si in rebus oibus, in principio, est operis totius firmamētum, & cōceptus fuit nostræ salutis initiū; cōsentaneum fuit, ut Sapiēs, in cōmemoratione rerū admirabilium, illū ultimo loco, quasi maximē admirabile, reseruaret. Prēterea, multo magis admirabile est, qđ in spe poni a ratione nō poterat, quā quod ratio sperare cōpellebat. At, antequā Dei Filius homo fieret, nō erat ulla humana ratione sperandū, ut Deus humanā formā indueret. Postquam uero homo effectus fuit, ratio oēs, qui primū illud opus in ꝓcuratione nostræ salutis effectū crederēt, sperare ualde uehemēter excitabat; ut oīa, quæ secuta sunt, quēadmodum euenerunt, exsisterent. Postremo, Deū gloria circumfluere, minime est admirādum. Id autē est maxime admirādum, Deū doloribus, & cruciamētis, affligi. Cū autē, ut hoc fieri posset, Deus in Virgine corpus humanū, sine ulla labe Virginis ipsius, assumpsit; sequitur, ut opus hoc maximam oīum admirationē efficiat. His explicatis, cōsentaneum est, qđ nos demonstraturos diximus, ut ostēdamus, quantum hæc explicatio cū illis, quæ sunt a Sapiēte dicta, cōueniat. Dixerat ille quidē, Verbum Dñi esse purissimū, & sanctissimū, mentes illustrās, & inflāmans, & esse uitæ eorum, qui oēm uitæ, & salutis, spē in eo repositā habēt, scutum, & inuictū in omni rerum discrimine propugnaculū. Ostēdit præterea, quātum facinus esset, aduleterari legē, uiolari religionē, cōtaminari sacra. qđ fit, cum fallacibus additamētis sensus Diuinæ legis inuertit, & a uitæ seueritate ad hoīum cupiditatē traducitur. Tū, persequitur oratione flagitia, & dedecora, hoīum, qui officia uitæ ad legis sanctissimæ disciplinā minime dirigunt, sed libidinibus obsequūtur. Postremo, scelus in Deū, uitæ parentē, salutisq. nostræ custodem, asperis uerbis insequitur. Reliquum igitur erat, ut, cum oēs mortales essent eisdē sceleribus affines, oēs spē salutis abiicerent. Ne igitur desperatio aīos occuparet, illam spem firmissimā proponit, quæ est in Christi, liberatoris nostri, clementia, & benignitate, cōstituta. Itaq. clarā Christi uictoriā, illius mortē, & sepulturā, illius uitā, & docendi studium, illius cū natura humana sempiternum fœdus, & cōiunctionē, quāuis obscure, (sic. n. rem pora ferebant) commemorat. Mortuus enim est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationes nostras. In quo facit idē, qđ Paulus, qui, priusquā de salute nostra, Christi meritis, & uirtute, cōstituta, disputet, humana scelera, & flagitia, recēset, ut demōstret, oēm salutē esse in Christo collocādā, qui mortuus est, & resurrexit, & sedet ad dexterā Dei, qui ēt interpellat pro nobis. Oēs quidē Prophetę, ut Petrus ait, & Christi mortē, & cruciatū, & cōsequētē gloriā, prædicauerūt. quod Sapiens hic etiā egregie facit. Sed huic sententiæ obstare uidetur id, quod statim sequitur:

Rom. 4.

Rom 8.

1. Pet. 1.

Talis est & uia muli eris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit, Non sum operata malum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæc quidem oratio prima ſpecie uidetur,eã, quã adduximus,labefactare ſententiã. Nõ enim uidet quadrare ſimilitudo mulieris adulteræ cũ rerum tã Diuinarũ mentione. Sed illis,qui ſenſũ diligentius ſcrutati fuerint,apparebit, nihil fieri potuiſſe conuenientius hac oratione. Per mulierẽ enim adulterã,hoc in loco,uel Iudæorũ Synagoga,uel Hęreticorũ cõuẽtus,aptiſsime deſignatur. Quod.n. Synagoga appellet adultera,apud Ezechielẽ,& alios Prophetas,certe cõſtat. Vnde Dñs, apud Oſeã diſcipulos ſuos admonet,ut cũ matre ſua,hoc eſt cũ Synagoga, litigent,eiq. adulteriũ exprobrent. Similiter & hæretici, qui, cũ Chriſti matrimoniũ fide tenerent,fidẽ prõdiderũt,& fœdus ipſius ſanguine percuſſum nefarie uiolarũt, adulteri ſunt. Quẽadmodũ igitur, dũ uir ſapiens uerbum Dñi cõmendãbat,admonuit ſtatim, ne quidquã ad uerbũ Dñi adderemus,quod uerũ ſenſum corrũperet,& ita, ueritatis teſtimonio conuicti,pœnã grauiſsimi mẽdacij pẽderemus, ſimiliter hoc in loco,cũ Eccleſiæ ſtatũ admirabilẽ prẽmõſtrauiſſet,qui futurus erat opera illius,qui formã humanã induit,qui mortẽ appetiuit, & in cæ lũ adſcẽdit,ut nobis,ex tyrannide peccati, atque mortis,ereptis,aditũ in cælũ aperiret, periculum ſtatim oſtendit,qđ erat nobis ex ſimulatione pietatis,ſi, neglecto uerę pietatis ſtudio,fictã pietatis ſpeciẽ ample xaremur,ſubeundũ: quod erat adulterij crimẽ ſceleſtiſsimum. Sed dicet fortaſſe aliquis: Vt uerũ ſit,per mulierẽ adulterã cœtum impię multitudinis intelligi debere; quę tandẽ ſimilitudo impietatis cũ humanę ſalutis myſterio exſtare poteſt,ut dici cõueniat: Sic eſt uia mulieris adulterę? Nulla prorſus. Nec Sapiens aſſerere uoluit,eſſe aliquã ſcelerũ tenebris cũ uirtutis luce ſimilitudinẽ;ſed, in difficili ſceleris cognoſcendi ratione, dixit, ſe nõ poſſe percipere ſalutis noſtræ,Chriſti beneficio cõſtitutæ,rationẽ,eo quod humanã rationẽ lõgiſsimo interuallo ſuperaret. Dicit ſimiliter, ſe non intelligere adulterij illius ſcelus,quo perditi hoies lucẽ conſulto fugiunt,ut tenebris obruantur, & beatã uitã deſerunt,ut in miſeriã ſempiternã irruant. Vtrumq. ſe admirari uehementer aſſerit,& clemẽtiæ Diuinæ magnitudinẽ in ſalute noſtra curãda, & humanæ perfidiæ ſcelus in munere Diuino ingratiſsime repellẽdo. Ait præterea,ſe etiã uehemẽter admirari ſuſcepti facinoris impudentiã. Vt enim mulier adultera, atq. ſagax, ubi libidinẽ latenter expleuerit,caſtitatẽ ſimulat,ſeſeq. nullũ in uita flagitiũ admiſiſſe cõfirmat;ſic etiam impiorũ hoium multitudo, dũ cupiditati,quæ illã occæcauit, obſequitur, & ſe a fonte perẽni uitæ diſiungit, ſe nullũ facinus nefariũ feciſſe cõtendit. In quo quidẽ multa ſunt admirabilia. Primũ eſt,cogitare, quid impulerit hoies acuto ingenio prædituos, & propriæ ſalutis, atq. dignitatis,appetẽtes,pręferre luci tenebras, honeſtati dedecus,tranquillo animi ſtatui turbidas aſorum tẽpeſtates,& Diuinis deniq. promiſſis,temeritatis incõſideratæ uanitatẽ. Deinde,nõ parũ admiratione dignũ eſt,impudentiã aſaduertere,qua ſcelus pietatẽ ſimulat,flagitiũ honeſtatis imaginẽ induit, perfidia religionẽ ementitur, &, cũ oĩbus uitiorũ maculis inuſta ſit,ita uultum fingit,ut mirã ſpeciẽ ſanctimonię pręferat. Nec artificiũ illud parũ admirationis habet,quo ſcelerũ principes ita miſeris,qui ſe ad illorum nomen adiunxerunt, illudunt,ut,cũ præcipites in oĩum malorum colluuionẽ agantur, illos tũ auctores oĩum flagitiorum,ut numina quędã,uenerentur. Sapiens igitur,hæc oĩa cõſideráns,fatetur,ſe non ſolum ignorare rationes Diuinæ ꝓbitatis in humanum genus,uerum etiã rationes humani ſceleris in Diuinã probitatem. Hæc oĩa pluribus fortaſſe,quã neceſſe fuit, expoſuimus,ut clarius appareret,quã eſſet hæc ſnĩa cum ea,quæ præceſſerat,congruens, ne quidquã reliquum eſſet,quod hoĩs pij mentẽ implicitã teneret. Illa uero ſimilitudo,a meretrice ſumpta, qua, dapibus abſumptis,os abſtergit,ideo poſita fuit, ut non tam turpis eſſet oratio,quã fuiſſet,ſi libidinis obſcenitas fuiſſet magis explicata. Oris.n. abſterſio,deſignat oĩum ſignorum remotionẽ,quibus turpitudo ſuſcepta oculis cerni potuiſſet. Sequitur deinde ſententia,quæ cõtinet uitæ ſecuritatem. Vt.n. amor, quo ſe quiſq. nimis amat,eſt malorũ oĩum, atq. miſeriæ sẽpiternæ,fundamentũ,ita modus in hoc amore, & ſapiẽs noſtri cognitio,firmat animi ſtatũ,& uitæ periculũ ꝓpulſat. Vt igitur admoneat, quantũ ſit ſtudiũ in moderatione, & humilitate, ponendum, docet, quantum periculum ab inſolentia cõmunibus rebus immineat. Ait igitur:

Per tria mouetur terra, & quartum nõ poteſt ſuſtinere. Per ſeruum cum regnauerit: per ſtultum cum ſaturatus fuerit cibo: per odioſam mulierem cum in matrimonio fuerit aſſumpta: & per ancillam cum fuerit heres dominæ ſuæ.

Superbia inflat aĩum,& ferocem,& infeſtũ,facit, & humanitate ſpoliat, ita, ut homo ſe hoiem natum obliuiſcatur. Ita enim ruit, ita præceps rapitur,ut eos, quos infra ſe poſitos opinatur,homines nõ ducat. Multa uero ſunt,quę ſuperbiam efficiunt,nẽpe,nobilitas,forma,opes,& honores, imperia,& reliqua oĩa,quæ hoĩum uulgus admiratur. Sed tũc ſuperbia multo uiolẽtius erumpit, cũ aliquis,humili,& obſcuro,loco natus,ad opes, quas numquã auſus optare fuerat, adſcendit. Vt enim nauis humilis, & faburra minime grauata, ſi fuerit ingenti malo, uelisq. ualde magnis, inſtructa,neceſſe eſt, ut in medio mari uentorũ magnitudine deprimatur;ita leuis aĩus,parumq. uirtutis pondere firmatus, cũ honores repentini in illũ impetũ tulerint,iactatione cõflictabitur,uſq. eo,dum,amiſsis rõnis gubernaculis,allidatur,& funditus tandẽ intereat. Nõ poteſt.n. puſillus animus honores immodicos ſuſtinere. Mentẽ namq. eripiũt,morbos peſtilẽtes afferunt,tumores efficiunt,odiũ in hoies ingenerant,& in Deum bellũ cõparãt. Nõ enim redigunt hoies in memoriã,ſe oĩa,q bus fruũtur, ab illo ſũmo bonorũ oĩum largitore accepiſſe;ſed,quaſi a ſeipſis oĩa ſũpſerint, inſoleſcũt,& legẽ Diuinã perditis conatibus oppugnant. Vnde ſequitur, nihil eſſe tam Diuinæ diſciplinæ contrarium,quam ſuperbia. Sed,quo maior

maior temeritati materia præbetur,eo furentius animus exſultat, & maiore impetu in miſeriam incurrit, & Remp. uniuerſam, ſi ſe illi commiſerit,euertit. Hoc ut demonſtret Sapiens, ponit ob oculos,quantum diſcrimen afferat rebus humanis inſolẽtia,maxime uero,quo maius diſcrimen exſtiterit ſtatus illius, in quem aliquis euectus fuit,ab eo, in quo antea uerſabatur. Veluti, cum ſeruus regnat,cum ſtultus abundat oĩbus,cum mulier,repudiata, & iecta,quod licebat olim legẽ,uiri opulentioris domum ducitur, cũ ancilla in dominæ opes ſibi teſtamento relictas inuadit. Nec enim diuitiæ ingẽtes, ſed rectus diuitiarum uſus,ſtatum floremq. efficiunt. Rectus autẽ uſus ſine prudẽtia exſtare nullo modo poteſt. Prudẽtia uero ĩan animo,tenebris, & ſordibus, oppleto, locũ habere nequit. Quid igitur fiet, cũ ſeruus regnũ præſederit? cũ ſtultus immanes opes aſſecutus fuerit? Seruũ enim nominat hic Sapiens, non tã illum, qui dũ operam dat, quam illum, qui ſeruit libidini, & impuritati. Nec ſtultũ tam appellat cum,quẽ pueri ſtultum inſequũtur,quam illum,quẽ faces infinitæ cupiditatis exagitant,& a rationis ſtatu deturbant. An nõ ita neceſſario euenit,ut, quo maiores opes exiſtuerint,eo grauiore calamitatem & ſibi, & ciuibus ſuis, inferat, & patriã uniuerſam aut affligant penitus, aut in extremum diſcrimen ſalutis mittant? Quid,ſi,ad furorẽ animi,effeminati mores acceſſerint; & is, qui fuerat,propter langorẽ,& uitæ mollitiẽ,ciuibus inuiſus,& ea de cauſſa expulſus,in opes ampliores reſtitutus exſtiterit? Quid, ſi homo mollis,& eneruatus, qui humiliter, atque demiſſe,ſeruiebat,fuerit,opera Principis parũ ſapiẽtis,in ſtatu Principis ipſius temere conſtitutus? Tũ certe malum erit,ut ferri non poſsit. Hæc tũ omnia ad aĩum cõferamus. Seruus regnat,cũ cupiditas imperat rationi; ſtultus abundat opibus,cũ dementia deliciis affluit; odioſa matrimoniũ tenet,cui odiũ,& inuidia,& nocẽdi libido,rationis iudicio cõprobatur,& ut uno uerbo oĩa complectamur, tunc ancilla eſt heres dñæ ſuæ,cum nihil rationis imperio gubernatur, ſed oĩa temeritas adminiſtrat. Porro autem, hę animorum peſtes,cũ intra aĩum lateãt,& propter inopiam, & iudiciorũ metum,continentur, animi quidẽ ſtatum affligunt, Reip.uero nõ ita ualde nocent. At,cum opes augẽtur,temeritas amplificatur, & foras ad hoium perniciem excurrit,tyrannis exiſtit. Reſp. laceratur,boni ingent, tenues opprimũtur,& uniuerſa terra,ut inquit Sapiens,cõtremiſcit. Tũc enim legis diſciplina conculcatur,& ſanctiſsimũ Dei numen contẽnitur,ita,ut Reſp. diu ſtare nõ poſsit. Argumentũ igitur firmiſsimum eſt,Remp. breui ruituram, cum honores, & imperia, ad indignos deferuntur. Nam & homines,iniuriis grauiſsimis onerati,contumeliã diu pati nequeunt, & nunc Diuinũ debitam tandẽ pœnã ſceleribus irrogat. Hęc quidẽ de opibus,quę nec iure parãtur,nec iudicio gubernãtur, nec ordine dirigũtur,ediſſerit; ut oſtendat,quã male rem gerant illi,qui eiferuntur opibus,illiſque,propter temeritatem,& inſolentiã,ad peraliciẽ abiuntur. Nunc, quantũ uno deratio ſine ullis uiribus ualeat ad ſalutẽ, exemplo animantium exſilium demonſtrat. Ait enim:

Quattuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus: formicæ populus infirmus, quæ præparant in meſſe cibum ſibi: lepuſculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum: regem locuſta non habet, & egreditur uniuerſa per turmas ſuas: ſtellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.

Omnibus rebus inſeuit natura parens miram ſtatus tuendi curã. Animãtia uero cernimus, alia uelleribus obdnãta, alia ſetis hirſuta, alia cornibus armata, alia uiribus, & proceritate, munita, ita,ut in quolibet genere cernere liceat uiram in oĩum animantiũ genere conſeruando mentis Diuinæ ſollertiam. Oĩbus enim paſtũ ſuppeditat, & proli propagandæ materiam ſubminiſtrat, uſque adeo,ut nec minutiſsima quidẽ animãtia prouidẽtia illius orbata ſint. Alia namq. ſubtilitate, alia ſagacitate, alia locorum aſperitate, & aliis rationibus,uario,& multiplici,naturæ inſtinctu,munit, ne umquã deeſſet ullum genus in orbe terrarum. Ex animantibus autẽ,uiribus, atque potentia, deſtitutis, Sapiens quattuor genera recenſet: ut doceat,non tã uiribus,quã prouidentia, & ratione,uitæ ſtatũ conſeruari. Primum eſt, Formicarũ genus: quo quid eſſe poteſt imbecillius? & tamẽ, quia ſibi proſpicit in poſterũ,& cibũ ætate recondit,quo hieme ſuſtentetur,uitã cõmode traducit. Lepores,uires nõ habent, quibus iniuriã arceãt, &, leuiſsimo rei cuiuſlibet ſonitu perturbati, trepidant,atq. diffugiũt. arce igitur uitã muniendã putant, & ſedẽ,atque domicilii ſibi tutũ uident. Locuſta ſimiliter cernit,genus ſuũ diſſipatum facile cõſumi,cõfertum uero nõ facile diſſipari. iccirco,ſine ullius ducis imperio,naturæ tũ admonitu,conglobatur,& turmatim,quacunq. libet, incedit,ut periculũ, quod uiribus uitare non poteſt,cõſentiente multitudine innumerabili,repellat. Quod uero ad nomen Hebreũ, pro quo apud nos Stellionis nomen poſitũ uidemus, incertum eſt,qđ ſignificet. Nomẽ eſt apud Hebræos שממית. Sunt Hebræi,qui Simiã eſſe dicãt,motioratione, quæ ſequitur,nẽpe, Manibus nititur,& moratur in ædibus Regis. Qui lõge, meã quidẽ opinione, falluntur. Nã,ſi Simiæ in Principũ ædibus inueniuntur,id nõ fit naturę inſtinctu,ſed eorũ artificio,qui eas capiunt. Sapiẽs autẽ hic nõ loquitur, niſi de naturali ſollertia aĩantium,quæ ſua ſpõte, ſine hoĩs ductu,remedia ſibi uitæ cõparant. Alij Araneum eſſe dicũt. is namq. in ædibus,etiã altiſſimis,ſibi ſedẽ collocat. Araneus tũ,texendi artificio ductus, nõ ſaĩs aſtute ſe occultat, immo,dũ ſui operis ſubtilitatẽ oſtentat, ſalutẽ ſuã prodit. Quare nõ uideo, cur Stellionis nomẽ a recẽtioribus interpretib? repudietur. Nõ. n. ullũ adducũt teſtimoniũ, quo ꝓbẽt שממית, uel Simiã, uel Araneũ, ſignificare. Nec.n. alibi in ſãctis Litteris reperiũ. Stellionis uero nomẽ, meo qdẽ iudicio, miri ſi ce quadrat. Primũ quidẽ, quia uſ ductũ a uerbo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ובש, quod,præter alia significata, significat etiã Admirari,& Pauescere: quod Stellio facit. Deinde manibus reptat,& in sublime, cum est opus, enititur, ut rutius occulatur, usque adeo,ut ne a Regiis quidem ædibus expelli facile possit. Sed hoc parum refert. Id,quod refert,intelligamus, nempe, hæc a Sapiente fuisse sapienter adducta, ut uideamus,non tam uiribus,& potentia,quam ratione,& prouidentia,esse uitam muniendã. Vires enim sine consilio,sine lege, sine moderatione,sine rationis imperio,furibunde ruunt,tempestates,& procellas,excitant, calamitates important,omnia peruertũt, &, cum cõmunibus rebus pestiferę sint,tum illis ipsis,qui uires,per summã temeritatem,& audaciam,ad patriæ pestem,conferunt,sunt maxime calamitosæ. Cõtra uero,ubi consilium uiget,ubi ratio dominatur, ubi omnia modo,& ratione,diriguntur,quãuis opes tenuissimæ sunt, status tamen ab exitio incolumis seruari facile potest. Hoc quidem tyranni minime uident: sed, ut uires augeant, sine consilio opes amplificant,sine moderatione neruos omnes intendunt; & iccirco ruinis pestiferis opprimũtur. Cum uero tyranni sint multis obiecti calamitatibus,& sempiternis pœnis obnoxij,tũ uel maxime tyrannus ille,qui omnes,impietatis,& potentiæ, magnitudine,superabit, malorum omnium tempestatibus obruetur, & suppliciis acerrimis, æuo sempiterno,mactabitur. Sequitur enim:

Tria sunt quæ bene gradiũtur, & quartum quod incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum,ad nullius pauebit occursum: Gallus succinctus lumbos: & Aries, nec est rex qui resistat ei.

Oratio Hebræa sic Latine uerti posset,Leo fortissimus bestiarum,neque timore cuiusquam retrocedit,& canis uenaticus, & hircus & cum ipso Rex Alcũ. Pro Rege Alcũ, Latinus reddidit, Nec est rex q resistat ei. Quis sit iste Rex Alcũ,nec historiæ declarant,nec interpretes exponunt, neq. ratio patitur,ut, per eum, quemuis Regem, aut tyrannum,intelligamus,sed unum præcipue,qui sit documentum roboris,atque potentiæ,qui tamen ad exemplum summæ miseriæ proponatur. Ex ruinę autem magnitudine,poterit intelligi,fore, ut sceleris etiam immanitate omnes tyrãnos uincat,& superet. Casus autẽ,illius nomine, explicatur. Alcum enim,significat, Minime consurget. Est enim nomen hoc multis uocibus constatum. לא significat Minime. קים uero Stare,Surgere. Erigere. Vt utrũq. in hoc Rege futurũ indicet,opes scilicet ingentes,quibus formidinem ceteris incutiet, & insigne calamitatis exemplum. Non enim stabit aliquis aut in aliquo gradu eo renuente consistet, neque ipse post semel acceptam cladem se poterit ad aliquã spem erigere. Habet igitur hoc nomen magnã uim ad calamitatem illius explicandam. Significat enim ruinam cum desperatione salutis. Cum enim dicit, Minime consurget,significat,& illum ruina opprimendum,& minime restituendum,& excitandum. Et hoc cui potius accommodari potest,quam Antechristo? Quamuis enim oẽs tyranni,qui in scelere perseuerant, sempiternis supplicijs,sine ulla spe melioris condicionis,cruciandi sint,ratio tamẽ postulat,ut,ad exemplum miseriæ sempiternæ, tyrannus ille perissimum deligatur, qui est omnes tyrannos scelere,& impietate, & amẽtia, superaturus, & in quem nomen Alcum maxime conueniet. Leo quidem robore præcellit, nullo metu trepidat,ita confidenter incedit,ut tergum minime uertat. Canis uenaticus,& sagacitate,& celeritate,ualet: siue,ut noster Latinus interpretatur,gallus gallinaceus noctẽ peruigilat,& gloria summopere ducitur. Caper gregis dux, præit gregi,&,quacumque se confert, illum grex, sine ulla recusatione,sequitur, nec ab illius ductu segregatur. At Antechristus robur Leonis assumet, & canis uenatici sagacitatem, & in hoste persequendo celeritatem,nec non galli gallinacei per uigilationes,& gloriæ popularis,studium imitabitur, & in imperandi facilitate hirci confidentiam,qui tamen miserrime concidet,& cruciatus acerrimos,æuo sempiterno,sustinebit. Ergo neque uires ingentes,neque opes immanes, neque admirabilis industria, nec summum imperium,si uerbi Diuini lumen abfuerit,salutem dare poterit;immo,quo maiores opes exstiterint,eo acriora cruciamenta subeunda sunt illis, qui opibus efferuntur. Quo circa merito Sapiens,ea sententia,quæ sequitur, audaciam comprimit eorum, qui opibus humanis insolescunt; quasi exploratum illis sit,eas fore sempiternas. Ait enim:

Et qui stultus apparuit postquam eleuatus est in sublime: si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum.

Quasi dicat: Ex his omnibus, quæ a nobis dicta sunt,intelliges, stultitiam, esse in superbia,& insolentia positam; sapientiam uero,in humilitate,& Dei metu constitutam. Quando igitur conuicta erit stultitia tua? Cum gloriaberis insolenter. Quando prudẽtiæ significationẽ dabis? Cum naturæ tuæ imbecillitatem cognoueris diligẽter, & ita te sapiẽter abiicies,&, Dei metu,obstupefactus,cauebis,ne ex ore tuo uerbũ excidat, quod in te iram illius incẽdat. Hoc autem significatur per manum ori impositam: quod considerationẽ uehemẽtis periculi, aut admiratione rei alicuius excellentis,fieri solebat. Sed non satis est,ad Dei gratiam acquirendam,ut homo nullis opibus intemperanter extollatur, sed est etiam necesse, ut mitis,& clemens,sit. Quod erit ei facillimum,qui humilitatem fuerit amplexatus. Vt enim e superbia crudelitas eminet,ita ex animi moderatione mãsuetudo nascitur. Admonet igitur uir sapiẽtissimus,ut simus mites,atq. mãsueti,& maxime ad lenitatẽ,& humanitatẽ propẽsi,& numquã seditioni,atq. iurgio,materiã præbeamus. Ait enim:

Qui autem fortiter premit ubera ad eliciẽdum lac,exprimit butyrum: & qui uehementer emungit, elicit sanguinem: & qui prouocat iras, producit discordias.

In omni genere,uel sermonis,uel actionis,prę scribit Sapiens modũ,quo uita cõseruatur,quemadmodum immoderatione peruertitur. Itaque sancit, ne nimis ius nostrum persequamur, ne cũ amicis graniter expostulemus, ne uicẽ nostrã acriter ulciscendã arbitremur, sed multa dissimulemus, multa non tm amicitiæ, sed etiam hoium imbecillitati,condonemus. Nam, si præter modũ ius exquirimus,& omnia, quæ digna reprehensione uidentur,atrociter insectamur, humanitatẽre tinere nõ possumus,sed lites,& iurgia,cõcitamus. Vt enim,qui multum mulget ouis ubera, exhauriti;& qui nasum uehementius emungit,sanguinẽ extrahit; ita,qui nimis querulus est, & ad rixam concitatus,turbat pacem, odium struit, multorumque malorum sementem facit. Quod si etiam,cum iure niteris, cum non sine ratione in aliquem inueheris,cum iniuria lacessitus incitaris, si iræ modum non constituis, & mansuetudinis studium deponis,non mediocre flagitium admittis;quid erit,cum sine graui caussa commoueris,& iracundia nimis acriter inflammaris? Ira namque,est furor repentinus, animi tempestas, mentis iactatio,agrestis immanitas,omne rationis imperium recusans,& in ea etiam, quæ sunt natura coniunctissima,ferociter irruens. Qui igitur iracundię feritate commouetur, minime poterit esse docilis ad Diuinæ legis disciplinam.

CAP. XXXI.

Verba Lamuelis Regis. Visio qua erudiuit eum mater sua.

Nomen quidem Aguris nos incitauit,ut in sapientiam illius mentem acriter intenderemus. Nunc rursus aliud nomen non minus ad considerationem Diuinæ etiam mentis rursus impellet. Nomen autem est Lamuel. Lamuel enim idem est, quod Ad ipsos Deus. Est autẽ Lamuel-Salomon ipse,ut nomen Regis, quod est adiunctum, plane declarat. Quis enim alius tunc Hierosolymis regnabat, & quis erat,in quem potius Lamuelis nomen conueniret? Quem enim Deus amplioribus affecit beneficijs? clarioribus muneribus illustrauit? cui honores ampliores ad illud usque tempus detulit? Iccirco fuit appellatus Amabilis Domino. Non igitur immerito fuit illi nomen impositum, quod Dei præsentiam aperte declararet, quæ non solum gloriam illius ualde insignem redderet,uerum ciuibus suis esset ualde salutaris. Et,quemadmodum, nomine Emanuelis,Christi Diuina uirtus, qua genus humanũ a peste liberauit,explicata fuit,ita, Lamuelis nomine,Christi benignitas,qua subditis suis admirabili ratione consuluit,fuit etiã prędemonstrata. Vt enim Salomon Christi imaginem gesit, ita nomen illius Christi Regiam maiestatem prę signauit. Hac quidẽ oratione Salomon matrẽ inducit,se,& amanter, & sapienter, erudientem. Amor enim,se indicat uerbis ex animo mirabiliter inflammato profluentibus. Sapientia uero, sententijs grauissimis,& maxime salutaribus,ad animum audientis emanantibus. Vbi igitur se amor ostendit,& sapientia lumen suum profert, nemo,qui sana mente sit,imperium recusat. Tũc enim monita repudiamus,cum aut dicentis uoluntati diffidimus, aut sententiam minime sapientem opinamur. Sed attendamus,quibus monitis filium mater erudiat:

Quid dilecte mi? quid dilecte uteri mei? quid dilecte uotorum meorum?

Hę interrogationes, animi uehementer affecti, & incitati, ardorem exprimunt, & ponunt nobis ante oculos uiscera matris,de nulla re alia, quam de filij uita,salute, imperio, dignitate, memoriaque sempiterna, cogitantis. Inquit igitur: Quibus signis, o fili, quem habeo carissimum, quem aluo continui, pro quo uota sanctissima nuncupaui,meum in te amorem ardentissimum testificabor? Amor, est cupidissimus, & curarum plenissimus. Itaque numquam eorum bonis, quos uehementer amat,expletur;& semper,pericula,quæ rebus humanis impendent,ne suis inijciantur,extimescit. Quod si reliquæ matres filios ardenter amant,illisque omnia bona cupiunt, & de eorum uita sunt ualde sollicitæ; quid de me sperandum est, quæ te unicum habeo uitæ solatium,dignitatis ornamentum,salutis præsidium, spem nominis sempiterni,patris tui, sanctissimi Principis,effigiẽ, ad summæ sapientiæ gradem Diuinis promissis excitatum, & in patria sede constitutum? Quo igitur est amplior status tuus, quo maior exspectatio de tua uirtute concitata, quo ardẽtius amplitudinẽ tuæ dignitatis expetiui,quo plura uota pro tua salute, & incolumitate,feci,quo maiora pericula sunt Regibus in eu ta;eo magis anxia tua caussa sum;& grauioribus curis sollicitor. Quare, fili,intende mentem,excita uires animi, ut matrẽ audias, & monita illius percipias,quæ te possunt e grauissimis malis eripere.

Ne dederis mulieribus substantiam tuam,& uias tuas ad delendos reges.

In primis, inquit, caue, ne, mulierum amoribus deditus,noxijs libidinibus obsequare, & inani, & futili, uoluptate deliqueſcas. Libidinis enim intemperantia mentem excæcat,opes exhaurit,uires infringit,uirtutem eneruat,totumq. animum ab industria ad ignauiam traducit. Exemplo præterea plurimum nocet. Omnes enim se ad Regis imitationem conferunt, & Regum actiones uitæ disciplinam putant. Si igitur uiæ tuæ, ideſt actiones tuæ, in libidinem pronę fuerint, omnes tui subditi te sequentur,& uitam in flagitio,& dedecore,consument; illi uero præcipue,qui ad dignitatem tuam propius accedunt,qui quidem Reges habendi sunt. Si enim Reges hi nominandi sunt,qui sunt Regijs uirtutibus exculti;& si omnes,quos Reges in consilium adhibent,& quorum opera in Regio munere frequenter utuntur,opus est,ut Regia uirtute prę cellant;consequens est,ut Reges etiam nominentur.

nentur. Hos igitur Principes, atque adeo Reges, euertes, si libidini te dederis. Te enim sequentur, & sic eos omni decore spoliabis, presidiaque tua deijcies. Nullum enim Regum præsidium in uita firmius esse poterit hominum uirtute præstantiũ comitatu. Hoc autem te præsidio nudabis, si illi, pro uirtute, libidinis impuritatem fuerint amplexati. Quare, uide, & circumspice, quot te rationes circumstant, quæ Regij tui muneris obliuiscinon sinunt. Nec enim tibi satis est, animi tui statum tueri, atque conseruare, nisi etiam operã dederis, ut tuorum uirtutem incolumem a flagitiorum dedecore conserues. Omnia præterea Principi uitanda sunt, quæ rationem a mentis statu deijciunt.

Noli regibus o Lamuel, noli regibus dare uinum: quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas. ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorũ, & mutent causſam filiorum pauperis.

Osee. 4. Osee Propheta, cum in Regnum Israelis inueheretur, inter alias causas exitij, immodicas epulas, & uinum, commemorat, quo mentes oppressa, omne studium legis abiecerunt, & se constringendos uoluptatibus dediderunt. Libido, inquit, & uinum, mentem eripiunt. Hoc facit hoc in loco mulier sapiens, ut nõ solum Reges ab impudicarum mulierum familiaritate, & conuictu, uerum & a largo uini potu, deterreat. Principes enim, sunt in speculã constituti, ut excubias agant, & perpetuo uigilent, ne quid quã repente irruat, quod statum Reip. perturbet & in extremum discrimen inducat. Non enim sunt in altissimo dignitatis gradu constituti, ut per iudum & iocum uitam in luxu, & lasciuia, traducant, ac libidine, & uino, confecti, torpeant, & somno sepulchriceant, neque de munere sibi commisso cogitent, sed omnia uitæ consilia ad uoluptatem flagitiosã diligenda patent. Ea namque lege, & quasi quadam pactione, & ad principem locum, populi uniuersi consensu, peruenere, ut pro uniuerso populo laboraret, & salutis communis perpetuam curam susciperent, ita, ut non liceat illis, si uelint, honoribus amplissimis se dignos existimari, ortũ amplecti, & propter ullum uoluptatis genus a publicis negotijs ad suæ uoluptatis obsequium traduci. Aliter enim, si non tanti æstimant dignitatem, & honorem, & imperium, ut uoluptatibus exquisitissimis sibi carendum arbitrentur, dignitatem abiiciant, honores aspernentur, imperia deponant, ut sic tandem minore cũ infamia in oĩ flagitio uersentur. Si uero dignitatem omnibus uitæ commodis anteponunt, omnia cõtemnant, ut, dignitate, beatissima perfruantur. Quod si Principi nõ licet sæpenumero dormire, cum alij dormiunt, neque bibere, cum alij se ingurgitant; quid erit existimandum, cum Principes omnes suas opes ad libidinem conferunt, & epulis, atq. uino, & stupris, obruuntur? Erit enim tunc necesse, ut, sensibus oppressis, demessa mente, iudicio rõnis amisso, totus animus sit in libidinis impuritissimæ potestate, ita, ut nunquã legẽ seruet ullã, sed semper libem secundum nefariam cupiditatem det. Sit Vinum medicina doloris, alleuamentum calamitatis, afflictę uitę solatiũ: statui uero florenti, & opibus affluenti, quid opus est immodica uini potione? Quemadmodum consequenter ait:

Date siceram mærentibus, & uinum ijs qui amaro sunt animo: bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.

Vinum quidem curas interdum pellit, & leuat animum sollicitudine, somnumque frequenter inducit, ita, ut uenia tribuenda uideatur ijs, quibus res nimis aduersæ sunt, si aliquando hoc sibi remedij quæsierint, ne sæpe in mœrore, atq. luctu, sint, & perpetuis curis inrabescant. Liceat igitur illis interdũ, quorũ nigritãtia ad incolumitatem recip. requiri minime solet. & quorum uita est uehementer inopia, & incommodis, afflicta, nimo curas excellere. At illis, quibus datum negotiũ est ut perpetuo in studium publicæ salutis incumbant, & ad quos, ut tam Diuinum numen adiuuent, opes summæ, & honores amplissimi, deferuntur, numquam perpotare liceat, neque quidquam aliud facere, quod iudicium rationis impediat. Cum enim uinum prohibetur, non uini tantũ potio prohibetur, sed omnia uetantur, quæ mentem eripiunt, animique sensum obruunt, atque debilitant. Vinum enim est luxus immodicus, stultum, est hominum perditorum adulatio, est amor impurus, iracundia præceps, cupiditas effrenata, odium immane, carimonia rum etiam immodica superstitio, uinum est. Et omnia denique, quibus Principum sensus hebescunt, & animi tenebris opprimuntur, uina mortifera sunt. Sed, quorsum pertinet, uinum immodicum tam seueris legibus interdici illis, qui principem locum obtinent? Vt scilicet munus Diuinum obire possint, cuius administrandi gratia sunt in Regia sede locati. Ideo enim ad tam altum gradum honoris erecti sunt, ut, recte iudicando, controuersias omnes dirimerent, illisq. præcipue consulerent, qui magis obnoxij sunt iniurijs. Hi sunt inopes, tenues, & abiecti, qui uel propter egestatem, uel, propter infantiam, ius suũ contra potentium uim retinere non possunt. Ait igitur:

Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum qui pertranseunt.

Est hoc in loco uerbum Hebræum עבר, a uerbo עבר quod est Transire, uel Mutare, uel Exscindere, uel Expellere. Et, quia mutatio, uel est ad meliorem, uel ad deteriorem condicionem, significat interdum, nouas uires assumere; interdum uero, pristinas uires amittere. עבר igitur, hoc in loco, expulsio est, & mutatio, qua tenues a

proprijs

propijs bonis eijciũtur. quod noster Latinus interpretatus est, Qui pertranseunt. Apud Hebræos est, Aperi os tuum muto ad iudicium omnibus filijs expulsionis; aut, ut q dã interpretãtur, filijs excisionis. Filios uero uel expulsionis, uel excisionis, Hebræorũ more, Expulsos, uel Excisos, appellat. Sensus igitur est. Non expendas, quã diserte quisque causſam suam tueatur. Multi namque causſas malas ui orationis obtinuerunt, & multi in bonis infantia conciderunt. Nec ad potentiã cuiusquam in iudicando respicias. Pauperes enim potentium opibus repugnare non queunt. quo circa sunt Principum benignitate in iudicio subleuandi. Hæc autem probitas, qua tenues, & oppressi, subleuantur, est illa oris apertio, ad quã mater sapiens sapientem filium adhortatur. Inquit enim: Iacẽtem erige: mutum. hoc est indisertum, ne diffidat, oratione confirma. Nec eloquentiam, nec opes, in iudicio spectes; sed æquitatem iuris examina, ut eiectos in propriam sedem restituas, & eam sententiam feras, quæ nullo modo a legis Diuinę sanctitate ullam in partem declinet. Eandem sententiam repetit, ut eã fortius in animo infigat. Ait enim:

Aperi os tuum, decerne quod iustum est, & uindica inopem & pauperem.

Cum admonet, ut os aperiat, non solum clementiam, uerum etiam libertatem, sancit. Os enim iudicis, aut muneribus obstruitur, aut metu impeditur, ne uerum iudicet. Hoc igitur dicit mulier in laude mirabilis. Cogita, fili, te Dei personam in iudicando sustinere. Cunctas igitur humanas opes despicias, opus est, & infra te positas arbitreris. Ne te igitur munera teneant, quo minus orõne plena clemẽtię, & humanitatis, eos excites, qui causſam suã agere non audent; nec tibi metus sit impedimento, ne libere contra potentium, si non iuste litigauerint, sententiam proferas. Deum sequere, qui neque muneribus delenitur, nec Principum personam, sed iuris æquitatem, in iudicio perpendit. Et hæc quidem sunt sapientissimę matris decreta, & consilia, quæ filiũ ad continentiam, & pietatem, & studium Diuini iuris, & æquitatis, erudit. At filius, matris oratione incensus, in matris laudes erumpit. Nec tamen illam præcipue laudat, sed in genere uniuersum uersatur, ut eas laudes uniuersas in illam tandem conferat. Ait igitur:

Mulierem fortem quis inueniet? procul & de ultimis finibus pretium eius.

Si uirum uera uirtute firmatum difficile est inuenire, quanto erit difficilius mulierem uirtutis robore firmo præditam reperire? Est enim genus muliebre, molle, & infirmum, & inconstans, leuissimo auræ flatu in contrarias partes incitatum, insidiosum, & fallax, ad concinnandas fraudes callidum, ad officiũ tuendũ iudicio rationis orbatum, ad scelus suscipiendum audaciſsimum, ad fidem conseruandam timidissimum; ubi non licet, auarum; ubi parsimonia laudem habet, effusum; blanditijs ualde noxium, iracundia metuendum. Mulieres, multis ciuitatibus, & regnis, & nationibus, interitum attulere: illarũ causſa, quam plurimis in locis religio uiolata fuit, multique mortales in sempiternam miseriã deturbati. Quo igitur hæc infirmitas magis quotidianis uitæ communis exemplis explorata est, eo magis admiranda uirtus est mulieris, uirtutis & constantiæ, laude præcellentis. Quid enim mirabilius, quam, cernere egregiam in summa naturæ imbecillitate uirtutem. & Diuinam in muliebri fragilitate constantiam, & in omni deniq. officiorum genere uirilem industriam, & laudem decoris, & honestatis, in omni rerum uarietate singularem? Quo enim uirtus aliqua minus speratur, eo, cum eminet, & apparet, maiorem admirationem excitat. Illa uero interrogatio, qua Sapiens utitur, non uim negationis, sed difficultatis, habet. Non enim significat, nullam mulierem fortem repereri; sed difficillime reperiri. Veluti, cum Dauid ait, Quis adscendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Comparat autem lectissimę feminæ uirtutem, gemmis ex locis ualde longinquis adductis. Nulla res est intra cæli complexum, quæ cum uirtutis splendore conferri merito possit, cum uirtus. Solis etiam, & Lunę claritatem uincat. Sed, quia gẽmarum pretium omnibus opibus antecellit, maxime uero, si ex longinquis terris aduehuntur, (ea. n. quæ aliunde importantur, pluris æstimari solent, quam illa, quę tellus patria passim fundit) ideo uirtus excellentis mulieris, cum gemmarum fulgore comparatur. Persequitur deinde fructus, qui ex ea uirtute capiuntur, Ait enim:

Confidit in ea cor uiri sui, & spolijs non indigebit. (*ideſt, Nec opes quæſitæ minuuntur.*)

Multi quidem uiri, curis molestissimis afflictantur, dum mulierum imbecillitatem considerant, neque uident, quo modo res adeo caras illi committant, cuius naturæ diffidunt. Matrimonij quidem ius, & sanctitas, postulat, ut sit uiro cum uxore rerum omnium communio, neque sit eorũ alterutri quidquam ab altero seiunctum. Opus igitur est, ut maritus uxori arcana, dignitatem, rem familiarem, credat, si cupit matrimonij ius sancte tueri, atque conseruare. Sic enim a laboribus animum reficiet, & in fide mulieris optimæ conquiescet. Præterea, cum sic inter uirum, & mulierem, officia dispartita sunt, ut ille quærat opes, illa conseruet, mulierẽ oportet sumptibus modũ statuere, ne opes, cũ minime opus est, imminuantur. Aliter enim superuacanea erit uiri diligentis industria, si, quæcumque ille domum congesserit, illa sine modo cõsumpserit. Vt enim idem Salomon ait, mulier sapiens domum ædificat, stulta uero domus fundamẽta cõuellit. Quid igitur miserius esse poterit uiro, qui domũ duxerit mulierẽ insanam, & ab omni officio prudentis mulieris abhorrentem? Quo modo enim

mulier

Universidad de Deusto
Biblioteca

mulier garrula teneri poterit,ne secretum enuntiet? Aut proterua, ne lectum genialem libidinis impuritate contaminet? Aut prodiga,ne opes,uiri multo sudore quæsitas, absumat? Diffidentia igitur miseri hominis, animum curis excruciabit,ita, ut numquam possit ullam quietis partẽ capere. Is igitur,qui mulierem nactus est,& moribus recte constitutam, & singulari fide prędità, & in re familiari conseruanda uigilantem,potest asserere, ut idem Sapiens attestatur, se esse a Deo,egregio, atque singulari,beneficio cumulatum. domi namque habet mulierem, cuius sermone,& communione,delectetur; foris uero confidet, omnia fore domi tranquilla. Non enim metuet,ne mulier arcana diuulget,aut pudorem uiolet,aut opes effundat. semper igitur cõfidens erit, & ita in tranquilla pace uersabitur. Ait deinde:

Reddet ei bonum,& non malum, omnibus diebus uitæ suæ.

Male referunt gratiam maritis mulieres ignauæ,petulantes,feroces,& infestæ. Ignauæ namq. pecuniam dissipant,multo uirorum labore partam;petulantes,dignitatem uirorum commaculant;feroces, contumelijs assiduis maritos afficiunt;& in illos nimis iracunde frequenter inuehuntur,quos amare, & reuereri,perpetuo debuissent. Hoc non facit mulier laude dignissima, sed operam dat, ut cum uiro fide, & beneuolentia, certet, & ingrati animi crimine liberetur. Quod ut melius efficiat, otium fugit, ne, dum uir eius est in augenda re uehementer occupatus, res,ipsius ignauia,dissipetur.

Quęsiuit lanam & linum,& operata est consilio manuum suarum.

Hoc in loco est annotandum,non modo laudari mulieris uigilantis industriam, sed etiam prudentiam, atq. moderationem illius,quæ non se in uiri opus interponit, sed muliebre tantum munus assumit. Non enim dicit, Parabit arma, equos alet,uenationi operam dabit. Neque dicit, Capesset remp. & in curiam se conferet, ut consilio patriam iuuet, aut publicum aliquod munus administret. hæc enim sunt officia uiris attributa,quæ namquam mulier sapiens usurpabit. Vt enim uir,qui munera mulieribus assignata suscipit,se hominem animo pusillo,& abiecto, præditum esse demonstrat, ita mulier, quæ se uirorum operibus admiscet, audaciam, & impudentiam, indicat, uituperatione dignissimam. Est enim hoc,naturæ totius inuersio, & munerum perturbatio,atque confusio. Et, cum in uiro animi magnitudo requiratur, in muliere laus modestiæ flagitetur,hanc officiorum peruersitatem uirtutis uerisque interitus consequitur. Nã neque uir fortis esse pòterit, muliebribus officijs implicatus; neque mulier moderata, uirile aliquod munus usurpans. Præterea, cum id quilibet feliciter agat,ad quod natus,& aptus est; & sic a natura constitutum sit,ut aliud sit uiri,aliud uxoris, officium;euenit, cum uel uir mulieris opera tractat,uel mulier uiri munus arripit,ut nihil recte fieri possit. Hoc ne se crimine sapiens mulier adstringat,linum,& lanam,quærit,non solum ut ancillas exerceat, uerum, ut ipsa,plus exemplo, quam imperio, muneri satisfaciat, manibus suis opus exsequitur. Quantum uero hæc industria familiæ conferat,ostendit Sapiens, dum ait:

Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum.

Si mulier nihil aliud ageret,quam,ut diligenter asseruaret ea,quæ uir suus domum importauerat, non parum adiumenti rebus domesticis attulisset. At,cum,eo minime contenta,ne ignauia torpeat,aut ancillas otio corrumpi sinat, opera multa ad usum uitę ualde necessaria moliatur,mirum est, quantum diligentia sua familiæ incolumitati prospiciat. Illam igitur Sapiens cum Naui comparat, e longinquis regionibus merces,non ad luxum,sed ad cultum uitæ necessarium,conuehente. In Longinquitatis autẽ uerbo mulieris prudẽtiam designat, quæ non tum, cum necessitas urget,operi incumbit,sed multo ante familiæ prospicit,ne repentino aliquo incõmodo perturbetur. Sed animaduertendum est, an opera sua sic faciat,ut aliquod signum uitę delicatioris emineat,ut illæ facere solent, quę opera quidem muliębria, negligenter tamen,ut non opus,sed ludus quæsitus esse uideatur, interdum agunt. Nihil minus. Nihil enim otiose,& negligenter,a muliere sapiente fit. nihil cum langore, & desidia, molitur. odit enim pigritiam,inertiam detestatur,otium uitæ pestem putat. est enim infestum ualetudini, perniciosum rei familiari, uirtutibus inimicum. Mentem enim hebetem reddit,animum tenebris opplet,obliuionem decoris inducit, & flagitiorum uim paullatim infert,ita,ut uitiorum omnium seminarium in otio consistere uideatur. Hoc intelligens mulier ad laudem insignis,non exspectat,dum Sol oriatur, sed ante lucem surgit, ut noctis partem ad diurnum tempus adiungat. Sic enim sequitur:

De nocte surrexit.

Præterea; non sic est in re familiari diligens, ut nimis restricta,atque tenax, sit,& familiæ suæ non benigne prospiciat. Intelligit enim,eum,qui male seruos habet, duabus uirtutibus carere. Prima quidem,est humanitas,atque clementia,quã hominib? natura debemus,maxime uero domesticis,quibus Diuino iure adstricti sumus. Nam, præter quam quod ab eodem generis fonte profluxerunt,in fidem nostram recepti sunt, ita, ut sint a nobis animo patrio sustentandi. Altera uirtus,est prudentia. Si enim seruos aspere tractamus,inimicos intra parietes alimus,& eos furari compellimus,eorumq. uitam,quibus bona pars rei familiaris continetur, in periculum inducimus. Hæc ne flagitia fiant,sapiens mulier familiæ suæ

suæ cibum large suppeditat. Sequitur enim:

Deditque prędam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.

Hoc est, Dabit domesticis suis cibum & demensum ancillis suis. Cum præterea intelligat nihil esse agricultura fructuosius,(opes enim reliquæ aut diripiũtur,aut usu cõsumuntur,aut uetustate euanescunt,ager uero bene cultus singulis annis fructus affert, quibus homines aluntur, & excolũtur,& pro parte sua Rẽp. sustentant.)Mulier igitur nõ purpurã, nõ gẽmas,nõ maximi pretij monilia, ut pulchrior appareat,emẽda putat, sed pecuniam, quam laute mulieres in ornatum immodicum impẽdunt, in agrum confert unde fructus uberes ad alendam familiam percipiat. Facile namque solidam utilitatem uanissimis ornamentis anteponit. Sequitur enim:

Considerauit agrum, & emit eum, de fructu manuũ suarum plantauit uineam.

Non modo industriam,sed prudentiam,& iustitiam, mulieris optimæ laudat. nihil enim temere,nihil nisi optimo consilio,facit. Antequam igitur agrum emat,consilium capit. Præterea,nõ rapinis, neque lenocinijs, pecuniam parat, sed operibus manuum suarum, ut in augenda re familiari nullum flagitij uestigium possit animaduerti. Neque solum est prudentiæ laudem assecuta,neque innocentiæ puritate commendata, uerũ & fortitudinis præsidio cincta. Sequitur enim:

Accinxit fortitudine lumbos suos, & corroborauit brachium suum.

Non facit natura fortes,sed Diuina gratia animos inuicto præsidio firmat. Nam & uiri robustissimi,animis sæpe concidunt; & mulieres nimis imbecillæ,facinora Diuinæ uirtutis edunt. Mulier igitur,quæ fortis,& constans est,se esse Diuina gratia munitam, argumento firmissimo, demonstrat. Sic autem exploratum illi poterit esse, labores suos inanes minime futuros.

Gustauit & uidit quia bona est negotiatio eius,non extinguetur in nocte lucerna eius.

Nihil enim est uirtute magis quęstuosum,quę non solum in uita præsidia firmissima comparat, uerum etiam in morte lumen præfert, & tunc uel magis mentem illustrat,cum omnia tenebris sepeliri uidentur. Nec enim uerissimi decoris splẽdor,immanitate mortis extinguit. Est enim Diuinus,atque sempiternus. Laudis quidem est, mulieris uigilantis tenebras nocturnas, in illius domo lucernis expelli,ut sit semper ad subitos casus parata,& ut bona noctis pars,non in somno, & desidia,sed in opere,consumatur. Hoc tamen in loco,oratio hæc non tam uidetur ad laudem, quam ad laudis prẽmium,referenda. Cum igitur dicit, non extinguendam illius lucernam,uitam illius semper a mortis impetu tutam fore prædicit. Assignat deinde rationem, quare lucerna illius non possit extingui.

Manum suam misit ad fortia, & digitos suos ad fusum.

כישור, etsi interdum Fusum significet, Aequitas tamen & propriùs & frequentius hac uoce designatur. a uerbo enim כשר ducitur, quod idem ualet,atque Congruum,& conueniens esse. quamobrem Latinus interpres Fortitudinis nomine illud explicuit: Manus inquit suas misit ad fortia פלך uero Baculũ est,pro quo Latinus Fusum reddidit. pro eo enim uocẽ Hebręam aliqui usurpari putant, cuia Fusum ad Baculum similitudinẽ se habeat. Vel igitur Salomon hoc in loco iterum Studium celebrat, quo mulier linum & lanã comparauit,ut opus efficeret, uel,ut magis opinor, munus aliud,& clarius, ut sententiæ præcedenti respõdeat,iure cõmemorat. nam in mentione lucis sempiternæ,causã illius ad æquitatẽ, & fidem,prudenter reducit. Sic. n. ex Hebræo oro uerti potuisset, Digitos suos misit ad æquitatem, & palmis suis tenuit baculum. Quod autem munus æquitate, & innocentia, clarius esse potest,ad immortalitatem comparandam? Quod autem baculum firmius est fide, ad naturæ imbecillitatem fulciendam? Fides enim, cum uiget, pellit timores,erigit animũ, lenit dolores,solatur afflictos, opẽ Diuinam comparat,& fœdus cum Deo sãcit,ita,ut,qui ea nititur, quãdiu uis ipsius fidei manet, non possit ulla ratione concidere. Sensus igitur est: æquitatẽ unice coluit,nec opibus humanis,sed fide,gressum stabiliuit. Baculus enim illius,semper in ardente fide consistit. Intel lexit tamen, nõ nudum Fidei nomen salutem dare,nisi opera fidem consequantur, quæ dent fidei ipsius testimonium. Itaq. non opes coacernauit, ut inclusas sine ullo fructu perpetuo contineret. Sequitur enim:

Manum suam aperuit inopi,& palmas suas extendit ad pauperem.

Est animaduertendum,cum digitis fiat opus, quod maiorem sollertiam flagitat, Digitis in sanctis Litteris acriorem animaduersionem in quoli bet opere faciendo declarari. Vt igitur magis amplificet mulieris sanctę beneficentiam,non satis habuit dicere, manus illius ad pauperes extensas fuisse,nisi etiam assereret, digitos missos, atque adeo proiectos ad egentium inopiam subleuandam exstitisse. Cum uero studium clementiæ sit præcipue in domesticos conferendi, (is enim, ut Paulus ait, qui domesticorum curã non habet,fidẽ prodidit) docet,quantum sapienti mulieri curæ fuerit,ut domestici,uitam secure traducerent. Sequitur enim: 1.Tim.5.

Non timebit domui suæ a frigoribus niuis:

Universidad de Deusto
Biblioteca

niuis: omnes enim domestici eius uestiti sunt duplicibus.

Prospexit,atque consuluit, familiæ,ne hieme, propter uestium pænuriam,frigus sustinere non posset. שני est Coccinus. Coccinea autem uestis, est ad frigus arcendū aptissima.Hic tamen, Vestis coccinea,non utilitatem tantum, sed etiam lautitiam, & opes,significat, quas tantas fuisse dicit,ut domestici etiam possent coccineis uestibus exornari.Interpres nomen Hebræum, ad uerbū פשר reuocauit. Duplices autem uestes appellat,quia sæpius mutari poterant. erat enim multiplex, & uaria uestimentorum copia, quam sapiens mulier ad suorum cultum congesserat.Hæc uero ad laudem mulieris referuntur, cuius uidelicet industria opes erant accumulatæ.Quæ mulier non solum utilitatem,sed etiam munditiam, secuta est. Nec enim in sordibus dignitatis elegantia conseruatur. Vt enim cultus immodicus continet elationis,atque leuitatis,argumentum, ita squalor,& illuuies,dat animi sordidi, atq. tenacis, indicium.Præterea,lauta,& pretiosa,supellex,in opibus etiam numeratur. Et,cū ad animi splendidi magnificentiam opes conferendę sunt, corporis etiam cultus non est omnino negligendus;sed faciendum, ut cultus corporis moderatus animi ornamento, atq. moderationi,respondeat.In laudibus igitur mulieris in omni uirtute excellentis,numerat etiam supellectilis lautæ,& copiosæ, pulchritudinem, non grandi pecunia emptam,sed industria ipsius perfectæ mulieris domi factam.Ait enim:

Stragulatam uestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum eius.

Cum uero cultus ornet uiri principis dignitatem,etiam in mulieris laude ponit uiri ornatum. Ait enim:

Nobilis in portis uir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.

Porta,est forum, & curia, & locus denique,in quo Vrbis rectores,& consiliarij, congregari solent,uel,ut ius dicant,uel, ut,quid maxime conducat Reipub. consultent. Hæc enim omnia in urbium portis olim gerebantur. Mulier igitur sapiens laudatur,quod opera illius fiat,ut uestiū nitore,& elegantia,uir eius inter reliquos senatores emineat. Hoc tamen est intelligendum, hæc omnia esse multo magis ad animi cultum,quam ad corporis ornatum,referenda. Non quod cultus corporis moderatus nituperandus sit, sed, quia, quantum animus antecellit corpori, tanto maior diligentia est ad animum excolendum adhibenda.Hæc enim oratio,cum figurata sit,& potissimū in animi decus, & dignitatem, respiciat,ad animi ornatum conferenda est.

Sindonem fecit & uendidit, & cingulum tradidit Chananęo.

Ornat mulieris industriæ nauitatem. Illius enim diligentia, tam fructuosa est,ut non solum domum bonis expleat,uerum & egentes alat,& exteris etiam nationibus emolumēto sit. Multa enim facit.quæ mercatores emant, ut in alias regiones exportent, & cum lucro uendant. Lintea uestis, puritatem; Cingulum, alacritatem, designat.Exēpla uero,& puritatis,&alacritatis,e domo,quam mulier sapiens ornat, a multis partim ciuibus,partim peregrinis, assidue repetuntur. Quis autem illius cultus,& ornatus,sit,oratione, quę sequitur,intelligi potest,ut uideamus,in quē finem omnes istæ laudes conferendæ sint.

Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo.

Virtutis,inquit,robore uestietur, decoris ornamentis excoletur, ita, ut in posterum non possit ulla calamitate subito inuecta peruerti,ut illi faciunt, qui fallsis opibus efferuntur, qui uanissimis ornamentis insolescunt,qui sibi opem e rebus uanissimis pollicentur,qui mendacio denique,& fraudibus, innituntur. Cum enim irruit tempestas,aut mors appropinquat, & finem uoluptatibus imponit, intelligunt homines miseri, se,sine ullo fructu,uitam in parandis opibus fallacissimis contriuisse. Nec enim ex animo curas pellunt, nec corporum morbos curant, neque mortis imperum propulsant, neque iudicij Diuini metu liberant; immo, quo se quisque furentius oblectabat,eo,cum ad extremum peruenit,maiore animi angore, & cruciatu, conficitur. Quodquidē minime faciet mulier, quæ dedit enixe operam,ut uerissimis opibus, & ornamentis,quæ uirtute uerissima continentur, redundaret.Hæc enim,&,quamdiu in uita manet, firmam, & stabilem,uoluptatem ex uirtutis fructu consequitur; &,cum ad extremum uitę peruenerit,spe gloriæ immortali exsultabit. Aliam deinde laudem illius Sapiens commemorat,quę cōtinet certissimum maximę uirtutis, atque pietatis,argumentum. Hæc autem,est in oratione posita.Cum enim oratio e mente profluat, qualis est mentis status, talis inde oratio manat. Vt igitur,qui animum gerunt morbis pestiferis infectum,inclusam pestem uerbis indicāt,ita,qui habent animum opibus maximarum uirtutum egregie cumulatum, eas diuitias occultare non possunt.Quidquid enim in animo latet,erumpat necesse est,& explicetur tandem,atque proponatur, uel ad uirtutis laudem, uel ad flagitij dedecus,& turpitudinē.Et, cum opera dent clarissimum affectionis latentis indicium,tum assiduus sermo continet maximū,aut furoris insiti,aut sanæ mentis,argumentum.Maxima igitur laus est mulieris sapientis in oratione constituta: quemadmodum statim sequitur:

Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius.

Nō est,inquit,præceps,nec immoderata; nihil exit

exit ex illius ore,nisi sapienter,excogitatum;non est itacunda, neque truculenta; nullum malum oratio illius molitur;immo omnes illius sermones ad beneficentiam conferuntur.

Considerauit semitas domus suæ,& panem otiosa non comedit.

Non ea,inquit,est,quæ,mentis suæ statu contenta, suorum uitam negligat; immo animum in omnes domus partes intendit; quam quisque uitam agat, speculatur; quibus moribus omnes imbuti sint,animaduertit; an suum officium faciant, inquirit; non denique otium patitur, sed operam dat, ut semper honestissimus labor epulas antecedat, nec umquam ad cibum sumendum accumbat, antequam aliquid laude dignum diligenter efficiat.

Surrexerunt filij eius, & beatissimam prędicauerunt: uir eius,& laudauit eam.

Filij, plerumque, matrum imperia recusant; matres etiam, non raro, filiorum animos offendunt; inter uirum, & mulierem, dissidia concitantur. Illa igitur mulier,beata merito dici potest, quam filij laudibus summis afficiunt, & cuius imperium libentissime sequuntur, & quam uir perpetua prædicatione celebrat, & in cuius prudentia, atque fide, conquiescit.Sed laudationis epilogus, qui sequitur, est uehementer admirandus.

Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es uniuersas.

Quid hoc est? quæ mulier tunc esse potuit, in quam merito tam præclara laus congeri potuisset? Num Bethsabe, Salomonis mater? Fuit illa quidem,ut conijcere licet, mulier insignis ad laudem, & in omni genere uirtutis excellens. Quamuis enim fuisset adulterio maculata,multo tamen grauius Dauidis crimen exstitit, cuius illa uiribus, & cupiditati, repugnare non poterat. Si igitur Regis sapientissimi, qui se & libidinis impurissimæ, & cædis iniustissimæ, crimimibus alligarat, scelus deletum fuit, multo facilius credendum est, illius crimen, quæ multo leuius in se facinus admiserat, fuisse remissum. Omnia siquidem peccata, & suscepti doloris acerbitate, & orationis assiduæ sanctitate, e memoria illius optimi, & maximi, parentis euelluntur. Post illius uero temporis maculam, multis argumentis coniici potest, illam fecisse, & uirtute, & pietate,singulari. Aliter enim, numquam Rex sanctissimus illam tanti fuisset, neque tam præclara monita, & officia, illius in filium constitissent. Salomon enim, non magis patris, quam matris suę, præcepta commemorat. Vt tamen illa fuerit tantis uirturibus ornata, eulogium tamen hoc longe clarius est,quam ut in illius uirtutem conueniat. Quid enim? Hoc in loco opes terrestres, an potius cælestes, in maxima laude ponuntur? Si terrestres dixeris, Salomoni sapientiam detrahes, si statueris, illum, tam illustri prædicatione, huius uitæ diuitias,quæ malis artibus sæpenumero comparantur, & ad corporis cultum conferuntur, & uarijs casibus amittuntur, &, si nihil aliud acerbitatis intercidat,morte tamen deseruntur, prosecutum fuisse. Si cælestes dixeris, mirum est,quid illi uenerit in mentem, matrem suam omnibus sanctis mulieribus, quæ umquam fuerant, anteferre? Numquid illa Annam, Samuelis matrem, sanctimonia superauit? numquid Diuinam Sarę uirtutem, atque pietatem, uincere potuit? num omnes sanctæ mulieres, quæ a primordio generis humani in maxima laude uixerunt, Bethsabe, de religionis studio, atque pietate, concedunt? Credibile non est. Quid ergo causæ est, cur non spiritus Diuini orationem ad Diuinum sensum conferamus, &, ex Iudæorum tenebris, & angustiis, emersi, lucem respicianus, & animum in cælestis regionis latitudine collocemus? Cui enim dubium esse potest, quin hoc eulogium in solam Virginem sanctissimam,quę Dei filium genuit,scriptū præcipue sit? Vt enim Salomon Christi imaginem adumbrauit, ita mater illius, sub aliqua similitudine, Domini matrem expresit. Et, quemadmodum, cum Salomonis Regnum celebratur, omnis illa oratio præcipue ad Christi Regnum referenda necessario est, (multa enim dicunt, quæ nullo modo in Salomonem, sed in Christum, conueniunt) ita, cum hoc in loco Bethsabee insigni prædicatione celebratur, multa referuntur, quæ nulla ratione ad Bethsabee pertinent, sed ad illam, quæ mirabili sanctitatis splendore omnibus sanctis mulieribus obscuritatem attulit. Vt enim sidera in Solem incurrentia claritate Solis ipsius obruuntur, ita uirtutes omnium mulierum, quæ sese excellentius in pietatis studio gesserunt, ad Diuinæ Virginis sanctitatem comparatæ, quodāmmodo lumen amittunt, & euanescunt. Singulas uero laudes, quas Salomon oratione complectitur, inspicianus. Difficillimum inquit esse, fortem mulierem inueniri. Quæ mulier umquam fortis potius appellari debuit, illa, quæ numquam cessit cupiditati, numquam succubuit impuritati, quam numquam ulla peccati uis inflexit,aut dæmonis impetus retardauit, aut mortis metus impediuit, quo minus contento cursu,studioque,ad ardentissimum summi Dei cultum properaret? Pretium igitur illius e longinquo est, atque adeo ab omni æternitate repetendum. Sic enim consilio Diuino statutum fuit,ut illa longe multumque inter omnes puras excelleret. Adiungit deinde uir Sapiens:

Confidit ei cor uiri sui, & spoliis non indigebit.

Virum non habuit alium Virgo præcellentissima, præter Deum, cui se despōdit,quem unum

Universidad de Deusto
Biblioteca

expetiuit, cui ardentissimo uitæ studio consecrata fuit, a quo numquam diuelli, ac distrahi, ulla ratione, potuit. Vnam igitur Sponsam habuit sapientissimus ille formarum spectator, cui omnes suas opes crederet, atque committeret. Quod ut rectius intelligatur, animaduertendum est, summam illam probitatem, non esse inuidiæ affinem. Itaque cupit, omnes animos, quantum licet, & fas est, ad similitudinem amplitudinis, & dignitatis suæ, reuocare. Cur igitur id non facit in omnibus: Quia multi beneficia illius aspernantur, atque repudiant; multi beneficia accepta temere proijciunt, & opes Diuinas effundunt, & ita in grauiora mala incurrunt, illis, in quibus antea uersabantur. Itaque fuisset illi melius, ut Petrus ait, numquam suauitatem spiritus Diuini gustare, quam, post tanti muneris amplitudinem, per summum flagitium, de statu concidere, & ad sordes pristinas ingrati animi scelus adiungere. Sunt etiam, qui bonis Diuinis insolescunt, & efferuntur, & ita se amant, ut occæcati insaniant; quasi ipsi sibi causſam tantæ felicitatis attulissent. Sic autem magnum sibi periculum atrocissimæ calamitatis, & miseriæ sempiternæ, moliuntur. Quo enim altior erat gradus dignitatis, in quo locati fuerant, eo, cum propter sui amorem debitam gratiam auctori bonorum omnium minime referunt, & Diuini amoris obliuiscuntur, maiorem miseriam subeunt, & grauioribus ruinis opprimuntur. Sic autem fit, ut Deus aliis quidem munera sua deneget, illis nempe, qui se longe ab illius benignitate remouent; alios uero donis suis afficiat, sed ita, ut eos frequenter admoneat, ne ad pristinas miserias, propter negligentiam & obliuionem, recidant, & ita miserius affligantur. In aliis uero modum in beneficijs conferendis statuit, ne superbia inflati corruant. At in Virginem sanctissimam omnes opes magnificentissime congessit. Nec enim illa Dei beneficentiam erat aspernatura, nec, ut opes collectas effunderet, commissura, neque postremo Diuinæ clementiæ magnitudinem ad suam gloriam traductura, cum semper, & admirabili fide, & gratissima uoluntate, & mentis ardore, & amplissima humilitate, præcelleret. Tuto igitur fuerunt illi opes Diuinæ a Deo, cui se totum addixerat, commissæ. Nec enim eas imminuit, sed auxit, & cumulauit, & uigilanter admodum perfecit, ut ad eas in dies insignis accessio fieret. Non enim a se Dei opem uel flagitio repellebat, uel obliuione, & negligentia, premebat, sed quotidie magis ad studium suæ claritatis, & amplitudinis, Diuinum spiritum amoris uehementissimi flammis incitabat.

2. Petr. 2.

Cum uero sancti homines uarias in uita mutationes subeant; &, quemadmodum nauis in medio mari non semper cursum tenet, sed uel aduersa tempestate iactatur, uel malacia retardatur, uel uarietate uentorum a portu, quem petit, excluditur; sic illi, uel, turbidis motibus agitati, pristina flagitia respiciunt; uel, ignauia torpentes, a studio deducuntur; uel, curis impediti, non tam cito statum, quem cupiunt, assequuntur. At Virgo beatissima, nullis erroribus uarie circumuehi, nullis tempestatibus exagitari, & a cursu deduci, nullis hostium uiribus impediri, potuit, quo minus, quo tendebat, inueheretur, & diuitias suas coaceruaret, atque ad Ecclesiæ fructum reconderet. Diuitias uero Salomon Prædam appellat, ut ostendat, uiri uirtute partas fuisse. Filius enim Dei Satanam profligauit, spoliaque diripuit, ut suos locupletaret. Ait deinde:

Reddidit ei bonum, & non malum, omnibus diebus uitæ suæ.

Malum Deo reddimus, quoties legem illius uiolamus, & Diuinis muneribus ad offensionem illius abutimur, uel memoriam beneficiorũ minime conseruamus. Quod Virgo Diuina non fecit, ẽ neque peccati labe se adspergi sustinuit, nec Deo gratias agere, numenque illius celebrare, destitit. Fecit deinde, quod matres familias, ut opera moliretur, quibus familiã uestiret, hoc est iustitiæ, & puritatis, ornamentis excoleret. Nam & monitis, & exemplis, & precibus, ad Deum fusis, Ecclesiæ cultum, & ornatum, comparabat. Fuit, tamquam nauis mercatoris, e longinqua regione frumentum cõuehens. E cælo namque panem flagitabat, ut suorum uitæ, atq. saluti, prospiceret. Non somno torpebat, non desidia languebat, sed, cum esset de salute Ecclesiæ sollicita, ante lucem surgebat, ut suis salutarem uictum, sanctissimis precibus, impetraret. Omnes curas, & cogitationes, ad usum, & fructum, Ecclesiæ conferebat. Hoc autem significat Sapiens, cum ait, eam, agrum, & uineam, comparauisse. Virtus illius, alacritas, industria, designatur, cum dicitur, eam sese fortitudine præcinxisse, & ancillas suas etiam uirtute corroborasse. Inquit deinde:

Gustauit, qa bona est negotiatio eius, non exstinguetur in nocte lucerna eius.

Non est bona mercatura, quæ diuitias minime congerit. Non possunt appellari diuitiæ, quę utilitatem non afferunt. Parum utilitatis est in illis rebus, quæ neque morbos curant, neque doloris auferunt, neque uitam propagant, neque mortis pericula prospulsant, neque sunt in alteram uitam salutares. Quæ igitur est mercatura utilis, & ualde quæstuosa? Ea, quæ pietate, & religione, & hominum caritate, continetur. Ea namque sanat ægritudines, confirmat uires, conciliat pacem, illustrat mentem, ornat animum, illiusque statum corroborat, epulas cælestes apponit, stabilem uoluptatem confert, & aditum ad immortalem gloriam patefacit. Mens igitur, tantis diuitiis expleta, incredibili suauitate perfunditur, & summo quodam gaudio cumulatur. Quo uero animus locupletior est, & pluribus diuitiis abundat, eo pleniorem uoluptatem percipit. Cum igitur nulla mens tantis diuitijs

diuitiis expleta fuerit, ut esset cum ditissima mente Diuinæ Virginis conferenda, restat, ut uoluptas illius summa semper exstiterit. Hoc est autem, quod Sapiens ait, bonam esse illius mercaturam. Mercatura uero, nominatur pietatis studium, quo cælestes opes pretio comparantur. Non enim emuntur auro, aut argento, aut gemmis, aut ulla rerum humanarum permutatione, sed fide, & pietate, & sanctis actionibus, & animo denique, amore, & cupiditate, Diuinitatis inflammato. Qui hunc statum assecuti fuerint, in uita uerissimis opibus affluent, & in morte lucerna illorum non exstinguetur. Nec enim, qui cum iustitia uiuunt, cum e corpore excedunt, moriuntur, sed in uitam sempiternam ingrediuntur. Aequitatem deinde, atq. fidem, & misericordiam, & beneficentiam erga pauperes, commemorat: tum addit eam curam, quam adhibet, ut iniuriam niuis arceat, frigusq. a suis propulset, quos uestit indumentis coccineis. Omnis enim clarissima Principis familia, caritatis ornamentis excolitur. Domus bysso, id est puritate, consternitur: uestimenta etiam e purpura conficiuntur; ut nihil aliud occurrat oculis, nisi castitas, integritas, innocentia, cum amoris Diuini significatione coniuncta. Dicit præterea, uirum illius, in porta Ciuitatis, inter Senatores, & Principes, cultu, & ornatu, excellenter eminere. Christi enim decus, sanctorum hominum uirtutibus illustratur; & tum demum, quãta sit illius dignitas, & amplitudo, clarissime cernitur, cum mentes puræ, & in studio amoris Diuini uigilantes, Diuinæ iustitiæ splendore collucẽt, ita, ut omnes sanctorum hominũ actiones in Christi gloriam redundẽt; & tum maxime inter cælites ornamenta Diuinæ probitatis appareant, cum opera bonorum in hominum luce ad Christi gloriã collocantur. Sic luceat, inquit, lux uestra coram hominibus, ut uideãt opera uestra bona, & gloriam tribuãt patri uestro, qui in cælis est. Quod si cuiusuis hominis sancti probitas, & uirtus, operibus maximis spectata, & cognita, Christi gloriam insignem facit; quid de Matre illius dicemus, cuius exaggerata uirtus, in terris posita, lucẽ terris attulerat; &, in cælum euecta, angelis ingentem admirationem commouebat? Non ne constat, tanto plus decoris illius pietatem Filio, qui uir etiam illius est, attulisse, quanto uirtus illius erat illustrior, & studium pietatis ardentius, & uitæ decus excellentius? Præterea, humanitas Christi, uestis erat fulgens, & splendida, odore mirifico flagrans, animos ad sui admirationem mirabiliter alliciens. Hanc induit Dei filius, cum secum humanam naturam admirando fœdere copulauit. Is, cum, secundum humanę naturæ rationem, inter populi sui Senatores, & Principes, sedeat, tamen inter omnes excellit, ut facile appareat, quantus sit illius Principatus. Vnxit, inquit ille Diuinus uir, te Deus Deus tuus unguento lætitiæ præ consortibus tuis. Porro autem, hanc tam pretiosam uestem e sanctissimis Mariæ uisceribus, tamquam ex arca, deprompsit, quemadmodum scribit eodem in carmine idem uates. Myrrha, inquit, & casia a uestimentis tuis, ex domibus eburneis. Eburneam domum uiscera Sanctæ Virginis appellat, propter puritatis eximiæ candorem, & castitatis admirabilis ornamentum. Ornatus igitur Christi, ad sponsæ sanctissimæ gloriam maxima ex parte pertinet: propterea non immerito Christi Regis indumenta in laudibus Mariæ numerantur.

Matth. 5.

Psal. 44.

Sindonem fecit & uendidit, & cingulum tradidit Cananæo.

Non domesticis, inquit, solum utilis fuit illius industria, sed exteris etiam, & alienis, quos ab impuritate uitæ, & a languore, atque desidia, ad uitæ decus, & ad perfecti officij studium, traduxit. Sindon enim, continet nocturnum diurni laboris alleuamentum; Cingulum uero, designat alacritatem: adstringit enim uestem, ne diffluat, & facit animum ad laborem expeditum. Accinge, inquit Deus, sicut uir, lumbos tuos. In Euangelio ait, Accingite lumbos uestros. Opus igitur sanctissimæ Virginis, est, defessos, exemplo, & oratione, reficere, & otiosis alacritatem addere, quo munus assignatum uigilanter administrent: & hoc tamen non absque pretio fit, non auri, nec argenti, ut dictum est, sed religionis, atque fidei. Quemadmodum scriptum est, Emite absque argento, & absque ulla commutatione, uinum, & lac. Chananæos autem appellat eos, qui ex gentibus ad Christum adiuncti sunt. Est autem annotandum, omnia Christi beneficia, ad Matris laudem, & gloriam, pertinere. Illa namque fide concepit, fide peperit, fide nutriuit, fide etiam pro nostra salute uota suscepit. Nec enim solum, cum uinum ad nuptias postulauit, sed multis etiam in locis, credendum est, illam causſam egentium suscepisse, & beneficia multis mortalibus impetrasse. Iam uero, cultus, & uestitus eius, quam illustris exstiterit, explicat Sapiens, cum ait:

Iob. 40.

Luc. 12.

Isa. 55.

Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo.

Quis umquam fuit fortior illa, quæ uictoriam ex omnibus hostibus, cum insigni gloria, reportauit? Illa corporis naturam compressit, illa labes omnes profligauit, cum peccati originis fuerit omnino expers, illa inferis manibus terrori fuit, illa in omnibus bellis semper inuicta permansit. Quid autem de uirtutum omnium laudibus, & ornamentis, dicendũ? Nullum enim umquam exstitit in terris tam admirabilis decoris, & honestatis, exemplum. Omnis illius cultus, & ornatus, e cælo sumptus est. Illam namq. Sol radiis suis undique texit, ilius pedibus Luna subiecta fuit, illius caput stellæ fulgentes ornarunt, illius deniq. pulchritudinẽ aurum Diuinũ, & monialia in cælo facta, gẽmisq. clarissimis distincta, lõge clarius, quã ullo ingenio cõprehẽdi

Apoc. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

posſit, illustrauerunt. Porro autem, quod ad sapientiam, & eloquentiam, attinet, illa Diuinam sapientiam aluo inclusam continebat, & diuitias sempiternas in mente coaceruabat, quemadmodum Lucas ait. Maria conseruabat omnia uerba hæc, conferens in corde suo. Si uero, quod in animo conditum est, uis orationis euolutum ostendit, & ex eo, quod in animo redundat, ad os emanat, quæ diuitiæ orationis illæ fuerint, quas sanctissima Virgo suis iudicabat, atque propalam collocabat, nullius oratione explicari poterit. Illa namque Diuinam sapientiam exponebat, clementiæ opes offerebat, ad studium Regni cælestis impellebat, & omnes, qui illi aures præbebant, ardentissimo amore Diuinitatis inflammabat. Diuina porro uirtus, humana oratione explanari minime potest. Addit deinde, illam statum domus, & familiæ, suæ diligentissime curauisse, nec umquam fructum sibi ex uirtute sua percepisse, quin suis fructum eximiæ caritatis impertierit. Hoc est autem, quod significat, cum ait, Panem otiosa non comedit. Tum sequitur:

Lucæ 2.

Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt: uir eius, & laudauit eam.

Filij sunt, quos illa in fidem recepit, & qui nomen illius admirantur. Quis autem sit uir illius, iã nouimus. Est enim idem, quẽ illa peperit, & a quo genita, & informata, opibusq. Diuinis egregie cumulata fuit. Is eam summis laudibus ornauit, cum illam, ut nihil aliud dicam, nomine Matris illustrauit, quo nullum clarius, nullum amplius, nullum admirabilius, a Deo tribui, nec in cælo, nec in terra, potuit. Cũ uero sit ille, & iustissimus, & sapientissimus, & in meritis cuiusque ponderandis iudex æquissimus, per meritorum præstantiã, & dignitatis amplitudinem, & nominis claritatem, tribuere solet. Ergo, cum eam nomine Matris ornauit, omnes in eam laudes contulit, quibus illa fuit tam admirabilem gloriam consecuta.

Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es uniuersas.

Filias appellat omnes, quæ singulari uirtute, atque pietate, floruerunt, nempe, quas Spiritus Diuinus ab hominibus adoptauit, ut deinceps Dei filiæ appellarentur, & essent. Filia fuit Sara, filia Rebeca, & Rachel, atque aliæ filiæ fuerunt. Filia Maria Mosis soror extitit: filia similiter Anna Samuelis mater fuit. Et Debora etiam mulier, numine Sancti Spiritus afflata, Filiæ nomen obtinuit. Omnes denique sanctæ mulieres, quæ terris cælum, humanis Diuina, caducis sempiterna prætulere, hoc nomine tam sancto illustratæ sunt. At, quas opes in animos cõgesserunt? Castitatis, & integritatis Diuinæ candorem, iustitiæ splendorem, & magnificentiam, caritatis ardentissimę flammam, pietatis eximiæ sanctitatem. Verum enim uero, si contentio fiat, & uirtutes omnes sanctarum mulierum cum uirtute Virginis sanctissimæ conferantur, splendore tam nouæ, & insolitæ, uirtutis obruentur. Et illæ quidem, non ita cursum uitæ confecerunt, ut numquam prolaberentur. nam & Sara, cum diffidentia risit; & Rebeca, dolos struxit; & duæ sorores, Rachel, & Lia, æmulatione conflictatæ sunt; & Maria, lepra, propter obtrectationem, deformata fuit; & reliquæ mulieres, antequam ad iustitię puritatẽ, Diuino beneficio, peruenirent, peccati cœno, atque labe, contami narę fuerunt: sola cælestis, atque Diuina, Virgo fuit, quam nulla umquam labes impuritatis infecit, cui ne tenuis quidem peccati macula inusta fuit, quæ numquã a sanctitatis uia in alterutram partem declinauit, quam nullus labor, nulla contentio, nullus hostium conatus, impedire potuit, quo minus uiam pietatis alacriter iniret, & in dies susceptam religionem miris accessionibus amplificaret. Tantum igitur opibus inter omnes non mulieres tantum, sed uiros etiam sanctitatis gloria præstantes, excelluit, quantum nec oratione differi, neque cogitatione cõprehendi, potest.

Fallax gratia, & uana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.

Excitat uenustas amorem, incẽdit pulchritudo cupiditatem, concinnitas oblectat oculos, & omnis denique lepos, & apta partium compositio, siue in corpore, siue in corporis motu, siue in uoce, sita sit, sensus uoluptate perfundit; &, quẽadmodum insulsitas, & illuuies, alienat animos, & ab amore auertit, ita elegantia, & munditia, animos ad se allicit, amoreque deuincit. Verum, cum omnia, quæ ad corpus referuntur, corporis ipsius naturam sequantur, & corpus sit natura caducum, & imbecillum, & morbis infinitis obnoxium, efficitur, ut omnia corporis bona mutationes uarias subeant, atque tandem morte deleantur. Fallax igitur, & inanis, est corporis uenustas, atque pulchritudo, nempe, quæ sit semper in motu, & continuo labatur, & fluat, &, cum maxime grata est, tum uel maxime, repentino aliquo incursu morbi grauioris, euanescit. Præterea, cum uera uenustas in animo sit, (ea namque sedes, & regio, totius decoris habenda est, in qua lumen totius honestatis elucet, & species pulchritudinis Diuinæ perspicitur) cum sic euenit, ut in singulari corporis specie animus flagitiorum sordibus obsolescat, & turpitudine insigni deformetur, fallacissima est corporis totius elegantia. latet enim tunc sub honestatis specie turpitudo, sub uenustate deformitas, sub decoris inanis splendore tæter flagitiorum adspectus. Sic autem fit, ut, quod est odio dignum, oculis iucundum, & amabile, uideatur. Præterea, nihil potest uerum bonum appellari, quod mortis ui, & incursione, conficitur. Vera igitur pulchritudo, illa

illa demum existimari debet, quæ semper insitam uenustatẽ retinet, quę morbis minime desolescit, quæ mortis telo non exstinguitur, quæ denique sempiterna est, & tum maxime splendet, cum omnia, quæ in corpore eminebant, omnino deleta sunt. Hæc autem Diuina species, & pulchritudo, Dei timore conficitur. Timor enim Dei, legem Diuinam sancit; lex uero, repellit omnes labes, euellit cuncta flagitia, sedat discordias, partes animi cõponit, mentem illustrat, uirtutis ornamentum comparat, & tam illustrem speciem animi reddit, ut in ea posis intueri Diuinæ pulchritudinis effigiem. Non igitur corporis candor, non uenustas, & elegantia, pulchritudinem uerã efficit; sed species uirtutis admirabilis est, amabilis, & prædicanda, multisque laudibus efferenda. Si igitur cuiusuis mulieris sanctæ pulchritudo, quæ metu Dei, atque pura religione, perficitur, est amabilis, & perpetua prędicatione celebranda, quid de illius pulchritudine dicendum, quæ omnes sanctas mulieres longissimo interuallo superauit? Lunę splendor in conspectu illius obruitur, siderum claritas euanescit, radij Solis obscurantur. Angelorum etiam dignitas illi multum de dignitate concedit. Cuncti enim cælites, speciem illius admirantur, illius gloriæ seruiunt, illius laudes concinunt, & tum se Christo imperatori maxime placere sentiunt, cum illius matrem sanctissimã perpetua laudatione prosequuntur. Concludit orationem noster Salomon, cum omnes ad Angelorum societatem incitat, & admonet, ut, hanc tam Diuinam decoris sempiterni formam admirantes, perpetuo celebremus, eiusque laudes in cælum canticis efferamus, & hoc tam Diuinum numinis sempiterni fanum, atque sacrarium, non manibus hominum factũ, sed opere sancti Spiritus ædificatum, & expolitum, amemus, & uenere-mur, nosque supplices ad illius pedes abijciamus. Ait enim:

Date ei de fructu manuum suarum, & laudent in portis opera eius.

Docet, nos iure adstrictos esse, ad meritum, atque debitum, munus diligentissime persoluendum. Operibus enim suis, Dei mater nos omnes obligauit ad gratiam pro imbecillitate nostra referendam. Gratia uero, quæ a nobis exigitur, est animus gratus, & memor beneficij, est uirtutis Diuinę prędonium, est perẽnis quędam laus, qua tantam decoris, & dignitatis, excellentiam perpetuo celebramus, ne umquam ex animis nostris tantum donum, atque munus, elabatur. Illa namque fuit nostræ salutis administra. Ardentissima namque fide, & singulari uoluntatis alacritate, admirabili totius animi consensione, inflammato communis salutis studio, concepit, & peperit, & enutriuit rerum omnium Dominum, humanique generis liberatorem, nostræ salutis auctorem, sempiternæque gloriæ, & dignitatis, architectum. Sine fide Deo placere non possumus. Vt igitur is in nos beneficia conferat, nostra fides antecedat opus est. Quo autem beneficium amplius, & magnificentius, est, eo firmior, & constantior, fides exigitur. Beneficium nullum umquam maius exstitit eo, quo sumus affecti; cum Dei filius humanum corpus e uisceribus Virginis assumpsit. Quod si illa non facillime animum ad credendum induxisset, beneficium illud exitum habere minime potuisset. Quid uero credidit? Id, quod est a sensibus longissime remotum, quod ratio minime consequitur, cui natura uniuersa refragatur. Itaque sensus omnes abiecit, rationem pietati subiunxit, naturam uniuersam ad fidei imperium reuocauit. Quibus autem signis commota est? Nullis prorsus. Imbecillitatis enim est, signa requirere. Satis habuit Virgo sanctissima exploratum, & cognitum, nuntium a Deo missum esse, & promissa Diuina Dei ipsius fide sanciri, Deiq. fidem labare non posse, neque potentiam illius impediri, quo minus omnia, quæ promittit, effleiat. Erecta igitur mens, & excelsa, Diuinæq. lucis radiis illustrata, in cælum penetrauit, Diuinę probitatis immensitatẽ perspexit, & præpotentis Dei numẽ uenerata est, seq. promptam, atque paratã, ad impositũ munus efficiendum ostendit. Sanctissimi uiri in rebus multo minoribus interdum repugnabant. Nam & Abraham, ut certior esse posset, se, exacta prope modũ ætate, ex uxore infecunda, & nona genaria, marem filium suscepturũ, signa requisiuit. Similiter Moses signa sæpe flagitauit. Gedeõ, multis prius signis admonitus, arma sumpsit. Et multi præterea, antequam minoribus promissis fidem haberent, signis admirãdis cõfirmati fuere. At Virgo, cum primũ audiuit, se, Virginẽ, sine ulla pudoris labe, rerum omnium Conditorem, & Dominum, parituram, &, luce cælesti Diuinitus illustrata, perspexit, nuntium a Deo missum esse, fidem confestim adiunxit. Itaq. non hæsitauit diffidentia, neque in partes uarias uersauit, ratione, curiose nimis inquirens, quo modo id fieri posset. Id tantum scire uoluit, an Verbum Diuinum esset. Hoc satis illi fuit, ut cogitationes omnes fidei repugnantes longe repelleret, & argumenta diffidentiæ inuicta uirtute profligaret. Omnes igitur homines Diuinos, fidei magnitudine, longe multumque superauit. Cum uero uirtutes reliquæ, a Deo, secundum uiuæ fidei rationem, animis inserantur, consequens est, ut, quæ fidei suæ lucem tam longe lateq. diffundit, ut simul omnes, qui magnos in pietatis studio progressus habuerunt, facile uincat, uirtutum omnium opibus, & ornamentis, inter omnes, qui summum gradum uirtutis assecuti sunt, mirabiliter excellat. Et, re uera, non aliud Deum decebat. Cum tabernaculum fœderis, quod adumbratam imaginem maiestatis contineret, olim designauit, mirum est, quantam operam, & studium, in illius ædificatione consumpsit. Primũ enim ligna, quæ diutissime corruptioni resisterent, comportari iussit. Aurum deinde, & argentum, & æs, & gemmæ, & purpura, uaria, & pretiosa supellex, & multa denique, quę ad ornamentum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tabernaculi pertinebant, iniperio illius undique congesta sunt. Artifices autem postremo, quos operi præfecit, spiritu suo incitauit, ut omnia, quæ faceren-, ad exemplar dirigerent; quod fuerat in monte præmonstratum. Similiter & Salomõ, ut templum exstrueret, quot modis fuit operi numinis instructus, & ad fabricam illam admirandam eruditus? Nam & opes ingentes habuit, & singulari sapientia cumulatus fuit, & undique fabros accersiuit, omnemque sapientiam eo contulit, ut templum perficeret, & absolueret, quo nullum opus in terris exstaret uel opibus magnificentius, uel artificio pulchrius, uel ad religionis inuitamentu sanctius, uel ad memoriam sempiternam nominis accõmodatius. Quid autem erat, uel in tabernaculo, uel in templo, reconditum, quod tantas opes, & tam acre studium, & tam præclarum artificium flagitaret? Lex Diuina, in tabulis lapideis incisa. Quibus autẽ sacris operati sacerdotes, ut numen propitium redderent, elaborabant? Vmbris rerum cælestium, obscuris imaginibus, adumbrata deniq. sanctitate. Quid igitur dicendum? Si tanta opera cum tãtis opibus in rerũ cælestiũ imaginibus a Deo posita fuit, quantũ studiũ in tẽplo ædificando, in quo nõ adũbrate, sed uere, erat ipse collocãdus, erat iure, atq. merito, cõsumendum? In hoc igitur templo, nõ lignum, sed corpus purissimum, ad fabricam delectum fuit; nõ aurum, & argentum, sed opes fidei, atque sapientiæ & orationis diuitiæ compa ratæ sunt; non gemmæ, non purpura, non odores uarij, sed admirandę uirtutis splendor, sed ardentissimæ caritatis insigna, sed sanctissimę religionis fragrantia, sed Diuini decoris ornamenta, ab ipso fonte bonorum omniũ profluxerunt. In hoc tabernaculo non Bezabeel, non Ooliab, operam suam interposuere: nullum humanum artificiũ adhibitum fuit, sed ipse summus architectus, qui cælum manibus suis expoliuit, & sideribus exornauit, hanc tam Diuinam fabricam fundauit, perfecit, absoluit, Diuinæ uirtutis ornamentis illustrauit, ut in ea posset tamquam sedem sibi Diuinę maiestatis amplitudini congruentem collocare. Nõ immerito igitur idem Dominus nos ad Mariæ laudes celebrandas adhortatur. Laudent, inquit, in portis opera illius. Nõ in angulo, inquit, non in solitudine, (quamquam in solitudine etiam hoc officium nõ omittendũ est,) sed in portis multo diligentius persoluendum. In portis conuentus, ut superius diximus, agebantur. Hoc est igitur, quod ait, Nomen illius debitis laudibus afficite, operaque illius in omnium luce, atque frequentia, celebrate. Iustum enim est, cum illius beneficia in uniuersum genus humanum constiterint, ut omnium hominum, ad quos beneficia peruenerunt, uoce, & prædicatione, perpetuisque laudibus, in cælum efferantur. Hoc in loco quæramus de istis, qui nimis Iudaicis sensibus adstricti sunt, an credant, hoc opus afflatu sancti Spiritus editum fuisse? Credere se, dicent. Rursus, interrogabo, an existiment, tantã curam Spiritum Diuinum suscepisse laudationis Betsabe, ut iubeat eam a nobis in hominum cõuentu, & celebritate, perpetuis laudibus honorari? Verisimile nõ est. Quæ igitur hæc mulier esse põt, cuius uirtus, industria, caritas, benignitas, religio, sapiẽtia, eloquẽtia, Diuinis laudibus ornatur? quę oĩbus sanctis mulieribus, quę in pietatis gloria uixerunt, longe pręponitur? ad quam perpetua laudatione in conuentibus prædicandam uoce ipsius sancti Spiritus admonemur? Numquid alia potest esse, nisi, quam ipse Diuinus Spiritus sibi despondit? quæ filio Dei, sanguinem suum, unde carnem assumeret, largita est? quæ rerum omnium conditorem felicissimo partu, ad omnium salutem, edidit? quæ numquam se ab illo digredi, atq. diuelli, sustinuit? quæ non solum lacte suo illum nutriuit, sed ei semper omni studio, cura, sollicitudine, ministrauit? quæ cum illo societatem doloris, ignominię, & Crucis denique ipsius, spõte, atque libenter iniuit? quæ denique apud Filium pro nobis preces adhibet? Vt enim filius patrem interpellat, ita mater filium: Ille, uulnera, & cruciatu, & obedientię perfectionem, quę illũ cruciamenta subire compulit, ostẽdens; hæc filio integritatẽ, amorẽ, educationem, sanctissimi lactis ubertatem, laborum omnium societatem, & communionem, assidue repræsentans. Vt enim Pater Filium nobis dedit, qui irati numinis offensionẽ salutari placatione leniret, ita Filius Matris sanctissimę puritatem, & pietãtem, intuetur, ut, illius meritis illectus, facilius nos gratiæ suæ participes efficiat. Ille enim, clementia sempiterna, ut nobis omni ratione consuleret, medios interponere statuit, quorum int. recessione sępenumero a seueritate ad misericordiam inflexus, ueniam supplicibus, & abiectis, impertiret. Semper enim uoluit ab hominibus sanctis exorari, ut sic & amicos suos honestaret, & aditum faciliorem ad clementiam suam miseris aperiret, & simul, quanta sit uis uirtutis, atque pietatis, ostenderet. Tanta namque uis uirtutis est, ut uirtutis ipsius parens, & altor, se precibus illius uinci facillime patiatur. Quod si Deus tantam dignitatem seruis quamuis ij non semper in officio permansissent, auferre noluit, ut faciet; quæ nũquam a studio Diuinę legis abducta fuit, nec in se tenuissimam labem impuritatis admisit? Non recusemus imperium, mõnitis Diuinis obtemperemus; Reginæ nostræ memoriam recolamus; illius uestigia consectemur; puritatẽ, humilitatem, moderationem, ardorem mentis, studium caritatis, amoris incendium, admiremur; & laudes illius in ore semper habeamus; ut, illius precibus nixi, facilius ad gratiæ thronũ intromitti possimus. Sic autẽ fiet, ut Filius, Matris precatione prouocatus, Principes contineat, ne libidinibus obsequantur, & afflictos excitet, clementiaque sua reficiat, ne desperatione frangantur; & abiectos, ad spem immortalitatis erectos, Diuino præsidio sæpiat, & inuicto robore confirmet. O Diuinæ mẽtis sacrariũ, templumq. sanctissimum, ipsius summi, atque sapientissimi Domini, opibus, & arte constructum, auro, atque gemmis, non e longinqua terra, sed e summo cęli fastigio,

fastigio, cõuectis illustratũ. O Maiestatis sempiternæ solium, in quo Rex gloriæ sibi sedẽ constituit. O cæli totius oblectamentum, miseriæq. humanæ perfugium; quis laudes tuas poterit enumerando percensere? Ne cælestis quidem eloquentiæ uis, & ubertas explicare dicendo poterit tantæ uirtutis, & dignitatis amplitudinem, tantæ pulchritudinis, & uenustatis, elegantiam, tam eximiæ sapiẽtiæ lumen, & tam Diuini splendoris, qui in te mirabiliter elucet, excellentiam. Te summus & omnipotens, angelorum conditor, naturæq. cælestis ædificator, ex omni æternitate temporis elegit, in cuius pectus opes suas immensas includeret. Itaque tuæ fidei, tuæ puritati, atque sanctitati, tuæ uigilantiæ, unicum Filium, sempiternæ lucis effigiem, sæculorum omnium conditorem, credidit, atque commisit. Tu sanguinem, tu corpus, tu uitam, Deo, in sacrificium, ardenter obtulisti, & exercitus cælestis imperatorem, humanæq. salutis uindicem, felicissimo partu edidisti, & eum, cuius beneficio alimur, atque sustentamur, lactis tui dulcedine pauisti; omniumque laborum, quos in uita pro nobis suscepit, te illi sociam præbuisti; usque adeo, ut merito te possimus, ut nostræ salutis adiutricem precibus interpellare, ne officio tuo desis; &, quemadmodum incepisti, susceptum caritatis munus absoluas. Te igitur, o cæli Regina, oramus, & obsecramus, ut nobis seruis tuis salutarem cibum, clementia illa tua singulari, subministres, ut a nobis, imbris, atque niuis, iniuriam depellas, ut nos coccineis uestibus exornes, ne umquam animi nostri, terrenarum rerum studio, conglacient, sed semper, amore, & cupiditate, cęlestium, concalescant. Nec enim quidquam tibi Filius ullis umquam sæculis denegabit; & ita fiet, ut, in omni conuentu, & celebritate, laudibus, non quæ sanctitatis tuæ meritis ulla ex parte respondeant, sed quas humanæ imbecillitatis inopia tribuere potest, te prosequamur, & studio uehementer inflammato ueneremur.

Ego Petrus Parra, de mandato Reuerendiss. Patris Magistri Sacri Palatij legi librum hunc Commentariorum in Parabolas Salomonis, auctoris Reuerendiss. Domini Hieronymi Osorij, Episcopi Siluensis. In quo nihil inueni contra religionem Christianam, uel contra bonos mores; immo utile fore iudico, ut in lucem edatur. In quorum fidem hic nomen meum subscripsi. Die 3. Mensis Martij, Anni 1592.

D. Petrus Parra, Societatis Iesu.

Ego Franciscus Peres Collado, de mandato Reuerendiss. Patris Magistri Sacri Palatij legi librum hunc Commentariorum in Parabolas Salomonis, auctoris Reuerendissimi Domini Hieronymi Osorij Episcopi Siluensis. In quo nihil reperi, quod rectæ fidei, & sanis moribus repugnet; immo assero, in eo multa utilia, & erudita, contineri; atque ita utile fore iudico, ut in lucem prodeat. In quorum fidem hic subscripsi. Die decimo tertio Mensis Aprilis, Anni. 1592.

Franciscus Peres Collado.

Imprimatur.
P. Ant. Viceſg.

Imprimatur.
F. Barth. de Miranda, S. P. M.

HIERO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII LVSITANI IN SAPIENTIAM SALOMONIS PARAPHRASIS.

CAP. I.

Diligite iu stitiam.

O Principes, qui terras imperio continetis, reputate, quantum onus, & quam difficile, sit uobis impositum. non uobis efferant animos opes immodicæ, non satellites, atque ministri, non adulatorum assentationes, nō plausus inanes, atque popularis amentia. quo enim altior iste gradus est, in quo locati estis, eo erit ruina, si male Remp. gesseritis, cum uos malum improuiso oppresserit, grauior, omnibusque rebus uestris infestior. ueniat uobis sæpenumero uestræ imbecillitatis in mentem; neque tam de opibus uestris, quam de periculis, quę uobis imminēt, cogitetis. nam, cum inuidia, cum odium, cum nobilitatis ambitio, cum multitudinis furor, cum offensiones assiduæ, quouis iure, uel iniuria, sumptæ, uobis dies, atque noctes exitium minitentur, tum uel maxime sanctissimum Dei iudicium uos uehementer exterreat. Quo tandem igitur modo, cum tantis periculis undique cincti sitis, poteritis, impēdentem cladem effugere? Hoc uno certe, si iustitiam toto animo complexi fueritis. ea enim est, quæ motus compescit; quæ libidinem resecat; quę temeritatē coercet; quæ pacem conciliat; quæ Remp. florentem efficit; quę amorem excitat; atque postremo, quæ Deum hominibus amore sanctissimo deuincit. nihil est enim, quod magis ad amorem alliciat, quam uirtutis similitudo. Ergo, cum Deus iustissimus sit, eos tantum amat, qui Diuinis iustitiæ opibus, & ornamentis, exculti sunt. Si nullis igitur Deo cōiungi, unice iustitiam colite. Sic autē, ope illius cōmuniti, hominum uires, & insidias, contemnetis. Sed, quæret aliquis uestrum, quæ sit iustitiæ disciplina, unde ad nos emanet, aut in quorum animis insideat. Iustitię quidem principium aliud esse nō potest, nisi summus ille Dominus sempiternę ueritatis parens, & auctor, ęquitatis, ordinis, & rationis, architectus, inexhaustus, atq. perennis totius iuris fons, & origo. Opus igitur est illis, qui sese ad iustitiæ studium adiungere uoluerint, ut colant sanctissime religionē, pietatisq. muneribus Dei numen sibi propitium reddant. In hoc tamen religionis officio prudentia summa requiritur. sunt enim quidam adeo mentis expertes, ut arbitrentur scelus iniuria contractum posse facillime donis, & muneribus, expiari. & ita fit, ut conceptum scelus in homines alio grauiore multo scelere in Deum cōmisso cumulandū suscipiant. nam, quid poterit esse sceleſtius, quam malam opinionē de sanctissimo Dei numine recipere? Num Deus sceleſtissimos homines imitabitur, q muneribus deleniti causas hominibus impuris adiudicāt? nū donis impedietur, quo minus pœnas a tyrannis de tyrannide repetat? num aliqua prædæ parte cum latronibus paciscetur, ne debitum supplicium scelerum immanitati constituat? Hoc qui de Deo cogitat, sceleris immanissimi maculam concipit, nullis piaculis eluēdam. Qui igitur iniurijs multitudinem opprimit, qui prędam de bonis aliorum agit, qui, dū auaritiam expleat, nullo Dei iudicio impeditur, quo minus multos mortales innumerabilib' iniurijs afficiāt, & interim arbitratur, se posse cultu religionis Dei numen placare, quāuis in eodē scelere perseueret, indignissimā in Dei sanctitatē contumeliā iacit. Intelligite igitur aliquando, initiū, atque fundamentum, sanctissimę

Sentite de Domino in bonitate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctiſsimæ religionis eſſe, de Deo bene ſentire. Ad illum igitur pure, & ſine ulla ſimulatione pietatis, accedite. non enim Deus, religione ad tempus ſimulata, a ſupplicio inferendo deducitur. Si uultis igitur illius opem conſequi, pura, & ſimplici mente numen illius ueneramini; ardentiq. ſtudio illum ueſtigijs omnibus inquirite. Inuenitur enim ab illis, qui non tentant illum. certe qui eo animo ad illum adeunt, ut periclitentur, an is uelit, aut poſsit, ſupplicibus opitulari, minime fide, atque potentia, illius innituntur. at Deus non ſe oſtendit, niſi illis tantum, qui minime de uirtute illius dubitant, & in fide illius acquieſcunt. quod quidem minime faciunt illi, qui hærent, & dubitãt, & oia prius experiuntur, quam opem Diuinam flagitandam cenſeant; & modo huc, modo illuc, mentis inconſtantia rapiuntur; & duplici mente religioni operam dant; ita, ut, non ſatis habeant homines fallere, niſi etiam Deo ſimulatis precibus illudere uideãtur: quo quid fieri poteſt inſanius? ſalutæ enim cogitationes, & ad fraudem callidæ, homines a Dei coniunctione diuellunt: & hominum potentium amentia rebus temere geſtis redarguta conuincitur. Ergo neque illi, qui ſibi peracuti uidentur, ullam ſignificationem ſapientiæ dare poſſunt, cum ſint ab ipſo ſapientiæ fonte ſegregati; nec illi, qui opibus efferũtur, ab ipſius opibus ullum ſalutis fructum capient, immo multo grauius exitij periculũ adhibunt. opes enim eximiæ continent, uel prudentiæ, uel temeritatis, argumentum. nam, qui ſapientia præditus eſt, muneribus ſibi commiſsis utitur ad ſalutem. at munera, homini temerario, & inſano, permiſſa, ad peſtem, & pernicie conferuntur. Quo igitur maior illius potentia fuerit, eo maius indicium furoris, & amentiæ, facit. quocumq. enim impetum dederit, omnia peruertet, & tam ſibi quam patriæ, exitium machinabitur. ergo nec ingenium acutis hominibus opem ullã afferet; neque diuitiæ, & honores, & imperia, homines potentes ſubleuare poterunt, cum omnes ſint amentiſsimi. nec enim in animum malitia ſubnixum intrabit ſapientia; neque ſedem collocabit in corde peccatis obnoxio. Spiritus enim ſanctus, qui ſolus ſapientiam tradit, fraudis diſciplinam fugit; & a temerarijs, atque perditis, conſilijs ſe remouet; &, iudicij ſeueritate in oculis conſtituta, impetũ irruentis iniuſtitiæ retundit. & ita fiet, ut cogitationes, & orationes, eorum, qui ſceleribus affines ſunt, pœnis debitis inſequatur; &, pro flagitiorũ magnitudine, ſupplicium irroget omnibus, qui & iniurijs onerant homines, & in Deum maledicta conferunt. eſt enim ſpiritus ſapientiæ, hominum generi ſalutaris, atque beneficus; & ita fieri non poteſt, ut eos ſcelere ſoluat, qui ius humanæ ſocietatis non actionibus tãtum peſtiferis, uerũ & maledicentia, uiolant; nec ullo numinis metu ab inferenda iniuria reuocantur. qui quidem ita ſunt amentes, ut opinentur, id, quod ſecretũ animis tenent, a Deo animaduerti non poſſe; & eorum colloquia ad illius aures minime peruenire. at Deus, quidquid intra mentem latet, ſcrutatur, & inſpicit, & intimos animorũ receſſus exactiſſimè perſpectos, & cognitos, habet; & orationẽ auribus ita percipit, ut nullum arcanum conſilij illius cognitionem fugiat. nã ſpiritus Domini, cum immenſa poteſtate orbem terrarum complexus ſit, cum per omnes mundi partes pertinens omnia perluſtret, & nihil ſit tam abditum, in quod non penetret, nihil tãtis tenebris inuolutum, quod non inſpiciat, (unimerſam enim naturam numine ſuo complet) omnes hominum linguas probe nouit, & ſententias mortalium exactiſsimeperpẽdit. Qui igitur nefaria oratione fuerit uſus, minime latebit; nec ſermo impurus erit impunitus. in colloquia. n. impia diligẽter inquirendum eſt. nam orationes ipſæ, quæ Dñi aures offendunt, contra maledicos ipſos teſtimonium ferent; & illorum iniquitates aperte redarguent. Quid? quod auris Domini improbis infenſa, & inimica, & ſtudio uindictæ (ſic enim uris ratio poſtulat) incitata, non eget hominum teſtimonijs, cum omnia percipiat, ita, ut, quamuis ſubmiſſa uoce quiſpiam ſceleſte loquatur, & uel clamculum de proximi pernicie coniuret, uel impia oratione in ſanctiſsimam religionem ſcelera moliatur, nulla ratione queat peſtem auertere. O miſeri mortales, maledicentiam fugite, quæ uobis nullum fructum afferet; linguæ petulantiam comprimite, quæ immenſam malorum omnium collunionem uobis importabit. Quid enim poterit eſſe peſtilenti lingua funeſtius? ex ea namque fraudes, iniuriæ, dedecora, tumultus, diſſenſiones, Rerum publicarũ euerſiones, oriuntur. illa falſo teſtimonio innocentes interimit; illa dedecoris maculam bonis inurit; illa impijs adulatur; illa in pios irruit; illa pacem turbat, lucẽ eripit, ius & fas omne delet, & tyrannidem in dominatu conſtituit. Denique, ne plura perſequar, nullus ſermo impurus, quamuis latẽter inter paucos ſceleris ſocios haberetur, exſtitit umquam, ex quo nõ magnum aliquod malum proueniret. Os ſi quidem, quod mentitur, uitam eripit. ad interitum enim, uel corporis, uel animi, uel dignitatis, uel utilitatis, ſemper ſpectat; idq. perpetuo molitur, ut homines uita, uel opibus, quibus uita continetur, per ſummũ ſcelus ſpoliet. Cauete igitur, ne, errore mentis obcæcati, in re tam mortifera, operam & ſtudiũ, conſumatis; ne uobis ipſi, manibus ueſtris, peſtem comparetis. Mihi enim credite, non tantũ mali illis, in quos eſtis tęterrimi, quam uobis, ipſi inferetis, illorum enim corpora ſauciabitis; animis autem ueſtris exitium ſempiternum afferetis: illorum famam maculabitis; at uos ſempiternam ignominiam ſubibitis: patrimonium illorum imminuetis; at uos interim in perpetuum omnibus bonis nudati permanebitis. Nemo enim umquam alicui nocere concupiuit, qui non longe plura detrimenta ipſe ſibi, quam ei, quem odio immani perſequebatur, importaret. Vt autem in ſummam, maledicentiæ mala conferam, ſatis eſt animaduertere, eam mortem omni contentione machinari. at, qui necem inferre meditatur, Dei aduerſarius eſt, & in illius

Quoniam inuenitur ab iis qui non tentãt illum.

Spiritus n. ſanctus.

Et corripitur a ſuperueniente.

Quoniã ſpiritus Domini repleuit orbem terrarum.

Impij autẽ manibus & uerbis.

Deſluxerũt

In cogitationibus impij.

Quoniã uoris zeli audit omnia.

Custodite ergo.

Quoniam Deus mortem non fecit.

illius benignitatem impium bellum comparat. Deus enim mortem non fecit, nec uiuentium interitu delectatur. omnia enim condidit, ut permanerẽt. & ita omnium formarum naturam conſtituit, ut ſtatum ſuum tuerentur, & conſeruarent; in nullaque natura ullum uenenum, quod eam euertere poſsit, inſeuit. nec Orci regnum in terra collocauit. iuſtitia nullo caſu de ſtatu migrare poteſt. Diuino nãque præſidio ſepta eſt, & immortalitatis munere fruitur. impij uero, quaſi nihil aliud operis, & muneris, haberent, ita, quantum manibus, & orationibus, eniti poſſunt, operam aſsidue dant, ut mortem accerſant, ut amicitiam cum illa iungant, ut fœdus cum ea percutiant. ita porro factum eſt, ut interuentu mortis intabeſcerent. pactionem enim cum illa fecerũt. itaque his ſtudijs, cogitationibus, moribus, & inſtitutis, uitam degunt ut digniſsimi ſint, qui ad mortis ipſius hereditatem pertineant.

CAP. II.

Dixerunt enim cogitantes. Exiguũ, & cum tædio.

HAec enim ſecum nefarie meditantur, intimaq. mentis oratione ſic ad interitum tõtius pietatis immani ſcelere feruntur: aiunt enim. Vita noſtra eſt breuis æui ſpatio circumſcripta, multiſq. angoribus implicata, & morbis innumerabilibus exercita. ea. n. cõdicione ſuſcepti ſumus, ut hoc exiguo tpe, quo ſpiritũ ducimus, in multis periculis, & laboribus, & acerbitatibus, uerſemur. mortis enim imminentis impetũ quis a ſe poterit ratione aliqua propulſare? quod medicinæ genus uim habere poteſt ad uulnera, quæ mors infligit, ſalutari remedio ſananda? num, cũ uita ſemel impulſa in occaſum præcipitat, poterit ullo modo ſuſtineri, ne ſine horribili terminetur? Oẽs igitur neceſſe eſt, ut funditus pereamus. ſed illo ſolatio uti quidam ſolent, quod dicant corporis tantum naturam morte deleri, animum uero permanere, nec exſtingui, ſed ſtatum commutare. eſſeq. dicunt poſt mortem aliam uitę condicionem nullis ſęculis interituram, in qua ſunt bonis præmia felicitatis ſempiternæ propoſita impijs aũt ſupplicia cõſtituta. Sed hoc quo argumento probant? quo teſtimonio confirmant? quis ab inferis reuerſus eſt, qui ea ſic eſſe, quemadmodũ multi perhibent, conſtanter aſſeueret? fabulis deludimur; inaniq. ſolatio mæſtitiã depellere fruſtra nitimur. temere enim in uitã ingreſsi ſumus; & poſt mortẽ ad nihilum recidemus. Anima enim, quam naribus adſpirando ducimus fumi, inſtar obtinet: & ratio eſt quędam ſcintilla motus in corde ciens, qua quidem exſtincta, corpus in cinerem redigetur, & ſpiritus, ut mollis aer, diffluet. uita noſtra, ut nubis ueſtigium, impetu diſcurrens, euaneſcet, & quaſi quædã nebula, radijs Solis impulſa, & calore illius depreſſa, & cõſumpta, diſsipabitur. nomẽ uero noſtrũ uetuſtate tẽporis obruetur: nec erit, qui operũ noſtrorũ memoriã retineat. uitę noſtræ cursus eſt cũ umbrę inanitate cõferẽdus. quid igitur faciendum? poſteritati cõſulemus cuius nullum ſenſum ſumus habituri? gloriæ, & immortalitati, ſeruiemus, cum nomen noſtrum ſit oblitione ſempiterna conterendum? uitæ futuræ gratia, in iuſtitiæ, atque pietatis, ſtudium incumbemus, cũ in morte ſint cum corpore omnes animorum ſenſus exſtinguendi? Sũma certe dementia erit fructu præſentis utilitatis, quæ ſe nunc offert, omiſſo. ea, quæ numquam uidebimus, cogitare. nec enim, nobis exſtinctis, reditus in uitam patebit; mortis enim fores in ſempiternum tempus occluſę ſunt; & omnes exitus ita molibus obſtructi, & impediti, & ita diligenter obſignati, ut nemini umquam liceat e leti tenebris emergere. omnes itaque ſpes uitæ in exitio corporis exſtinguuntur. Agite igitur, dum licet, ijs bonis fruamur, quæ ſola bona dicenda ſunt: uirtutes enim, meritorum laudes, gloriæ celebritas, pietatis, & iuſtitiæ, præmia, nonnna uana ſunt; nihil in ſe expreſsi, atque ſolidi, continentia, ſed tantum ſpecie quadam illuſtri imperitos homines aueris bonis auocantia, ut cum ærumnis aſsidue cõflictentur. nos uero ea, quæ nõ ſunt, negligamus, ut ijs, quæ ſunt, tempore frui poſsimus. Cõditis igitur rebus, dum dulces, & teneræ, ſunt, oblectemur: optimo uino pleni, & unguento ſuauiſsimo delibuti, paſsim incedamus. &, ne ueris tempeſtiui florem ſine fructu præterfluere ſinamus, ſertis roſarum antequam marceſcant, redimiti, multiplicis odoris ſuauitatem percipiamus. nemo noſtrum ita ſit inſipiens, ut non omnem fructum, quẽ poterit, ex petulãtia noſtra percipiat. ubiq. noſtræ uoluptatis impreſſa ueſtigia relinquamus. hæc enim eſt hereditas noſtra, hoc unum eſt nobis patrimonium conſtitutum. cum uero uitæ delicijs ſeuerũ legis imperium ſit impedimento, (nec enim poterimus tantis opibus affluere, quantis opus eſt ad libidinem explendam, ſi iuris nimis obſeruantes fuerimus) iura omnia conuellamus. Opprimamus igitur dominatu pauperem iuſtum: nullam ueniam tribuamus uiduis; neque longæui canitiẽ uereamur. iuſtitiæ noſtræ lex ſit in uiribus, & potentia, poſita. ius. n. quod eſt a populis publice receptum, nullam dignitatem habet, nempe, quod ſit hominum infimorum ſubſidium, & non honoris præcellentis argumentum. naturę namque ius eſt, ut opes eorum, qui tenues ſunt, & iniuriam propulſare nequeunt, ad eorum utilitatem, qui principatum obtinent in Rep. conferantur. quantum igitur eniti, & efficere, poſſumus, elaboremus, ut potentia noſtra ad opes amplificandas abutamur. quod enim imbecillum eſt, inutile prorſus, & iniurijs permultis obnoxium, eſſe deprehenditur. at, legibus ſubmitti, quis non uidet eſſe extremę imbecillitatis indicium? Sed hoc nobis obſtat incommodum, quod hominem inſigni iuſtitia præcellentem acrem aduerſarium habemus. ita, ut per illum nobis non ita facile liceat, id, quod conamur, efficere. Eſt opus igitur, ut illum per inſidias de medio tollamus. actionibus enim noſtris uehementer obſiſtit; & flagitia, quæ contra legis præſcripta ſuſcipimus, acriter incuſat; diſciplinæ labem, & corruptelam, nobis frequenter obiectat. profitetur ſe cognitionem Dei tenere, atque

Quia ex nihilo nati ſumus.

Venite ergo, & fruamur.

Et utamur creatura tamquã in iuuentute.

Oprimam* pauperem iuſtum.

Sit autẽ fortitudo noſtra.

Circumueniamus ergo iuſtum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Premittit se scientiã Dei habere

Factus est nobis i traductionem.

atque adeo se Dei filium nominat; &, quod grauius est, non modo nostras actiones, & consilia, sed etiam intimas cogitationes, quas non dum exsecuti sumus, sed tantũ animis agitamus, oratione coarguit; earumq. turpitudinem, & deformitatem, in oculis defigit. molestus, & acerbus, atque difficilis, nobis est; tantumq. odium in illum concipimus, ut oculis cum intueri nequeamus. est enim uita illius, communis uitæ dissimilis. rationem enim uiuendi sequitur nouam, & inauditam, & plurimum a receptis hominum moribus abhorrentem. nos, subdolos, & nugaces, & ementita dignitate fucatos, arbitratur; & a uijs nostris, quasi a turpissima sordium omniũ contagione, se longissime segregat. quin etiam sententias, quæ cum omnium mortalium opinione, & sententia, pugnant, passim ingerit. afflictam enim iusti fortunam florentissimo statui iniustorum longe præferendam statuit; usque adeo, ut tum etiam, cum uir probus, & innocens, fame, & siti, cruciatur, plagis cõciditur, falsa infamia deformatur, & in Crucem tollitur, & omni crudelitate laceratur, cum affirmet esse multo feliciorem illis, qui multis opibus abundant, & insigni potentia præditi sunt, & uoluptatibus exquisitissimis afficiuntur, si fuerint iniusti. quod quidem omnes & animis, & auribus, aspernantur; fieriq. non potest, ut quisquam eam sententiam, quæ cum natura pugnat, aliqua ratione sequendam arbitretur. & interim, cum tanta portenta dicat, tanta insolentia elatus, & inflatus est, ut Deum Patrem appellet. Videamus igitur, an orationes illius uerę sint; &, quæ publice disserit, exitu periclitemur. Si enim iustus, qui excellenter se in omni genere sanctitatis gessisse uidetur, filius Dei est, Deus illius causſam suscipiet, eumq. ex manibus hostium liberabit. nec enim credibile est, Deum filij sui uitam negligere; &, quem unice diligit, inimicorum potestati dedere. Ergo, si concessum nobis fuerit, in illum exempla immanissimæ crudelitatis edere, certe constabit, illius orationem, qua genus suum ad Deum referebat, fuisse uanissimam. nequ e solum hoc assequemur, ut, cum ille fuerit Dei præsidio destitutus, & in cruciatum actus, appareat eum fuisse genus ementitum; uerum etiam uirtutem, & constantiam, illius, in quæstionem uocabimus, & experiemur, an uirtutem uere, & ex animo, coluerit, an parum firme in sententia manserit. frangit enim sententiam dolor; oratioque splendor, & magnificentia, appropinquantis mortis formidine conticescit. contumelia igitur, & cruciatu, in illum, inquiramus, ut probitatem illius exploremus, & de innocentia illius iudicium faciamus. morte ualde ignominiosa condẽnemus eũ, ut ex uerbis illius, quę dolor uehemens expresserit, de hominis mente statuamus. hæc quidem cogitauerunt, & errore turbulento precipites in capitalem fraudem inducti sunt. quæ quidem dementia nullo modo eos crimine liberauit, cum sponte sua tenebras luci prętulerint, & ueritatem odio persecuti sint. eorum namque malitia eos excęcauit. ita uero

Et, præfert nouissima iustorum.

Videamus ergo si sernes.

Erit enim ei respectus ex sermonibus illius.

Hæc cogitauerunt.

factum est, ut Dei mysteria minime perciperent, neque spem mercedis, quæ est sanctitati constituta, sequerentur, neque præmia animorum, eis proposita, qui nullis se flagitiorum maculis inquinarunt, cogitatione cõplecterentur. itaque ipsi sibi caussam sempiternæ miseriæ, & calamitatis, attulerunt. nam, quod ad Dei clementiam attinet, ab ea minime excluſi fuisset, si in iustitiam redire uoluissent. nec enim Deus hominẽ condidit, ut eum in exitium præcipitem daret; sed, ut muneribus sempiternis afficeret. illum enim a primordio mirabili consilio finxit, & informauit, ut immortali uita frueretur, in illiusq. mente imaginem suæ claritatis impressit. hanc illius speciem intuens diabolus, inuidia flagrauit, cum cerneret hominem humo excitatum, muneribusque Diuinis affectum, ut in eo statu locaretur, unde diabolus ipse conciderat. id igitur minime ferendum existimauit. itaque omnes machinas admouit, ut hominem a Dei coniunctione, qua uera uita continetur, distraheret; & sic eum omnibus bonis euerteret. eo igitur casu, mors omni uinculo soluta in orbem terrarum violenter inuasit; humanumq. genus oppressit. illam uero experiuntur omnes, qui diaboli factionem sequuntur, seseq. ad illius ductum applicant.

Quomodo Deus creauit hominẽ

Imitantes autem illũ.

CAP. III.

Iustorum autem ánimæ in manu.

AT iustorum animæ in Dei tutela, & patrocinio, latẽt, & iccirco cruciatu frangi, & debilitari, non possunt. uisi sunt oculis inipientiũ mori, qui exitum eorum dirum, & calamitosum, & discessum a nobis, exitium funestissimum, existimabant, cum illi pace tranquillissima perfruantur. quamuis enim boni in oculis hominũ pœnis torqueantur, ad spem tamen firmissimã immortalitatis, & gloriæ sempiternæ, rapiuntur. minimis plagis eruditi, maxima præmia consequentur. Deus namque illos pœnis exercuit, & eorum, in omni rerum discrimine, & in omni laborum asperitate, constantiam approbauit; & ob uirtutem Diuinam, dignos esse iudicauit, quos secum bonorum omnium societate coniungeret. ut aurum igne, sic eos laboribus ab omni leui etiam flagitiorum scoria secreuit, ut multo puriores euaderent, & ita ampliorib⁹ muneribus cumularentur. præterea illo sanctissimo sacrificio in eorum cruciatibus honores sibi instituere uoluit, quod est in fide, in constantia, in patientia, in ardore mentis, in caritatis incendio, constitutum. non enim quadrupedum uictimas, aut odorum suffimenta, requirit; sed animos puros, & amore illius acriter inflammatos, expoſcit. Sic autem fit, ut nullum illi munus acceptius esse possit illorum obedientia, & alacritate, qui pro iustitiæ cultu, & pro Dei gloria, nulla cruciamenta recusant. Ergo, cum fuerit in actiones humanas animaduersum, splendore mirifico coruscabunt; &, tamquam ignis in culmis aridis implicatus, discurrẽt. sic enim admirabili celeritate micabunt, ut interim impiorum hominum nomen, & opes, absumãt. iudicabunt de gentibus, populos imperio continebunt: & erit

Dominus

Dominus rex eorum in perpetuum; ita, ut non possint ullis umquam sæculis, cum sint Regis summi, atq. sempiterni, præsidio muniti, de statu demigrare. qui spem in Deo ponunt, intelligent ueritatem; & qui egregie fidem colunt, illius caritate incẽduntur; & ita in illius cultu permanent; nec ab eo, quamdiu id studium uiget, seiungi possunt. fides enim hoc assequitur, ut a Deo, cui se committit, cælesti lumine compleatur, sic autem cernit homo pius ea, quæ erant illi tenebris circumfusa; &, specie ueritatis, quã intuetur, attonitus, obstupescit, & intelligit, quæ ante pulchra, & expetenda, iudicabat, esse uanissima. nulla enim ueritas est in bonis, quæ hominũ uulgus admiratur. nã falsos honores ambiunt; fallacissimas uoluptates exquirunt; emolumẽta fallacissima cõsectãtur; simulata pulchritudinis imagine cómoti, a mente, & cõsilio, deducuntur. ergo, cũ ita cõmutãtur animis, ut mentis aciem a falsis bonis auertam, in opes ueras, atque sempiternas, intendant, & intelligant, quantum inter utrumq. differat, actã uitam iudicio uerissimo damnant; & aliud uitæ genus instituunt; amoreq. Diuinę pulchritudinis inflãmati, Deo (quoad fieri potest) ad hærescunt. Deus. n. sanctos suos donis, atq. muneribus. gratiæ, & benignitatis, auget, & cumulat; nec ab eis oculos umquã deijcit, quos elegit, ut opibus Diuinis locupletaret. at impij, in supplicij, quod metuebãt, detrudentur. numquã enim hoſes profligati, atq. perditi, uitã quiete traducere potuerunt. quãuis enim summas opes habere uideantur, & multos habeant libidinis administros, multiq. mortales illis obtẽperent, cõscięntia tñ sceleris, & iudicij Diuini metus, eos frequẽter exanimat. non enim ita possunt animorũ sensus opprimere, ut negligant omnino id, quod natura omnibus inseuit, nẽpe, sceleratos esse pœnis diris obnoxios. in ea igitur mala, quæ sæpenumero formidabant, furenter incurrent. qui tamẽ adeo fuerunt amentes, ut, cum sæpe cogitarent esse sibi subeunda supplicia, in scelere persisterent; imperio libidinis, cui se constringendos dediderãt, impulsi. hoc igitur fuit in caussa, cur iustum contemnerent, & a Deo rebellarent. Qui autẽ sapientiam, & disciplinã, aspernatur, infelix est, & spes illius fallaces, & sollicitudines inanes, & opera prorsus inutilia. impiorum uxores, sunt amẽtes; & filij, flagitijs inquinati; eorumq. soboles, exsecranda. Homines quidem, naturæ admonitu, filios sui nominis heredes expetunt, ut, cum ipsi fuerint consumpti, non oĩno mori uideantur, eo quod imaginẽ suam in uita relinquant. sed, quanto rectius illis consultũ fuisset, si nullos umquam liberos instituti sceletis heredes suscepissent. Cũ ẽnim mores labuntur, & oĩa ad interitũ uirtutis, & dignitatis, spectãt, quo plures posteri fuerint, eo magis erit pœna totius generis amplificata. O felicẽ mulierẽ, quæ filios non peperit, eo quod noluerit se libidine cõmaculare, ne uidelicet ab integritatis statu decideret. nõ enim cogetur uiri improbitatẽ, cũ animi cruciatu, sustinere: non uidebit filios flagitijs infames in pestẽ sempiternã ruere; non ruinã, & occasum, pestiferæ prolis intuebitur. quod uero ad memoriã nominis attinet, uirtutis memoria sempiterna est; impiorum autem propago obliuione sempiterna delebitur. Omnibus igitur modis mulier, quæ, compressa libidine, uictoriam insignẽ de natura corporis fuit uirtute admirabili consecuta, est omnium mulierum felicissima, quæ minime ad tantã laudẽ eniti uoluerunt. Fructũ igitur iudicij Diuini, cũ de animarum uita inquisitio fiet, eximiũ cõsequetur. Similiter & eunuchus, qui non tam naturæ uitio, aut hominũ iniuria, quam ardenti studio puritatis, eunuchus est; & ea ratione sibi ipsi omni genere libidinis interdixit; nullo modo erit a iure cælestis ciuitatis excluſus; nempe, qui nec homines iniurijs ullis affecerit, nec in Deum scelus ullum conflauerit. Quamuis igitur olim eunuchis aditus in domũ Domini minime pateret, his eunuchis nullo modo erit aditus interclusus. nã nec olim lege erant illæ dedecoris minæ propositæ, nisi, ut intelligeretur, eos, qui nullũ uirtutis partum ediderint, nõ esse in cælestem ciuitatẽ recipiẽdos. & nunc, mysterijs Diuinis iam clarius explicatis, cerni facillime potest, eunuchis, qui pietatis exẽplo gignere filios possint, nõ seminis humani ratione, sed sãctitatis imitatione, propagatos, adscensum in cælum dari. Dabitur enim illis præmiũ fidei, atque religionis, amplissimum; & in templo Domini iucundissimã heredi tatem cernent. bonorum enim operum gloriosus est fructus; & uerę prudentiæ radix immutabilis, atque sempiterna. at adulterorum filij, qui parentum uestigijs ingrediuntur, expiari non poterunt, cum ab aditu templi, & ab omnibus sacris, arceantur; & genus electo nefario susceptum funditus interibit; memoriaq. incesti seminis obruetur. quod si alicui ex illis cõtingat, ut diuturnã uitã degat, pro nihilo tamen putabitur; & extrema illius senectus erit omni dedecore cumulata. si uero cito e uita discesserit, simul cũ ccorpore omnes illi spes saluũis interibunt: &, cum fuerit iudicium constitutum, non erit ei ullum supplicij, & angoris, alleuamentum. nationis enim iniustæ diri, & exitiales, exitus sunt.

Impij autẽ secundum quæ cogitauerunt.

Iustorum autem ánimæ in manu.

Maledicta creatura eorum.

Quoniã felix est fieri lis.

Ei spado qui nõ operatus est.

Filij autem adulterorũ

CAP. IV.

O quã pulchra.

QVanto igitur est præclarius ad decoris elegantiam, & firmius ad nominis immortalitatem, propter pietatis studium, filijs carere, & splendore egregiæ uirtutis illustrari, quam sobole multiplici circumsæptum uolitare, &, tyrannidis exemplo, filios ad pernicię instruere? non enim tam in filiorum multitudine, quam in uirtutis amplitudine, immortalis gloriæ amplitudo consistit. nec enim memoria uirtutis calamitate peruerti, aut temporis uetustate consumi, potest. Deo nãque grata est, & hominibus admiranda. illã multi præsentem intuentur, ut ad illius imitationem se cõferant. eam absentem desiderant; illiusq. pulchritudinem perpetua prędicatione celebrandam existimant. nam, in omni æternitate, cum sit coronam ex glorioso certamine consecuta, clarissimũ triumphũ ducit. &, cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

bellorum omnium uictrix exstiterit, ornata præmijs incontaminatis, atque sempiternis, exsul-
Multigena autem impiorum. tat. at multiplex nationis impię propago utilem fructũ non efferet; nec adulterini stolones altas radices agent; nec ullã stabilitatem sedis habebũt. quamuis autem frondiũ uiriditate aliquam amœnitatis speciem oculis ad tempus obijciant, non sine stragis, atq. ruinæ, periculo grandescent. uentis namque agitabuntur, atque tandem, turbine concussi, radicitus euellentur. rami, ante- quam ad perfectionem perueniant, defringẽtur. fructus erit acerbus, & immaturus, & nec ad cibũ utilis, nec adusum idoneus. filij enim, ex iniquorum coniunctione propagati, parẽtibus, iniquitatis testimonium dant, quoties eorum uita, ad iudicij examen perpenditur. Cũ enim mores corrupti sint, & ad perniciem profligati, atq. perditi, constare potest hominibus, qualis parentum disciplina fuerit, cum uideant, filios, parentum scelus imitari, atq. adeo cum ijs, a quibus geniti, & educati sunt, malitia, & improbitate, contendere. quo igitur diutius uixerint, eo
Iustus autẽ si mente præoccup. grauiorem sceleris pœnam sustinebunt. Porro autem iustus, quamuis immatura morte sublatus esse uideatur, in requiete summa uersabitur. non enim immatura mors illi potest contingere, qui ad uirtutis perfectæ, cuius colendæ gratia nati, sumus maturitatem, cum gloria, peruenit. immo, quo citius est fructum uirtutis assecutus, eo felicius cursum uitæ conficit. Vt enim cantor is habendus non est, qui dissonas uoces dies, & noctes, cum insigni auditorum molestia, iacit, sed, qui scienter, atque modulate, canit, quamuis ad canendũ breuissimum tempus assumat; nec ille bonus medicus est, qui se medicum fuisse longo tempore profitetur, cum nullum ęgrotis fructum sanitatis attulerit, sed, qui breui tempore morbum depellit; ita neque senex ille numerandus est, qui sine ulla modestiæ concinnitate uitam diutissime propagauit, & ita ætatem traduxit, ut numquam e flagitiorum morbis euaserit; sed ille potius, qui breuis æui spatio uirtutis concentum seruauit. salutaremq. sibi medicinam adhibuit. satis enim diu uixit, qui uirtutis perfectæ perfecto functus est munere. itaq. illa senectus iustã uenerationẽ habet, quæ non temporis diuturnitate, aut annorum multitudine, continetur; sed, quam uirtutis amplitudo omni dignitatis genere cumulauit. hominis igitur canities, in prudentiæ maturitate consistit; & ætas senectutis, est uita nulla prauitatis cõtagio ne unde maculata concluditur, adolescentẽ, qui pietatem unice coluit, qui numquã ab officio discesserit, qui operam enixe dedit, ut uirtutis fructu potiretur, si a uita discesserit, non ante tempus diem obijsse. cum enim numeros absolutę uirtutis expleuerit, senex, & non adolescẽs, est existimandus. non enim fieri potest, ut bonorum res
Placens Deo factus dilectus. ab illo optimo parente negligantur. ergo, cum illa probus adolescens cum iustitia, & pietate, uixerit, a Deo gratiam inuenier; & iccirco fuit, Diuino beneficio, ex malorũ colluuie liberatus, & in aliam uitam traductus. non fuit igitur illi uita inclementer erepta, sed mors potius clementer oblata, ne in sempiternam pestem incideret. potuisset enim, si in hac uita diutius mansisset, sensus illius, hominum improborum malitia, immutari, &, fraudibus, a studio pietatis, & continentiæ, ad religionis negligentiam, & ad uitæ impuritatem, traduci. hac igitur de caussa Deus illum abripuit; neque eum, quem carum habebat, aliqua labis impuritate contaminari permisit. non possunt enim homines improbi honestatis splendorem sustinere; & ideo omnes conatus eo comparant, ut uirtutem, in quocumque elucere illã perspexerint, de statu deijciant.
Fascinatio enim oculi citatis. improbitatis enim pestilens morbus, & inuidiæ furentis aculei, studiũ honestatis exagitant; usq. eo, dum clarissimis rebus tenebras offundant; & eos, qui uirtuti operam nauabant, turpitudinẽ subire compellant. accedit cupiditatis impotentia, quę mentẽ simplicem in capitalem fraudem impellit, & uoluptatis illecebris impulsam præcipitat. ex his malis omnibus ereptus est is, qui in adolescentia mortem obijt; breui autem tempore multorum annorũ perfectionẽ consecutus fuit. anima enim illius erat Deo egregie cara. iccirco factum est, ut celerrime e uita, quam tanta flagitiorum pericula circumstant, excederet.
Populi ætatem uidentes. at homines, cum probi iuuenis mortem uideãt, & illius rationem minime percipiant, neq. mente secum statuant, fieri non posse, ut Deus res eorum, qui sancte uitam instituunt, aliqua ratione negligat, & eos, qui se illi commiserunt, malis opprimi sinat, obitum illius, quem longa uita dignissimum multi iudicabant, indignissime ferendum arbitrantur, & de casus acerbitate conqueruntur. ipsumq. rerum omnium Dominum in crimen uocant, quod non a bonis mortis impetum represerit; eoq. tandem progrediuntur, ut pietatis studium inutile prorsus esse dicant. ita namq. sunt amentes, ut non uideant, Dei gratiam, & beneficentiam, numquam a sanctis hominibus remoueri; & eos, qui electi ab eo sunt, singulari illius præsidio, & uigilantia, custodiri. at, inquiunt, cernimus homines impurissimos ad summam senectutem
Cõdemnat iustus mortuus. uitam perducere; contra uero, non pancos, studio probitatis, & religionis, incensos, in ætatis flore, morbis repentinis, & improuisis, exstingui. pergitis ne uos longam hominis perditi uitam, uitæ illius, qui, uirtutis amplitudine, ad senectutis ornatissimæ ætatem peruenit, ante ferre? tanta ne flagratis amentia, ut opinemini omnem hominis probi statum morte deleri? & sensus ipsius mentis, quæ est ad imaginem Diuinæ mentis expressa, ui mortis, quæ corpori interitum affert, exstingui? O detestabilem, & exsecrandam, mentis impurissimæ cæcitatem. non tandem intelligetis, homines amentissimi, non posse spes illorum, qui in Dei fidem recepti sunt, interuentu mortis incidi? animi enim illorum, cum sint immortales, opibusque Diuinis ornati, & amplificati, morte consumi non possunt. immo, cum mors omnia strauerit, cum rerum memoriam uetustate contriuerit,

cum

cum antiquitatis monumenta confecerit, atque adeo, cum omnia, quæ uideantur oculis, quamuis fundatissima uideantur, euersa corruerint, boni diuitijs, & ornamentis, magnificentissime redundabunt, gloriaq. sempiterna circumfluent; &, quod magis admirandum est, iurisdictionem in omnes mortales habebunt. iusti namq. mortui nomen, & gloria, contra impios, qui manent in uita, sententiam feret; & iuuenta, uirtutis fructum breuis æui spatio consecuta, senis illius amentiam coarguet, qui toto uitæ tempore uirtutis studium neglexit. itaque fiet, ut iusti mors, illustris, & clara, sit; improbi autem uita, omnibus turpitudinum maculis inusta; & adolescentis uirtute perfuncti laus sempiterna sit, & senis improbi nomen omnium bonorum iudicio uehementer exsecrandum. præterea boni in Diuino iudicio summum iudicem stipabunt; sempiternique iuris æquitatem celebrabunt; &, quam iuste sit in scelus hominum uindicatum, cum iustitiæ Diuinæ admiratione, conspicient; & sic demum ipsi, comprobatione sua, sententiam contra improbos proferent. tunc igitur apparebit, quam parum referat, qua ętate quisq. ex hac uita migrauerit; sed, quanto studio iustitiam, & pietatem, coluerit. hoc non uident
Videbunt finem sapientis. improbi; &, cum mentem tenebris oppletam gerant, iniustitiæ fraudes æquitati sanctissimæ legis anteponunt. cernent illi quidem homini sapientis exitum. non tamen intelligent, quid de illo statuerit, aut quo præsidio statum illius stabilierit ipse Dominus. Cernent, inquam, illi, iusti hominis in hac uita finem. illiusq. statum pro nihilo ducent. at Dominus eos irridebit. eruntq. tandem infami funere consumpti, ignominiaq. sempiterna inter mortuos deformati. Deus enim
Quoniam diruumpet illos inflatos. illorum statum perfringet, & labefactabit, eosq. præcipites exturbabit; atque tãto terrore perculsos, & obstupefactos, in terram prosternet, ut lamentari non possint. eorum deinde fundamenta conquassabit, &, inuecta calamitate, peruertet, ut omne genus exscindat. ipsi uero, multis scelerum pœnis agitati, ad extremũ dira, & horrida, uastitate conficientur, & dolore cruciabuntur; eorumq. memoria funditus interibit. pœnis igitur eruditi, sine fructu flagitiorum suorum defor mitatem considerabunt, &, scelerum conscientia uehementius oppressi, grauissimas pœnas exsoluent; &, præter alia cruciamenta, iniquitates, & inuitiæ, quas mortalibus multis intulerant, multo truculentius eis occurrent, illorum amentiam uehementius conuincent, & illos crudelius exagitabit, ita, ut eorum animos in summis supplicijs sempiternus horror, atque trepidatio, sine fine, uehementer excruciet.

CAP. V.

Tunc stabunt iusti. TVnc uero iustus erectus, atque confidens, in eos surget, a quibus multis incommodis uexatus, & indignissima cõtumelia laceratus, cunctis opibus labore summo quæsitis exspoliatus exstiterat. ab illis pœnas expetet; illorum oculos adspectu conturbabit, & ingenti pauore cõcutiet. quid igitur improbi facient, cum sic omnia commutata conspexerint, ut se in summa miseria constitutos, & dedecore sempiterno cumulatos, esse uideant; illum uero, quem tantis damnis, atque probris, afficerant, luce Diuina completum, & immortalem gloriam consecutũ, contemplentur? horribili metu conturbati, trepidabunt; & a mente deferentur; admirationeq. defixi, intuebuntur eum, quem tam contra suã opinionem saluum, & incolumem, in excelso dignitatis gradu locatum esse sentient. itaque fero pœnitebit illos amentiæ, &, propter animi cruciatũ, & angorẽ nimis dolenter ingemiscent. inquient igitur: Hiccine est ille, quem ludibrio habebamus; & cuius nomen erat a nobis, ad exemplum
Hi sunt quos habuimus. contumeliæ, frequenter usurpatum? Cum enim cerneremus, illum opes negligere, & omnia cõmoda uitæ contemnere, ne ius, & fas, aliqua ex parte uiolaret, uoluptates aspernari, ne animum ulla labe turpitudinis inquinaret, uirtutis uiam asperam, & incultam, sequi, nec ab ea, ulla laborum magnitudine, aut dolorum acerbitate, depelli, & denique, uirtutis, & officij, gratia, omnia, quæ rerum natura ad oblectationem profundit, constantissime respuere, illum hominem mentis expertem, & sensibus orbatũ, putabamus. extremi namque furoris opinabamur, fidẽ utilitati, castimoniam uoluptati, prępone re, & uirtutis, atque pietatis, nomen cõmunis uitæ emolumentis, & honoribus, anteferre. itaque huius uitam miseram, & ærumnosam, & mortẽ etiã dedecori affinẽ, censebamus. in illius namq. uita nullum elegantioris cultus uestigiũ apparuit. & in morte nullum magnifici funeris ornatum, & splendorem, uidimus. at nunc, quo modo Dei filijs adnumeratus est, & cum sanctis hereditatem patrimonij cælestis adiuit? constat igitur, nos, errore mentis obcęcatos, a ueritatis uia deflexisse. nec enim nobis iustitiæ lumen illuxit; neque Diuini Solis splẽdor nobis exortus est. tenebris igitur oppressi, ruebamus; furoreq. precipites, pro ueris bonis uitæ ludibria cõsectati sumus; multiplicesq. uias iniquitatis, & interitus, furẽter iniuimus; uastas, horridas, & incultas, solitudines contento studio peragrauimus; certamque, & directam, uiã uitæ, quam Dominus monstrauit, ignorauimus. quid nobis profuit arrogantia, & intolerandum fastidium? quid in immanibus diuitijs insolẽs ostentatio? omnia namque illa, quibus efferebamur, ut umbra, euanuerunt; &, ut transcurrens cum summa celeritate nuntius, præterierunt; &, ut nauis, undosum mare sulcans, quæ nullum sui cursus uestigium reliquit. nec enim potest inundis nauis incitatæ semita ullis notis designari: quemadmodum etiam, cum alitis inuolatu aer discinditur, nullum inuenitur itineris illius argumentum. aer namque leuis, & facillime cedens, alis transuerberatur, impetuque stridenti dissectus, transitum præbet, & continuo transmissionis locum opplet, ut nulla

Universidad de Deusto
Biblioteca

nota posſit confecti cursus animaduerti. &, quemadmodum sagitta, in destinatum locum emissa, aerem dissecat, qui tamen repente confusus ad eundem locum redit, ita, ut nullo modo posſit ullo sensu sagittæ illius traiectio comprehendi; similiter & nos, in uitam ingressi, repente defecimus, nullumq. uirtutis signum dare potuimus, sed improbitate consumpti sumus. & hæc quidem iniqui apud inferos acerbissime lamentantur. nam spes impij est quasi lanugo, quæ a uento dispellitur; aut spuma tenuis, quæ impetu procellæ dissipatur; aut tamquam fumus, qui a uento dissoluitur; aut quasi memoria hospitis d ei unius, quæ breuissimo spatio temporis obruitur. Si quidem omnia, quibus homines a Deo auersi ducuntur, sunt caduca, & fragilia, casibus multis obnoxia, & continenter labuntur, & fluunt, atque tandem temporis momento dissipantur. Iusti autem in perpetuum. iusti uero, sempiterna uita perfruuntur, laborisq. mercedem, & præmium, a Deo consequuntur; præcellentisq. Domini cura, studio, uigilantia, patrocinio, conseruantur, ita, ut nullo modo posſit eorum status infringi, aut aliqua ex parte conuelli. iccirco Regnum, amplissimis honestatis ornamentis excultum, & opibus Diuinis exaggeratum, accipient; & coronam, summis decoris, & elegantiæ, luminibus illustratam, habebunt, quam Dominus illis, merito uirtutis, imponit. ipse namque eos dextera sua proteget, inuictisq. brachij sui uiribus omnem ab eis hostium immanitatem propulsabit; &, omnibus armis tectus, bellum pro suorum incolumitate, atque dignitate, suscipiet. Acri igitur sceleris offensione irritatus, studio ultionis armabitur; & naturam uniuersam, armis instructam, ad pœnas scelerum de hostibus repetendas acriter incitabit. induet autem pro thorace iustitiam, iudiciumq. rectissimum, nulla contagione fraudis inquinatum, pro galea sumet. pro scuto, inexpugnabilem sanctitatē corripiet; porro dira pro lancea, iram exacuet; ipseq. mundus simul arma comparabit, magnamque belli partem suscipiet, ut furiosos, & insanos, in acie concidat. fulgurum iacula probe collimata iacientur; &, tamquam sagittæ, ab arcu nimis intento uehementer emissæ, tela desilient; densæ grandines, furoris uehementissimi plenæ, contorquebuntur. maris fluctus immanes, cum horrendo fremitu, contra illos insurgent; & flumina in eos furenter irruent, ita, ut nullum illis perfugium miseriæ pateat. uentus etiam uehementissimus illis obuiam prodibit, eosque turbine, atque procella, peruertet. iniquitas demum, omnem terram uastabit, insitumq. nocendi studium potentium sedes conuellet; & humanis opibus pestem, & exitium, molietur.

CAP. VI.

AVdite igitur, reges, & mente percipite, uos, qui imperio late continuato fines terræ estis insigni potentia complexi; discipli- Audite ergo reges.
nam salutarem accipite; aures præbete, uos omnes, qui iura multitudini datis, qui, hominum turba constipati, spiritus ingentes assumitis; & erecti, & alacres, eo quod uos omnes intueantur, uitamq. ad arbitrium uestrum degant, inceditis. Primum quidem, intelligite, hoc imperium, quo gloriamini, esse uobis a Deo commissum, ut multitudini consulatis, non ut uos insolenter de potestate iactetis, & immoderate Rempub. geratis. Cum igitur hoc munus uobis a Deo delegatum sit, cogitate sæpe numero, rationem illi uestri muneris esse reddendam. nam in actiones uestras inquirer, & consilia uestra diligenter examinabit. quid igitur tunc facietis? quos uobis aduocatos adhibebitis? quibus muneribus irati iudicis iram placabitis? aut quibus artibus illius iudicium eludetis? frustra tunc opem implorabitis. nec enim oratio ullius poterit tenebras clarissimis rebus obducere: nec ulla munera rerum omnium Dominum, sceleribus infensum, ad gratiam inflectere: nec ullę fraudes immensam illius sapientiam fallere. reliquum igitur est, ut uos ille iudicio peruertat, & in cruciatum sempiternum præcipites agat. nec enim Regnum, uestrum erat, sed illius. uos uero illius uice imperium gerebatis, ut essetis uoluntatis illius administri. quod longe secus effecistis. nec enim in iudicando iuris integritatem secuti estis; neque legem sanctam habuistis; nec ad Dei consilium uestrum munus direxistis; immo, a Diuina mente diuersi, præ uestra libidine, omnia iuris uincula reuellistis. horribilis igitur, atque repentina, uobis calamitas impendet. Seuerissimum enim, sine ulla clementiæ spe, iudicium in homines, qui summas opes habent, exercebitur. nam tenuis, & obscurus, homo facile ueniam impetrabit; in eos uero, qui potentia præcellunt, est etiam potenter animaduertendum. nam pro muneris accepti ratione expensi ratio reposcenda est. qui igitur plura a Deo recepit, si rem commissam male gesserit, acrius punietur. nec enim rerum omnium Dominus ullius hominis personas respicit; neque Principis alicuius potentiam ueretur. nam paruum, & magnum, ipse fecit, & ex æquo omnibus consultum esse uult. in Principum tamen uitam diligentius, atque uehementius, inquiretur. Ad uos igitur, o tyranni, oratio- Ad uos ergo reges.
nis meæ sententiæ conferuntur, ut admoneam, quantum uobis discrimen impendeat. discite igitur sapientiam, ne miserrime concidatis. non enim opes uos subleuabunt: non amplitudo imperij poterit a peste seducere: non gratia, non eloquentia, non clientela, non subditorum turba, non denique ulla inanissimæ dignitatis ornamenta, uobis in iudicio

cio salutem afferre poterunt. unica tantum salutis uia est, quæ tota in sapientia consistit. hæc autem docet, Deum esse religionis sanctitate placandum, & homines iuris sanctitate conseruandos. Qui igitur sancte sanctitatem coluerit, is inter sanctos numerabitur: &, qui diligenter pietatis, & iustitiæ, disciplinis operam dederit, causſam suam feliciter dicet, & defensionem intenti criminis inueniet. unde concluditur, salutaris eloquentiæ fructum studio iustitiæ contineri. Omnia igitur humana contemnite, quę uobis in maximo periculo opitulari nō possunt; Diuinæ sapiētiæ disciplinam perdiscite; ad illius cupiditatem exardescite; orationesq. meas, quibus uos a miseria sēpiterna conor abducere, memoriæ tradite; in eoque uigilanter elaborate, ne umquam ex animis uestris elabantur. rerum maximarum initium, atque fundamentum, est ardens illarum appetitio. Si igitur sapientiæ opes uehementer expetendas esse statueritis, si uos acriter ad illarum studiū applicueritis, si earum amore, & cupiditate, flagraueritis, eritis certe illarum disciplinis instructissimi. quo quid beatius esse poterit? est enim sapientia, dignitate præclara, copiis opulenta, prouidentia salutaris, ui uirtutis inuicta, ita, ut, qui se totum ad illius nomen adiunxerit, nullis malis affici possit. est præterea immortalis, atque Diuina. itaque, cum reliqua omnia, quæ uulgus hominum nimis sitiēter appetit, sint caduca, & fragilia, & casibus innumerabilibus obiecta, sola sapiētia statum suum perpetuo retinebit, lumenq. illius nullis sæculis interibit. Sed dices mihi: Hoc quidem fatemur uniuersi, nihil esse sapientia, uel robore ualentius, uel honestate pulchrius, uel omnibus commodis affluentius. sed, quo dignitas, & utilitas illius amplior est, eo minus ad illam adspirare possumus. homines enim sumus; & humi tantum repimus: uires nostræ fragiles sunt, & imbecillæ: nec est humanæ naturæ concessum, Diuinarum rerū fructu potiri. Hæc quidem multi fortasse dicent, in quo apparet, quantus error in hominum uita uersetur. Cum enim plerique tantum laboris in res fluxas impendant; cum omnem uitam in eo consumant, ut eas opes parent, quæ nullum fructum sunt in rebus asperis allaturæ; cum deniq. diuturna sollicitudine conflictentur, ut augeant ea, quæ sunt tandem diritate mortis euertenda; ea tamen minime consequuntur; &, quo magis laborant, & sudant, & omnes neruos in iis quærendis intendunt, eo magis cupiditate indomita cruciantur; quod est extremæ inopiæ, & egestatis, argumentum: nemo tamen ab eorum studio, & cupiditate, remouetur: contra uero, rerum Diuinarum, quæ parari facillime potuissent, studium contemnitur. itaque malunt, cum ingenti labore, & sine ullo fructu, ludibria uitę cōsectari, quam cum summa iucunditate, & amplissimo rerum cælestium fructu, opibus sempiternis affluere. Sed inquis, esse longe difficillimum, ad sapientiam peruenire. hoc quidem dicere licuisset, si tibi, ut, uiribus tuis innixus; sapientiam pares, præscriberem. Sed non ita est. ipsa namque sapientia se facillime illis, qui eam diligunt, ostendit; & prompta, atque parata est omnibus, qui illam peruestigare niturntur. quin etiam hominum studium anteuertit; & omnibus se ultro, atque libenter, offert; & ad se fruendam cunctos allicit, & inuitat; opesque suas libenter explicatas, & euolutas, cum illis, qui studio illius flagrant, large communicat. Qui igitur primo diluculo ad illam se conferre uoluerit, minime laborabit. foribus enim assidentem inueniet, ut adeuntes clementer excipiat. Cogitate de illa, perfectæ prudentiæ munus est. qui gratia illius uigilat, beatæ uitæ statum breui consequitur. illa namque expellit curas inanes, demit sollicitudines, euellit falsas opiniones, studio ueritatis mentes inflammat; & ita tandem statum animi reddit quietis, & tranquillitatis, plenissimum. non enim exspectat, dum homines eam uestigiis omnibus persequantur; sed ipsa potius (tam admirabilis est illius benignitas) omnes se dignos, hoc est, ad disciplinam dociles, qui non obstinate beneficium Diuinum repudiant, inuestigat. itaque omnia circumquaque lustrat inquirens, si quem reperiat, quem sui compotem efficiat. in omnibus igitur uitæ officijs, & actionibus, & institutis, Reipublicæq. gerendæ uiis, speciem suam clementer obiicit; & mentibus, sui cupiditate incensis, occurrit. unde colligitur, uerissimum sapientiæ fundamentum, illius cupiditate, & inflammato studio, contineri. Quisquis igitur illam concupierit, eam consequetur. cupiditas enim incendit animum, & industrium reddit, & in omni officio uigilantem. ignauiam enim repellit, & aciem mentis exacuit, & in studium disciplinæ animum uehementer incitat. studium uero disciplinæ, in caritate consistit. porro autem, caritas cultū, & obseruationem, legis Diuinæ complectitur. legis autem diligens obseruatio, immortalitatis firmamentum continet. immortalitas uero: ad Diuinum statum proxime accedit. cupiditas, igitur sapiētiæ, ad Diuini Regni maiestatē, & amplitudinem, perducit. Si igitur, o principes, & tyranni, uos Regiæ sedes oblectant, si uobis sceptra iucunditatem afferunt, regnandiq. munus rebus omnibus anteponendum arbitramini; unice sapientiam colite, ut in perpetuū regnetis. quæ uis autem sapientiæ sit, & unde ortū habuerit, enuntiabo; neque mysteria silentio compressa tenebo; sed, quo modo edita ab initio fuerit, peruestigabo, ut uobis notitiā illius explanē, & Diuinam illius formam in luce constituam. ueritatem minime præteribo, neque in huius uitæ cursu committam, ut inuidiæ tabe conficiar. qui enim sapientiæ fructum ob inuidiam celat, neque patitur alios participes illius fieri, benignitati sapientiæ ipsius aduersatur, & communione illius excluditur; præterea, genus humanum salute priuat. salus enim mundi, in sapientium multitudine consistit. & Rex prudens, est populi totius firmamentum. ergo, cum tantus fructus in sapientia sit, meum est, uobis omnibus opes illius sempiternas exponere: uestrum Cogitare ergo de illa, sensus est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uero,meis uerbis animum diligenter intendere, ut utilitatem eximiam capiatis.

CAP. VII.

Sum quidē & ego.

ATque,ut id facilius præstare queam, in me exemplum proponam, quod intueamini, & quod imitemini, si uultis ijsdem rationibus, quibus ad sapientiam adspiraui, ad illius studium similiter eniti. Sum quidem etiam ipse homo mortalis,eadem cum reliquis omnibus condicione generatus. primum enim,generis humani parētem,qui e terra fictus,& informatus,fuit, auctorem mei generis agnosco;& exploratū habeo, fuisse ad me, cum sanguinis propagatione, illius etiam imbecillitatem, naturæq. fragilitatem,tamquam hereditario iure,transfusam. Iam uero, si generationis rationem animis agitemus, quid humilius, & abiectius,excogitari potest? caro namque mea in matris utero decem mensibus figurata, & informata, fuit. primum enim, uiri semen, cum turbulenta uoluptate diffusum, in locis inhæsit. accesit deinde, conuenientis somni temperamentum, ad maturitatem seminis accommodatum, quod in sanguinem uersum paullatim concreuit, usque eo, dum ossibus, & neruis, consolidatum, & animatum, & maiore quadam ui spiritus uitalis impulsum, in lucem prodiret. Editus demum in lucem, aerem communem duxi, & in eandem terram, uariis morbis, & periculis, infestam, in quam reliqui mortales exponuntur, abiectus fui; primamq. uocem, similiter, atque homines alij faciunt, cum fletu,& lugubri querimonia, misi. tum, pannis inuolutus, non mediocri cura, & sollicitudine, enutritus fui. nam tam insignis naturæ fragilitas, tantis periculis obiecta, non potest, absque magna parentum custodia, & uigilantia, conseruari. nullus autem Rex diutius habere potuit a reliquis hominibus uitæ principium. Iam uero, exitus uitæ qualis tandem sit, est omnibus explorate cognitum. nihil enim morte truculentius esse uidetur, nihil horribilius, nihil, quod magis debeat humanæ superbiæ securim infligere. omnia namque, quæ hominum uulgus admiratur, exstinguit,& delet; spes inanes incidit; cogitationes uanitatis,& amentiæ, conuincit. quid est igitur in uita, cur ij, qui in imperio sumus, debeamus nos reliquis hominibus anteferre, cum eadem sit omnibus in uitam ingressio, & eadem similiter a uita communi digressio? Cum id igitur cernerem, unam solam rationem uidi, qua possem e periculis, & morbis, quibus est uita mortalis implicita, liberari, & e fluctibus, quibus natura circumuenti sumus, emergere. ea autem, in una sapientia posita est. ea namque sanat morbos;depellit pericula; firmat uires; illustrat mentem; hominumq. naturam ad similitudinem mentis Diuinæ perducit. Statui igitur, omnes meas cogitationes esse ad studium sapientiæ conferendas. Quo modo uero eam consecutus sim, operæ pretium erit animaduertere. Num orbem terrarum,sapientiæ caussa, peragraui? num e longinquis terris magistros adsciui, quos magna mercede conducerem? num artes uarias, atque multiplices, humanis ingenijs excogitatas,acerrimo studio consectatus sum? Nihil horum. Quamuis enim humanæ sapientiæ disciplinam minime cōtemserim, intellexi tamen, uerissimæ sapientiæ rationem, non hominum inuentum esse, sed Dei munus, atque beneficium. Primum igitur, sapientiam ardentissime concupiui, uotaq. mea continuo prudentiæ fructus uberrimi consecuti sunt. illam castis,& assiduis, precibus inclamaui; & spiritus sapientiæ confestim in animum meum penetranit. unde colligi potest, acerrimam sapientiæ cupiditatem, cum precibus ad Deum fusis, & uotis ardentissimis, esse uiam, & rationem, qua uerissima sapientia comparatur. ergo,cum uoti compos essem factus, studium,quo ante nimis acriter exarseram, minime remisi. quæ enim negliguntur, neque studiose quæruntur, neque cura, & sedulitate, debita conseruantur; & fic fit, ut omnes opes ijs, qui rerum altissimarum pondus non expendunt, euanescant. quod quidem flagitium ne admitterem, operam sedulo nauaui. sapientiam enim imperiis maximis, & regnis, anteposui; diuitias ingentes, comparatione illius, pro nihilo putaui; gemmas, & lapides pretiosos, præ sapientia, contempsi. nam auri etiam ingentes acerui, si ad sapientiæ opes respicias, arenæ exiguæ instar obtinebunt; & omne argentum nihilo plus, quam lutū, æstimabitur. neque solum ea, quæ sunt extra corpus, ad sapientiam spectans, minimi faciebam; uerum & ea, quæ in corpore ualde expetenda uidentur, præ illius studio, contemnenda iudicabam. illam enim multo ardentius, quam sanitatem, & pulchritudinem, expetiui. statuiq. illam pro luce perpetuo contemplari. splendor enim illius non occidit umquam; neque terris occulitur; neque obductis nubibus obscuratur; neque ab eorum adspectu, qui eam carissimam habent, ulla tempestate remouetur; ita, ut sit Solis claritati longissimo interuallo præferenda. Cum illa porro omnia bona mihi feliciter obuenerunt. & diuitiæ innumerabiles, quas illa complexu suo continet, ad me, benignitate illius, delatæ sunt. ut enim, illa secluſa, nihil est in uita, quod bonum possit appellari,cum omnia ad pestem, & exitium, hominum furore, & amentia, conferantur;ita, cum illa præsens adest, omnia sunt ampla, clara, & utilia,& ad salutē, & honestatem, accōmodata. itaque ex omnibus rerum formis insignem uoluptatem capiebam;nempe, cum essent omnia sub ductu, & imperio, sapientiæ constituta. atqui, ante quam essem hac luce perfusus, ignorabam, generationem bonorum omnium sapientiæ gremio contineri. quæ enim illius moderatione diriguntur,salutaria sunt;quę uero illius prouidentia carent, exitiosa sunt, atque mortifera.unde concluditur, cum, qui sapientia

Propter hoc optaui

Venerunt autem mihi omnia.

pientia præditus est, esse omnibus bonis affluentem.eam sine ulla simulatione didici;sine inuidia cōmunico.illa namque dolum, & fraudem,odio persequitur; & ab inuidis lucem remouet. uult enim omnes opibus Diuinis large, atque munifice,locupletari.minime igitur diuitias illius occultabo. nec enim periculum est, ne largitione nimia consumantur. inexhaustus enim, atque perennis,est thesaurus illius, ad hominum utilitatem propositus:quo qui utuntur,cum Deo, arctissimo fœdere amicitiæ, coniunguntur, propter disciplinæ munera commendari. mihi autē Deus largitus est,recte,& ex animi sententia,dicere;&,antequā eloquar,sensum dignū magnitudine donorū, quę uerbis explicāda sunt, mente, & cogitatione,cōplecti.ipse enim, est sapiētiæ ductor,& oīum,qui sapientiæ uere student,emendator. itaq. tā opes eloquentiæ, quā Diuinarū rerū intelligentiæ, ad auctorē,& architectū,bonorum omnium reuocandæ sunt. in illius enim manu sumus & nos,& orationes nostrę,omniq. prudentia,& officiorum omnium disciplinæ. quæcumque igitur didici,quæ studio,& uigilantia, consecutus sum, quantum in naturæ peruestigatione profeci,illi summo Domino in acceptis referendum esse confiteor.ab illo enim rerum omnium cognitionem,nullis errorum tenebris impeditā, accepi. illius igitur beneficio,id adeptus sum,ut intelligerem mūdi totius fabricam, & ornatum quo modo uidelicet terra, undique pulsa,in medio,æqualibus nixa ponderibus,firma consistat. ut eam deinde mare circumfundat, &, in illius uiscera penetrans, fontibus innumerabilibus,& fluuijs,copiam subministret.qualiter aer utrumque corpus ambiat;qui,cum frigidus natura sit, ætheris tamen ardore temperatus, uim salutarē animantibus cunctis impertit.haustus.n.& frequēti respiratione ductus,cordis incendium refrigerat; animalemque cibum,quo spiritus uitales aluntur, abunde suppeditat. quo pacto deinde ignis extremus,qui supremum locum obtinet, omnia complexu suo cōtineat, & per omnia cōmeans, ita uniuersam naturam cōcalefaciat, ut in profundissimas etiam terrarum tenebras intret, ne quidquam sit in uniuersa natura, quam cæli ambitus coercet,quod illius fomento carere possit. quæ sit elementorum connexio, & conspiratio, mutuaq. temporis exacti decursu uicissitudo,dū quodlibet,in aliorum naturam conuersum, ultro citroque cōmeat, nec prius a suo loco demigrat, quam naturam illius, in cuius locum succedit, quasi ciuitatem adipiscatur. aliter enim formarum confusio fieret, & interitus rerum omnium sequeretur.quæ sit eorum corporū utilitas,& efficientia,quam singulari consilio uapores excitati in sublime ferantur,ut in supera regione cogantur in nubes,& pluuias,& imbres efficiāt quibus fecunditas in terras inducitur, & fontes aquis augentur,terraque grauidata seminibus cunctis animantibus pabula admirabili largitate profundat.similiter etiam temporis initium, & progressionem,atque consequentis ætatis exitum, mente percipio. Solis etiam cursum ratione definio,illiusq. accessum, atque recessum,& binas singulis annis conuersiones,unam ab Austro ad Septemtriones,alteram a Septētrionibus ad Austrum, quam singulari ordine, & moderatione, fiant,cogitatione comprehendo. Quid hic temporum uicissitudines, annorum conuersiones, astrorum situs, & orbium cælestium cursus, ad numerum inter se aptissime concinentes, oratione commemorem? quid animantium naturas,in quibus licet miram sollertiam summi rerum omnium parentis, & conditoris, inspicere? quid illud, quod in belluis acrem feritatis impetum ad periculum arcendum mirabiliter insseuit? nullum enim animal uoluit mundi totius architectus esse naturæ præsidio nudatum, quo possit a se impetum aliorū, uel effugiēdo uitare, uel pugnādo reprimere, uel,se abstrusis latibulis occultando, deludere. Quid referam uentorum impetus,quibus utilitates mirabiles afferuntur? illi namque pluuias effundunt; illi serenitatem referunt;illi tempestates excitāt;illi rursus tranquillitates efficiunt,illi denique sunt,non iræ tantum Diuinæ,uerum etiam clementiæ,& benignitatis,administri. illud etiam emolumentum cunctis animantibus præstant, quod aerem agitatione sua salubrem reddunt. si enim uenti aeré non assidue concitarent, necesse fuisset corpus illud,ut aquam paludibus inclusam, corrumpi, & ita tandem omnes mortales lue conficere. Iam uero,si naturam hominis,reliquorum animātiū principis,perscrutari uelimus, sapientiæ Diuinæ opes explicatas intuebimur. Vt enim corporis figuram ad rationis usum aptam, & habilem,ut statum erectum, ut oculos ad cæli conspectum excitatos, omittamus, quis poterit enumerando recensere;quanta sit memoriæ uis, quanta in mente sollertia, quam admirabile sit ingeniorū ad inuentionem ueritatis acumen, quam excellens sit rationis in toto aīo principatus? Ad illius uero utilitatem non solum animantia cuncta fabricatus est summus ille rerum omnium Dominus, uerum etiam innumerabilem plantarum multitudinem.Quis autem florum suauissimos odores,frondium amœnitatem, fructuum iucunditatem,& pulchritudinem,explicare dicēdo poterit?quis etiam uim radicum,non solum ad stabilitatem,& nutrimentum,ipsarum plantarum, commodissimam,uerum ad morbos etiam depellendos efficacissimam,oratione consequetur? At omnium harum rerum naturas, uel reconditas,& abstrusas,uel in oculis,& adspectu,propositas,animo perceptas habeo;nec est aliquid in orbe terrarum, cuius ratio sit ab intellgentia mea remotum. omnia si quidem me docuit artifex rerum omnium sapientia. continet enim spiritū intelligentia summa prędītum, mentis puritate sanctissimum,natura maxime simplicem,uirtute infinita multiplicē,subtilitate, & mobilitate, omnia penetrantem, non disciplinę obscuritate implicitū,non erroris ullius sordida contagione maculatum,sed,insigni claritate,puritate,sapientiæ diuitias explicantem, & propalam collocantem, ad benignitatem propensum, acutissime

Est enim in illa spiritus.

omnia

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnia prouidentem. neque uis illius impediri, neque probitas teneri, potest, quo minus omnes ad se adeuntes participes sui splendoris efficiat. homines præterea caros habet; promissa immutabili fide conficit; suorum salutem firmo, & inuicto, præsidio communit; animosq. pios omni cura, & sollicitudine, liberat. quid enim metuat is, quem spiritus Diuinus in fidē recipit? nec enim metuendum est, ne opem afferre non possit, cum sit omnipotens; nec absentia illius extimescenda est, cum ubique sit præsens, & per omnem naturam pertineat; oēsque mentes puras, & ab omni terrestri concretione remotissimas, complexu suo contineat. sapientia omnem motum quantauis celeritate concitatum insita celeritate superat; &, propter inexplicabilis puritatis magnitudinem, in omnes se rerum naturas insinuat. halitus enim est, & quasi quidam uapor uirtutis, & potentiæ Diuinæ, & purissima sempiterni splendoris affluentia, a gloria Dei omnipotentis emanans, propter quod nihil potest in illam incidere, quod sit aliqua ex parte sordibus inquinatum. est enim Diuinæ lucis splendor, & Diuinæ actionis speculum, & expressa Diuinæ probitatis imago. porro autem, cum simplex, & una, sit, omnia coercet, & continet; &, cum, in se perpetuo manens, nullam mutationem subeat, omnia commutat, & renouat. uarijs autem ætatibus, cū se animis sanctis implicet, amicos Dei constituit, atque prophetas. neminem enim diligit Deus, nisi illum, qui cum sapientia uiuit. est enim illa illustrior Sole, pulchrior astris, & inter oēs stellas magnitudine claritatis excellit. hāc enim lucem, quam oculis intuemur, tenebræ noctis expellunt. at improbitatis caligo non potest sapientiæ lucem exstinguere. nihil est enim, quod illius moderatione uacet.

CAP. VIII.

SVmma namque potentia, principium, & finem, naturæ uniuersæ complectitur; & summo consilio rerum omnium statum, & salutem, cōstituit; ita, ut nihil sit in quolibet genere, quantum rei uniuscuiusque condicio postulat, quod melius ad utilitatem, aut elegantius ad pulchritudinem, aut ualētius ad stabilitatem, excogitari possit, hanc amaui; hanc ab adolescentia uestigijs persecutus sum; hanc mihi sponsam ardenter expetiui; amore pulchritudinis illius mirabiliter inflammatus sum. quam illustris, & clara, sit nobilitas illius, ex hoc clare cernitur, quod perpetuo Dei conuictu perfruitur, nec ab illius coniunctione tempore ullo diuellitur. nam rerum omnium Dominus eam amore summo prosequitur. est enim sacerdos, & interpres scientiæ Dei: omnia Diuinorum operum sacra, cum religione summa, conficit: omnesq. Diuini numinis actiones ardentissimo studio consectatur. Si diuitiæ in uita expetendæ sunt, quid sapientia, nempe, quæ omnes rerum formas finxit, & informauit, excogitari potest opulentius? Si prudentia res maximę geruntur, quid sapientia mundi totius opifice informari aio potest, ad res perfectę gerendas artificiosius? Si iustitia, specie, & pulchritudine, amabilis, & expetenda, uidetur omnes, sapientiæ labores in uirtutum omnium studio consumuntur ad temperantiam enim instruit; prudentiam tradit; iustitiæ lumen porrigit; fortitudinis inuicto robore confirmat. quibus opibus, & ornamētis nihil esse potest hoium uitæ salutarius. Si uero est quisquā, qui multarū rerum cognitionē ad uitæ sapienter degendæ rationē proficere arbiretur; hęc totius antiquitatis memoriam replicat; futura, multo ante, quam eueniat, coniectura consequitur; sophismata contorta dissoluit; uerborū inuolucris obducta perspicit; signa, & prodigia, prouidet; totius consequentis ætatis euentus explorat. illam igitur mihi uitæ sociam adsciscere decreui; nec ab illius umquam familiaritate disiungar. certus enim sum, si consilia illius fuero secutus, fore, ut bonis semper affluam; & nullis unquam malis afficiar. illa namq. me leuabit curis, omnemq. ab animo molestiam dimouebit. illa enim sectatores suos consilijs salutaribus erudit, & ad studium summæ felicitatis adhortatur, & animum sollicitudine liberat; & incredibili iucunditate perfundit. nec est, cur quisquam, propter adolescentiam, se fructum illius assequi posse, diffidat. munera enim Diuina nō senectuti tantum, sed etiā iuuentæ, atque adeo pueritiæ, conferuntur; modo fides, & pietas, & ardor animorum, mentes ad rerum cælestium, atque Diuinarum, cupiditatē frequenter exsuscitet. sapientia enim non studio humano, sed beneficio Diuino, continetur. ad beneficia uero Diuina comparanda, non ætatis longitudo, sed pietatis, atque uirtutis, amplitudo requiritur. quamuis igitur iuuenis sim, sapientiæ opera apud multitudinē insigni gloria florebo; & apud senes honore summo cumulabor: in iudicijs, acuminis, & integritatis, documēta statuā; potentibus admirationem commouebo. quamdiu tacuero, exspectabunt, dum eloquar. dicentis uero sententiam animis ualde attentis excipient: si autem fuero lōgius dicendo prouectus, admiratione defixi conticescent. studio sapientiæ, immortalitatē adipiscar; & nomen meū erit sempiternæ memoriæ consecratum; omnisq. posteritas laudes meas crebris sermonibus usurpabit. regam populos; gentes imperium meum libentissime sequentur. immanes tyranni, nominis mei famam pertimescent; in multitudine conseruāda, clemēs, & benignus; in hostibus acri bello coercendis, egregie fortis, apparebo. cum me domum recepero, in gremio illius acquiescam: illius enim familiaritas, & consuetudo, omnem acerbitatem longissime repellit. nec enim sceleris conscientia torquebit eum, qui, a sapientia monitus, nullum in se scelus admisit; neque metus afflictabit eū, qui est Diuino præsidio circumsæptus; neque inopia cruciabit animum illius, qui uerissimis opibus abundat; nec dolor attinget hominis illius mentem, qui est admirabili uoluptate cumulatus. hæc autem omnia præstat sapientia, ut non modo mala omnia depellat, uerum

Generositatem illius.

Proposita ergo hæc.

rum etiam, ut omnibus summis bonis expleat eos, qui se totos ad illius studium contulerunt. itaque, neque domi, neque foris, neque cum bellum exarserit, neque cum pax constituta fuerit, nec in negotio, nec in otio, tempus erit ullum, quo non omnibus, qui sese ardentibus animis ad studium illius adiunxerint, non plurimum beHæc cogitans apud me. nignitatis, atque suauitatis, impertiat. Cum hæc mecum reputarem, & animaduerterem, omnia bona cognitione sapientiæ contineri; illa namque, ad immortalitatem uiā munit; illa, stabili, & honesta, uoluptate mentes caras oblectat; illa, preclaris actionibus sempiternas diuitias congerit; illius exercitatio, & consuetudo, prudentiam exacuit; illius colloquium, nominis claritatem, & gloriam, confert; hæc igitur cum animo uersarem, omnia circumbam, inuestigans, ecquis esset, cuius disciplina possem compos illius euadere. his autem naturæ opibus instructus eram, ut ea minime mihi desperāda uideretur. puer enim eram ingenio acri; animamq. nactus sum egregia bonitate præditam; aut, ut rectius dicam, cum ipse natura bonus essem, nec enim tam corpore, quam animo, censendus sum, in corpus nullis flagitijs inquinatum immigraui: itaque nihil fore uidebatur impedimento, quo minus ad sapientiam peuenirem. uerum tamen id tandem intellexi, neque naturę præstantiam, nec acumen ingenij, neque corporis sanitatem, neque summum studium, sapientiam continere. cæleste nāque bonū est, splendoris sempiterni lumen, Diuinumq. beneficiū non ab humana industria, sed a Dei clementia, postulandū. mente igitur percepi, me numquam sapientię participem futurum, nisi Deus lumen suum mihi porrigeret. quod quidem iam fuit prudentiæ non mediocris argumentum, intelligere nempe, cuius esset hoc tam immortale beneficium, ne tempus, & operam, frustra consumerem. nullis igitur ingenij uiribus, aut naturæ præstantia, aut doctoris eloquentia, mihi nitendum existimaui; sed omnem sapientiæ spem in clementia Diuina constitui. ad preces igitur, & uota, conuersus, toto animo me ad Deum contuli; & his uerbis, ut mihi sapientiam traderet, ardenter aflagitaui.

CAP. IX.

Deus patrū meorum.

DOmine, qui maiores meos singulari tibi beneficio deuinxisti; qui eximia in illos clementię tuæ munera cōtulisti; qui oia, quæ super, subterq. sunt, uerbo tuo cōstruxisti, sapientiaq. tua hoiem formasti; qui rebus a te cōditis dignitate præcelleret, & cūctis animantibus imperaret, & mundū cū pietate, atq. iustitia, gubernaret, &, animi æquitate cōformatus, rectissime iudiciū exerceret; tribue mihi sapientiam, solio tuo semper assidentem; ne meum, quęso, postulatum repudies; nec aditum ad familiam tuā intercludas. seruus enim tuus sum, iam ex utero matris meæ ancillę tuæ ad seruitutem hāc sanctissimam destinatus, ut optimo iure debeam uernis tuis adnumerari. homo sum, fragilis, & imbecillus, & in uitam ingressus breuis, æui spatio definitam; neque per me possum ad notitiam iudiciorum, atque legum, adspirare. Quamuis autem essem omnibus uel naturæ, uel doctrinæ, uel bonorum omnium, quæ uertantur in uita, præsidijs instructissimus, quo tandem modo possem munus mihi commissum, auxilio sapientiæ tuæ priuatus, administrare? quamuis enim homo reliquis rebus omnibus egregie cumulatus sit, & omnibus hominibus ingenio, & disciplina, & opibus, ante cellat, si tamen fuerit expers sapientiæ tuæ, pro nihilo ducendus erit. quo uero maius onus fuerit cuilibet impositum, eo magis erit sapientiæ tuæ lumine, & claritate, collustrādus. uide igitur, Domine, quantum mihi munus administrandum permiseris. tu me Regem elegisti, quem populo tuo preficeres, ut patrocinium filiorum, atque filiarum tuarum, susciperem; & templum in monte tuo edificarem; & in ciuitate, quam ad habitandum delegisti, aram exstruerem, ad exemplum illius tabernaculi, quod ex omni temporis æternitate designasti, in quo sempiternā tibi sedem, & domicilium, collocares. nihil a te umquam effectum fuit sine admirabili mente, sine summo cōsilio, sine singulari ratione, ita, ut in singulis rebus possit cuiuslibet naturę perfectio, Diuinæq. sollertiæ numen, animaduerti. nam tecum semper ab initio fuit sapientia illa operum tuorum exactissima cognitione prædita, quę simul aderat, cum mundum efficeres, & omnia designabat, & efficebat, quę nouerat tibi fore gratissima. illa namque tenet, quid sit oculis tuis iucundum, & quibus in rebus legis tuæ sanctitas, & æquitas iuris sempiterni, atque adeo totius perfectionis summa, consistat. nos autem, in tantis uitę tenebris, in tanta naturæ imbecillitate, nec intelligimus, quid gerendum sit, nec in eo, quod iudicamus, stare diu possumus. Mitte igitur illā ex sanctissimis sedibus tuis in summo cælo collocatis, ut ex gloriæ tuę solio ad me perueniat, & mecū laborē suscipiat, ut, illius doctrinis instructus, intelligā, quod mihi faciendum sit, ad gratiam tuam colligendam, perpetuoq. uitæ studio retinendam. illa namque nouit omnia, nec est quidquam tam abstrusum, & abditum, quod nō exacte percipiat. illaq. ducet me semper, & sic præibit, ut nihil immoderate geram, sed omnes actiones prudenter, & temperate, perficiam; uirtutisq. suæ gloria me tuebitur; omniaque a me pericula repellet. tūc igitur opera mea tibi erunt acceptissima, populumq. tuum cum iustitia regam; dignusq. uidebor regno, & imperio, patris mei. Quis enim inter homines est, qui possit Dei consilium mente, & cogitatione, percipere? quis, quæ uoluntas illius sit, aut in quem finem statuta illius dirigantur, intelligeret? cogitationes enim mortalium timidæ sunt, lubricæ, & periculosæ rationes, ita, ut aut consilium minime cōsistat, aut, quod erat a nobis ad salutē excogitatum, in perniciem impellat. corpus enim mortale, & caducum, pondere suo animum in terram deprimit; terrestreq. domicilium mentem curis anxiam, & de

Mitte illā de cælis.

Quis enim hominum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de corporis cura sollicitam, abijcit, & impeditam tenet, ne possit supera, atq. Diuina, cõsideratione uersamur, ut uix rationes earum rerum, quæ sensibus obiectæ sunt, & quas manu contrectamus, inuestigare, cum maximo labore, possimus. ea igitur, quæ sunt in cælo recondita, quis poterit explorare? & consilium tuum quis mente, & ingenio, consequetur, nisi is, quem tu sapiẽtiæ tuæ luce collustraueris, & quem Spiritus sanctus, a te ex altissima sede missus, erudierit? Si igitur aliquis in uita pure, & sancte, pietatem coluit, si uitam sapienter instituit; si maximarum uirtutum functus est munere, & numquam ab æquitatis directa uia defiexit; si denique, in terris manens, omnia uitæ consilia ad instituta cælestia, & immortalitatem, retulit; omnia hæc sapientiæ tuæ munere gesta sunt. ab ea namque sancti homines, quibus rebus a te gratiam inierunt, didicerunt; illiusq. munere, & beneficio, salutem consecuti sunt.

CAP. X.

Hæc illum qui primus.

HAec primum humani generis auctorem, & principem, qui solus in mundi primordio tuis manibus informatus fuit, cum prolaberetur, & in crimen rebellionis incideret, iacentem excitauit. omniq. labe sceleris expiauit, & in gratiam amissam restituit; &, ut rursus omnia potestate contineret, effecit. at uir ille sceleratus, qui, furens iracundia, fratrem occidit, ideo tanto scrimine constrinxit, quia a sapiẽtia desciuerat, illiusq. imperium detrectauerat. At uero, cum pesteritas, hominis malefici, & impuri, uestigijs ingressa, in omni genere flagitiorum uersaretur, & semper aliquid ad parentum improbitatem adderet, factum est tandem, ut scelera ad summum peruenirent, & peccata tantis accessionibus cumularentur, ut numẽ Diuinum ad ultionem debitam prouocarent. fuit igitur orbis terrarum aquis obrutus, & omne sobolis impurę semen exstinctum. sapientia uero, exundis illis ultricibus iustum eripuit, fragiliq. ligno conseruauit, ut posset iam a puris animis animaduerti, communem salutem orbi terrarum, sacro sancti ligni mysterio, conferendam. ergo, ut id præmonstraret sapientia, tunc, in illa aquarum immensitate, in illis horrendis fluctibus, atque procellis, clauum tenebat; illa cursum dirigebat; illa nauigiũ illæsum conseruabat. itaque sapientiæ gubernaculo fuit iuuto salus allata, & humanum genus interauratum. at, cum scelerum consensus, & conspiratio, iterum terras uniuersas inficeret, & contaminaret, fuit immanis superbiæ consilium impeditum, & perditorum hominum conatus numine repressus, & gẽtes, propter linguarum confusionem, in uarias regiones diss;patæ. in illa tamẽ flagitiorũ colluuione, & iustitię, atq. pietatis, interitu, inuenit sapientia iustũ, quem a sceleris contagione tutum conseruauit, tantoq. robore animi confirmauit, ut nec unici filij caritate potuerit ab officio pietatis abduci. filium enim, ut Dei iussis obtemperaret, manu propria iugulandum susceperit; insignemque uictoriam de natura sibi peperit, cum sanguinis sensum repudiauit, & constãtissime decreuit, omnia artissimæ coniunctionis officia esse sibi, gratia pietatis, omittẽda. Similiter cum ignis e cælo demissus quinque ciuitates infando scelere corruptas exureret, ipsa iustum, illud incendium horrificum fugientem, tutata est, & ab impiorum pœnis eripuit. illius autem exempli, in homines consceleratos editi, testimonium dat, telluris exustæ uastitas, solique fumantis ariditas, & plantæ fructus efferentes inutiles. in cinerem namque dissoluuntur. infidelis animi præterea monumentum insalis columna est ad æternam memoriam constitutum. Cum enim uxor contra id, quod fuerat imperatum, retro respexit, animumq. affixum patriæ moribus, & initiantis, ostendit, perfidiæ supplicium subijt, ut intelligi possit, eos qui sapientiæ præscripta cõtemnunt, oblatumq. illius præsidium aspernantur, non modo ea pœna grauissime puniri, quod ipsius dignitatis splendorem, & pulchritudinẽ, minime cernunt, uerum in eo, quod amentiæ memoriam relinquũt, ut in illorũ erratis eorum dedecus, & turpitudo, celari, & occultari, non possit. itaque illi, qui eam deserunt, omnibus ruinis oppressi, cum insigni ignominia, concidunt: qui eã uero omni studio sectãtur, ab omnibus malis eripiuntur. illa eadem uirum insigni religione præditum, qui fratris sui iram fugiebat, recta uia deduxit, illique lucem prætulit, & Regnum illi Dei monstrauit, mentemq. illius sanctorum disciplinis erudiuit. Cũ enim uir sanctus in somnijs uidit Dominum scalæ innixum, quæ in cælum patens, & apertũ, penetrabat, cum angelos a cælo descendentes, & rursus adscendentes, admiratus est, liquido perspexit, Regnum Dei, quod erat pijs hominibus deferendum, illius numine, & beneficio, contineri, cuius meritis adscensus in cælum datur ijs, qui, cum fide, studio pietatis incenduntur, angelorumq. ministerio, propter insignem parentis optimi clementiam, fulciuntur. itaque sapientiæ præsentis auxilio factum est, ut Iacobi labores, & sollicitudines, euentus felicissimos haberent; &, quo magis oppressus esse uidebatur a rumnis, eo amplioribus diuitijs augeretur: &, cum ij, qui eum potentia superabant, auaritia cæci, illum circumuenirent, sapientia illi præsto fuit; opem attulit; fraudes elusit; iniuriam propulsauit; iustum copijs locupleauit, & ab hostibus eripuit; insidias represit; eumq. inuicto præsidio cinxit; & perfecit denique, ut is in omni maximo certamine uictor semper euaderet, & clarum triumphum duceret, ut experiundo sentiret, nihil esse pietate ualentius. illa similiter iustum uenditum haudquaquam deseruit; illumque, ne se crimine nefario pollueret, purum conseruauit; & in carcerem coniectum robore muniuit; & luce compleuit, usq. eo, dum in sede Regia collocaret, imperiũq. illi traderet in eos ipsos, a quibus indigne uexatus, & oppressus, exstiterat. neque solum illius uitæ, & saluti, consuluit, uerum etiã nomen illius calumnia liberauit, & eos, qui testimoniũ in illum

Hæc autẽ profugũ

in illum dixerant, mendaces ostendit; atque postremo gloriam illi sempiternam contulit. illa Dei populum sanctum, semenq. purum, nulla labe sceleris infectum, a gente, quæ illum iniurijs afflictabat, ope præsentissima liberauit. nam in mentem serui Dei penitus intrauit, ut illum robore uirtutis inuicto stabiliret. deinde, se Regibus metuendis opposuit; hostibus horrorẽ, signis, atq. portẽtis, incussit; sanctis hoibus laborũ mercedem cõstituit, in itinere illo mirabili, se uiæ ducem præbuit; die, ut ardorem solis arceret, suos, inducta nube, protexit; nocte uero; tenebras clarissimo splendore discussit; mariq. discisso, in medijs undis iter aperuit; per profundum gurgitem suos incolumes deduxit; hostes, effusis utrimque fluctibus, obruit; &, horrendo aquarum irruentium fremitu, uniuersam impiorum multitudinẽ demersit. itaq. pij impijs spolia detraxerunt; nomenq. tuum, o Domine, sanctissimum laudibus extulerunt; inuictissimamque manum tuam carminibus egregio concentu modulatis celebrarunt. hæc omnia ita facta sunt, ut nullam laudem possent sibi homines adscribere, cum etiã carmina, & hymni, ipseq. sonorum concentus, & incredibilis harmoniæ suauitas, ad spiritus tui munera referenda sint. tua namque sapientia os mutorum aperuit, & infantium linguas expedit, ut clare, & ornate, & copiose, disseremus.

CAP. XI.

ITaque illorum actiones, qui laudes tuas concinebant, Prophetæ sancti opera, exitus felicissimos habuerunt; uastam, & incultam, solitudinem peragrarunt; tentoria in locis desertis collocarunt; hostium a se impetum fortissime repressêrunt; cum siti flagrarent, opẽ tuam flagitauerunt, & confestim ex prærupta rupe, singulari beneficio, tuo, aqua profluxit. O rem consideratione dignissimam: in locis ab omni hominum cultu derelictis, & Solibus ardentissimis exustis, ad sitim eorum, qui in eo omne præsidium salutis constitutũ habebant, restinguendã, e saxo durissimo fõs aquę dulcis, atq. perẽnis, emanauit. ita factum est, ut quod hostibus acerrimum supplicium fuit, bonis esset admirabile, in afflictis rebus, alleuamentum, beneficiumq. gratissimum. hostes enim, cum sedes haberent prope fluuium latissimum, siti uehementissima cruciati sunt. aquę enim uersæ sunt in sanguinem, ut pœnas ab impijs immanissimæ crudelitatis expeterent, quæ iussu Regis malefici, & iniusti, in eundem fluuium pueros infantes abiecerant. itaque, cum cernerent Nilum cruore fluentem, conturbati sunt, & aquis exclusi acerbissime uexabantur, ut animaduerterent, nullum immanitatis scelus impunitum fore. contra uero, tuis in solo aridissimo constitutis, præter opinionem, aqua repente, incredibili copia, redundauit. sic autem poterat explorate cognosci, eos, qui a te seiuncti sunt, in summa etiam rerum copia, semper egere; at eis, qui te ardenti studio sequuntur, nihil, in rerum etiam summa inopia, defuturum. nec enim quidquam est, uel magnitudine impietatis egentius, uel purissimæ religionis sanctitate locupletius. quid enim poterit deesse illis, qui sunt bonorum omnium fonti perpetuo coniuncti? Sed inquiet aliquis, Cur suos Deus tamdiu siti, & rerum pẽnuria, uexari permisit? Vt eos uidelicet, tamquam clementissimus Pater, erudiret; &, qui erant labe aliqua impuritatis adspersi, castigatos, aliquot plagis ad officium reuocaret. in ea uero siti, quam experti sunt, intellexere, quam acri supplicio fuerant hostes afflicti. Si enim sitis illa, modico tempore definita, tantum cruciatum piis afferebat, quid erit de illa siti, quę hostes in pœnam sceleris diu, atque uehementer, excruciabat, existimandum? Hebræorum enim sitis, erat flagellum cum benignitate patria coniunctum: hostium uero sitis, erat acerbum supplicium, seueritate potentissimi Regis irrogatum. unde colligitur, quid inter asperitates rerum, quibus boni interdum afflictantur, & cruciamenta, quibus impij torquentur, interfit. boni namque ideo uexantur, ut, probati, mercede, & præmio, cumulentur; improbi uero, & in scelere pertinaces, ut exitio pestifero consumantur. ita perditi homines, & absentes post Israelis abscessum, & præsentes antequam Israel ab illis semigraret, pœni sagitabãtur; nec ullum poterant reperire in funestissima calamitate solatium. duplici enim mæstitia, & angore, confecti, iacebant, cum & eorum, quæ passi fuerant, memoriam, cum gemitu, & fletu, retinerent, & fama benignitatis, qua Israel erat mirifice recreatus, ad aures eorum perueniret. nam non solum eos angebat malorum, quæ fuerant perpessi, recordatio, uerum etiam beneficiorum, quæ Deus eo ipso tempore in suos conferabat, animaduersio. enim inuidiæ cruciatus. acerbissimus. animum immani morsu lacerans; & perpetua tabe conficiens; quo quidem Aegyptij assidue torquebantur. cum enim essent ardentissima siti conflictati, Hebræi sitim iucundissime depellebant; cum essent in dẽsissimis tenebris immersi; Hebræi clarissima luce fruebantur; cum illi in sectorum spicu lis, & brutorum animantium morsibus, laniarentur, nullum genus animantis Hebræis molestiã exhibebat; cum uarijs morborum doloribus essent oppressi, Hebræi, uiribus, & sanitate corporis, erecti, in dolore maleficæ gentis exsultabant. &, ne omnia suppliciorum, & beneficiorum, genera persequamur, in omni genere pœnarum, quibus Diuini nominis hostes affligebantur, contraria suppliciis beneficia numinis sanctissimi cultores lętitia mirabiliter efferebant, & in utraque ratione suam Deus potentiam declarabat, ut hostes euerteret, & suos muneribus Diuinis afficeret. in hoc uero, quam rectum sit illius iudicium, signis admirabilibus indicabat, quod rebus eisdem, quibus Deum offenderant, pœnas exsoluebant. nam illius, quem expositũ, & abiectum, in principio exstinctum crediderant, & in cuius oppressi, atque desperati, (ut opinabantur) exitio cachinnos sustulerant, tandem in fine uirtutem, & præclarissimas actiones,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes,admirati sunt,cũ se euersos esse cernerent,& longe aliter,quã iusti postea fuerũt, uehementer excruciatos.iustis enim,cęlesti beneficio,subuentum repęte fuit;illi uero fuerunt omni Dei subsidio destituti. pro sceleris autẽ amentia,& cęcitate,qua honores Deo debitos, ad serpentes rationis expertes,& immanes belluas,transtulerunt, & monstra horribilia in Diuina sede posuerunt, quibus,dira superstione cõflictati,hostias immolabant,immisit in illos Dominus,in tam scelesti facinoris ultionem,brutorum animantium multitudinem,ut posset ab omnibus intelligi, iuris Diuini rationem postulare,ut per ea quisque puniatur,per quæ Dei maiestatem,sanctissimamq. illius religionem, uiolauit. quod tamen sensim in principio factum est. minuta namq. animantia pœnas ab Aegyptijs nefarij sceleris expetiuerunt.nec enim omnipotens manus tua,quę mũdum ex informi materia finxit,& expoliuit,uiribus aliunde collectis, indigebat, quibus hostes nominis tui primo impetu deleret. facillime nãque potuisset ursorum multitudinem, uel leonũ truculentiam, uel belluas recenti condicione formatas,& incognitas, iracundia furentes,& ignis incendiũ ore, atque naribus,anhelãtes,cum densa fumi caligine horrendos fremitus edentes, & oculis fulgurantibus coruscantes, incitare, quæ non solum eos morsu dilacerarent,uerum & ipso adspectu perturbatos interimerent.quin etiam, sine ullis feris,scelerum pœnis impulsi,unius turbinis impetu,concidissent, magnitudine turbulentissimæ tempestatis agitati.uerum tu Domine,omnia mensura,numero,& pondere, moderaris.immensa namque potestas penes te semper exstitit: & brachij tui robori quis obsistet? uniuersus enim mundus in cõspectu tuo est,instar momenti, in statera, quæ nullum ferme pondus habet,ad alterutram lancem inclinatione leuissima deprimendam; & est similis guttæ roris matutini, quæ, cum primum in terram delabitur, euanescit.uerum enim uero omnium misereris, & insita benignitate impediris,quo minus,ubi quisque delinquit, supplicium repente sumas. itaque,ut hominibus resipiscendi spatium concedas, uindictam in longum tempus differs. omnia enim,quæ sunt in rerũ natura, diligis. nihilq. eorum,quę condidisti,odio prosequeris.nõ enim odium,sed amor,te impulit, ut omnem mundũ, illiusq. partes,exstrueres.aliter enim,quo tandẽ modo cohęrere,& permanere,potuisset, si turbus a te delignatis,& cõstitutis,infensus exstitisses? Verbum tuum est, quod omnia conficit, & conseruat, opeq. presentissima tuetur. ea, quæ non sunt,ubi primum ea uocas:in natura consistunt.naturæ igitur,atque formæ,beneficiũ, tuæ uocis potentia continetur. quo modo igitur id, quod a te uocatũ minime fuerit, idest,quod uerbi tui numine non fuerit informatum, a te conseruabitur,cum nullo modo sit?Cum igitur omnia a te creata sint, consequens est, ut omnia,secundum insitã naturæ uim,bona sint;& ita a te minime negligantur.oia namq. tua sunt,o Dñe clementissime, animarum parens,& amator,

Multum enim uidere

CAP. XII.

O quã bonus & suauis.

SPiritus enim tuus,nulla labe contaminatus, omnibus præsens adest, ut lapsos erroris paullatim coarguat,&,quibus in rebus deliquerint,ostendat,& admoneat, ut a flagitijs omnibus auersi in te respiciant;tibi uitam,& salutem, credant;& bonorũ omnium spẽ in sola tua benignitate reponant. Et enim antiquos huius sanctæ telluris incolas odio,propter scelerum multitudinẽ,habuisti.peccatis enim es acriter infensus, inexpiabileq. bellum cum illis perpetuo suscepisti.at illi,in tęterrimis ueneficijs, multum operæ,& studij,consumebant;dira sacrificia peragebant;omni sensu humanitatis spoliati, filios, in honorem falsorum deorum, immanissime iugulabant;& humanarum carnium uiscera in sacris funestissimis deuorabant: mysteque ex medio sanguine, quem fuderãt, funestum epulum, ut numen tuum (tanta erat in hominibus amentia)placarent,instituebant.quasi enim tu innocentium cruorem exquireres, ita illi miseros homines, omniũ auxilio penitus orbatos,ad sacrificiũ pertrahebant;&,religionis obtentu, erant misẽrãdæ cædis,immanissimęq. crudelitatis,auctores,hos igitur delere,maiorum nostrorum opera, statuisti,ut,cuersis impijs,in terrã,quam tu præcipue maximis beneficijs ornare,& amplificare, uoluisti,filiorũ tuorum coloniam deduceres. attamen illis ipsis,qui tam immania facinora conflauerant,consultum esse uoluisti,& iccirco ante exercitum tuum,quasi milites antesignanos,uespas immisisti; ut paullatim hostes exscinderes, cum eos facillime potuisses acie instructa profligare,& in iustorum potestatem redigere;aut bestijs immanibus, uel denique inflexibilis uerbi rigida seueritate,conficere.cum uero, in summis sceleribus uindicandis, ita iuris rationem habeas, ut magnas etiam lenitatis, & clementię partes suscipias, illis etiam scelestissimis hominibus pœnitentiæ locum dedisti; & leuioribus eos a principio plagis attriuisti, ut illos ab insita prauitate deterreres:& hoc,cum scires,genus illud esse insita impietate deprauatum,& ab origine turbulentissimos errores cum lacte suxisse, & maiorũ exẽplis,& domesticis institutis, & diuturna peccandi consuetudine, sic esse morbum in eorum animis inueteratum, ut sanari nullo medicamento,propter eorum contumaciam,possent. erat enim uniuersa illa natio iam pridem exsecratione deuincta,& ita i flagitijs obstinata, ut omnem disciplinam respueret. quamuis autẽ id futurum prospiceres,nõ tamen id tibi fuit impedimento, ne tuum officium faceres,eosq. ad clementiæ tuæ fructum alliceres. non, quod aliquem ueritus esses,aut alicuius personam respiceres,supplicium differebas, & eis peccatorum ueniam,si uellent in iustitiæ uiam ingredi, clementer impertiebas. quem enim metuas, cum omnia ante,numen tuum maximum, & præcellentissimum,pro nihilo sint?quis a te eorum,quę geris,rationem repetet? quis te in crimen uocabit,cum gentes,quas fecisti,eorum sceleribus infensus,

fensus, euerteris?aut,quis se, cum iudicium constituas,interponet,ut pro hominibus profligatis, atque perditis,causſam dicat?nullus enim Deus est, præter te, qui omnia curet,regat, & moderetur, ut sit tibi necesse demonstrare, te nõ iniuste sententiam tulisse. nec rex, neque tyrannus, est ullus, qui oculos attollere audeat, cum tu facinorosos homines iudicio peruertis.iustus enim cum sis, iuste omnia gubernas; nihilq. est a potentia tua magis alienum, quam innocentem condemnare. itaque statuendum est,cum hominum euertis, cum imperiadeles, cum genus exstinguis, cum ex omni memoria nomen gentis exterminas, id te feciſſe scleribus infandis irritatum.potentia namque tua numquam ab æquitate seiungitur.nempe,quæ sit ipsius iustitiæ fundamentum: & clementia tua, qua omnia cum infinita potestate complecteris,facit,ut omnibus ignoscere uelis.itaque,qui pereunt,sua culpa pereunt,eo quod insita prauitate,& pertinacia, fieri nolnerint clementiæ tuæ participes. at uero, cum homines metum deponunt, iudiciaque tua minime pertimescunt, &, quanta uis potentiæ tuæ sit, credere recusant,neque uolunt intelligere numen tuum teneri non posse,quo minus omnia, quæ uelit, efficiat;tum potentiam tuam admirandis operibus ostendis,improborumq. audaciam accerrime coerces, & impudentiam seueriſsime retundis. improbi igitur hoſes te prouocant, & consuetudo,scelerum, & flagitiorum, diuturnitate confirmata, facit, ut uim reconditæ seueritatis excites, & plantaria improbitatis euellas, ne plus nimio fructificent, & terras uastitate consumant. nam, quod in te est, potentiam tuam cohibes, & iudicium cum summa æquitate moderaris; & ita nos gubernas,ut omnibus, qui ad te suppliciter adeunt, clementer ignoscas. itaque iudicium, quod in hominibus tuendis, & a scelere reuocandis, exerces, est cum clemẽtia summa coniunctum. attamen, cum id ratio iuris efflagitat, cum aliter improborum audacia coerceri nequit, cum id tuorum salus exposcit, præsto tibi semper est potentia,qua aduersarios,cum uelis,exterreas.uerum tuę probitatis clariſsimum documẽtum statuisti, ut intelligeret populus tuus, oportere iustitiam cũ humanitate,& beneficentia,coniungi.cum enim in eo posita iustitia sit, ut te semper ob oculos, ut absolutiſsimum totius uirtutis, & probitatis,exẽplum,ad imitandum,propositum habeamus; & in operibus tuis uideamus, numquã iuris seueritatem eminere,quin prius clementię significatio mirabilis antecedat;clare cernimus, iustum esse nõ posse,nisi eum,qui benignitatis,& clementiæ, laudibus excellat.in quo quidem magnam spem salutis filijs tuis effeciſti.nec enim dubitãt, cum deliquerint,quin,si eos pœnituerit impuritatis,& fuerint a peccatis ad officiũ traducti, eos rursus in fidem recipias. si enim hostes seruorum tuorum capitalibus criminibus alligatos non prius euertiſti, quam eos sæpius admoneres, & in eo nimis insisteres, ne se præcipites in sempiternam miseriam darent, & uindictam etiam distuliſti, ut tempus, & locum,haberent, quo possent improbitatis flagitia detestari; quanto studioſsius, & diligentius,existimandum est,te curaturum;ut filij tui,cum quorum patribus olim fœdus percusſisti,quos,summorum bonorum promiſsis, ad firmiſsimam spem immortalitatis erexisti,quibus etiam sanctiſsimo iureiurãdo fidem tuam obligasti, salutem e clementia tua consequantur. Cum nos igitur moderatis uerberibus castigas, plagas innumerabiles hostibus nostris imponis, ut de probitate tua ppetuo cogitemus, dum hostium supplicium,illis,nostri gratia,constitutum,exacte perpendimus,&,dum rursus de nobis iudicium fit.ad spẽ misericordiæ tuę rapiamur.inde adeo factum est, ut iniustos homines, qui in summa ueritatis ignoratione uitam impie, ac nefarie,degebant,ipsius exsecrandæ improbitatis instrumentis,quibus secontaminabant,excruciares.etenim, cum breui, atque directa, uia potuiſsent ad tui cognitionem, sine ullo errore, peruenire, a uia prorsus aberrauerunt,&,in uiam longiſsimam,a cęlo deiecti,dum numen in terris exquirunt, se dederunt, more stolidorum infantium delusi,ita,ut nullum exitum,in tantis errorũ tenebris,inuenirent.eoq. tandẽ dementię progressi sunt,ut etiam animantibus humi repentibus,& hominum generi uehemẽter infestis, Diuinitatem tribuerẽt. quocirca, ut pueris ratione carentibus, in erroris insiti ludibrium, leuiores plagas inflixiſti;ut nõ modo ab illis ipsis belluis, quas colebant,sed etiam ab insectis,quæ ratione contemnebant,acerbiſsime uexarentur:quod tamen supplicium,aliorum comparatione,quæ subeunda restabãt,erat pro ludo reputandũ. Nam, qui leuioribus plagis de officio suo admoneri nolunt,grauiſsimum tandem supplicium perferẽt, Diuini iudicij seueritate constitutum, quod illis contigit, eoquod in scelere insignẽ cõtumaciam adhibuerunt, cum nullam iniustitiæ excusationẽ habuiſſent. cũ enim, cladibus oppressi, grauiter ingemiscerent, & uiderẽt se sceleris pœnas luere, ob id,quod deos opinarentur eos,a quibus iuuari in calamitate non poterant,interipsos enim,& eorũ causſa torquebãtur,& ita malis edocti, percepere,uerum Deum esse,quem se prorsus ignorare dicebant,a quo plectebãtur,& nõ eos, quos fuerant errore mentis impio,atque nefario,uenerati.qui tamen,cum,neque,plagis eruditi, ab inueterato crimine resilirent,consentaneum tandẽ fuit,ut in diriſsimam calamitatem inciderent,& extremo supplicio mactarentur. Sic demũ fuit perditæ gentis insolentia compressa, & summa eorum, qui sibi summam sapientiam arrogabãt, amentia redarguta. uera namque sapientia in Dei cognitione consistit.

Virę enim tua.

Docuisti autem populum.

CAP. XIII.

VNde colligitur,omnes,qui Dei cognitionẽ aut nõ acceperũt, aut ingrate,& impie, repulerũt,esse demẽtiſsimos. quid.n. amẽtius esse potest,quam lucem oblatã aspernari,& tenebras furentes amplectiẽtur,qui,Deum ignorant,lucem

Vani sunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

odio perſequuntur;tenebras amplexantur; ueritatem deſpiciunt;mendacijs oblectantur;uitam fugiunt;& in mortem ſe præcipites dant;omniq. ſtudio in ſupplicium ſempiternum rapiuntur. cum enim ex uarietate, & pulchritudine, rerum facillime potuiſſent artificis ſummi ſapientiam, & poteſtatem, ſanctiſsimumq. numen,agnoſcere; nec in opera Diuina mentem intenderunt; nec optimo parenti gratiam habuerunt;uniuerſæq. naturæ uoces,quæ Dei laudes enuntiabant, aſpernati ſunt. itaque, a diſciplina ueritatis auerſi, & ſcelere impietatis excæcati, Deo uero neglecto,inanes ſibi deos adſciuerunt.nam, aut ignis ardorem, aut uentorum uim, aut aeris circumfuſi naturam, aut orbem cæleſtem ſideribus diſtinctum,aut aquarum impetum, aut Solem, & Lunam,& aſtrorum aliorum ſpecies, deos eſſe,ab illiſq. mundum gubernari,ſtatuerũt. Quid autem miſeros homines in fraudem impulit? Num clara ſpecies,atque pulchritudo? At intelligant, quanto pulchrior ſit earum formarum Dominus. is enim,qui eas creauit, eſt pulchritudinis totius architectus,ita, ut nihil eſſe poſsit aptum,elegans,atque decorum, & oculis, inſita quadam uenuſtate, iucundum,niſi cui Deus decoris,& uenuſtatis,cauſſam attulerit. Num uis, & efficientia,earum rerum,quas memoraui, tantam hominibus admirationẽ commouit,ut illas in ſede Diuina collocandas exiſtimarent? At,ex eorum ui, facile erat,concludere,quãta, eſſet uis illius,qui eas omnes condidit,& ſingulis uim efficiendi muneris, quod cuilibet imperatum eſſet, impertiuit.Ex magnitudine enim, & pulchritudine,rerum conditarum,conditoris,atque parentis,numen,qui naturam uniuerſam finxit,agnoſcitur. hi tamẽ minore uituperatione digni ſunt. Deum enim ſibi ſummo ſtudio inquirẽdum exiſtimabant; &, cum omnem mentem in naturæ perueſtigatione contuliſſent, rerum cæleſtium admiratione defixi,in eum errorẽ,ab oculis perſuaſi, delapſi ſunt,ut ijs rebus Diuinitatem attribuerẽt,quibus nihil ad adſpectum pulchrius intueri poterant. quamquam nec hi quidem abſolui ſcelere poſſunt.qui enim tantum ingenio ualebant, ut ea,quæ erant obſcuritate naturę inuoluta,& tenebris demerſa, perſpicerent,& mentem in æternitatem intenderent,cęleſtesq. plagas cogitatione peragrarent,quo tandem modo principem,& dominatorẽ,earum rerum oium, nõ multo facilius inuenerunt?quo modo enim poteſt rerũ uniuerſitas ſine imperio conſiſtere; aut ordo ſine moderatione conſeruari; aut motus æquabiles,certoq. numero definiti, ſine ſapientiæ præſcriptis intelligi; aut deniq. naturæ uniuerſæ ad cõem utilitatem conſenſio,ſine moderatoris,qui eã cõcinnauit,notitia cõprehendi?Neceſſe igitur erat,ut ij,qui naturã ſpeculabãtur,ingenio facile perciperent,eſſe uim ſempiternã, naturæ parentem, immenſa potentia, & ſumma ſapientia, & probitate infinita,prædita,omni religione uenerandã,& pietatis ardentiſsimo ſtudio colendam. Qui igitur in natura peruestiganda oẽm uitam cõſumebant,& tamen uerũ Deum minime colebant, nullã ſceleris excuſationẽ habere poſſunt. hi tũ, rerum pulchritudine, & utilitate, decepti ſunt,ut rebus a Deo conditis Diuinitatis honorẽ tribuerent.Quid autẽ dicendũ eſt de illorum uęſania,& temeritate,qui humanis operibus honores Diuinos inſtituẽdos eſſe decreuerunt? Potuit ne aliquid eorũ demẽtia miſerius,atq. funeſtius, excogitari?aut aliqua ſalutis ſpes illis,qui pertinaciter in tanto furore uerſantur, oſtẽdi? Aurum enim,& argentũ,artificis opera cõflatum,& animantis forma figuratũ,aut inutilem imaginẽ ex lapide,opere antiquo, perfectã,in Dei loco uenẽrãtur.quin etiã faber materiarius,ex ligno,quod ſecuit,abraſo,& aſcia dolato,uas ad uſus uitæ neceſſarios ſciẽter exculpſit; e reſciſamẽtis deinde ignem facit,ut cibo,uel aſſo,uel elixo, faturetur. ex reliquiis autem,quas eſſe uidet inutiles,lignũ tortuoſum,atq. nodoſum,capit, ex quo,ſummo ſtudio,per otium,quod nactus eſt, artificioſe læuigato,& uſu diuturno,quem attulit illi artis ſalutaris incuria,formam facit ad hominis, aut cuiuſuis animantis, ſimilitudinem; illamq. tingit minio,& fucatis coloribus illinit,ut rubra ſpecie intuentium oculos oblectet, & omnem maculã, ne poſsit animaduerti, adhibitis pigmentis,obducat. tum ſedem,& locum ſimulacro idoneum accõmodat:id in pariete collocat, ferro reuincit, ne labare aliquã in partẽ poſsit:in quo quidẽ illi certe imbecillitatis sũmæ clariſs imũ teſtimoniũ dat.ideo enim tantã operã in eo collocãdo,& cõtinendo,ponit, quia uidet illud ſibi ipſi opitulari nõ poſſe.ſignum.n.mutum eſt;&, ut a loco in locũ moueri,aut abiectũ erigi,poſsit, indiget ope extrinſecus allata.tũ miſer homo,uexatus amentia,& obcæcatus ſcelere, furoreq. mentis inſtinctus,ſe ad ſimulacri pedes abiicit, illiq. ſupplicíter, atq. demiſſe, pro poſſeſsionibus acceſsione cumulãdis,pro nuptiis auſpicio felici cõiungendis,p filiorũ uita,& incolumitate,uota facit.nec eũ pudet ſtatuã mutã,& inanẽ,alloqui;& ab ea, quæ nihil omnino ſentit,pacem petere. ab infirmo ſigno ſanitatẽ flagitat,a mortuo uitam poſtulat,ab egentiſsimo,ut ſibi ferat auxilium,precatur.cum inſtat aliquod iter, illius opẽ implorat, quod ingredi nequit. pro lucro denique,pro opere feliciter abſoluendo, pro proſpero rerum exitu,illud,in quo nullus omino ſenſus uiget,nullus motus,nulla manus induſtria,ueneratur.

Infelicitas autẽ ſanctissimum nomen obtinuit.

CAP. XIIII.

PORro autẽ alius, ſe nauigationi cõmiſſurus, cum ſe cõparat,ut uaſtũ mare,immaneſq. fluctus,trãſeat,lignũ inclamat,eo,quo uehitur,lõge fragilius. Nauis enim,quamuis e ligno facta ſit, ratione tamen,& non extremo furore,& dementia,exſtructa fuit. cupiditas enim lucri illam excogitauit. ars deinde fabrilis acceſsit, ut eam ædificaret.Sed illa nec hominum ingenio,neque robore,nec artificio,ſed prudentia, o Pater ſumme,tua, curſum ſecundum tenet, & in portum, quẽ petit,inuehitur. tu enim in mari profundo nauibus tranſitum præbuiſti, & in mediis fluctibus ſecurum iter aperuiſti: ut oſtenderes, nihil eſſe tantis periculis cinctum,neque tantis monſtris

tris obſeſſum,neque tantis difficultatibus implicatum,ex quo tu non homines,quos ſeruare uelis,eripias.itaque homines,etiam totius nauticæ artis expertes,naues,depoſito metu,cõſcendunt, omniaq.litora peragrant.nullum enim opus tuũ exſtare uoluiſti, quod non aliquid utilitatis hominibus afferret.nihil enim temere, & ſine cauſſa, molitus es; nullam formam ſinis otio torpeſcere;nihil denique eſt a te conſtitutum,quod nõ uſibus humanis ſeruiat. iccirco metum depellis hoĩbus, ut audeant exiguo ligno uitam credere, & ſeuis tempeſtatibus caput obijcere,quibus ſuperatis,fragilitate ſalutem adipiſcuntur.etenim, a principio,cum gigantes,inſito robore cõfidentes,& intoleranda ſuperbia furentes,& ad numinis contemptionem nimis inſolenter erectos, euerteres, & aquis impurum illud genus obrueres,mũdi totius inſtaurãdi,atq. renouãdi,ſpes in rate cõſtitit,tua manu gubernata.illud fuit unicũ in tãta calamitate,& interitu generis humani perfugiũ:in illa naui reliquiæ cõſeruatæ ſunt, ex quarũ ſemine rurſus nouum genus exſiſteret:illã tu ſapientia tua dirigebas,& ad generis humani prolẽ multiplicandã numine tuo cõſeruabas.itaque lignum illud altẽrius ligni ſignum,& imaginẽ, gerebat, quod eſt ſalutẽ hominibus allaturũ. O lignum ſummis oĩum laudibus efferendum, per quod iuſtitiæ ſplendor exoritur. illud enim libidinẽ reſecabit;iram Diuinam auertet;Deum cum hominibus piis,qui ſalutẽ in huius uitæ fluctibus,atque procellis, probitati Diuinę cõmittunt,amore ſummo coniunget. Sed, ut eo redeat oratio,unde deflexit,nauigandi initium a Diuino cõſilio,& imperio,ductum fuit;ſignumq. alterius nauigationis multo feliciõris expreſsit;& nauigationis uſus,& cõſuetudo,Dei clementia gubernatur.ex quo liquet,non eſſe lignum,quo homines maria tranſmittunt, exſecrabile, & deteſtãdum. at lignum illud, a quo profligati, atque perditi,hoĩes,nauigandi felicitatẽ petunt, cum ſit extremæ impietatis inſtrumentum, erit exſecratione diriſsima cõſumendum.Tãtus ne furor hoĩum mentes excæcauit, ut, quod eſt hominis opere factum,pro Deo colerẽt,& a ligno deteſtabili ſalutẽ poſtularunt? Lignum igitur ipſum,& qui ex ligno ſignum facit,Dei tandẽ iudicio funditus interibit.artifex quidem,qui exculpſit,imaginem,quia portentum funeſtiſsimum,quod tũ calamitatis inueheret,effecit: imago uero,quia, cum corruptibilis eſſet, Dei ſanctiſsimum nomen obtinuit. ex æquo enim infenſus eſt Deus impietati,& impietatis architecto. itaque opus impijs manibus expolitum,& opifex ipſe,debitum ſupplicium ſubibunt. iccirco numen Diuinum in ſimulacra gentium animaduertet. nam, cum ex mundi a Deo conditi perfectione potuiſſent hoĩes,uim,numen,conſilium,probitatẽ,Diuinę mentis intelligere, præcellentiſsimamq. illius naturã debita pietate uenerari,ad exſecrandum impietatis ſcelus tota mente conuerſi ſunt, ut animis ruinæ periculum ſtruerent, & ſimplicium pedes laqueis peſtiferis impedirent. initiũ enim ſceleſtiſsimi facinoris,quo homines a Deo defecerunt,in cultu ſimulacrorum conſtitit, illorumq. inuentum uitæ peſtem comparauit. nec enim ab initio exſtitit, nec in perpetuum in cõi uita manebit. quod autẽ fuerit huius tã funeſtæ cæcitatis initium, operæ pretium erit attendere. ambitio enim, & inanis gloriæ cupiditas,qua genus hoĩum flagrare immodice cœpit,in orbẽ terrarum inuaſit.huic autẽ morbo,& inſaniæ,celeri e uita diſceſſu,occurſum fuit. Si enim lõgior uita hoĩbus cõceſſa fuiſſet,hoĩum inſolentia,& faſtus minime ferẽdus,exſtitiſſet.uerũ nec morte quidẽ potuit inſita temeritas,& arrogãtia,coerceri.itaque fuit ab hominibus excogitatũ, quo diutius eorũ nomẽ,quod mors exſtinxerat,in ore hoĩum uerſaretur,ut mortuorũ imagines dedicarent.Pater igitur,,cũ,propter filiũ immatura morte ſublatũ,in luctu,& ſqualore,iaceret,eximioq.dolore cruciaretur,hoc immaniſsimũ reperit angoris,& cruciatus,alleuamẽtum,imaginẽ ad filij ſimilitudinẽ effinxit,& in ſacrario collocauit,& ita mortalẽ nuper hoĩem pro Deo ueneratus eſt;uniuerſamq. familiam eodẽ uinculo abſurdæ religionis alligauit;& myſteria,& ſacra nefaria, & cærimonias diras inſtituit. deinde facinus impium, temporis diuturnitate confirmatum, uim legis habere cœpit,ita,ut illi, q id inſtitutũ negligeret, eſſet impietatis pœna, quaſi religionẽ nefarie uiolaſſet,Principũ imperio ſuſtinenda.tyranni enim exculpta ſimulacra,ſuperſtitione dira, conſecrabãt,& ad eorũ cultum hoĩes, cõminatione acerrima,cõpellebant. Acceſsit adulatio,quæ cõtinet in ſe flagitiorũ oĩum ſeminariũ. cum. n. hoĩes ab aliquo abſente Principe gratiã inire cuperẽt,& eũ honoribus ſummis proſequi,propter abſentiã,nõ poſsẽt,id curabãt,ut expreſsã illius imaginẽ ante oculos haberent,ut illi ſupplicarẽt, illius laudes extollerent,illi adularentur,ab illo beneficia poſtularent, & eos deniq. honores imagini ipſius Regis inſtituerent, quos ipſi Regi tribuẽdos eſſe decernebant.abſentẽ igitur Principẽ, in illa imagine,(tanta erat adulandi,& tã cæca, cupiditas) ut præſentẽ,intuebantur,illiq. Diuinitatem tribuebant. prouexit tamen magis hunc furorem apud imperitos ad fallaciſsimã religionem ſanciendam,ſummum artificium,eorum, qui imagines faciebant,quorũ oĩs cura in eo conſumebatur,ut,cum faciẽ illius, cui placere ualde cupiebant,exprimerent,illius ſimilitudinẽ,ad ſummã pulchritudinem reuocare niterentur. artes enim hæ, a principio non ita fuerant cultæ, ut oculos hominum tenerent. cum uero ambitio ſtudium incitauiſſet,& quilibet aliquid ad artem addidiſſet,quo antiquioris operis elegantiã, & pulchritudinem,ſuperaret, effectum tandem eſt,ut nihil eſſe uideretur operibus illis illuſtrius. Multitudo autem,operis elegantia,atque uenuſtate,cõmota,eo progreſſa fuit,ut,quem paullo ante hominẽ humanis honoribus affectum nouerat, Diuinis, ut numen cæleſte, ſibi colendum ſtatueret. fuit igitur inuentum hoc ad perniciem lubricum,ad euerſionem uitæ peſtiferum, ad aĩos imperitorum ficta ſpecie religionis decipiẽdos inſidioſũ, ex quo innumerabilia ſcelera proruperũt.

Super uacuitasenim

Benedictũ eſt enim lignum.

Et hæc fuit uitę humanę.

Universidad de Deusto
Biblioteca

homines enim,ui calamitatis afflicti, aut immanitate tyrannidis oppresi, libertatem amiserũt, &,erroribus pernicios imbuti,eo progressi sũt, ut nomen illud sanctissimum, quod nullis uerbis explicari,nec cũ aliqua rerũ natura, quamuis illa cælesti dignitate præcellat, communicari potest, lapidibus, atq. lignis,imponerét.neq. satis habent a Dei cognitione prorsus aberrare, & longissime a uia ueritatis auerti;sed etiã, cũ sint omnium flagitiorum,scelerum que, bellis pestiferis impliciti,statum illum exsecrandum, Pacẽ nominant.aut enim sacra nefaria cũ filiorum cæde procurant;aut in clamdestinis mysterijs facinora conflant;aut,furore, & amentia,præcipites, obtentu religionis, alijs ritibus,cum iocorũ petulantia,epulariq. licẽtia,& ebrietate,celebratis, dies festos agitant; ut nihil sit in eorũ uita purũ, neque in nuptijs aliquid inuiolatum. itaq. alius aliũ, uel per insidias interimit,uel, uxorem illius uiolando,ingenti mæstitia,& dolore,conturbat. omnes, sine ullo discrimine, per omnia libidinũ genera uagãtur;nec ullũ scelus est,quo senõ, cũ summa audacia,& impudẽtia, contaminent, in sanguine,atq.cæde,uersantur;furãtur;latrocinãtur;dolos cõcinnãt;insidias intendunt; omnibus corruptelis depraui sũt; nulla est in illis fides, nulla hominũ caritas;nullũ amicitiæ fœdus; tumultus excitãt;falso testimonio proximũ circũueniunt;bonorũ ordinẽ perturbãt;beneficiorum memoriã deponunt;animas scelere cõtaminant; proiecta in ædes alienas libidine,incertã cognationem editę prolis efficiũt; cõnubiorũ iura perrũpunt;nullũ adulterij crimen, nullũ ueneris impuræ flagitiũ,reformidãt.Vnde colligitur,dirã superstitionẽ, qua homines Dei sãctissima religione neglecta, honores Diuinos ad infãda simulacra trãstulerunt,initiũ, & caussã; omniũ malorũ rebus humanis attulisse,eiusdẽque errotis incremento fuisse idẽ scelus cõclusum,& additamẽto nefario cumulatũ ita ut iã ad illud addi nihil omnino posse uideatur.aut enim,cũ oblectãtur, insaniunt;aut,cũ uaticinãtur,fallũt;aut,in uitæ cultu, omnia iura uiolãt;aut facillime periurio Dei sanctissimũ numẽ offendunt. cum enim inanissimis simulacris inuitantur, adduci non possunt, ut credãt sibi a Deo supplicium impendere.utriusque igitur sceleris debitas tandem pœnas exsoluent.nam tam sine mente fuerunt,ut,Deo neglecto, mutis simulacris immolarent;& tam audaces exstiterunt,ut iurisiurandi religionem uiolarent. in Diuino enim iudicio, non eorum, qui iusiurandum dederunt, potentia scelestos crimine liberabit,sed sceleris pœnę eos,qui tam scelestum facinus susceperunt,insequentur.

CAP. XV.

Tu autem Deꝰ noster.

VT igitur omnes,qui a Deo nefarie,& impie, desciuerunt, ut commenticia numina uenerentur, & terrimis monstris immolent, & imagines brutorum animantium in Diuino statu collocent,sunt furiosi,& insani,extremaq. miseriæ ruinis oppressi, & tenebris undiq. circumfusi;sita,qui te,Dñe,metuunt, colunt,admirãtur, amant,& in te solo habent omnes spes,omne laborum perfugium,omnia præsidia uitæ cõstituta,sapientes,felices,atq. beati, existimandi sunt. quid enim beatius, quam Dei notitiam habere, Deum semper intueri, Dei inuicto præsidio muniri, Dei præsentis ope perpetuo sustentari? Tu enim,Domine,clemẽtissimus, tu uerissimus, es, ita,ut neque benignitas tua deficere,neque fides labare,umquam possit. tibi igitur soli uitam, & salutem, nostram crẽdimus,& committimus. si enim potẽtia tua,quæ nullis terminis circũscribi potest,nõ esset cũ admirabili benignitate,& fide, coniuncta,reliquũ erat,ut memoria nominis tui nos flagitiorũ cõscięti oppressos formidine perterreret,nec ullũ esset solatium,quod nos a desperatione reuocaret.uerum nõ ita est.nec enim potentię tuæ uis clemẽtiæ lumen superat.itaque,cũ infinita clemẽtia præditus sis, ad spẽ illius excitamur;cum ueritas tua cõstãs,& sempiterna,sit, promissis tuis erecti,salutẽ nobis pollicemur;cũ nõ sis ad irã procliuis, (nõ .n. simulatque delinquimus,seueritatis tuæ tela iacis, sed pœnitendi spatiũ cõcedis) confidimus,minime nobis aditũ ad clementiã tuã interclusum iri.Quis poterit de clemẽtia tua dubitare,cũ cernat a te omnia insigni misericordia gubernari? Qui .n. gloria sẽpiterna florẽt,statũ illũ beatissimum misericordia tua cõsecuti sũt:homines,qui manẽt in hac uita, clemẽtiæ tuæ luce fruũtur,& ad officiũ frequẽter alliciuntur.qui pœnas sceleris luunt,multo minora cruciamẽta,quã fuerant meriti,patiuntur.cælũ,& terra,sidera, animantia, & omnia denique, quæ cæli ambitu coercentur, quę ad hominum salutẽ condidisti,tuã misericordiã insignẽ faciũt, summis,atq. sempiternis,laudibus efferendam. Quid igitur nobis faciendũ est,quos in fidẽ tuam præcipue recepisti?misericordiã tuã, qua omnia fulciri cõspicimus, nobis defuturã censebimus? Minime certe.Si enim peccauerimus, tui tamen sumus;potentiã tuam, atq. numen,agnoscimus; ita,ut intelligamus,facillimum tibi fore, sceleris nostri maculã delere,& nos ipsos in statum, unde concidimus,restituere.non peccabimus autẽ, si numquã eam curã dimiserimus,quæ in nostris animis insidere perpetuo debet,nempe,nos tuos esse, neque quidquam turpius excogitari posse, quã eos,qui sunt ad summam lucem adiuncti,flagitiorum tenebris obrui; & qui præsidio tuo cincti sunt, aliqua perturbatione cõuelli,& qui summam puritatem intuentur, aliqua labe impuritatis inquinari. iustitia namque, omnibus suis partibus expleta, tui cognitione continetur; &, potentiam tuam cogitatione complecti, est radix immortalitatis.qui enim de te perpetuo cogitauerit;qui numen, qui probitatem,qui splendorem, qui pulchritudinem tuam, pura mentis acie contemplatus fuerit, numquam in eam fraudem impelletur, ut tabulæ summi pictoris, pestilenti artificio deformatæ, & coloribus uarijs infectæ, Diuinitatem tribuant: quod homines amentes, & imperiti, faciunt. speciem enim in tabula artificiose lineamentis effictam, & umbris,

& umbris,& eminentijs, & interuallis, distinctã, & pigmentis inanissimis illustratam, intuentes obstupescunt,usque adeo, ut opus illud sine fructu religiose colendum arbitrentur. quo quid esse poterit magis insigne ad dedecus,& infamiã sempiternam? inani pictura pascunt oculos homines profligati,atque perditi; hominis mortui speciem spiritu uacuam intueri cupiunt; illius amore capiuntur; illi denique supplicandum arbitrantur. hac mente sunt pestiferæ inanitatis amatores,ut a uera pulchritudine deiiciant oculos, & in ementita fucatæ pulchritudinis specie animum defigant;&, sine ullo fructu,cupiditate sordium, quas impurus homo tabulis adspersit, a mente, atque iudicio, deserantur. digni certe sunt,quos spes inanitatis, & mendacij, & capitalis fraudis, oblectet, &, qui tabulas eiusmodi pingunt,& qui earum studio, & cupiditate, flagrant, & postremo,qui eas religione conseruandas, & ueneratione summa colendas esse statuunt. maximum namque suppliciũ est, pestiferi erroris insania. Neque figulus interea eidem sceleri minime seruiendum putat. nam structuram similiter operam impietati nauat. terram enim,aqua perfusa mollitam,pedibus,cum non mediocri labore, subigit: deinde ex eodem luto uasa, partim ad usus communis uitæ puros apta, partim ad sordes excipiendas accommodata,facit. qualis autem utriusque generis usus sit, ipse figulus est æstimator, & iudex. oblitus porro, se non ita pridem e terra genitum esse, atque non multo post tempore animum illius in iudicium uocandum,ut debitam pœnam sceleris exsoluat,& corpus terræ, unde fuit assumptum, reddendum, ut interitu dissoluatur; id ad se pertinere nõ putat; sed tantum sibi arrogat,& assumit,ut ex eodẽ luto, ex quo uasa in usus uilissimos effinxit, opere ualde laborioso. & impio, deum inanem efficere conatur. neque laborat interim,quam fragilis, & quantis morbis obnoxia,sua natura sit, & intra quam breue spatium sit sibi uita cedendum; sed id tantum contento studio suscipit,ut certet cum iis,qui ex auro, aut argento,aut ex ære, deos formant, & sceleratos artifices imitetur, neque minus sibi gloriæ tribuendum putat,si ex luto Deum finxerit,quam illi fuerant ex alia materia dissimili eodem scelere consecuti. illi namque ex auro, & argento, & ære, deos figurant; figulus uero e luto Deum fingere nititur; adeoq. mentis expers est,ut,cum opus luteum,& fragile,falsa,& inani,specie commendatum,moliatur,speret ex eo aliquod nomini egregij monumentum. animus profecto, adeo terrenis rebus infixus, in pulueremq. demersus,necesse est,ut similitudinem materiæ, in qua furenter,& impie,uersatur, arripiat. est igitur cinis existimandus,cum in cinere uolutetur; & spes illius sit ipsa terra, quam manibus assidue tractat,abiectior;omnisq. illius uita, ipso luto longe uilior. illum enim summum artificem, a quo fictus,& informatus, est, a quo animum sagacem,& industrium, hausit, cuius numine,& beneficio,fuit uitalem spiritum cõsecutus, ignorauit. Verum enim uero perditissimi homines uitam nostram ludum existimarunt, atque mercatum, caussa lucri multiplicis institutum. nec esse,quid deceat,quid ius,& fas sit,quid lex Diuina sanciat,inquirendum;sed tantum, unde, siue iure,siue iniuria,pecuniam faciant, indagãdum. nullum enim quæstum, quantumuis sordidum, & impurum, & flagitiosum, hominis præstantia indignum esse iudicant. nec est interim, cur se miserabilis homo, ignorationis excusatione,defendat.nouit enim probe,se reliquos omnes arti fices flagitio,& improbitate, superare,cum & uasa fragilia simul, & falsorum deorum effigies,ex terrena materia,ad hominum perniciem, machinetur.Sed omnium amẽtissimi, & infelicissimi, censendi sunt illi, qui populum tuum immani odio persecuti sunt, & durissimo dominatu oppressum tenuerunt,omnia si quidem gentium numina commenticia, Diuinitate donabant, cum cernerent,esse mura,& inania,simulacra;nec esse ab illis,quæ sensibus omnino carebant,ullum auxilium postulandum,& exspectandum.membra namque illorum,nullum usum habebant. nec.n. oculis cernebant; neque spiritum naribus hauriebant;nec auribus uocem accipiebant;nec aliquid digitis attrectabant; neque pedes aptos,& habiles, ad ingressum habebant. homo enim ea fabricatus fuerat, qui non poterat illis sensum, & motum,atque adeo uitam,dare. nec enim homo animam sibi ipse finxit, sed aliunde mutuo sumpsit,ut eam redderet, cum fuisset ab eo, qui dederat,repetita. Quo tandem igitur modo fieri poterat,ut mortalis homo Deum faceret,cũ nec hominem quidem effingere queat? itaque mortalis homo impijs manibus non Deũ,sed opus mortuum, efficit, Quanto autem ipse deorũ artifex ipsis diis, quos efficit,antecellat,ex eo clare cernitur.qđ uiuit,& uiget, & sensibus instructus est, quod illi dij numquã ulla ratione consequẽtur. Quid, quod animalia etiam rebus humanis infestissima uenerantur? Quid autem induxit homines amentissimos,ut illis Diuinitatem tribuerent?Illi enim etiam, quãuis sint rationes spoliati, si cõtentionẽ facere uoluerint,iudicabunt,illa esse belluarum omniũ tæterrima. An species aliqua præclara,eorum oculis obiecta; illos in fraudem capitalem impulit? Non uidelicet induci poterant, fieri posse, ut non aliquid Diuinum in tam admirabili pulchritudine lateret.ita credibile est,tam illustrem speciem omnium oculos ad se spectandam rapuisse. itaque forma, & elegantia,capti sunt,&,magnitudine utilitatis allecti,ut belluarum naturã in sede Diuina collocarent.quid,si nõ aliud,uel adspectu deformius,uel feritate truculentius, excogitari poterat? & tamen, tam detestabili furore oppressi, & excæcati,sunt homines profligatissimi,ut tæterrimis serpentibus honores Diuinos haberent;& sacra etiã exsecranda conficerent,atqui Deus,summus rerum omnium conditor, nullam laudem attributam serpentibus esse uoluit, nempe, quibus etiã maledixit: ut in serpente,qui primis parentibus insidias instruxit,clare perspectum fuit.

Sed & figulus mollẽ.

Sed & æstimauerunt lusum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. XVI.

Propter hæc & his similia.

QVocirca Aegyptij, cum tã immane scelus suscepissent, similiter atque alijs eisdé scelaribus affines, dignas amẽtiæ pœnas pertulerunt, bestiarũ multitudine cruciati. At uero, summe Dñe, cũ hostes eiusmodi tormentis affligeres, populũ tuũ, ciborũ cupiditate laborantẽ, escis peregrinis refecisti: nã coturnices uento inuectas immisisti, quæ famẽ illius expleuerunt. itaq. factũ est, ut hostes, fame ꝓpemodũ enecti, propter beluarum multitudinẽ, quæ in eos impetũ ferebãt, parabiles etiã dapes fastidiose reiicerent, neque, propter nauseã, bonis suis impune frui possent: cõtra uero, Hebræi, ne diuturna pẽuria uexarentur, cibis e longinquo importatis saturati sunt. ius enim erat, ut illi, qui tyrannide fuerant abusi, extrema indigẽtia premerẽtur: & hos, qui in tuo patrocinio erant, tantisper inedia cruciaret, dum experiundo sentirẽt, quo genere supplicij hostes torquerentur. etenim & in eos immanis bestiarũ furor inuasit, & multi, Israelis satu editi, in Arabiæ solitudine, serpentium pestiferis morsibus icti, conciderunt. uerum nõ occidione cæsi sunt. iræ namque tuæ modum statuisti. Tamdiu enim supplicio sontes afficere uoluisti, quamdiu fuit, necesse populum, exemplis editis perturbatum, ad officium reuocari; ad eorumq. salutem legis disciplinam sanciri; & admoneri denique omnes signo mirabili, quod tãdẽ erat legis uis, & ratio, non in tabulis lapideis, sed in animis, scribenda. nec enim, qui serpentem æneum respectãtes intuebantur, propter rem uisam, sanitatem recuperabant. quæ enim enim tanta uis inesse poterat, uel in æris temperamẽto, uel in serpentis forma, ut mortiferis uulneribus salutare remedium adhiberet, & homines propemodum exstinctos, specie tantum perspecta, in uitam reuocaret? Sed signum illud mysterium sacratissimum continebat; & clementiæ tuæ magnitudinem referebat; & memoriam benignitatis immensæ repræsentabat; designabatq. rationem, qua eras salutẽ sempiternã hominibus allaturus. nec enim signis, sed præsenti numine tuo, quod signis expressisti, uitæ nostræ præsidium comparatur. tu solus es, qui salutem dare potes; tui solius præsidio nitimur; spe tuæ misericordiæ confirmamur; in te uno omnem salutis, atque dignitatis, rationem collocamus. hoc uero hostibus etiam tuis notum esse uoluisti, te solũ esse, qui ex omnibus malis eos, qui in te unum intuentur, educis. illos enim locustarum, atq. muscarũ, ictus interemerunt, neque remedium inuenerunt, quo a se mortiferum insectorum impetum repellerent. dignamque fuerant, qui minutissimorum animantium ictibus pœnas insolentiæ luerent. contra uero, cum serpentes uenenati in filios tuos, ut eos dentibus dilacerarent, impetum ferrent, non eos de statu deiicere potuerunt. clementia namque tua repente subsidio tuis occurrit, eosq. sanauit. fuit enim illis commodum, ut memoriam præceptorum tuorum diutissime conseruarent, bestiarum ictibus torqueri, ut uicti dolore, ad te, quem flagitiis offenderant, conuersi, repente sanarentur; & intelligerent, salutem, præsentia tua; perniciem, absentia, continẽri. aliter enim, periculum erat, nẽ caperet eos perpetua Diuinæ benignitatis obliuio, & ita, in sceleribus obstinati, & a beneficẽtia tua diuulsi, sine ulla spe salutis, ad perpetuũ supplicium truderẽtur. nec enim ullis herbis, aut fomentis, o Domine, sanitatem receperũt; sed oratione tua, quæ sanat omnia, e morbis pestiferis emerserunt. tu enim uitæ, necisque, potestatem habes; tu ad erebi portas sontes, cum id ratio iuris efflagitat, inducis; tu sæpenumero ex ipsius erebi faucibus opẽ tuam inclamantes eripis. homo quidẽ, sceleris immanitate ductus, uitam eripit, quam amissam reddere nemo potest. spiritus enim, e corpore excedens, & ab anima, cum qua consilia corporis tuendi consociauerat, diuulsus, nullis humanis opibus in pristinum statum reuocari potest, ut animas rursus assumat, & actionibus ad uitam communem pertinentibus, corporis ministerio, perfungatur. itaque is, qui necem intulit alicui, eo quod inimi cum sustulerit, exiltimat, se posse, sine ulla cura, uitam traducere. exstincto enim corpore, nullus sensus; aut facultas, in mortuo resideat, qua uel facinus manu uindicet, uel iniuriam iudicio persequatur; & ita fit, ut, qui cædis auctores exititerũt, nullum sibi malum ab iis, quos sepultos esse uident, extimescant. Sed, quis tandem, o Domine, manum tuam effugere, aut iudicium eludere, poterit? nec enim indiges accusatoribus, qui acriter causam agant, cum tua iustitia nocentes insequatur; non testes interrogas, cum omnia, etiã, quæ agitantur in tenebris, clare uideas; non consilium cogis, cum sapientia immensa nullius sentẽtiam requirat; sed ita iudicium exerces, ut nullum scelus impunitum dimittas. quod perspectum sane fuit in eorum cruciatu, qui multa infantium millia aquis demerserant. qui enim negabant, se nosse te, numenq. tuum, superbia minime ferenda, contemnebant, illius uim, plagis acerrimis contusi, senserunt. cum enim monstri simile sit, in Aegypto pluuiam cernere, illi tamẽ, peregrinis, & immodicis, pluuiis, ingenti ui grandinis, imbribus, cum horrendo fremitu, demissis, & uehementissimo ignis ardore, quem micantium nubium frequens conflictus expresserat, conturbati, examinati, misserrime magna ex parte consumpti sunt. Illud etiam nimis admirandum exstitit. cum enim aquarum magna copia ignem facillime restinguat, ignis tamen ille, in mediis aquis, magno impetu contortis, uim suã minime remittebat; &, cum eluuio illa, quocumque rueret, omnia perrumperet, & dissiparet, immanemq. uastitatem cunctis rebus inferret, ignis tamen exaquis multo uehementius ad hominem perniciem excitabatur, quam si non fuisset ullis aquis admixtus. mundus enim, ut rerum omnium conditori seruiat, scelerum uindex est, & pro iustis pugnam capessit, & iniurias eis illatas ulciscitur. itaque tunc ignis interdum, ne bestias in impios emissas inflamaret, ardorẽ cõtinebat: rursus, ut genus impurũ funditus euerteret, supra ignis ipsius naturam ex aquis flammas iaciebat:

In hoc antẽ offendisti.

ciebat: ut cernerẽt homines imupri, se non temere, & casu, exagitari, sed rectissimo Dei iudicio peruerti. & his quidẽ pœnis hostes tui nominis, in regione fertili, & opima, excruciabas; & fame, & siti, gentem opulentam conficiebas. contra uero, populum tuum, in uastissima solitudine, in summa rerum pœnuria, summaq. uictus, & annonæ, desperatione, angelorum pabulo refecisti; panemque illis promptum, & paratum, esse uoluisti, omnium ciborum suauitatem longe superantem; quem e cælo demisisti, ut, sine ullo labore, & cum insigni iucunditate, uitam sustentarent. reliqui quidem cibi, quamuis dulces, atque salutares, & optime conditi, sint, non possunt tamẽ omnibus ex æquo placere, cũ alijs alij magis capiantur, & quosdam dulcia, alios uero paullo austeriora, delectent. at cælestis ille cibus ita gustatui omnium seruiebat, ut cuiuslibet naturæ factus esse uideretur. tuæ namque benignitatis, constantia, summę uoluptatis, & iucunditatis effectrix, filios noua, & insolita, uoluptate deleniuit; &, illo signo, mirabiliter ostendit, in tua solum clementia uoluptatis stabilis, atque sempiternæ, fructum consistere; & eos tantum, qui ad nomen tuum adiuncti sunt, esse bonis omnibus expletos, & insigni iucunditate, & gaudio, cumulatos. uaria sunt hominum ingenia; uoluntates dispares, atque dissimiles; multiplices appetitiones animos uersant; & alij in alijs rebus parandis, atque fruendis, sunt magis occupati. quidam enim, in pecuniæ studium incumbunt; quidam, uoluptates rebus omnibus anteponunt; sunt, quos honorum ambitio uehementer stimulet; alij, specie aliqua formæ pulchrioris obiecta, præ amore illius, omnia deserenda putant; sunt postremo, qui otium, bonorum copia refertum, omnibus modis amplexantur. ita fit, ut, quod unum ualde delectet, alterius cupiditatem explere minime possit. accedit, quod plerumq. unus, & idem homo omuium horum commodorũ cupiditate tenetur, & ita, (nec enim simul omnia adipisci potest) cum rei unius compos est, aliarum inopia cruciatur. sic fit, ut omnium mortalium uita, qui non ueras opes exquirunt, acerba sit, & multis curis implicita. at, qui se totos ad spiritus tui ductum contulerunt, ita bonis omnibus continuo redundant, ut nihil præterea requirant. nam summis opibus affluunt; uoluptate uerissima fruuntur; dignitatis amplitudine proxime ad cælitum decus, & splendorem, accedunt; amore Diuinę pulchritudinis inflammati, in præsidio Diuini numinis acquiescunt. huius autem pabuli iucundissimi, qui mentem tantis commoditatibus explet, imaginem gerebat panis ille cælestis, quem populo tuo large, atque munifice, contulisti. ideo factum est, ut illius suauitas omnium cupiditatibus, quamuis essent dissimiles, inseruiret, & ad saporem cibi, quem quisque magis appeteret, se confestim accõmodaret. multa uero mirabilia in panis illius admirabilis usu contingebant. cum enim natura illius esset roscida, neque multum a niuis, atque glaciei, natura distaret, ignis tamen uim mirifice sustinebat; formamq. suam, uel aquis elixus, uel sartagine frictus, uel quacumq. alia ratione ignis ardore tostus, facillime conseruabat. ignis enim, qui, multa cũ grandine confusus, hostium fruges absumebat, &, in summis tempestatibus, atque procellis, emicabat, ut exitium hostibus inferret, suæ naturæ oblitus, ut iusti alerentur, mãna (sic enim fuit illi cibo nomen impositum) minime consumebat, sed calore modico temperabat, ut cum maiore iucunditate sumeretur. Cum enim natura conditori suo pareat, illi seruiat, illi perpetuo ministret, cum est opus, ignis uim suam excitat, & intendit, ut in homines iniustos inuehatur: cum rursus id præscribis, uim suam remittit, ut se eorum usibus accommodet, qui in te solo habent omnia uitæ præsidia cõstituta. ideo etiam manna, ut benignitatis tuæ, qua cuncta ainmãtia sustentãtur, imperium sequeretur, se in uarios sapores transferebat, & pro cuiusque sensu comedentes oblectabat, ut discerẽt filij tui, quos amore singulari complecteris, non uberrimus agrorum fructibus hominum uitam sustentari; sed potius uitam, & immortalitatem, eorũ, qui fide tuæ benignitatis innituntur, uerbi tui numine contineri. Vt autem id magis perspicuum fieret, id, quod ignis uehementis ardore corrumpi non poterat, quouis Solis radio calefactum diffluebat. erat igitur opus, ut omnes, ante Solis exortum, quãtum sat esset, colligerẽt, ne somni, atque negligentię, pœnam diuturna fame sustinerent. aliter enim epulum illud e cælo demissum, tepore solis modico repefactum, dilabebatur. quo signo, designabas, in rebus Diuinis non esse cunctandum; nihil lente, & fastidiose, gerendum; omnem negligentiam, pigritiam, & ignauiam, esse in nefario crimine ponendam; & ideo fieri non posse, ut homines, somno dediti, segnitie torpentes, otio fracti, & debilitati, e gratia tua fructum colligãt. est igitur necesse omnibus, qui muneribus tuis affici concupierint, ut, antequam Sol oriatur, e somno suscitati, tibi gratias agant; te laudent, & admirẽtur; piaſq. tibi preces adhibeant. nam alacritas, & industria, certissimũ continet estimationis argumẽtum. rerum enim, quas plurimi facimus, causa laboramus, & uigilamus; multumq. in illis quarendis operæ, & studij, consumimus. in rebus autem, quas multo minoris æstimamus, comparandis, laborem, & industriam, remittimus. ergo, cum minime uigilamus, & properamus, ut fructibus Diuinæ gratiæ cumulemur, apparet certe, illam a nobis nefarie contemni. atqui, minimi facere munera, Dei gratia nobis a Deo clementer oblata est ingrati animi crimen. perfidiæ, & insolentiæ facinus, turpissimæ negligentiæ fastidium, sceleſtissimæ obliuionis infamia. porro autem, spes hominis ingrati, ut hiberna glacies, euanescet, &, ut inutilis aqua, dilabetur. Vt igitur illis, qui primo diluculo non accelerabant ad manna colligendum, manna protinus dissolutum effluebat, ita illis, qui non in muneribus Diuinis incenso studio percipiendis celeritatẽ susciptiunt, omnes gratiæ Diuinæ fructus intereunt.

Nix autem & glacies.

CAP.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAP. XVII.

Magna sūt enim.

SEd operæ pretium erit, rursus animaduerte re, quam magna sint iudicia tua, Domine, & quam explicatu difficilia. qui enim disciplinæ tuæ expertes sunt, & ea de caussa nullo modo queunt uerum cernere, non possunt ullo modo iudicioruni tuorum æquitatem, & sanctitatem, mente percipere. nec enim mens, tenebris oppleta, lucem sustinet; nec animus, in terram demersus, in cælum oculos attollit; quia pondere grauissimę prauitatis impeditur. iccirco, errore mētis insanientes, qui disciplinam tuam repudianerant, deserta salutis uia, in sempiternæ miseriæ uias ingressi sunt. amentia igitur uexati, cum opinarētur, se gentem sanctam duriss imo dominatu oppressam tenere, exsecrandæ seruitutis acerbissimum iugum subierunt. nam flagitiorum uinculis adstricti, atque longissimæ noctis tenebris impediti, & tectis laqueatis horrendæ caliginis inclusi, & a prouidentia tua derelicti, iacuerunt. Sol quidem, ab ortu ad occasum commeans, trinam conuersionem, tribus diebus, atq. noctibus, more solito, conficiebat; illis tamen, hoc toto spatio, erat tæterrima nox offusa, ita, ut moueri loco non posset. Cum enim in tenebris multa scelera, & flagitia, suscepissent, & ea de caussa se latere putauissēt, obliuionis integumentis occultatiius Diuinum postulabat, ut tenebris damnarentur; &, qui, caligine freti, tam multa scelera concepissent, nullum, in tæterrima illa caligine, rebus suis exitum reperirent. interim uero, de gradu dissecti, atque dissipati, & ingenti formidine perterriti, & horrēdis uisis attoniti, respirare non poterant. neque enim latebræ, in quas se abdiderant, illos sine metu, & sollicitudine, consistere sinebant. illos enim tunc uel maxime conscientia sceleris exagitabat; maleficiorum recordatio perterrebat; curę tristissimæ uerberibus assiduis concidebant; & pœnæ denique impietatis infectabantur. horrendi sonitus undique perstrepentes illos exanimabant; terribiles species eis mæstitia confectis obuersabantur; nec ignis, quamuis esset solito acrius, & uehementius, incitatus, eis quidquam lucis afferebat; neq. siderum quidem fulgores, uires habebant, quibus illas tenebras aliqua ex parte dissellerent. incensa solum pyra, horroris plenissima, ob eorū oculos uersabatur; &, quamuis, ingenti pauore concussi, trepidarent, multo tamen leuiora ducebant ea, quæ uidebant, iis, quorum speciē clare uidere non poterant. interim magicæ disciplinę ludibria iacebant; inanis ostentatio sapientiæ compressa silebat; macula summi dedecoris, illis inusta, temeritatem insolentiæ deridendæ conuincebat. nam, qui in eo se iactabant, & ostentabant, quod scientiam se tenere dicerent, qua morbis animos liberarent, metus omnes expellerent, totiusq. mentis statū a summa perturbatione ad summam tranquillitatem traducerent, formidine ridicula laborabant. quamuis enim nihil horrendum, & metuendum, illis occurreret, bestiarum tamen transitionibus, & serpentium cum stridore repentium sibilis, exanimati, concidebant, &, conturbati rebus inanissimis, exspirabant. sic autem erant orbati sensibus, ut aerem ipsum, quo erant necessario circumfusi, se uidere negarent. Et enim nihil est improbitate, propriæ conscientiæ testimonio redarguta, turbulentius; nihil horribilius. agitat, & infectatur, animū; minas iactat; faces intentat; assiduo angore, & cruciatu, dilacerat; nec ulla in sede consistere permittit. curæ namque tristissimæ, impios assidue uexant; & metu, & horrore, perpetuo circumuallant. nihil igitur, quamdiu eos maleficiorum conscientia perterret, cogitare possunt, nisi luctuosum, & acerbum, eiulatu, & plangore, dignissimum. uis enim, & ratio metus, non ortum habet aliunde, quam a proditione, qua animus a rationis imperio desciuit, & ita se ipsum omni præsidio nudauit. mens enim, tyrannide cupiditatis oppressa, nō solum libertatem, atque uires, amittit, sed etiam opem Diuinam a se longissime repellit; & ita inermis, & nuda, relinquitur: & sic demum est necesse, ut assidua sollicitudine, & horribili malorum omnium formidine, torqueatur. cum uero reliqua spes in animo tenuis, & imbecilla, sit, multo grauiora colligit esse ratio ea, quæ non dū experiundo cognouit, illis, quę caussam irrogati iam supplicij, & uastitatis, attulerant. At uero, si qui, nocte illa, quę nullum prorsus alleuamentum hominibus miseris afferre poterat, (erat enim ex impotentis orci penetralibus emissa, in quibus nulla requies esse potest, nimio labore defatigatis ullo in tempore constituta) somnum capiebant, somnus, quo erant consopiti, erat inferorū manium somno simillimus. partim enim, horrendis uisis exagitabantur; partim, amente deserti, omniq. firmitatis, & roboris, præsidio destituti, concidebant, ut erigi, & ad aliquam spem reuocari, minime possent. improuisus enim, atque repentinus, metus in illos impetum dabat. ut autem quilibet pauore exanimatus in terram decideret, ita iacebat, quasi ferro uinctus, & in carcerem coniectus, esset. siue enim agricola, siue pastor, siue operarius, ad agrum in solitudine magno labore colendum, mercede conductus esset, tenebris oppressus erat, ita necessitate, quam nemo uitare poterat, adstrictus tenebatur, ne posset inde discedere, & locum, in quo deciderat, commutare. uno si quidē omnes tenebrarum uinculo erant artissime colligati. nihil erat interim, quod illos minime perterreret. siue enim aeris leniter agitati susurrus; siue auium, densis arborum ramis insidentium, uoces, modulate sonantes; siue aquæ, impetu naturę fluentis, ad numerum resonans, non iniucundum auribus murmur; siue paullo uehementior saxorum decidentium fragor; siue animantium ludentium cursus, quem tunc oculis cernere nō licebat; siue beluarū immaniū fremitus; siue sonus, ex mōtium spelūcis, & cōuallibus, emissa uoce, percussis, clamore non ingrato resultans; siue quid aliud sonaret, quod natura sua paullo saniores mouere nō posset; illos horrore concutiebat, & ingenti metu fre-

Illi enim qui promittebant.

Illi autem qui impoterent.

quenter exanimabat. ita est animus, sibi sceleris conscius, formidine perculsus, ut res etiā, partim lenissimas, partim inanes, extimescat. mundis quidem erat clarissimo splendore Solis illuminatus; & homines reliqui, ut operibus suis incumberent, erant alacres, & expediti; omnesq. in negotijs suis trāsigendis occupati, illisque tantum, qui bellum inexpiabile cum numine Diuino susceperant, erat tęterrima nox offusa, illi similis, qua erant, in sempiternæ miseriæ regione, grauiter opprimendi. uerum, cum tam diris essent tenebris circumuenti, ipsi tamen sibi erant tenebris ipsis longe grauiores. intus enim latet, quod lucem eripit, quod amentia uexat, quod pacem turbat, quod seditionem excitat, quod angit, torquet, atque dilacerat, quod sontes, metu cruciatus, dies, atque noctes, exterret. animus enim, natura sua, ad Dei similitudinem aptus, ut non potest ex re alia, nisi ex Diuinæ probitatis imitatione, stabilem uoluptatem percipere; ita necesse est, ut sceleris deformitate maxime crucietur, tantoq. maius ex flagitij recordatione supplicium subeat, quanto flagitium immanius exstiterit. & magis legis Diuinæ cōtrarium. itaque duplici pœna puniuntur, nempe, & horrifico sceleris ipsius adspectu, & imminentis exitij formidine.

CAP. XVIII.

Sanctis autem tuis.

ATuero sancti tui erant eo tempore maxima luce circumfusi: quorum quidem uocem hostes audiebant, formam, proper offusas tenebras, uidere non poterant. porro autē, quod non iusti eadem paterentur, eos Aegyptij beatos prædicabant; quod uero cum multis antea fuissent injurijs affecti, non illata maleficia uindicarent, eis gratias agebant, illosque, ut e terræ finibus excederent, enixe precabantur. timebāt enim, ne, si diutius uiri, pietatis laude præstantes, in tellure illa consisterent, omne genus hominum, qui illorum exitum intercludere conati fuerant, funditus interiret. accidit autem, ut iusti, iniuriarum immemores, innocentiā, admirabili animorum æquitate, tuerentur, & nemini nocerent eorum, a quibus multis plagis afflicti fuerant. ob id igitur columnam flammis cotuscātem illis ducem itineris ignoti tribuisti; &, Sol ne ardoribus summis illis noceret, prouidisti; atque perfeciisti, ut gloriæ sibi fore duceret, si tuos benigne, & hospitaliter, exciperet, & ita eos iuuaret. ut nullam interim illis molestiam exhiberet. illi porro, qui filios tuos in custodiam tradiderant, per quos erat sempiternæ legis tuæ sanctissimæ lux cunctis hominibus afferenda, digni fuerant, qui luce spoliarentur, & carcere, ac tenebris, inclusi tenerentur. consilium illi quidē sceleris plenum habuerunt, ut filios eorum, qui pietatem sancte colebant, interimerent: e quibus unus in aquis expositus, & ope tua liberatus fuit, ut maleficiorū uindex exsisteret, cuius opera filiorum multitudine impios orbares. cosque tandē uehementissimis undis obrueres. nox quidem illa, quæ cladem iniquis, libertatem iustis, attulit, fuit olim prænūtiata patrib⁹ nostris, ut firma fide percipientes, eos, qui Diuinis promissis, maxime autem iur eiurando sanctissimo confirmatis, innituntur, pietatis certissimo fructu priuari non posse, ad spem firmissimam summæ felicitatis erecti, constantiam perpetuo retinerent. itaque iam populus tuus futurum confidebat, ut tuis salutem dares, & hostibus pestem, atque perniciem, inferres. spes uero eos minime fefellit. nam inimicorum scelus acriterultus es; & eos, qui nomen tuum innocabant, insigni gloria cumulasti. sancti enim, bonorum satu propagati, secreto sacra procurabāt, & uota rite faciebant, &, admirabili pietatis consensione, conspirantes, ad sanctitatis legem sempiternam officia uitę perpendebant. nec ignorabant, fore omnibus, qui sanctitatis studio tenerentur, societatem bonorum, & pericul orum, ineundam. & ita carmina modulate concinebant, quorum sententiā patres, sancti Spiritus instinctu, multo ante cecinerant. at, cum pij, singulari concentu, & harmonia, nomen tuum celebrarent, dissonæ uoces hostium, cum eiulatu, & plangore, audiebantur; & lugubris lamentatio puerorum inconditas uoces emittebat. in omnes enim pariter fuit, filiorum nece, acerrime uindicatum. eandem pœnam seruus cū Domino pertulit; idem supplicum fuit de obscuris, & ignotis, hominibus, & de Regis maiestate, & amplitudine, sumptum. nulla domus erat, quæ similiter non esset, uno nomine, multorum interitu, & exitio, & ploratibus, deformata. innumerabilia cadauera iacebant; neque uiui poterant funera curare, & mortuos in sepulcrum inferre. nam gentis illius flos atque robur, uno ictu perculsum, conciderat. antea uero, cum essent ueneficijs clati, artibusq. pestiferis instructi, omnes res mirandas ad magiam referebant; nec animum inducebant, ut crederent, ea signa, quę cernebant oculis, ui, atque numine Diuino fieri. quin etiā multi, ut id hominibus persuaderent, multa conabantur imitari, quamuis tandem, ueritate uicti, succumberent. at, cum tandem, multis signis conuicti, faterentur, ea, quæ fiebant, nullo modo artibus humanis effici, id tamen multo clarius experti sunt, cum uiderent omnes Aegyptiorum filios, qui primi geniti fuerāt, patrimonij, atque nominis, heredes, in quibus parentes posteritatis spem, & mortis perfugium, collocauerant, exitio repentino, consumptos. intellexere demum, populum tuum a te patria caritate conseruari, & pro filijs tuis (hoc enim nomen ab immensa benignitate tua consecuti sunt) bellum susceptum fuisse. nam caritate patria illis in omni rerum discrimine prospexisti. cum enim omnes in quieto silentio iacerent, & nox, ordine constituto, medium uiæ solidæ cursum conficeret, omnipotens sermo tuus e cælo, atq. adeo a Regijs sedibus, in quibus tuæ maiestatis amplitudo conspicitur, repente desiluit; & cum acri debitæ ultionis studio in medium sceleratæ, & impiæ, telluris inuasit; acutumq. gladium uibrās, quod tu perscripseras,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prescripseras,optima fide,& absque ulla cunctatione, aut tergiuersatione, peregit. ergo cuncta cæde compleuit;cælum quidem, ut commissum munus exsequeretur,attingés;& in terra, ut scelerum pœnas expeteret, insignem stragem faciens.interim uero,in somnijs horrenda uisa miseros exagitabant, improuisiq. metus nehementer exterrebant,& alius, alibi proiectus, atq. semiuinus, quam ob causſam cecidisset, enuntiabat. ipsa namque somnia, cum illos minaciter terrerent,atque perturbarent,cur ita peritent,illis prænuntiarant,ne quisquam tam funesti exitij causſam,moriens, ignoraret. nec illi quidem, quibus erat propositum in omni uita seruare iustitiam, & minime uiolare pietatē, grauissimæ commotionis expertes exstitere.in deserta namque solitudine, cum multi prolaberentur, neque debita fide in officio manerent,Diuini iudicij seueritate percusi sunt,& non mediocris multitudo concisa fuit. cædes tamen illia repressa continuo fuit, & tui numinis ira sedata. uir enim in armis acerrimus, integritate summa,uirtutibus Diuinis instructus, insitæ religionis & pietatis, arma corripiens,nempe preces,atq. suffimenta, propugnator egregius exstitit, ut numē propitiū redderet. itaque se medium interposuit, & iræ, animo maximo, repugnauit; neque periculum ullum recusauit, dummodo a populo, quem regendum,& tuendum,susceperat,pestem repelleret. calamitati igitur finem imposuit; atque rebus ostendit,se tuum famulum esse,omniaq. officia uitæ ex præscripto legis sempiternæ moderari. cum enim iustitiam maxime tibi cordi esse sciret,unice iustitiam coluit; cum cerneret, te sanctorum precibus, & uotis, a seueritate ad benignitatem inflecti;uitam in precibus,& religionis studio, consumpsit;cum haberet cognitum, numinis offensi placationem caritate contineri, usque eo populum sibi commissum caritate complexus est, ut ipse in medium prodiret, seq. libenter offerret, ut tela, in populum iniecta, corpore suo, si ita opus esset, exciperet. postremo,intelligebat, neque uiribus corporis, neque humanis opibus,neque bellandi artificio,nitendum, sed benignitate tua confidendum. itaque fide,non armis,bella magna profligauit. illum enim,qui perniciem inferebat,non uiribus, non armis, non disciplinæ militaris industria,sed oratione tantum,superauit;angeliq. uindicis impetum a populo constantissime represit. eū enim, qui pœnam flagitiorum ab hominum erratis,iussu tuo,repetebat, a cæde ulterius facienda continuit,cum tibi iuramenta, quibus fœdus cum patribus ictum confirmaueras, studio nimis ardenti suggereret. Cum enim cadauerū aceruis terra cōstrata fuisset; & multis adhuc uiuis esset iā iā ultoris angeli manu moriēdū;uir sanctus furori, qui in medijs castris uersabatur,obuiā, prodiit, ut uiā,qua in uiuos ferebatur,itercluderet; &,ne ulterius,cū multo maiore clade,tenderet,inuicta uirtute prohibuit. ille namque,sacræ uestis ad talos usque demissæ, cultus, totius mundi statum, atque naturam,luculenter exprimebat; in pecto re duodecim lapides,ordine quadruplici, distincti, ita, ut terni, singulis uerubus inclusi, tenerentur,patrum gloriam referebat. singuli namque lapides nomen unum ex duodecim patribus insculptum continebant; & hac ratione omnes Iacobi filios nominatim in tuo conspectu proponebāt.postremo capiti impositum diadema,sanctissimi nominis tui splēdorē, uitæ stabilitatem, & gloriæ magnificentiam, designabat. hoc autē ornatu,te,mundi totius conditorem, & conseruatorem, & Israelem, singulari cura, & patrocinio,dirigentem,sempiterniq. luminis claritatem omnibus, qui nomen tuum ardenti fide, & assiduis precibus,inclamarent,frequenter offerentē, significabat. imaginem præterea sacerdotij sanctissimi gerebat,quod erat salutem mundo allaturum;nominisq. Diuini sanctitatem hominibus pietatis studio incensis explicaturum; uniuersumq. genus humanum Solis sempiterni radijs,illustraturum. hoc igitur cultu caritatis,humanitatis,religionis,fidei,& ardentissimę pietatis,ornatus,in medium processit.his cessit sceleris ultor,qui pestem,& exitium,cōparabat: has insulas, hæc ornamenta,hunc sanctissimæ religionis habitum, ueritus Dei minister,manum a cæde continuit.quod enim ad eruditionem pietatis attinebat, satis erat sæuitum, ut reliqui, exemplo seueritatis admoniti, ad officium redirent. ita enim in populi tui scelus animaduertis,ut iræ modum termines, omniaq. tandem ad eorū gloriam dirigas,quos in fidem tuam recepisti.

Tunc cōti nuauſſe.

CAP. XIX.

IMpijs uero ad internecionē,absq.ulla clementia,acris seueritas.instituit?euenturū nāque prospexerat,atq. futurū nouerat,quanta pertinacia erant in scelere permāsuri.eos,n.ipsos,a quibus, ut abirent,ope iumma contenderant,(quos etiā abeuntes insigni studio prosecuti fuerant.tantus enim terror hominibus erat iniectus,ut omuem salutem desperarent,si Hebræi diutius in Aegypti finibus uersarentur,& ideo non solum eis discedendi licentiam permittebant, uerum,ut celeriter excederent, eos suppliciter obsecrabant) consilio repente commutato, ferociter insecuti sunt. Cum ad huc recens luctus esset,& ciularus atq. plangor,& acerbissimi fletus, ad mortuorū sepulcra,dolorem quo premebantur,indicarent; cum nec dum uiui sensus grauissimi doloris amissent,neque mortuis fuissent iusta funerum,gentis institutо,facta; amentia flagrantes,nouo scelere institutum scelus augent; &, quos precibus extruserāt, eos ut fugaces insequuntur. Summum enim scelus,insita contumacia cumulatum,omnem medicinā repudiat, & usque eo mētem excęcat erroribus, & præcipitem exturbat, ut ipsa sibi pestem impie, & nefarie, machinetur. dira namque necessitas in scelesti facinoris pœnam, eos,quos non tua benignitas mouit,nō accepta clades erudiuit, non maiorum malorum metus insregit,tandem in meritum supplicium detrusit.perfecit enim,ut eorum,quæ perpessi fuerant, obliti, Impijs autem usq. in nouissimū.

obliti,in exitium raperentur, ut, quod ad debitum supplicium deerat, tandem, magnitudine extremæ calamitatis,exsoluerent. Sic autem factum est,ut tuis, præter omnium opinionem, & præter naturam, iter rectum, & expeditum, mediis in fluctibus pateret, & mare pedibus transfretarent; hostes uero, nouo, dum uindictam exquirunt,& insolito, genere mortis,interirent. Vniuersa namque natura, in suo genere permanens,ut præscriptis tuis obtemperet, formam nouam induit, ut uno tēpore diuersas, atque dissimiles, actiones efficiat.itaque,ut filij tui incolumes seruarentur, omnia operam strenue nauabant.nubes,ut a castris Solis iniuriam umbra gratissima, prohiberet, se contra Solis ardores opponebat;exprofundo aquarum grugite,arida terra,ut cōspici oculis posset, eminebat; per medium maris rubri expeditum iter patebat; herbida planities, cum uiolenti fluctus abscederent, apparebat; per illam uero omnes, quos præsenti numine protegebas,opera tua mirabilia intuentes,facillime trāsierunt.&, ut equi, lętissimis pabulis saginati, frequēter hinniūt;&, ut agni, in pratis lasciuientes,huc, & illuc cursitant;ita,& illi,clamores,lætitiæ ingentis indices, edebant, &, innumerabilibus affecti beneficijs, exsultabant; nomen tuum,o Domine,qui eos,ex hostiū faucibus ereptos, in libertatē uindicaueras,debitis laudibus efferentes.multa enim tunc in memoriam reuocabant, quæ, quamdiu erant in exsilio, hostiū importunitate uexati, fuerant a te, eorum gratia, contra solitum naturæ ordinem,mirabiliter effecta.terra enim,pro animantibus ad hominum usum accōmodatis, culices innumerabiles,ut hostes pungerent,& cruentarent,ediderat;fluuius,pro piscibus, ingentem ranarum multitudinem,ut Aegyptios dissonis clamoribꝰ, & odore tęterrimo,diuexaret,extulerat. at,postquam Aegypti finibus excesserunt, in ualidissima solitudine,in qua nihil omnino,quod ad hominum uictum accommodatum esset,gigni poterat,uiderunt ijdem ipsi,qui hostium inopiā, & uastitatem, in terra ualde opima memoria tenebant, recentem auium generationem, ut eorū cupiditatem, qui carnes appetebant, explerent. ita factum est,ut non modo eis,qui in tuo præsidio latebant, quod erat ad uitam necessarium, sed etiam,quod ad delicias pertineret, esset large,& copiose, beneficentia tua,comparatum.cū enim quotidianum illum cibum, quamuis exstitisset omni iucūditate refertus,quidam,propter usum assiduum,fastidirent,ut stomachi minime ferendam offensionem clementissime subleuares,uim coturnicum a trāsmarina regione uento inuexisti, ut inexspectatis dapibus tuorum auiditatem satiares. at uero scelus eorū,qui facinora tætra conscisuerant, supplicijs ultus es;atque, ut magis appareret, non illa temere contigisse, crebris fulminibus offensam tui numinis explicabas. dignam uero criminis scelestissimi pœnam sustinebant.ius enim hospitij sanctissimū nefarie uiolabant.nam uel homines tantæ immanitatis ignaros hospitio minime recipiebant; uel hospitibus, a quibus beneficia acceperant,libertatem adimebant; &, quod erat seuerissime uindicandum, omnes peregrinos acerbo odio persequebantur. Si uero aliqui, hilari fronte,& inter sollemnia sacra, diebus festis, accepti fuissent,ut eiusdem iuris, atque ciuitatis, communionem obtinerent, eos, paullo post, neglecta fide, iniurijs afficiebant, & acerbissime diuexabant.ergo,non solum,multis plagis afflicti,in sceleris admissi pœnam iacuere, uerum & cęcitate damnati sunt.Vt enim homines olim,libidine furentes,cū in iusti fores irruerēt,ut facinus infandū facerent, ita luminibus orbati,& tenebris oppressi fuerūt, ut ne uiā quidē,quæ in cuiusq. eorum ædes ferret, inuenirent, ita & Aegypti nullum, in tantis tenebris, exitum reperire potuerunt. Et enim elementa uarie sedes, atque officia, commutabant, ita tamen,ut inter se apte concinerent, & in unum finem ures intenderent. Vt enim in fidibus, ijdem soni, uaria ratione distincti, uarios concentus efficiunt, ita & rerum naturæ, pro tuæ uoluntatis lege, atque ratione diuersas actiones, cum id tibi placet, exsequuntur. nec enim est aliud natura, quam tuæ uoluntatis effectus,numinisq. tui sanctissimi moderatio, atque rationis tuæ imperio ornata concinnitas. Si enim terra,pondere suo nixa,in mundi medio stabilitatem retinet;si aqua,insita mobilitate, cum non est impedita, dilabitur;si aer, terras,atque maria,circumfundit; si ignis, in sublime fertur;si terra, fruges effert;si pisces,in aquis oriuntur;si uolucres,uolatu libero,aera tranant;si denique singulę formæ, proprium statum tuentur, & suum quæque munus sustinet;id totum est numine,ratione,uoluntate tua constitutum.Vt igitur citharœdus eadē cithara harmonias dissimiles efficit,ita tu,sūme naturæ parens,& Domine,ut tibi usum est, uniuersam naturam modularis.&, pro inexplicabilis tuæ sapientiæ ratione, illius actiones immutas, ita tamen, ut numquam eam a uoluntatis tuæ symphonia discrepare pmittas. Quod quidē ex operibus, quæ illo tempore oculis perspecta sunt, conijcere sane licuit. Aīantia namq. terre stria,in aquas insiliebāt;aquatilia,in terris incedebāt;ignis,in medijs fluctibus uim suam fortissime retinebat; aqua uero, quasi naturæ suæ penitus oblita,ignis ardorē minime restinguebat; flāmę,rursus,in terra,cū ultro citroq. uolitarent, exitiumq. multis hominibus inferrent,brutorū tū animantiū, quæ passim gradiebantur, carnes non adurebant;nec in terra deserta illud Diuinū genus alimenti, quod glaciei speciem referebat,& natura sua facillime liquefactum diffluebat,minime dissipabat.in omnibus denique rebus,summe Domine,populū tuum eximię dignitatis ornamentis illustrabas,& insigni gloria cumulabas;&,cū illi presens semper adesses, nullo in tempore,aut loco salutem illius negligebas.

Omnis enim creatura.

Et uexationes peccatoribus.

Imprimatur.

p. Ant. Vicesg. F. Barth. de Miranda. S. P. M.

HIERO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII
NEPOTIS
LVSITANI
CANONICI EBORENSIS
PARAPHRASIS
IN CANTICA CANTICORVM

Universidad de Deusto
Biblioteca

MO

ILL. AC SAPIENTISS. D.

PETRO DECIO

S. R. E. CARD.

HIERONYMVS OSORIVS

N E P O S

LVSITANVS

CANONICVS EBORENSIS

S. P. D.

SEptimus est hic annus, a quo libellum Salomonis, Cantica Canticorum inscriptum, cœpi diligentius euoluere, et, quæ uiri docti, Græci, & Latini, atque Hebræi, in Commentarijs suis scripta reliquerunt, ut Salomonis mentem perciperem, attentius contemplari. Cum uero illi, quid Salomon in eo opere habuerit, proposîti, non idem sentiant, & loca plurima, uarijs ac inter se multum discrepantibus explicationibus adhibitis, obscure tractent, nō alienum studijs meis fore existimaui, si, ut in alijs sacræ Scripturæ libris faciebam, in hoc quoque ea litteris mandarem, quæ mihi magis rationi consentanea uidebantur. Paraphrasim tandem edidi: quo breui dicendi genere libellum illum, multis obscuritatibus inuolutum, explicaui: cui etiam Commētariolum adiunxi, in quo quædam notaui, quæ non ita luculenter in Paraphrasi explicari poterant. Postquam uero Romam ueni, ex eo studio, in quo uersabar, ut Osorij, patrui mei, scripta in lucem emitterē, quidquid temporis potui surripere, in hoc opere poliendo consumpsi. Quamuis autem non

Universidad de Deusto
Biblioteca

ualde ipse mihi placeam, uoluntas tamen mea nominis tui studio flagrans est mihi gratissima: ut eo nomine mihi ipsi gratuler: quam ut explorate cognosceres, nescio quo impetu ipsa foras erupit, quam pudor retardare debuisset. Hanc igitur lucubrationem nostram tibi, uir amplissime, dicare constitui; tum, quia paterni generis uteris cognomine, quod a Portugaliæ Regibus originem duxit: quare meum erat, ut homo Lusitanus, quam maxime possem, Principem Lusitanum colerem: tum etiam, quia plurima ardentissimo studio mihi officia præstitisti: quorum memoriam in animo meo penitus insidere, & summas quas possum tibi a me gratias haberi, ut scires, hanc suscepi cogitationẽ, quam multi, qui ingenij mei tenuitatem nouerint, fortasse reprehendent; uerum, si animi grati ardens studium animaduertant, non omnino damnabunt. quod ut boni & æqui consulas, obnixe precor. Si autem tuum iudicium fuero consecutus, omnia fuisse me adeptum arbitrabor; si uero Diuina, qua polles, prudentia, quæ in hoc opere corrigenda sunt, notaueris, (sunt enim multa a communi hominum intelligentia apud Salomonem distantia) spero fore, ut per te Christi Ecclesiæ, quam tantopere diligis, & tam mirifice exornas, mysteria cognoscam. Vale. Romæ.

HIERO-

HIERONYMI OSORII NEPOTIS LVSITANI CANONICI EBORENSIS IN PARAPHRASIM SVAM IN CANTICA CANTICORVM

PROOEMIVM.

VIri sancti, qui, Diuino spiritu afflati, Christi Optimi & Maximi, laudes celebrarunt, ut rerum statui, in quo uersabantur, opportunum esse uidebant, ita futura enuntiabant. temporum enim diuersa condicio, diuersam dicendi rationem ab illis flagitabat; inter quos Salomon cum non ultimum locum tenuisset, sed sapiẽtissimus Diuino testimonio fuisset iudicatus, eandem temporum rationem secutus, in eo libello, quem Cãtica Canticorum inscripsit, Ecclesiæ Christi laudes oratione est persecutus. In Dialogo autem scripsit, ne obscuritas animos alienos redderet, & suauitas ad legendum inuitaret. de futuris enim rebus tractatio est difficultatibus obstructa, & obscuritatibus plurimis inuoluta. dialogus autem rem ita ante oculos proponit, ut animos uoluptate deleniat, qua obscuritatis, atque difficultatis, molestiam non mediocriter subleuet. Amoris autem quanta sit uis, quotidianæ uitę exempla declarant, Philosophi luculenter disserunt, poetæ eleganter tradunt, & Ioannes, uir uere Theologus, atque Diuinus, testatur, cum de Christo inquit, Cum dilexisset suos in finem dilexit eos. nec enim impendens mortis acerbissimæ casus animo conceptus, amoris uim aliqua ex parte fregit, sed effecit, ut uires amor promeret, quibus insitam in natura humana imbecillitatem superaret. Fuit autẽ Christi in suos amor summus, quem nulla umquam dicendi facultas explicare poterit: neque quidẽ suorum studium erat mediocre, quo illi in amore respondebant. Hunc mutuum Christi, & Ecclesiæ, amorem Salomon explicare uolens, feminæ, & uiri, mutuo se amantium, affectiones elegantissime descripsit. Vtriusque uero personã mirum est quam dicendo expresserit. Feminæ enim amanti desiderij flamma congruit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qua uiri cupiditate flagrat, impetus ille, quem timor, & pudor, retardat, ut uirum sequatur, lacrymæ, suspiria, & uoces, doloris indices, qui illam ob uiri absentiam excruciat, & querimoniæ, quibus iniuriam, ob amorem sibi a fratribus illatam, perquam flebiliter lamentatur. Virum autem decet eam oratione excitare, laudibus demulcere, muneribus afficere, & timore iacentem erigere. quæ quam ornate Salomon effinxerit, is, qui attentius hunc libellum euoluerit, explorate cognoscet. Nobis autem uenit in mentem illum eo orationis genere, quod Paraphrasim uocant, explicare: tum, quia in eo antecedentium cum consequentibus connexio maxime apparet; tum etiam, quia breuitas magnopere laudatur, cui ualde studemus, ne tamen propterea obscuriores simus, orationem aliquando dilatamus. Eam uero in explicando sententiam sequimur, quę sub feminæ amantis persona Ecclesiæ animū erga Christum explicari asserit. etsi enim unicuique piorum, qui ardenti fidei studio uigent, multa, quæ hoc in opere dicuntur, conueniant, non tamen omnia recte in unum aliquem cadunt. Ipsa uero sponsa Virgines Hierosolymitanas alloquitur, quarum nomine Iudæos ob agnationem, deinde gentes, quia Hierosolymæ cælestis ius tenent, significari putamus. Deinde, cum illa, uiri sui desiderio, de loco in locum transiret, & se in conspectu omnibus daret, in suæ pulchritudinis admirationem homines rapiebat, quos Salomon illius laudes celebrantes inducit, ut illius pulchritudinis splendorem, & summum pudicitiæ decus, ostenderet. Illud autem in toto hoc opere est animaduertendum, multa a Salomone e communi pastorum uita sumi, quia ea in hoc Dialogo femina, & uir inter se de amore mutuo agunt, quos illud uitæ genus sectari Salomon finxit, quo nihil poterat utrique magis conueniens excogitari. ille enim Diuino pastu animos nutrit, & illa simul pascitur, & alios ad pascua adducit. Multa quoque adducuntur, quæ a pastorum moribus, & uita, uidentur esse longe seperata, atque distantia. quod quidem Poetæ etiam Græci, & Latini, fecerunt. pastores enim, & rusticani homines, si quid amplum, & magnificum, uident, aut fama percipiunt, id animo infingunt, & in omni sermone illius mentionem faciunt. Quædam uero, quæ non ita commode in Paraphrasi explicari poterant, nisi orationis cursus interrumperetur, in Commentariolo notauimus, quod huic operi adiunximus. Hæc admonuisse sufficiat. Iam nunc feminam amore captam, desiderio flagrantem, promissis excitatam, ut Ecclesia illo tempore erat, loquentem audiamus; &, quantopere fuerit illius amor, accepto beneficio, & uiri animo perspecto, confirmatus, postea uero adiuncta consuetudine, quam uehementer uterque ad omnem beneuolentiam exarserit, contemplemur.

HIERONYMI OSORII NEPOTIS LVSITANI CANONICI EBORENSIS IN CANTICA CANTICORVM SALOMONIS PARAPHRASIS.

CAP. I.

1 Oscule tur me osculo oris sui.

1 AB ineunte ętate me summus amor tibi coniunxit, & tu mihi prędare semper in amore respondisti. iam diu uero es pollicitus fore, ut nostrum susceptum a pueritia amorem augeres, &, omissis internūtijs, ad me uenires. huius beneficij desiderio flagro, & ea, quæ nunc usque in me contulisti, non tanti facio, ut aliqua ex parte illud lenire possint. tu quidē aduentum tuum differs, & ego desiderio excrucior. ut ori meo promissum osculū tandem infigas, & adspectu tuo iacentem animū erigas precor. 2 Nullum est conuiuiū optimo uino opipare comparatum, quod cum amoris tui incendio conferri possit: quia, si amicorum conuiuium, ob uitæ coniunctionem, delectat; quas uoluptates afferet artissima tecum familiaritas, & consuetudo? mammæ tuę (liceat mihi ita loqui, &, quod feminis, ad amorem cōciliandum, & ad fetum alendum, singulari consilio, natura tribuit, ad te quodammodo transferre) omnium deliciarum illecebras superant. 3 Quare nomen tuum apud uirgines, quæ pulchritudine excellunt, ut odor quidam optimus, omnium commemoratione peruagatur, & illæ mirum est, quanto te amore diligant; si ad me ueneris, quocumque uelis, te prosequemur. nomen tuum unguento singulari suauitate condito simile exsistit, quod cum diffunditur, suauissimum ex se odorem efflat. Si enim uim illam cōsiderem, quam rebus omnibus ad se ipsas conseruandas impertis, non mediocrem uideo amoris tui flammam illorum hominum animis implicari, qui ut uirgines, nulla turpitudinis labe adspersi, decorem, & honestatem, ipsi uitæ præponunt. omnes enim naturæ a te procreatæ, & benigne enutritæ, ad prædicationem de summis tuis laudibus, & ad tui amorem, ualde uehementer

2 Quia meliora sunt ubera tua uino, fragrātia unguētis optimis.

3 Oleum effusū nomen tuū: ideo adolescentulę dilexerūte.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter excitant: mihi uero non solum hic mundi ornatus, sed lex ipsa scripta, te multis modis describit. 4 Quamobrem tui desiderio excrucior, & obnixe postulo, ut legis inuolucra, per quæ te perspicio, reijcias, & tuo adspectu frui mihi liceat. in tellurem iam tandem descende, ut non amplius his rebus studeam, quæ, & si aliquid lucis, plurimum tamen caliginis secum afferunt. tu ipse me præceptis erudi, exemplo instrue, oratione incita, atque trahe. quod si feceris, illud consequar, ut, quę nunc intra Palęstinam contineor, nullis omnino terminis circumscribar: gentes quoque in unam mecum Religionis rationem conuenient, & te uestigijs consequemur. 5 Hoc unum ab eo uehementer optabam: ille mihi benigne satis, tempore a se definito, in precibus occurrit. nam ipse me in cellam suam introduxit. cum olim, legis scriptę fœdere, ille me in sponsam duxit, fumabat mons Sinai, fulgura micabãt, tonitrua sonabãt, terra dehiscere uidebatur. ne uero in mortis periculum inciderem, timore perculsa, longius recedebam, & oculos ab illius adspectu auertebam: nec quidem poterã Mosis faciem splendore coruscantem intueri: nunc illius conspectum minime perhorresco; & summus amor me cum illo artissime deuinxit. ipse enim humanã sibi formam induit, ut me in cella sua Regijs opibus cumularet, & nihil haberet a me seiunctum. huius noui matrimonij desiderio ardebam. hinc suspiria, hinc meæ de illo querimonię oriebantur.

4 Trahe me: post te curremus in odorẽ unguentorum tuorum.

5 Introduxit me Rex in cellaria sua.

6 Iam nunc illę conticescant. Incredibili enim lætitia circũfluo, quæ a te, o summe Domine, proficiscitur: præ gaudio quidem exsultabo, & beneficiorum tuorum, & summæ erga me tuæ beneuolentiæ memoriam perpetua meditatione colam. est enim tui memoria mihi gratissima, & amores tui sunt omni alia uoluptate iucundiores. 7 Quamobrem minime mirandum erit, si hi, qui lucem tenebris anteponũt, qui ueras, & solidas, uoluptates inanibus præferunt, qui excellens honestatis decus turpitudini sceleris præponunt, tui amore flagrent. Hoc sanctissimi matrimonij fœdus, hæc præclara, & prope Diuina, uitæ meæ condicio soli Hebræorum genti Diuinitus fuit oraculis promissa: uerum, cum gens hæc sensu omnia metiatur, & opes breui interituras suspiciat, illam spernit, & me, ex paucis hominibus conflatam, non solum intolerabili fastidio despicit, sed immani etiam odio persequitur. 8 Vos igitur, qui terrestrem Hierosolymam incolitis, alloquor. Si ex opibus temporis iniuriæ obnoxijs de me est iudicandum; ingenue fateor, me illis oĩno carere, ac propterea illorum iudicio, qui tellure repunt, me dedecore notari. sed, quam imprudenter hoc de me iudicium faciatis, paucis attendite. 9 Arabum tabernacula aliquando uidistis Solis ardoribus exusta. Num illa contempsistis? Minime profecto, quia uobis erat exploratum, non mediocres opes in illis inclusas cõtineri. Regis Salomonis ad pluuię iniuriam propulsandam tabernacula, pellibus intenta, oculis uestris usurpastis; nulla fuit in pellibus pulchrior alicuius rei forma, & species, quæ omnium oculos ad se alliceret; ijs tamen, qui ea, quæ intus erant singulari cum artificio efficta, considerabant, maximam sui admirationem excitabant; quid ergo uobis uenit in mentẽ, ut ex ijs ęrumnis, quas sustineo, de bonis sempiternis, quibus circũfluo, iudicetis? Instar illorũ tabernaculorũ, Solis ardoribus uror, ærũnis afflictor, insidijs exagitor, Diuinis tamen muneribus redundo, quæ cum animis uestris, ut debueratis, si attentius consideraretis, non adeo sceleris obstinati me tã acerbe affligeretis. 10 nõ est enim rationi consentaneum, ut, qui estis Diuinis institutis eruditi, & Diuinorum hominum prędictionibus ad æternitatem excitati, ex rebus interituris cogitationes uestras suspensas habeatis. non debet apud uos pluris esse inanis glorię dignitas, diuitiarum, quas dies euertit, copia, quã Diuinæ dignitatis splendor, & opes Dei præsidio stabilitæ; quibus hi, qui eadem sunt mecum religione initiati, circumfluunt. quamobrem, si fusca sum, quia Solis ardor me uehementius exuffit; si uexor; si opprimor; num propterea animi mei integritas, corporis castimonia, modestia singularis, & incredibilis in laboribus perferendis constantia, quæ uirtutes in nullo hominum genere umquã splenduerunt, pro nihilo habendæ sunt?

7 Recti diligunt te.

8 Nigra sum sed formosa filiæ Hierusalem.

9 Sicut tabernacula Cedar sicut pelles Salomonis.

10 Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me Sol.

11 Nec mirũ profecto uideri debet, me in tantis malis uersari: si quidem fratres mei, hi nempe, qui ab ijsdem sanctissimis parentibus originem ducunt, ad quos ego non solum genus reuoco, sed eorum erga Deum pietatem, & fidem, summo studio colo, in meam perniciem tanto odio feruntur, ut nullum sit tam immane scelus, quod non suscipiant, ut mihi interitum afferant. 12 Vinea fuit Domini Sabahot, gens Hebræa. hãc ego curare debuissem: hęc mihi iure hereditario obueniebat: sed gentis efferata libidine effectũ est, ut ab illius curatione expellar, & operam meam externis hominibus nauare cogar: gentis meæ uicẽ doleo, & illius in scelere animus obstinatus me acerbissimo doloris sensu exulcerat. At illa calumnias, offi cij loco, mihi conflat; uirgis corpus meũ dilacerat, tormentis excruciat, & necem crudelissimã infert. 13 Hanc animi mei sollicitudinem, hos, in quibus uersor, labores, quis mihi alleuabit, nisi is, qui me artissimo amoris uinculo sibi deuinxit? cuius neque bonitas exhauriri, neque potentia frangi, nec fides deficere, umquam potest, eum intueor, eum appello, imploro, & obtestor. si amori est aliquid tribuendum, & officij ratio ualet, quanto te amore diligam, explorate cognoscis, & tu hominum es pastor, eorum curam geris, eis prospicis, alis, atque sustentas. quod igitur muneris tui ratio postulat, hoc amor a te cõsequatur, ut mihi significes, quo in loco greges tuos pascas, cum æstus maxime uiget. nihil enim me retardare poterit, quin eo, incitato cursu, me conferam, ut ab his malis me abducã, & tuo adspectu fruar. tu quidem, in omniũ naturas infinita uirtute permanas, & illis præsentia tua uim affers salutarem: in meis tamẽ malis uideris, ac si abesses, conniuere. hunc secessum tuum misero eiulatu lamentor. 14 Ne quęso, patiaris, ut, quasi femina impudica, uager. nam, dum ab his, qui hominum pastores haberi uolunt, quibus tu in alios imperium tribuisti, exsilio multor, uerberibus laceror, & afflictor, de me parum consentaneam pudicitię meæ opinionem illis excito. etenim nullum fuisse inter nos ictum matrimonij fœdus existimant, sed me libidine duci, & superstitioni- bus addictam, nouis religionibus studere.

11 filij matris meæ pugnauerunt contra me.

12 Posuerũt me custodẽ uineis: uineam meã non custodiui.

13 Indica mihi, quẽ diligit anima mea, ubi pascas ubi cubes i meridie.

14 Ne uagari incipiam post greges sodaliũ tuorum.

At optimus ille, Princeps semper erga suos beneuolentissimi fungitur officio. præsto enim illis adest, quos laboribus uexari aliquando permittit, ut ampliorib⁹ eos beneficijs muneret; Ecclesiam ita uerbis delinit, ut ad labores, & pericula obeunda hortetur; & illius laudes luculenter prædicat. Sic igitur inquit:

15 Quo ego secesserim, & quo consilio te, quæ inter omnes hominũ cœtus, ac nationes, longe præstas, molestijs distineri patiar, explorato cognosces. 16 Si suscepti in Religione cursus uestigia non inflectas. nihil igitur de studio remittas, sed maiora tibi aĩo pollicere, & ab his, quibus circumscripta teneris, finibus egredere. nulla sit gens, nulla natio, ad quam nõ penetres: hędos tuos prope tabernacula pastorũ, de quorũ immanitate mecum querebare, pasce, ut gloriosissime de illorum impietate triũphes: in hunc finem gressus tuos dirige: nec illorum opes, & uires, pertimescas. 17 Etenim priscis temporibus Pharaonis exercitum, militum numero, & opibus, maximum, facili negotio deleui: cuius spolijs onusti pij Hebræi, in Aegyptiorum curribus, & equis, insidebant. huic piorum equitatui, qui partam mea benignitate libertatem modulatis uocibus celebrabat, te similem esse constituo. fuit enim equitatus ille quædam ueluti umbra, & figura præclari ssimæ uictoriæ, quam de tæterrimo generis humani hoste reportabis. Hac tantæ spe uictoriæ animum confirma: uires collige, quibus innatam corpori humano imbecillitatẽ fulcias, & tyrannorum in te animos, ipsis belluis immaniores, patientia emollias, & uirtute superes. sunt quidem Aegyptię equæ specie præstantes, & mira alacritate iugum subeunt: sed tu ualde multum forma excellis, & obedientiæ laude omnes longe superas: qua dum uitam instituis

15 Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres. 16 Egredere, & abi post uestigia gregũ, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.

17 Equita tui meo i curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuis,admirabili Diuini decoris splendore enites. 18 Nã genæ tuæ inter summi pretij ornamẽta e capitis uelamine demissa, singulari cum uenustate leuiter eminẽt, & ex inferiori parte subiectæ oculos tuantur. illa quidem ornamenta,ut pudici tiam tuam decet, turturis similitudinem referunt,cum nihil,nisi purum, nihil, nisi sanctum,& excellens,animo cogites,& ipso adspectu præteferas: collum tuum Diuinæ eloquentiæ torquibus exornatũ mirabiliter splendet.ea enim,quæ animo concipis, de rebus Diuinis mysteria,singulari cum uerborum grauitate , prędicas. 19 Sic autem a me fuerat constitutũ, ut auribus tuis ornamenta ex auro compararem,in quibus notæ quædam ex argento affabre factę inessent, ut scilicet fidem uerbis meis adhiberes, ex qua hic, qui in te erga me uiget, amor, & originẽ duceret, & ipse eam illustriorem redderet, ut iam fides timore expressa non te in officio contineret, sed amoris ardore, ut aurum,eluceret,stabilitate,& constantia, in eodem semper statu permaneret, unde orationis uis, ut argentum emineret,quę in cęlorum omnium fastigiũ penetraret.

18 Pulchrę sunt genæ tuæ sicut turturis: collũ tuũ sicut monilia.

19 Mirenulas aureas facte mas tibi uermiculatas argẽto.

Hac oratione Christus Optimus Maximus Ecclesiam suam pullulantem souet , afflictam solatur, & Principũ immanitate ab Euãgelij prædicatione retardatam, ad id officy munus uehementer impellit, & illius laudes exaggerat,quarum nullam sibi Ecclesia assumit; &, dum summissius se gerit,quantos in uera sapientiæ studio progressus fecerit , consideremus: atque inuicem , amantium more , quam eleganter certent , dum alter alterius laudes celebrat , contemplemur . Sic igitur sponsa exorditur:

20 Dum esset Rex in accubitu suo,nardus meus dedit odorem suum

20 Si quid boni in me inest, ego ab illo bonorum omnium Architecto delibatum habeo , nam illius munere effectum fuit , ut semper in me uirtutis decus eluceret : illud tamen erat multis rationibus deformatum . Tellure enim repebam ; carnium nidori eram addicta ; a sanguinis adspersione, a rubræ uitulæ cinere, pendebam; nunc ipse, omnium rerum , & antiquæ legis , auctor, in conuiuio accumbit , quod suis magnifice comparauit , ut illorum mentes eo cibo satiet,qui eis immortalitatẽ donet;nunc, in quam , in hac sponsi mei , & suorum amicorum,accubatione, ex nardo mea iucundæ odorum suauitates afflantur; corporis castitas, priscis hominibus inaudita, uiget; animi sanctimonia floret; sapiens animi submissio omnium prędicatione celebratur; incredibilis constantia, in omni ætate , & in omni hominum genere, elucet . harum uirturum decore nunc me ipsam longe supero . 21 Nec mirum quidem.ille enim , cuius ego sum amore incensa , olim sibi tabernaculum, & postea templum , exstrui curauit , in quo sedem sibi collocauit, unde oracula funderet; mortis autẽ supplicium in eos sanxit,qui sedem illã oculis usurparent; nunc uero illũ ego amplector , illum mecum adstrictum teneo , atque is in animo meo sempiternum sibi domicilium instituit.nam,ut myrrhæ fasciculum elegãtiores feminæ in pectore gerunt , sic ego illũ in animo infixum quocumque ingredior,mecum defero;qui me,instar cypri, hoc,quem ego affio,uirtutum odore complet. 22 Pulchritudine,inquit sponsus, adeo excellis , o sponsa mea , ut te , quicumque sanæ mentis fuerit, summis laudibus efferat. Nam hæc, qua tantopere pręstas , pulchritudo , est cum singulari uitæ sanctimonia coniuncta. Quemadmodum enim colũbis est innatum, ut ab iunte ætate uirum diligant,a quo, dum in uita manent , separari minime patiuntur,sic tu,hoc tempore,quo, primũ Euangelij doctrina,& institutis,enutrita, adolescis,me unum intueris,& suspicis,quod usque ad ultimum spiritum seruabis.non enim ad Baal , & Astaroth, commenticia quædam numina oculos adijcies . quare columbarum oculis sunt oculi tui similes,qui acie micant,ut Diuina percipiãt , & ab sponso contra matrimonij ius numquam dimouentur. 23 Quo eos,o sponse, uer-

21 Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi , in uineis Engaddi .

22 Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es , oculi tui columbarum.

se,uerterem?aut ad quem alium me conferrem? Si pulchritudinis decus,& admirabilis quidam splendor ad se animos allicit ; si eos suauitatis magnitudo quodammodo secum deinctos retinet, tu natura pulcher,& suauis,exsistis:si quę sunt res pulchrę,si quę suaues haberi possunt, sunt illæ quidẽ tuæ pulchritudinis,& bonitatis, quędam impressa uestigia . nihil igitur laudis est mihi tribuendũ,eo quod tibi adhęream ; sed tibi sunt omnia referenda . Studia humana in perniciem suã feruntur , nisi ope tua ab exitio auocentur.24 Beneficio tuo,quidam ex Iudæis, & ex gentibus , in Palæstina , ad nomen tuum sese applicant, &, sublato pariete, quo gentes a Iudęis distinguebantur , ex utrisque in eãdem religionem societas summo fœdere deuincta crescit , in qua requietem tibi quodãmodo parasti. omnia namque opera tua ad illius gloriam contulisti. hic noster lectus , quia ei suauissima bonitatis tuæ aura afflatur,uiret, atque frondescit.nõ sub dio est lectus hic noster stratus, sed est amplissima ĩ domo, atque Regia,quæ plurima in se continet cubicula.diuersa namque sunt in ea officiorum genera,& distincti hominum ordines;ipsa uero , quamuis omnes homines intra se possit capere,est undiq. tecta, & pulcherrime laqueata,ut tyrannorum impetus sustineat,& uirtutũ omniũ splendore ceteris hominibus colluceat.

24 Lectulus noster floridus : tigna domorũ nostrarũ cedrina , laquearia nostra cypressina.

CAP. II.

1 Ego flos campi, & lilium conuallium.

1 PRofecto , cum hæc,quæ in me beneficia contulisti , attentius considero , de me ita iudico , ut existimem, in hoc mundi campo , in quo est uirtutum solitudo,& uastitas,me lectissimum esse florem , qui hominum sensus , si a recte rationis iudicio se minime seuocent , omni uoluptate permulceat , & suauissimo odore compleat . sed decus hoc in me uirtute tua uiget . nam , instar lilij , sum in depressa ualle , in quam e montibus defluẽtes aquæ coeunt. Cum enim ab hominibus abiectis principium sumpserim,in eos benignitatis tuæ riuos ita ab unde deriuasti,ut humilitas ueram nobilitatem procrearet , & candore sempiterno reluceret. 2 Errant illi quidem,

2 Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

o sponsa,qui in te aliquid humile, & abiectum, inesse putant.excellens est enim animi tui decus, atque Diuinum. qui uero, inter cereros homines , honestatis, & decoris, speciem præseferunt, illam lenocinijs imitantur, cum omni sint turpitudine deformati;in qua sceleratæ uitę ratione, spinarum instar,siccitate quodãmodo arescunt , & nullum ex se uirtutis fructũ emittunt,&, ut acerbe te pungant , omni studio nituntur; qui quidem illorum conatus ad laudes tuas miras accessiones afferunt. nam,in tanta morum labe, quę in hominum genus peruasit , tu, ueluti liliũ inter spinas,solidę uirtutis specie,Diuini patris oculos delectas .

Iã nunc longiori oratione, Sponsa, suauissimam cum uiro suo consuetudinem laudat,&, quæ ex illa bona perceperit,commemorat. Sic igitur inquit :

3 Quemadmodum malus arbor in silua consita agrestibus pręcellit arboribus, ita is , quem tantopere diligo , omnes,qui aliqua fuerunt uirtute commẽdati,sanctitate longe superat. illi enim,nisi ab eo aliquid boni delibatum habuissent,totius decoris, & uirtutis,specie orbati,agrestes,& inculti,ad omnia officiorum genera fuissent;neque his solum, sed dijs, quos gentes sibi, impia superstitione,adsciuerunt,& principibus, qui maximis opibus affluunt,& nationes plurimas sub sua potestate,& ditione,tenent , infinitis partibus excellit.nam illi sunt uiribus imbecilles,fide in constantes, animo maleuoli;hic autem, inuictæ uirtutis robore,fide,integritate summa, & incredibili est in omnes benignitate , suspiciendus. 4 Cuius desiderio arsisse me,totius uitæ meæ cursus manifeste declarat, in Arabiæ solitudine dum sub nube Solis ardorẽ minime sentiebam, & Mosis opera legibus instruebar,in illũ, multis, atq. diuersis signis mihi quodãmodo expressum , mentis oculos conuertebam. nam, etsi Solis ardorem nubis umbraculo repellebam , carnis tamen ita uehementer æstu rapiebar , ut satis manifeste patęret, quod lex a Mose lata mortem mihi potius ,

3 Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios.

4 Sub umbra illius quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis , gutturi meo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tius,quã ſalutem, attulerit. quare illum oculi mei deſiderabant;nunc autem,neq. nubis umbraculo eſt mihi opus, neque exſecrationibus deuincior.in illius enim umbra,quem ardenter amo,e tantis malis emerſa,requietem capio. eſt ille quidẽ arbor uitę ad mentes hominũ quodam modo opacãdas ramis diffuſa, ut eis uitã afferat in omnium ſæculorum æternitate duraturam. propterea fructus illius dulcedine mentis meæ ſenſus iucundiſsime commouẽtur.animum enim ſatiat, incrementum præbet, uires auget, uoluptates affert, quas nulla temporis iniuria aut exſtinguere,aut deformare,umquam poterit. 5 Hoc quidem Diuinum, atque ſempiternum,animi bonum,non mihi ueteris legis ſacrificia,non philoſophorum ſententiæ, ſummo ingenij acumine exquiſitę,attulerunt;ſed ille ipſe Dominus rerum omnium, ac Dominator Deus,lumen mihi prætulit, tenebras diſpulit, ut animum, a pictura legis, & imaginibus, ad rẽm,ueritatemque, traducerem.nam, cum uariis modis diſtinerer, me in cellam ſuam uinariam induxit,me,inquam, legis onere ſtratam, ſpiritus ſui uirtute ſubleuauit, errantem in uiam deduxit, mæſtam gaudio cumulauit. 6 A quo felici animi ſtatu ne me libido, & diuerſæ infitæ in animis cupiditates deiicerent, amorẽ (ut ſolet militibus uexillum præferri, quod ſequantur) ille mihi ſequendum propoſuit, atque in animo meo illum infixit. amorem igitur ducẽ ſequor, cuius uires nulla poſſunt oratione explicari. erenim, ut militum acies, dum ordinem ſeruat,nullo hoſtium impetu prærumpi poteſt,immo illorum uires infringit, ſic amor omnia uincit, oĩa ſuperat; huius Diuini amoris opes ille in aciem quodammodo deduxit, ut me ſub ſuam ditionem adduceret, & a ſenſuum illecebris tutaretur:amore flagro,amorem proſequor,amorem dies, & noctes inclamo; utinam mihi liceret,eum, quem amo,adire,oculis cernere,amplexu tenere.cupit animus, quod præſentis uitæ condicio non patitur. 7 Deſiderio tamen excrucior,& amoris ui conficior. anima intercluſa reſpirãdi locum denegat. odoribus igitur me adſpergite;flores,& poma,nari bus meis admouete;ut, cõfirmata, poſſim ſpiritũ ducere. neminẽ alloquor, neminẽ appello.amorẽ ſector; ab illo tota pẽdeo; quidquid ab illo nõ emanat,mihi triſtitiã parit. 8 O, quam iucunde,illius amplexu circumplicata, uiuerem? quantum me iuuat hæc animo contemplari?nihil profecto mihi magis cordi eſſet, quam in ea contemplatione uitam conſumere.

9 Quamobrem uos,Hieroſolymitanę uirgines, precor,per id, quod animus ueſter cupit,& diligit,per ea, quæ uobis dulciſſima ſunt in uita, ne me, Diuino amore ſauciam, ſceleratis ueſtris conatibus exagitetis. ſi uos aliquando amor ſollicitauit,is a uobis illud obtineat, ut mihi liceat,quãdiu uiſum mihi fuerit,amori toto animo uacare.non opes eſflagito; non dignitates,& honores,ambio: ſunt enim in amoris Diuini ſtudio opes immenſę, dignitates ſempiternæ, honores Diuini.

10 Dum hæc mecum animo cogitabam, uox dilecti mei aures meas iucundiſsime per mulcebat.nihil enim illi impedimento eſſe poteſt, ut præſentia ſua ſollicitudinem,qua angor,mihi alleuet:temporis momento omnia euincit, & ea celeritate,ut me inuiſat,iter ingreditur, ut montes,& colles,celerrime tranſeat,uocemq. iucundiſsime modulatur, ut ſuauiſſimis modis animum meum oblectet, &, ut quam celerrime mihi in precibus, & optatis,occurrat,capreæ,& ceruę celeritatem imitatur. En ipſe poſt parietem noſtrum ſubſiſtit.non enim hęc corporis, quo ſum induta, mortalitas fert, ut eum oculis uſurpem.e feneſtris,& cancellis,ille proſpicit, & ſeſe occulit, quamuis a me num quam oculos auertat. 11 Cantu ſuauiſsimo,& ſpiritus ſui appulſu,me in ſuam ſententiam allicit; tu, inquit, quæ mecum amoris maxima es conſpiratione conſentiens, & Iudęorum immanitate uexaris,& per Paleſtinæ opida, p ferarũ luſtra,& latibula, uagaris,animo excitare, Iudæorum minas contemne, &, te intra Paleſtinæ terminos coerceri, quam parum ſit conſentaneum dignitati noſtræ,conſidera.accelera igitur,iter ſuſcipe, in gentes inuicta uirtute penetra, ut ijsdem, quibus orbis terræ, regionibus nominis mei fama terminetur. 12 Fuit quidem hiems ſumma, imber maximus, quo genus hominum ad uirtutis ſtudium obduruit,

5 Introduxit me Rex in cellam uinariam.

6 Ordinauit in me caritatẽ.

7 Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore lãguco.

8 Lęua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

9 Adiuro uos filiæ Hierusalem per capreas, ceruoſq; camporũ, ne ſuſcitetis,neq. euigilare faciatis dilectam, quo ad uſque ipſa uelit.

10 Vox dilecti mei,ecce iſte uenit ſaliens in montibus, transiliens colles. Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloq. ceruorũ: en ipſe ſtat poſt parietẽ noſtrũ reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.

11 En dilectus meus loquitur mihi, Surge,propera amica mea,colũba mea, formoſa mea,& ueni.

12 Iam hiems tranſijt, imber abiit, & receſſit.

obduruit, ne quid ex ſe laude dignum gigneret: 13 Nunc iam tellus hęc,floribus, & herbis,ueſtita,oculos delectat; & auiũ cantus ſingularem affert auribus uoluptatem.iuſtitiæ enim, Solis acceſſu, uer incepit, & fructus oſtendit futuros. nam ea, quæ priſci uiri illi ſancti inſeuerunt, maturitatem conſequuntur: illi ſementem fecerunt,tu uero fruges demetes, & feliciſſime percipies. 14 Iam igitur temporis ratio illud a te officium poſtulat, ut non amplius,inſtar columbæ timore perterritæ, in Palæſtinæ latebris ſubſiſtas, ſed ut in omnium conſpectum prodeas,& mihi liceat hanc uitæ tuę ſpeciem,& ſanctimoniam,uidere in oculis omniũ,& ore, uerſari: uox tua, admirabili harmoniæ concentu, aures meas ſingulari uoluptate cõpleat,ut ea,qua te imbui,rerum Diuinarũ diſciplina,hominũ animos ad iuſtitię cultum,ad uerę ſapiẽtiæ ſtudiũ, ad uitę communis ſocietatem,ſanctiſſimæ Religionis fœdere adſtrictã trahas. eſt enim uox tua ſuauis,non aſpere ſonans, non minitans. eam enim ad omnium ſalutem ſuauiter inflectis,& moderaris;& facies tua, uitæque ratio eſt ſummis uirtutum omnium ornamentis exculta.

Hac quidem ratione,& ſuauiſſima uocis modulatione, Sponſa dicitur, ut ex paterna domo, rus, quo illam Sponſus uocabat, libenter diſcedat.

15 In uinea,inquit,noſtra, iam nũc ineunte uere ad ſarmẽtorum articulos gemma exſiſtit, ex qua oriens uua ſeſe oſtendit:uulpeculæ,ſummis fraudibus, ne illa maturata dulceſcat,efficere conãtur;quæ pietatem ementiuntur, ut iacta pietatis fundamenta labefactent. Vos igitur,cæleſtes,ac beatæ,mẽtes,quibus mei cura eſt, & uos,qui in piorum cœtu principem locum obtinetis,hortor,ut illas capiatis, & a Republica Chriſtiana exturbetis,nefarios,inquam,homines,& omni ſcelere cõtaminatos, qui fidem datam impie fregerunt, & naſcentem in hominum animis pietatem euellere nituntur, diſſidia conſtituunt,diſſenſiones nutriunt,turbas cõcitant,& iura Diuina,& humana peruertunt,& a ſe ipſis maxime diſſentiunt. Vbi enim caritas non moderatur, neceſſe eſt, ut ſint omnia perturbata ſeditionibus. 16 Quare,cũ ego,& dilectus meus mutuo ſimus, & indiſſolubili, amore coniuncti, nullum inter nos diſſidium exſiſtit, nulla diſſenſio, ſed animorũ idem eſt ſtudium, & admirabilis conſenſio.illi enim nõ animi motus a ratione auerſi, non libidine concitati, non ſuperbia inflati, non ambitione cęci,non impetu precipites, placent, ſed ſuos inter lilia paſcit,quos modeſtiæ, manſuetudinis,ſapientiſſimę animi ſubmiſſionis, muneribus, Diuino quaſi quodam paſtu,.alit, & totius ſanctimoniæ candore illuſtrat. 17 Donec igitur uentus matutino tempore ſalutaris perflat,& uitalem ſpiritum duco,mihi non erit cunctandum, ut te aſſecter contento curſu;o dilecte mi, ut caprea,& cerua in montibus Beter enutrita perge, in gentes abi, ego te ſummo amore proſequar. nulla enim erit gens tam barbara, & incognita, quam,te duce,adire perhorreſcam.

15 Capite nobis uulpes paruulas quę demoliũtur uineas.nã uinea noſtra floruit.

16 Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.

17 Donec adſpiret dies, & inclinentur umbræ. Reuertere: ſimilis eſto dilecte mi capreæ, hinnuloq.cerlorum ſuper mõtes Beter.

A principio generis humani, Eccleſia Chriſti Diuino ſpiritu conſtituta uiguit. Vt enim homtnũ genus incepit, ſimiliter & rerum Diuinarum cognitionem ab omnium conditore Deo traditam ſuſcepit, qua non ſolum natura ſua dignitatem exploratam haberet, & inter omnes animantes longe præſtaret, ſed etiam Diuinæ mentis amplitudinem, & maieſtatem,ut poterat,uenerareturr. Sciebat enim, ſe a Deo benigne conditum, & Diuinis fuiſſe muneribus ornatum: quæ etſi magnifica, & præclara, eſſent, futurum cognouerat, ut multo maiora percipere t. Cum enim hominis perfectio, & beatitudo, a Deo tota pendeat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

erat illi innatum summum cum mente Diuina cõiunctionis desiderium: quam cum proprijs uiribus adipisci non posset, ne illam omnino desperaret, in illius consequendæ spem fuit, afflatu Diuino, & signis, excitatus; quibus dum fidem adhibuit, fuit cum Christo singulari fœdere adstrictus. ad illum enim, ut ad humanæ naturæ dignitatis perfectorem, cogitationes suas referebat, & actiones suas illa fide cõformabat: multis namque rationibus erat ei a Deo significatum, fore, ut ipse humanam formam indueret, qua una re humana natura in summum honoris gradum euehebatur, & id, quod ipsa appetebat, nempe sui perfectionem, beatitudinem, immortalitatem, & cum Deo coniunctionem, consequebatur. Adamo fuit Eua in matrimonium collocata, &, ut noster Paulus asserit, eo matrimonij fœdere illud in animis eorum signabatur. quod inter Christum, & Ecclesiam, erat, ritu sanctissimo, feriendum. hæc autem animorum persuasio, usque ad Abrahami tempora perdurauit, quamuis humanæ mentes, breui, post Adamum, impietatis offusis tenebris, a Deo auersæ, fluxis rebus, & inanibus, adhærebant. quamobrem in paucis illa permansit: quam optimus ille hominum parens, ut in illorum animis excitaret, & uehementius infigeret, Hebræorum Remp. condidit, quam legibus instruxit, & ijs sacrorum rititbus adstrinxit, quibus illius gentis animis clarius esset propositum, quod de Christo fuerat Adamo prædictum. Vnde effectum fuit, ut in Christum, tamquam in finem, piorum hominum cœtus, insita quadam, ut ita dicam, uoluntatis inclinatione propenderet. Quia uero ita est a natura comparatum, ut spes alicuius boni excellentis, plurimis signis, et oraculis, excitata, quanto magis differtur, tanto uehementius sperantium animos excruciet, luculenter quidem in hoc opere Salomon Ecclesiæ uoces in operis principio commemorauit, quibus illa animi sui studium, & sollicitudinem, declarabat; qua Christi ad se aduentum propediem futurum sperabat. Deinde uero, ipsius in Religione, & in perfectionis suæ ratione, progressus retulit, nam Christus aduentu suo expleuit hoc ardens Ecclesiæ desiderium, & donis maximis compleuit: quamuis illa quidem, ut Abrahami, & Mosis ætate contigit, in paucos homines erat Hierosolymæ redacta. Centum enim, & uiginti hominum numerum illa complectebatur; quos Iudæi contumelijs primum affecerunt, uerberibus excruciarunt, ut eos a Christi Diuinitatis prædicandæ studio auerterent; eos denique internecione delere conati sunt, quorum plurimos immaniter

maniter trucidarunt; qui uero ex illa suorum cæde, crudelissime facta, euaserunt, in loca tutiora se receperunt. Soli enim Apostoli, ut Lucas enarrat, in ea Reip. Christianæ perturbatione, Hierosolymæ manserunt. Horum autem de Iudæis querimoniam Salomon quoque eleganter litteris mandauit: nec non illorum in tantis malis sollicitudinem, qua cruciabantur, & Diuini auxilij, quod aliquantum in summis miserijs differri uidebatur, exspectationem, qua uehementer angebantur, eleganter scripsit. Christi denique Optimi Maximi erga suos benignitatem, qua eis consuluit, & prouidit, & Ecclesiæ, quæ, intra Palæstinæ terminos circumscripta, quotidie augebatur, studium, quo erga illum erat incensa, mirifice explanauit. illa enim nihil de studio umquam remisit, quo Iudæos de illorum officio admonebat, &, ut sese Christo applicarent, hortabatur; quamuis aliquando, cum temporis ratio postulabat, se ipsam a Iudæorum oculis remoueret, quemadmodum fuerat, ut ita officio suo fungeretur, a Christo instituta. Illud uero nõ mediocrem ei dolorem afferebat, quia aliquos eo tempore uidebat diuersis erroribus imbui: quales hi fuerunt, qui, cum Christo nomina dedissent, legi ueteri ita erant addicti, ut eam ad salutem animorum consequendam esse necessariam prædicarent; & qui ob illud Nicolai factum, quo se Apostolis de Zelotypia purgauit, cum immerito, tum impudenter, sunt in nouum impudicitiæ genus prolapsi; qualis etiam Simon ille Magus, hæreticorum princeps, qui Samaritanis fuit omnium scelerum, & flagitiorum, documentum; hi, quasi uulpeculæ, dolis, & fraudibus, perniciem Christianæ Religioni moliebãtur, & , pietatis integumento, summæ perfidiæ scelus occultabant. Hunc Ecclesiæ Christianæ statum Salomon hactenus explicuit. Inde uero aliud sibi dicendi exordium sumit; ut omnes Ecclesiæ quasi ætates quasdam, atque gradus, persequatur. Interfecto autem a Iudæis Stephano, aliqui uiri sancti Cyrenei, & Cyprij, qui, fuga, a Iudæorũ immanitate, qua ad crudelissimam necem pij homines rapiebantur, se ipsos eripuerant, Græcos Euangelij doctrina instituebant; Paulus denique, Antiochiæ, Pisidiæ, non solum Iudæis, sed, & gentibus, uitæ sempiternæ uiam fuisse a Christo munitam, Isaiæ testimonio, confirmauit; Iudæis uero relictis, quia odio immani in Christum Optimum Maximum inuehebantur, ad gentes, cælesti doctrina, quam ipse Diuinitus perceperat, erudiendas se contulit. quod quidem officij munus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceteri quoque Apostoli, incredibili studio, illis præstiterunt. Quos uero labores, quas ærumnas, quas dolorum acerbitates, quæ mortis pericula, & tormenta, in hoc Christi Prædicationis cursu Ecclesia subierit, Salomon deinceps oratione persequitur. Sic enim Ecclesiam loquentem inducit:

CAP. III.

1 In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.

1 ILlud autem ad memoriam sempiternam monumentis consignari uolo, me omni studio operã dedisse, ut gentem Hebrẽã a legis, quã omni spiritus Diuini lenitate, & ornamento, spoliauerat, seruitute, & ab ignorantię tenebris, & Dei offensione, in qua uersabatur, ad ueram animi libertatẽ, ad sempiternũ sapientiæ decus, ad filiorũ Dei adoptionem, quam lex a Mose tradita pollicebatur, traducerem. totis enim uiribus pugnaui, ut eam ad illius studium excitarem, cuius ego amore flagro. erat enim consentaneum, ut primum illi genti Diuini spiritus numen, in lege quodammodo inclusum, nunc spõsi mei singulari beneficio in omnium adspectu collocatũ, explicarem. nam ad hoc fuerat lege Diuina instructa, patrum oraculis enutrita, & signis, atq. prodigiis, nalde uehementer excitata; prisci uero tẽporibus ea ut lectulo utebar, in quo iucunde cum spõso meo accumberem. fide enim erga illum, & pietate, florebat; nũc uero in eam scelerum omnium turpitudinem est prolapsa, ut, quædã quasi nox illi tenebras offudisset, sponsi mei numen in lege mirabiliter elucens minime perspexerit. has ego tenebras ab illius oculis dispellere conabar: eas tamen illa luci præ tulit, & me cõtumeliis affecit, uirgis dilacerauit, cæde contaminauit. 2 Quamobrẽ hinc discedã, ludęam relinquam, ut orbẽ terrarum peragrẽ, & quę totius sapientię parens mihi inter paucos plane secreto narrauit, in uicis prędicem, &, quæ illius mihi insusurrantis susurro quodã percepi, in plateis cõmemorem; quę denique obscura erant, & nullius poterant intelligentia cõprehendi, efficiam clara, & manifesta, ut, si forte, possim religionẽ in omnes hominũ nationes propagare. Sed gentium ea est uiuendi ratio, omni scelerum genere contaminata, & impietas tã ãltis est radicibus nixa, ut, quãuis multa illis de lege Diuina, de sanctissimi Christi maiestate, de illius prouidentia, de immẽsa in genus hominũ benignitate, & de mysteriis uerissimæ religionis, differam, non possim eas a sensuum iudicio, ut Diuinæ mentis norma uitã moderentur, auocare. nullum denique in illis sponsi mei uestigium reperio. Etsi uero, hoc, quod perficiendũ suscepi, multis esse difficultatibus implicatum uidebam, in id tamen studiũ, in quo eram, uehementer incumbebam. 3 Quo effectũ fuit, ut, qui rerum potiebantur, qui ius administrabant, quibus patria Religio curæ erat, me omni ex loco pelle re conarentur, &, quasi ego rebus nouis studerem, & pernicioſam Religionem in Remp. inducerem, uinculis, uerberibus, omni denique supplicio, excruciabant. 4 Eos tamen amãter ad ueriſſimę Religionis pietatẽ hortabar. Sic autẽ illos alloquebar. Num in tam multiplici Deorum numero, quos tantopere colitis, eũ inuenistis, a quo animã hausistis, a quo hic mirificus mundi ornatus originẽ duxit, & cuius prouidentia tã multis sæculis eodẽ in statu permanet? Si igitur hæc Deorũ multitudo manifeste declarat, animos uestros impietatis quodã ęstu exagitari, atque illum rerũ omnium moderatorem, & optimũ parentẽ, cuius in animis uestris est insita a natura notio, a uobis minime cognosci, quare de illo me differentẽ supplicio dãnatis? quo iudicio uos & summæ insipientiæ, & ingrati animi, scelere adstringitis. nã rei grauissimæ, ad mentis statum conseruandũ maxime pertinẽtis, ignorationem, ipsi sapientiæ anteponitis; & me, quã neq. cupiditas aliqua, nec ambitio, ad hoc officij munus uobis prestandũ adduxit, sed amor eximius traxit, immani odio insectamini. Vt. n. quẽ amor sollicitat, illius, quẽ uehemẽter amat, absentiã ęgrefert, & desiderij magnitudine cõtineri nõ potest, quin ab omnibus, quibus sit obuiam, diligenter de eo quærat; ita ego illum, quem summopere diligo, semper in ore habeo, & in eo maxime pugno, ut illum uobis cõciliem, & in animis uestris pulcherrimam illius speciem infigam.

2 Surgã, & circuibo ciuitatẽ: per uicos & plateas, quæramquem diligit anima mea. quæsiui illum, & non inueni.

3 Inuenerũt me uigiles, qui custodiũt ciuitatem

4 Num quem diligit anima mea uidistis?

5 Cum

5 Paullulũ cum pertransissem eos, inueni quẽ diligit anima mea.

5 Cum autem in hac dicendi constantia, illis aduersantibus, perseuerarem, & cursum, quem semel susceperam, strenue tenerem, &, illorum immanitate, Diuinæ uirtutis robore, superata, longius progrederer; cœpit inter gentes magna fieri animorum commutatio, ut, qui erant, instar luporum, crudeles, agni mansuetudinem induerent, truculenti benignitatem amplecterentur, auari liberalitatis laudem diuitijs præponerent; & ita sunt omnia in uersa, ut me, quam propter infantiam contemnebant, summa cum admiratione suspicerent. Ex paucis Iudæis, & maxima gentium accessione, mirum in modum aucta, in omnes orbis partes longe lateq. diffundor. 6 Cum ergo paullo ante gentes superstitionis nefariæ uinculo impeditæ in tenebris iacerent, nunc, omni caligine expulsa, clarissima luce fruuntur, & cum rerum omnium Domino, ac Deo, a quo longissime aberant, sunt maximo amoris fœdere deuinctæ. illum igitur inueni, quem ardenter amo, eum omnibus horis amplexu tenebo, nec umquã a me dimittam, sed, ut pudicæ fęminæ se totas uiris suis in materno cubili tradunt, ita ego illum in animum meum, quasi in domum, & cubile maternum, introducam, ut illius compos efficiar, & sitim, qua excruciabar, expleam. Quemadmodum autem Hebræorum opera gentes sunt ad Christi studium ductæ, sic etiam Synagoga, a qua Ecclesia gentium genita, educata, & enutrita est, illarum cura, & sollicitudine, illud consequetur, ut Diuini luminis splendore colluceat. non enim cursum, quem tenui, inflectam, sed illũ, postquam gentes omnes uerissimæ Religionis doctrina instituero, ad Synagogam dirigam; nec a suscepto munere desistam, donec Christum in illius penetralia induca m. 7 Vos igitur, quibus ius cælestis Hierosolymæ patet, in qua censeriad hãc diẽ renuistis, per ea, quæ uobis in uita sunt carissima, obsecro, ne, Zelotypiæ studio, in me impetum faciatis. licet enim uestra falsa numina tantopere ueneremini, (quorum cultum opera mea imminui uidetis, ac propterea meum in gentibus instituendis ardorem restinguere conamini) si uobiscum uelitis rem attentius cogitare, illud exploratum habebitis, me non odio, sed caritate, duci. nihil autem est caritate salutarius. ea namque diffidentia mirum in modum deuincit, & colligit. quare, cum uobis uiam muniam, ut, omni animorum perturbatione sedata, tranquillissima uita fruamini, ne, quæso, me ab hoc iucundissimo somno, quo capta, aliarum rerum, & propriæ etiam uitæ, curam negligo, excitetis. prudenter enim insanit amor, qui, ut optimum, & omnium bonorum ultimum, consequatur, cetera omnia pro nihilo putat. hic consilij mei est suasor, & impulsor. Quam uellem, ne aliquid cursum meum in gentes retardaret.

6 Tenui eum: nec dimittã, donec introducam illũ in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

7 Adiuro uos filiæ Hierusalẽ per apreas, ceruosque ęporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilecti, donec ipsa uelit.

Cum autem pulchritudo oculos moueat, & uirtutis splendor hominum animos, natura duce, ad se alliciat, hi, qui sponsam adspiciebant, non poterant eam singulari cum laudatione non admirari. nõ solum enim omni uenustate præcellens mulier sponsum in urbe per plateas, & uicos, quæsierat, sed, ut illum inueniret, summo cum uitæ periculo fuerat in solitudine uersata. quare pastores a Salomone inducuntur, de illius laudibus breui oratione, quæ tamen plurima dicendi ornamenta contineat, diſſerentes. qui quidem illorum personam gerunt, qui inter gentes, uirtutis, quæ in Ecclesia elucebat, magnitudine ducti, similem de ea orationem instituebant.

8 Gentem illam, quæ olim per Arabiæ solitudinem quadraginta annos fuerat peruagata, Abrahami posteritatem fuisse scimus. maximam illa quidem habuit admirationem: sed hæc est omni prodigio maior. illa enim per Arabię solitudinem, ob perfidiæ scelus, ferebatur; hæc orbem terrarum, in quo omnis uirtutis fructus est compressus, ut homines doceat, obedientiam, peragrat: illa angustis

8 Quæ est ista, quæ adscendit per desertum, sicut uirgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & uniuersi pulueris pigmentarij?

Universidad de Deusto
Biblioteca

terminis circumscriptam regionem petebat, hæc cælorum omnium fastigium petit: illa cærimoniis quibusdam, & suffimentis, Deum uenerabatur, hæc ex myrrha, & thure, ac aliis odoribus incensis, suffimento similis, exsistit. ipsa enim ad superiora fertur, & de rebus Diuinis luculenter disserit, thus, & myrrham, in Dei cultum adhibet, Diuinitatem omnium altricem confitetur, eamq. humanitate indutam ueneratur. Quæ igitur erit hæc hominum secta, quæ tot uirtutum ornamentis est culta, & res ab hominum intelligentia remotissimas prædicat? neque enim cum Hebræis, neque cum philosophis, omnino conuenit.

Hæc illi. Sponsa uero, ut dubitationem tolleret, in qua erant, de se ita commemorat.

9 En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.

9 En lectulus Salomonis, quem ille sibi Diuino opere strauit. Illius matrimonio adstricta teneor, illius consuetudine fruor, qui Salomoni minime cedit, immo infinitis eum partibus superat. Salomon, Hebræorum Rex, sapientiæ laude excellens, maximisopibus abundans, lectulum comparauit, in quo cum uxore cubaret. ne uero insidiis pateret, quibus lectulo geniali aliqua dedecoris nota inuri posset, ex Israelis posteritate sexaginta uiros fortissimos elegit, qui uersati erant in omni genere bellorum, qui, gladiis instructi, nocte lectulum custodirent. Hic Salomon æterni Salomonis imaginem gerebat, qui Deo, & hominibus, est interpres pacis, & totius sapientiæ fons, & origo, qui gentem Hebræam sanctissimis legibus ornauit, & rerum omnium naturas imperio moderatur, & regit. Verus hic Salomon in animo meo insidet, & quodammodo cubat. sum enim sponsa illius, sedes, & lectulus. quem, Diuinis muneribus cumulatum, inuictæ uirtutis robore sæpit, ne aut Iudæorum perfidia, aut philosophorum inanis sapientiæ nomen, uerborum lenociniis, me in impietatis scelus impellat.

10 Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis

10 Lectulum inquam, tabernaculi instar uelis obductum, qui ex loco in locum ferri posset, uterque Salomon fecit, ita, ut alter alterius formam optime effingeret. ille e cedro, quę in Libano monte reperitur, eum fieri curauit, hic ex illis uirtutibus eum est fabricatus, quæ a mente Diuina proficiscuntur, & nulla temporum iniuria corrumpi poterunt. argenteas ille columnas adhibuit, hic Diuinæ sapientiæ firmitatem; stragulum ille ex auro pulcherrimum, hic fidem, & caritatem, qua eum intra me contineo, & amplector: ille operimentum e purpura confecit, hic inuictæ me uirtutis magnitudine, & robore, cinxit, ut sanguinem pro illius amore fundere minime perhorrescam: ille lectulo, & tabernaculo illo, breui tempore duraturo, utebatur, in quo erant res summi pretij, quarum desiderio Hierosolymitanæ uirgines flagrabant; hic, totius humani generis caritate incensus, opera mea in omnes hominum nationes latus, eas Diuini amoris flamma incendit.

Libani. Colũnas eius fecit argẽteas, rectinaroriũ aureũ, adscẽsum purpureũ media caritate constrauit propter filias Hierusalẽ

11 Tu igitur gentium multitudo, ut impudica mulier turpissimorum amorum fœdera quotidie feriens, iam illa desere: & tu, gens Hebræa, mentem a sensuum consuetudine auoca, ut Diuini Salomonis dignitatem attentius consideres, in eum oculos conijce, & uide illum latissimi imperij, quo omnia, quę supra subterque sunt, coercet, diademate ornatum; non armis, non fraudibus, & insidiis, non eloquentiæ uiribus, illud obtinuit, sed, cum primum humanam naturam fragilem, & caducam, in Sanctissimæ Virginis Matris uisceribus sibi induit, & me in uxorem accepit, illud ei Mater imposuit: corpus enim dum ei subministrauit, effecit, ut Diuinus Salomon, inito cum hoste immanissimo certamine, uictoriam reportaret, peccati tyrannidem deleret, & solidam uoluptatem suis afferet.

11 Egredimini & uidete filiæ Sion Regem Salomonem in diademate quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lętitię cordis ei.

Hactenus Ecclesia. Nunc iam de ea Christum dicentem audiamus.

CAP. IV.

1 Quã pulchra es amica mea, quam pulchra es? Oculi tui colũbarũ.

1 MAxima est, o amica mea, cum qua ego indissolubilis matrimonij fœdus contraxi, pulchritudinis tuæ uis, & splendor. sunt enim animi tui partes ad Diuinæ mentis normam mirabiliter effictę: oculi tui, quorum opera rerũ cognitionem percipis, columbarũ more, debitam uiro fidem a te integerrime seruari testantur. numquam enim eos a mẽ deijcis; 2 & inter cincinnos singulari cũ uenustate splendent: eas namque cogitationes suscepisti, quibus mentem tuam a sensuum consuetudine auocasti, ut illa, quodammodo inclusa, & abdita, in occulto lateat, quam sensuum illecebræ ad libidinem pellere numquam potuerunt:

2 Absque eo quod intrinsecus latet.

3 Capilli tui sicut greges caprarũ quę adscendẽrũt de mõte Galaad.

3 Hę autem, quę in animo tuo uersantur, cogitationes sunt maximũ insitę uirtutis tuæ argumentum. quemadmodum uero capilli compti honestis, & pulchris, feminis non mediocrem afferunt uenustatem, sic illæ, dum eas hominibus aperis, amorem conciliant: &, ut, qui greges caprarũ in monte Galaad pascentes prospicit, non mediocri solet uoluptate perfundi, ita, qui mentis sanæ fuerit, adspectu tuo magnopere delectabitur. nam, quemadmodum capreę, dum sese arboribus applicant, & quodammodo se perfricãt, pilum pulcherrime compositum gerunt, sic tu, dum cruci meæ cogitationes tuas affigis, illæ sempiterni decoris splendorem consequuntur.

4 Dentes tui sicut greges tõsarũ, quæ adscendẽrunt de lauacro, omnes gemellis fętib⁹, & sterilis non est in ter eas.

4 Dentes tui eo sunt ordine, ut tonsarum ouium greges ab omni labe ablutos, & lętissimis pascuis enutritos, imitari uideãtur. ea enim, quę aĩo euoluis, quasi cibum dentibus, meditatione mandis, emollis, & cõficis. 5 Labia tua, ut purpura, rubent: quæ loqueris, ab ardẽtis caritatis studio profluunt. quare sermo tuus est oĩbus salutaris, & iucũdus; 6 Genæ tuę, & tempora tua, cincinnis obuoluta, ut fragmen mali punici, rubẽt. hęc nempe uitę tuę forma, & species, uirtutum ornamentis exculta, miram prę se pudicitiam præfert, qua uiri tui dignitatem seruas, sacrosanctum matrimonij fœdus tueris, & reliquum hominum genus ad pietatis studium allicis: 7 Collũ tuũ, ut Turris Dauidis a reliquo corpore eleganter eminet. fuit illa quidem inter alias Turres opere longe præstans, & omni armorum genere instructissima; cui collum tuum simile exsistit; tum, quia omnium, qui ueræ sapientię nomine floruerunt, in eo studio laudem infinitis partibus superas; tum etiam, quia, Diuinæ elo

5 Sicut uitta coccinea labia tua, & eloquiũ tuũ, dulce.

6 Sicut fragmen mali punici, ita & genæ tuę, absque eo quod intrinsecus latet.

7 Sicuttur ris Dauid collũ tuũ, quæ ædificata est cũ propugnacu

quentiæ armis cincta, Philosophorum conatus infringis, & tyrãnorum impetus strenue sustines. 8 Mammæ tuæ, ut duo parui hædi, eodem recentiq. partu editi, sibi similes exsistunt, qui in uberi agro, & lilijs pulcherrime distincto, pascũtur. antiqua enim, & noua Scriptura sacra, quibus fetus tuos alis, eodem sunt Deo auctore hominibus traditæ: quarum altera alteri mirabiliter conuenit, & Diuinæ uirtutis decus in utraque mirabiliter elucet. 9 Ego autem, ut animum meum tibi aperiam, quamdiu tempus matutinum itineris molestiam imminuit, constitui ad montem myrrhæ, & ad collem thuris me conferre, ubi nulla libidinis uis animos exagitat, nec impendentis mortis formido excruciat, sed in summa tranquillitate, & uoluptate, uiuitur: illuc cursum dirigo, & omnes meas cogitationes refero. quamuis enim a cælorum fastigio non absim, tecum tamen indissolubili fœdere adstrictus, in tellure uersor.

lis: mille clypei pendẽt ex ea, omnis armatura fortium.

8 Duo ubera tua, sicut duo hinnuli caprææ gemelli, qui pascuntur in lilijs.

9 Donec adspiret dies, & inclinentur umbræ. Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

10 Cũ igitur nulla impietatis labe sis adsperſa, & incredibili pulchritudine excellas, nihil tibi magis erit cõsentaneũ, quã ut hoc ad immortalitatem iter suscipias.

10 Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

11 Veni ergo, o sponsa mea, uiam ingredere a Libano, qui Palęstinam a ceteris nationibus diuidit mecum proficiscere. oportet enim, ut, postquam gentes ad ueræ sapientiæ disciplinam instruxeris, ad Palæstinam iter conferas, ut Hebręos, ad pietatem, & ad uerissimam Religionem, excites. Quemadmodum enim prisci illis temporibus, Og, & Seon, Regibus profligatis, ex montium Amana, Seir, & Hermõ fastigijs, quos circuibas, singulari cũ lætitia, tellurem illam prospiciebas, quæ a Iordane alluitur, sic etiam nunc, gentium superstitione de medio sublata, & Regibus, atque Principibus, qui erant immanitate, instar ferarum, truculenti, ad modestię, & mansuetudinis, singularis studium deductis, ad Hebræos animum adijcies, & omni ope, & opera, eniteris, ut illi ad bonorum, quæ numquam interire poterunt, & ad ueræ libertatis, spem exardescant. Hoc tibi ualde uehementer exopto, ut ne loco quidem a te sim disiunctus.

11 Veni de Libano sponsa mea, ueni de Libano, ueni: coronaberis de capite Amana, de uertice Sanir, & Hermõ, de cubilibꝰ leonum, de montibus pardorũ.

12 Quid enim aliud desiderẽ, cum te, ut sororẽ, & sponsam, incredibili amore diligam. nam, ubi primum in me adspe-

12 Vulnerasti cor meum soror mea spõsa, uulnerasti cor meum in uno oculorũ tuorũ, & in uno crine colli tui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

adſpectum retuliſti, ſummi amoris tui incendio exarſi; oculorum tuorum adſpectus, & crines tui, cor meũ a me euulſum ſecum detulerunt; & torques colli tui, artiſſime deuinctum retinent. ea eſt enim mentis tuæ acies, is fidei ſplendor, & Diuinæ ſapientię lumen, ut me uehementius, quam quiſquã cogitare poſſit, ad te allicias, & tecum inredibiliter conſocies.

13 Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea ſponſa? pulchriora ſunt ubera tua uino.

13 Quam pulchræ igitur ſunt mammæ tuæ, ſoror mea ſponſa? Vinum quidem, ut hoc uno nomine omnem epularum ſuauitatem ſignificem, adſpectu oculos delectat, triſtitiam pellit, lætitiam affert: uerum, ſi cum ea doctrina, qua homines ad ueræ Religionis officia inſtituis, comparetur, profecto omnis uoluptas ſenſibus percepta, pro nihilo erit habenda. nam hæc, quę a mammis tuis, ab antiqua ſcilicet, & noua Scriptura ſacra, diſciplina fluit, eos, qui ſunt ſanæ mentis, ad ſe mirabiliter trahit; triſtitiam, quę diuerſis cupiditatibus animum agitatum dilacerabat, ab eis penitus euellit; & eos expreſſa, & ſolida, uoluptate complet.

14 Odor unguento rum tuorum ſuper omnia aromata. Fauus deſtillans labia tua ſponſa, mel, & lac ſub lingua tua: & odor ueſtimẽtorum tuorum ſicut odor thuris.

14 Quare, cum olim in omni uirtutum genere excellẽtes multi exſtiterint, quorum uita, & mores, ueluti ſuauiſſimi odores, antiquam illam Eccleſiam mirifice recrearunt, & Diuinæ ſapientię lumine illuſtrarunt, illos odor hic, qui e ueſtibus tuis afflatur, longe ſuperat. nã ſancti illi homines uirtutis umbram imitabantur. tu in operibus tuis ipſius honeſtatis architectum oculis omnium exprimis: oratio, quæ ex ore tuo fluit non exſecrationibus homines deuincit, ſed animis eximiam uoluptatem inſtillat, &, inſtar lactis, eos enutrit, ut, uiribus cõfirmati, ſenſuum illecebras comprimant, puriſſima uoluptate perfruantur, & Diuini ſpiritus muneribus circumfluant. Reliquæ etiam actiones, quas ſuſcipis, quarum Diuinis laudibus, ut ueſtibus ornatiſſimis, culta ingrederis, ſanctiſſimum numen meum hominibus manifeſte declarant. Thuris enim odore, ubicũque ueſtigium ponis, omnia comples. hæc namque animi tui moderatio ſingularis, incredibilis ſubmiſſio, inuicta patientia, & inaudita corporis, & animi, caſtimonia, Diuini mei numinis ſanctitatem, robur, & præſentiam, teſtificantur. Diuinę enim hæ actiones, ab imbecilla hominis natura, niſi Dei fuiſſet benignitate, uirtute, & ope, ſtabilita, perfici minime potuiſſent. 15 Sed tu, ſoror mea, ſponſa, hortus es muro cinctus, in quem nullus impietati aditus patet, & fons es Diuini patris ſigillo quodammodo inſignitus, ne pedibus cõculcari poſſis, ſpecies namque in te Diuini decoris impreſſa nulla umquam poterit impudicitiæ labe deformari, cuius ſalutaribus aquis ſordes animorum eluuntur, & mentes humanæ ablutæ Diuini patris imaginem, referunt. 16 Hortus, inquam, es, in quo plantæ omnes ex eo ſunt genere, quæ ſalutares, & ſuauiſſimos, fructus generant: quemadmodum ſunt mala punica, & reliqua poma, quorum ſuauis eſt guſtus, & adſpectus iucundiſſimus. nec quidem in eo, odoriferæ arbores deſiderantur. Cyprius enim ibi fioret, nardus, & crocus, canna, & cinamomum, thus, & myrrha, & aloes, & quæcumque ſint aliæ arbores in pretio habitæ, miro ordine ſunt in eo dimenſæ, atque deſcriptæ: nulla eſt enim uirtutis forma, & ſpecies, quæ in te, ſingulari cum laude, non eniteat. hortorum quidem fontis te ſimilem facio. quia riuuli tui, hominum animis, qui ad omne officij decus erant ſiccitate aridi, admirabilem attulerunt uirtutum fecunditatem. es autem fons perennis, & puteus, unde, qui uelit, aquam poſſit haurire, quæ immortalitatẽ bibentibus impertiat: quemadmodũ fontes, qui in Libano ſunt, quorum aquę præcipites labuntur, & in ũnum alueum confluunt, atque Iordanem fluuium efficiũt, qui tellurem illã antiquis patribus promiſſam uberẽ reddit, ita tu gentium coniunctione mirum in modum aucta ludęam perfidiæ ſcelere peruſtã aquis tuis recreatam ad omne uirtutum genus uberrimã efficies. Hæc ille cũ diceret, ego deſiderio uehementer flagrabam; & ſic in intimo animi mei ſenſu loquebar: 17 Excita re, Aquilo, & tu quoque, Auſter; & hortũ hunc perpetuo flatu uterque permulce; ut nulla ſit terræ plaga, ad quã illius odor ſuauiſſimus non penetret; ut tandẽ ſponſus meus arborum, quas inſeuit, fructus percipiat, & ubiq. pietas uigeat, iuſtitia moderetur, modeſtia animorum impetus coerceat, caritas animos omnium ad Diuinę

15 Hortus conclusus soror mea ſponſa, hortus cõclusus, fons ſignatus.

16 Emiſſiones tuę paradiſus malorum punicorũ cũ pomorum fructibus. Cypri cũ nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum cum uniuerſis lignis Libani myrrha & aloe cũ omnibus primis unguẽtis. Fons hortorũ: puteus aquarũ uiuentium, quę fluũt impetu de Libano.

17 Surge Aquilo, & ueni Auſter perfla hortum meum, & fluant aromata illi⁹.

uinæ mentis imitationem artiſſime deuinciat.

Ille autem inſtitutam ſemel orationem hac ratione proſequebatur:

CAP. V.

1 Veni in hortum meũ ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cũ aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo, bibi uinũ meũ cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini cariſſimi.

IN hortum hunc, de quo loquor, ſoror mea, ſponſa, ueni. te enim Horti uocabulo merito uſurpandam cenſui, quia uirtutum omnium ornamentis circumfluis. inſeui in eo myrrhã, quam uirẽtem, & quodammodo pubeſcentem, atque grandeſcentem, ſingulari cum uoluptate, adſpiciebam. non enim fuit inanis labor ille meus, quem ſumpſi, ut homines, ſempiternæ morti obnoxios, immortalitate donarem. ad illam namq. cõſequendam omni animi ſtudio multi exardeſcunt, ex quo, quaſi ſurculo, reliquæ omnes uirtutes oriuntur. nihil quidẽ mihi dulcius in uita fuit, aut iucundius, quam in eo totis uiribus pugnare, ut hortus hic ad Diuini patris uoluntatem diligenter coleretur. hoc pabulo me ſuſtentabam, & incredibilẽ ſalutis humanæ ſitim, qua excruciabar, hoc potu liniebam. mel igitur meum e fauo expreſſum guſtaui: uinum cum lacte bibi. ſingulari enim ſum uoluptate perfuſus, cum myrrhã, & reliquarum arborũ odoriferarũ fructus collegi, nempe puriſſimæ religionis tuæ ſanctitas, & immortalitatis ſtudium Diuinis muneribus cumulatum mihi gratiſſimũ exſiſtit. Vos autem, quos mecum ſummus amor coniunxit, hortor, ut hoc Diuino paſtu, & potu, mentes ueſtras nutriatis, & illius deſiderium in uobis num quam langueſcat, ſed in dies augeatur. non enim faſtidium parit, ſed ſitim, & famem, pellit; & cupiditatem uehementius excitat. uſu enim illius miris acceſſionibus uoluptas ampli ficata percipitur.

Cum multiplex ſit amoris uis, multiplici quoque, & uario, dicendi genere, eſt opus, ut illa explicari poſſit. animum enim pulchri ſpecies obiecta, ad illius deſideriũ exſuſcitat: deſiderio afflictum ſpe ſubleuat, ſperantem impellit, ut labores omnes, & mortis pericula, deſpiciat, ut, quod amat, aſſequatur. nihil eſt enim amore uehementius, nihil, quod magis iners, & deſidioſum, otium indigne patiatur. in lectulo ſuo ſponſa, cum ſponſum non inueniſſet, eum omni ſtudio quæſiuit: mulier pudica, natura imbecilla, uiribus infirmis, Vrbis frequentiam non uitauit, ſolitudinem non horruit, pericula contempſit, ut illius adſpectu frui poſſet. Amor præterea amantem a ſeipſo in eũ transfert, quem amat. quare, ut quiſque in amore progreditur, ſeipſum ad formam alterius immutat. nihil enim maiori ſollicitudine curat, quam ei ſummopere placere, quem ardenter diligit. Sunt autem hæ amoris progreſſiones, & quidam ueluti gradus, quibus ad ſummam Diuini amoris adſcendimus: quæ in eo maxime conſiſtit, ut a ſenſuum conſuetudine, quantum fieri poſſit, animum ſeuocemus. eſt enim ſenſus amori impedimento, & illius curſum, quo animus humanus rapitur, ut ei, quem amat, copuletur, uel lenocinijs, & illecebris, retardat, uel furibundo impetu conatur inflectere. Verum Amor (non de illo loquimur, cui hominum furor, & amentia, Amoris nomen impoſuit) omnia ſuperat, ſenſuum conatus reprimit, imperio coercet, &, ne ultra præſcriptos ſibi termi-

nos

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos excurrant, lege deuincit. Quãobrem Amans nocte in somnis clare uidet, iucunde audit, luculenter disserit, se excitat, quem amat, insectatur, discurrit, ærũnas pertert, calumnijs scinditur, tormentis cruciatur, tandem, quod ardenter concupiscit, feliciter adipiscitur, uoluptate cumulatur, & gaudio triumphat. Hanc de Amore philosophiam Salomon alio dicendi exordio eleganter explicat. Sic enim sponsam loquentem inducit:

2 Ego dormio, & cor meum uigilat.

2 Præclarum quidem est, & excellens, in generis humani salute procuranda, Deum imitari. & hoc officij munus illius summæ benignitati, & ardentissimę caritati, debeo, ærumnis tamen opprimor, & acerbissimo doloris sensu afflictata iaceo: sensus dolorem fugit, & mortem perhorrescit. quamobrem, quasi graui somno occupata, ab officio persoluendo retardabar: animus tamen, ea cura sollicitus, noctes peruigilabat. 3 Quem ille spiritus sui appulsu excitauit, ianuam meam pulsauit, non quidem infregit, sed fœderis percussi fidem flagitabat: Sic igitur mecum in intimo animi mei sensu loquebatur. Si sanguinis est habenda ratio, ut consanguineis, quod alijs negamus, libenti animo concedamus, ego humanam formam sumpsi, ut ab eodem, quo tu, parente originem ducerem, & te in fidem Diuinus pater sibi adoptauit. Deinde, si amor ab inuitis etiam beneficia extorquet, & aliquem apud te locum habet, meum animum erga te ardentissimo amore incensum explorate cognoscis. Soror ergo, & amica mea, ianuam mihi aperi: columba mea, nulla adulterij labe contaminata, hoc a te impetrem, 4 ut cum sit in orbe terrarum pietas exstincta, summoque scelere effectum, ut nullus sit locus mihi relictus, & subdiu pernoctem, animum excites, & hoc in loco, in quo uersaris, minime insistas, sed neruos omnes intendas, ut omnes hominum nationes tibi sanctissimo fœdere deuincias.

3 Vox dilecti mei pulsantis, Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.

4 Quia caput meũ plenũ est rore, & cincinni mei guttis noctium.

nam caput meũ est rore madefactum, & cincinni mei madent. impietatis enim nox densissimas tenebras gentibus offudit, in quibus ingrate nimis ego ab illis excludor, qui uitam illis benigne tribui, & inania quædam numina sibi adsciscunt, quæ mihi bonorum omnium auctori præponant. nisi igitur mihi ianuam aperias, nisi aures mihi beneuole præbeas, & ea, quæ sæpiꝰ a te postulaui, mihi præstanda iudices, & in eo officio soluendo operam strenue naues, superstitio in summa omnium ueneratione erit; ego uero in tenebris uersabor, & pietas prostrata conticescet. His ille uerbis animũ meum ad susceptum semel prædicationis studium commouebat. 5 Verum, cum iam inter gentes acerbissimos tormentorum omnium cruciatus sustinuerim, instar laute educatæ mulieris, sic mecum aio cogitabã: Vestem exsui, quo modo illã in multæ noctis tenebris induam? pedes a fordibus ablui, eos nunc inquinabo, ut amatoris uoluntati parũ opportuno tempore satisfaciam? Dum 6 me hic insitus in natura sensus distineret, manum suam ille, quem tantopere diligo, per ostij foramen emisit, ut illud sibi aperiret; fidei obediẽtiam, per quam illi ad me aditus patebat, instinctu suo uehementius concitauit. quod ubi primum sensi, animus meus, ut mare uentis agitatum, amoris ui commoueri cœpit; 7 &, quantam potui, celeritatem suscepi, ut ostium illi aperirem. dum uero festinabã, unguentum, quo, inter amplexus, eum perfundere cogitabam, fracto uase, e manibus meis diffluxit. uehemens est enim Diuini amoris impetus, cum sit otij impatiẽs, & acres ad præclara opera perficienda, quæ omnium odorum suauitatem longe superant, animis stimulos adhibeat: ostium patefeci, sed illum non inueni. quod ad uoluntatem meam erga illum attinet, testor animum meum, cum ille loquebatur, quodammodo liquefactũ diffluxisse, & cum eo fuisse conglutinatum, ac me penitus deseruisse. Illum igitur quæsiui; illum ubique inclamaui; me ingentes illius amor longius prouexit; at ille non statim mihi ad gentes occurrit. erat enim peccati imperium fundatissimum; & ideo non facile exscindi poterat.

5 Exspolia ui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?

6 Dilectꝰ meus misit manũ suam per foramẽ, & uenter meus intremuit ad tactũ eius.

7 Surrexi, ut aperirẽ dilecto meo: manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

Pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est: quæsiui, & non inueni illum: uocaui, & non respondit mihi.

8 Inuenerũt me custodes qui circũeunt ciuitatẽ: percusserunt me, & uulnerauerunt me: tulerũt pallium meum mihi custodes murorum.

9 Adiuro uos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, ut nuncietis ei quia amore langueo.

10 Qualis est dilectꝰ tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?

11 Dilectꝰ meus candidus, & rubicundus.

poterat. 8 Cum uero in eo, quod aggressa fuerã, perseuerarẽ, illi, qui rerum publicarũ curã gerebant, ac si ego pernicię rebus inferrem, me plagis dilacerarunt, & uarijs tormentis immanissime excruciarũt. Vt uero nullum esset malorum genus, quo non afficerer, uestę me spoliarunt, innocentiam meam calumnijs oppugnarunt, & fraudes oẽs adhibuerunt, ut omnium animos a me alienos redderent. Hanc acerbissimam uitę condicionem nõ solum æquo, sed libenti, animo sustineo, ut illum apud gentes omnes inueniam, cuius desiderio tam uehementer excrucior. 9 Vos ergo, gentes, obtestor, ut, si ad illum uos, ut decet, omni studio colendum conferatis, per uos, amoris mei magnitudo, quanta fuerit, testatum sit. quid enim umquam egi, aut designaui, quod amoris uim maximam non demonstret? Neque tamen deerant, qui me non omnino spernendam esse putarent, & apud me in hanc sententiam orationem instituebant. 10 Philosophi, cum eleganter, & copiosę de uirtutis splendore multa disputent, illorum uita neque est uirtutum ornamentis exculta, nec hominum animos a libidine ad honestatis studiũ reuocant. Tu, cum ieiune, & parum Polite, dicas, ita de uirtute disseris, ut in tuis moribus illius lumẽ mirabiliter splẽdeat, & hoĩes ab inueterata peccandi consuetudine ad uitæ sanctimoniam traducas. quare de te mirifice loquimur, & sentimus: illudque pleno ore affirmare non dubitamus, te ualde uehementer omniũ Philosophorum sectis excellere. quamobrem, cum inter illas tantum præstes, ille quoque, quem tam uehementer amas, reliquis hominibus, qui uirtutum laude floruerunt, & Dijs, quos ueneramur, antecellet. hunc, quæso, nobis in conspectu pone, uerbis describe, &, qua potueris, ratione illius formam nobis exprime: si quidem nos tam graui oratione fuisti de amore tuo erga illum testata. Quibus ego: 11 Prudenter, inquam de illo iudiciũ fecistis. nam, siue ad humanam illius speciem adspectum referatis, siue ad Diuinæ naturæ maiestatem contemplandã animos intendatis, omnibus rebus, quas uel diligitis, uel cum admiratione suspicitis, est ille longe præponendus. Vna uero, & eadem opera, utrãque illius speciem uobis adumbrabo. ea est enim illius corporis forma, ut in ea insitæ Diuinitatis splendor eluceat. Est autem ille candidus, & rubore uenuste perfusus. immensa enim illius bonitas, qua omnia nutriuntur, est cum iustitiæ splendore coniuncta, ueluti candor rubore permixtus, ut, quę benigne in genus humanum beneficia confert, ea in ordinem, ad hominum uitam, & sui nominis gloriam, aptum redigat: ab eo autem animus humanus omnẽ decori, & honesti, rationem delibatam habet. 12 Nam omnes, qui ab initio rerum, ueræ uirtutis, & pulchritudinis, laude floruerunt, &, dum res humanæ permanserint, his ornamentis exculti exstiterint, non solum infinito interuallo superat, sed illis lumen præfert, &, instar uexilli, eminet, ut ad uerã pulchritudinem consequendam, si uelint eius uestigia persequi, a uia nõ aberrent. 13 Caput eius ita concinne supremum totius corporis locum obtinet, ut exauro affabre factum, instar gemmæ summi pretij, esse uideatur; & summa sapientia pollet, & Deum parẽtem habet. 14 Cincinni eius sunt, ut palmarum fructus, cũ primum e uaginis erumpunt, & corui nigrorem referũt. nam de ipsa morte superanda, & generis humani libertate constituenda, eas cogitationes suscepit, quę, densissimis tenebris inuolutæ, omnem cę lestium etiam mentium intelligentiam superant. 15 Qculi eius, ut columbi, simpliciter, & saluti hominum amice, mouentur; non callide, & fraudulenter, diuersis nutibus torquentur: quemadmodum riuuli, quorum ripæ arborum uiriditate uestiuntur, adspicientibus sunt gratissimi, ita est illorum adspectus uenustus, & iucundus. nam pupillarum color, ut naturæ ratio maxime postulat, est niger, & albo colore concinne circumsæptus: acies uero ita est insita, ut locum suum mirifice cõpleat, ut nihil in illis sit inuenuste depressum, aut parũ eleganter emineat. nihil. n. est, in quod prouidẽtia illius nõ penetret; cui nõ benigne prouideat; quod bonis naturæ cuiusque consentaneis non expleat: 16 genæ, leuiter eminentes, illarum arearum formam exprimũt, in quibus herbæ odoriferę ab illius

12 Electæ ex millibus.

13 Caput eius aurum optimum.

14 Comę eius sicut elatæ palmarũ, nigræ quasi coruus.

15 Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lactę sunt lauatæ, & residẽt iuxta fluenta plenissima.

16 Genæ illius sicut areolę aromatũ consitæ a pigmentarijs

Universidad de Deusto
Biblioteca

lius artis peritis hominibus singulari ordine distinctæ ita collocantur, ut diuersæ rerum species in eis exstent, quæ & oculos delectent, & odoratum mirifice deleniant. nam, dum in genus humanum adspectum refert, illud infinitis, & sempiternis, bonis cumulat; quæ fideles hominum mentes ex sacra Scriptura copiose hausta sibi congerunt. in ea enim inuolutæ Diuinitatis suæ notitiam hominibus apetuit. 17 Labia, perfuso rubore, ut lilia, suauissimum myrrhæ odorem diffundunt, ex illo enim pectore Diuinus quidam halitus afflatur, & ex illo ore oratio fiuit, quæ hominum generi, mortali, & caduco, æternitatem, & immortalitatem, donet. 18 Manus eius, sunt ueluti orbes quidam aurei gemmis summo artificio distincti. præclaræ enim actiones illius, & opera admiranda sanctissimum illius numen manifeste declarant. 19 Venter, est instar uasis ex ebore affabre facti, & sapphiris singulari summi artificis opera in eo inclusis ornati. nam, rerum omniũ cum sit conditor, admirabilem quandam mentibus humanis fecunditatem affert, qua illæ fecũdæ, uberrimos, corporis sanctimonię, prisćis hominibus inauditæ, & ceterarum uirtutum omnium, fructus gignunt. omnia enim bona benignitatis illius gremio continentur. 20 Crura, uelut columnæ marmoreæ, in aureis basibus positæ, corpus sustinent. nulla enim tam uehemẽs laborum tempestas poterit excitari, quæ Christiani nominis uirtutem, uera, atque incensa, fide nixam, possit loco dimouere. 21 Vt denique mons Libanus, consitis nemoribus, oculos uehementer oblectat; & Cedrus inter arbores longe prẽstat; ita ille est forma pulcherrimus, & omnibus hominibus ualde uehementer præferendus; 22 & orationis suauitate admirandus. 23 Illud autem apud uos sit pro comperto, nihil in eo reperiri, quod non sit summa laude dignum, quod ab hominibus appeti, quod amari, & desiderari, non debeat. ut de eo sit affirmandum, quod sit ipse nihil aliud, nisi desiderium. quare, quidquid ab eo est separatum, neque ueri boni rationem obtinet, ut appetatur, nec pulchritudinis, ut ametur. 24 Hæc est, o gentes, pulcherrima illius forma, & species, quẽ sum mopere diligo, cum quo sempiternum societatis, & amicitiæ, fœdus iniui, quo uos quoque adstringi nuncupatis uotis exopto. Aliqui ex gentibus non parum hac oratione mouebantur, quamuis a sensuũ iudicio mentem non omnino seuocassent. quare aiebant: 25 Quo abijt ille, quem diligis? in quam orbis partem discessit? Cũ enim pulchritudine tãto inter uallo oẽs superes, animos nostros tibi uehemẽter deuinxisti. hoc igitur a te enixe contendimus, ut nobis exploratum esse uelis, quem in locum ille sese contulit. quamuis enim sit longissimo a nobis interuallo disiunctus, eum adire conabimur, & tibi operam nostram in illo quærendo pollicemur.

17 Labia eius lilia distillãtia myrrham primam.

18 Manus illius tornatiles aureæ, plenę hyacinthis.

19 Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.

20 Crura illius colũnæ marmoreæ quæ fundatæ sunt super bases aureas

21 Species eius ut Libani, electus ut cedri.

22 Guttur illius suauissimum

23 Et totus desiderabilis.

24 Talis est dilectus meus, &

ipse est amicus meus, filiæ Hierusalẽ

25 Quo abiit dilectus tuus o pulcherrima mulierũ? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eũ tecum?

CAP. VI.

1 ILle, o gentes, quamuis omnium rerum naturas præsens coerceat, & in eas infinita uirtute penetret, post Religionẽ, quæ fere erat exstincta, sanctius instauratam, & post generis humani libertatem sanguine suo cõstitutam, hinc, ueluti ad hortum quendam, qui floribus sit distinctus, herbarum uiriditate iucundus, frondibus opacus, & fructum omnium copia, quæ numquam absumi possit, affluens, in cælorum fastigium subiit, ubi ipse, ab omnium sęculorum æternitate, omni uoluptate perfunditur, & suos bonis numquam interiturus pascit. meritorum enim suorum sanctitate illud est assecutus, ut mortalibus in cælum aditum patefaceret, lilia colligeret, quibus eos, quos secum fœdere coniunxit, ornaret, & Diuinæ dignitatis participes efficeret. In cæleſtes igitur illas sedes est uobis omni studio intuendum: illuc iter instituendum, si ad illum peruenire concupiscitis.

1 Dilectus meus descendit in hortũ suũ ad areolã aromatũ, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.

Hac cæleſti doctrina Christi Ecclesia erudiebatur: & ut in amatoribus cernimus, cum alteruter abest, alteri sui desiderium relinquit. sic in maximis illa laboribus constituta illius desiderio uehementer cruciabatur, & amoris, quo

flagrabat, magnitudinem uerbis explicabat, quam Diuinus Christi spiritus, appulsu suo, mirifice recreabat. Sic igitur illa:

2 Ego dilecto meo, & dilecto meus mihi, qui pascitur ĩter lilia.

3 Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Hierusalem terribilis ut castrorum acies ordinata.

2 Quantus uero sit inter nos amor, ex eo satis manifeste perspici potest, qa ego omnes meas cogitationes ex illo suspensas habeo, & ille omnia, quæ agit, ad salutem meam, & gloriã, confert. 3 Pulchra, inquit ille, es, amica mea, suauis, & iucũda, Diuinisque muneribus cumulata. ut olim Hierosolyma, cum ceteræ nationes in ignorantiæ, & superstitionis, tenebris uersabantur, Diuinarum rerum scientia, & religionis sanctitate, floruit, ita nunc, ea excisa, & solo ęquata, tu ueręsapientię, & sanctimoniæ, laude, excellis; &, quemadmodum illa, cum Regum suorum imperium uigebat, templi magnificentia, ędificiorum elegantia, turrium, & mœnium, altitudine, & ciuium frequentia, inter omnes orientis urbes longe præstabat, & singulari cum imperij dignitate in ore omnium uersabatur, sic tu omnibus, qui in te oculos adijciũt, pulcherrima appares, &, insitę honestatis decore, ad tui reuerentiam, & obseruationẽ, aĩos inducis. quo fit, ut ea, quã habes in oris specie, uenustate me tibi artissime deuincias; & eximia quædam, quæ in te elucet, dignitas singularem tibi apud reliquos homines afferat auctoritatem. Sicut enim instructa acies, in qua milites, nulla hostium impressione turbati, ordinem minime deserunt, inuicta permanet, & terrorem hostibus injicit, sic tu, cum nũquam ab honestatis uia deflectas, & petulantiũ libidini inuicta uirtute obsistas, eã uenerationem habes, ut petulantius in te oculos conijcere reformident; omniumque tyrannorum, qui fidem tuam acriter oppugnant, conatus reddis inanes, & uires infringis. nihil est enim incensa fide constantius, nihil iusti animi pulchritudine amabilius, quę in animos ita penetrat, ut eos singulari uoluptate perfundat, & secum mirum in modũ coglutinet. 4 Quare obnixe obsecro, ut oculos tuos a me dimoueas. quamuis enim nihil magis cupiam, quam ut in me semper respicias, adeo tamen uenuste illos ad me conuertis, ut, dum ex illorum adspectu eximiam suauitatem percipio, uim quoque mihi inferri sentiam, cui ad resistendum uires me omnino deficiant. liquefactus enim quodammodo amoris incendio, me ipsum desero. nam, cum essem, ab omni sæculorum æternitate, immortalis, hominis mortalis condicionem subiui, in numeris malis obnoxium ita me abiecti, ut nihil mihi esset iucundius, quam tibi gratum esse, a me uehementer amari. non potuit igitur amoris uis maior umquam excogitari, neque umquam oculorum acies pulchrior exstitit; neque fidei splendor illustrior, 5 neque quidem ceteræ corporis tui partes ab illis inconcinne dissentiunt. Capilli namque tui sunt eleganter compti, ut Caprarum, quæ in monte Galaad pascuntur, pili esse solent longiores, & omnium aliarum pilis nitidiores. 6 Vt oues ablutæ, dum ualde nitent, quę multiplices fetus procrearunt, quibus intra se collectis singulari ordine ad pascua ingrediuntur, sic dẽtes tui, & miro sunt ordine a naturæ auctore insiti, & colore nitescunt. 7 Genæ tuæ, ut cortex mali punici, intra leuiter supra eas fluentes cincinnos rubent. 8 Plurimæ sunt quidẽ matres familias, quarum laus eximia exstitit. Pellices quoque, feminæ inquã uiris principibus matrimonio coniunctę, quæ in manũ non conuenerunt, plurimę in ore omniũ pulchritudinis opinione uersantur: aliarum uero, quæ nullo matrimonij fœdere tenentur, numerum nemo poterit dicendo explicare. His autem oĩbus te ualde multũ præfero. Sunt enim iã ab initio rerum diuersæ hominũ sectæ, & religiones multiplici ritu institutę, quarũ plurimæ, quãuis ob præclara in naturę totius molitione, & conseruatione, opera, quæ molior, fuerint inductæ, sunt tamen omni scelere imbutæ. quæ uero sunt ad legis in natura insitę normã informatæ, ut pellices mihi gratę exstiterunt; uerũ matrimonij fœdus sanctissimum cũ Abrahamo, & illius posteritate, cõtraxi: quam, concisione carnis insignitam, mecum singulari ritu coniunxi, & postea, lege multis prodigiis edita, eam mihi artius deuin-

4 Auerte oculos tuos a me, quia ipſi me auolare fecerũt

5 Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerũt de Galaad.

6 Dentes tui sicut grex ouiũ quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fetibus, & sterilis nõ est in eis.

7 Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis

8 Sexaginta sunt reginæ & octoginta cõcubinæ & adolescentularũ non est numerus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

xi. Si igitur pellices, & uxores, consideres, illas naturę tantum lege adstrictas, has autem, pelliculæ excisione, & cęrimoniis quibusdā, fuisse mihi deuinctas adspicies. at te proprio sanguine mecum copulaui, 9 quam unice amarem; &, ut columbus semel cum columba amorem institutum in aliamminime transfundit, sic ego indissolubili essem tecum amoris uinculo adstrictus: illa quidē antiqua Ecclesia, ut tempora postulabant, multa imbecillitatis, & infirmitatis, signa cōtinebat, tu uero es omnibus numeris absoluta, & unica Ecclesiæ antiquę filia. te enim illa diuersis ritibus, & cęrimoniis, admirādis prodigiis, atq. Prophetarū effatis, instructa, quasi in utero gerebat, & felicissimo tandem partu edidit, ab omni ęgritudinis in lege insitæ contagione liberā. 10 Filiæ igitur, iuuenes inquā feminę, hoc est gentes superstitionibus uariis agitatę, cū te adspicerēt, summis te laudibus efferebāt. Quid de Reginis, & de concubinis, dicā, in quibus legis naturę studiū uigebat, aut Abrahami fidei specimē, & scriptæ legis ad solidā ueritatem institutio, elucebat? Hæ enim omnes in tui nominis prædicatione omne studiū, & uitam, cōsumere cupiebant: oēs autem in tuis laudibus celebrandis singulari uoluntate consentiunt: quod est summæ pulchritudinis tuæ argumentū. nihil enim feminis potest acerbi? euenire, quā alterius pulchritudinis splē dore quodāmodo obrui, & in silentio iacere. uerū de te ipsæ ornatissimo orationis genere luculenter prędicant. sic enim inquiunt: 11 Quæ est ista, quæ, instar Aurorę, oculis nostris apparuit? ea namq. est illius pulchritudo, ut, cum in luce uersari uideremur, in noctis tenebris nos fuisse iā nunc explorate cognoscamus. pulchra est ut luna. nam iucundissima luce caligine ab oculis dispellit; nullis pigmentis, nullo fuco, hanc pulchritudinis laudem est assecuta. nec in hac uitæ ornatissimæ specie, atq. forma, ineſt leuis aliqua simulationis nota. est enim, ut Sol, ab omni huiusce modi sceleris labe pura, & integra; atque, ut acies, militum fortiū singulari ordine instructa, hostium impetū propulsat, & illis timorē infert, & pulcherrimum oculis spectaculū prębet. quidquid enim suæ pulchritudini maculam possit inurere, a se longe repellit, & hosti generis humani sempiterno metum incutit; quo debilitatus, uidet imperium sibi e manibus extorqueri, quod summo scelere occupauerat: hominibus uero maximam lætandi causſam affert, tum propter libertatem, exstincta durissima tyrannide, constitutam, tum propter uirtutum omnium elegātiam, qua illam Diuinitus excultam perspiciunt.

9 Vna est columba mea, perfecta mea: una est matri suę electa genitrici suæ.

10 Viderunt eam filiæ et beatissimā prędicauerunt: reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.

11 Quę est ista quæ progreditur. quasi aurora cōsurgens. pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Hæc cum de laudibus illius dixisset, discessus, sui de quo illa grauem querimoniam habuerat, rationem reddit.

12 Ego, inquit, in hortum nucū abij, ut, cum temporis condicio illud iam efflagitaret, pomaria, & uineta, lustrarem, & uiderem, si uineæ gemmas emisissent, & malorum punicorum arbores floruissent, ut non mediocrem inde uoluptatem caperem. Vt enim a Palęstina discederes, sum te ualde uehementer hortatus, & ut ad gentes iter institueres. nam tempus prædefinitum aduenerat, quo homines, a uera Religione abhorrentes, illā, quam tenuerant, uiuendi rationem detestarentur, e scelerum omnium uoragine emersi, Deo honores adhiberent, sacrificia offerrent, &, singulari inter se caritate coniuncti, officium suum egregie tuerentur. Cum primum igitur tu mihi ostium aperuisti, ego in hunc nucum hortum, ubi nihil non amarum, ob peccati contagionē, reperiebatur, me contuli, ut, quidquid inerat, amari eijcerem, & dulcia supponerem, ut, peccati iugo a gentium ceruicibus deiecto, ueræ uirtutis dulcedinem sentirent. 13 Ego quidem, inquit sponsa, quo iter meum dirigerem, ut te inuenirem, nesciebam. omnia enim itinera mihi dubia erant, & non mediocre ruinæ periculum ostendebant: cuius præcepta animo cogitatio me ob illorum potentiam, qui petulāter aduersus honestatē agunt, timore affecit: uerum, ut te quęrerem, nulli me itineri non commisi, in Orientis, & Occidentis, Solis regiones, & in eas, quæ ad Austrū, & ad Septemtriones, sunt, tanta celeritate peruasi, ut quadrigas hominum principum celeritate superarem.

12 Descendi in hortū meum, ut uiderē poma conuallium, & inspicerē si floruisset uinea, & germinasset mala punica.

13 Nesciui: anima mea cōturbauit me propter quadrigas Aminadab.

Hæc de studio, quo Ecclesia, ut mulier carissimum sibi uirū, qui, quo in loco consistat, minime nouit, ubique, amore incensa, quærit. Nunc illorum hominum studia, ad quos illa primum peruenerat, Salomon ostendit. Sic enim eos, dum illa, ad alios, ut uirum suum inueniat, iter pararet, loquentes inducit:

14 Reuertere reuertere Sunamitis: reuertere reuertere, ut intueamur te.

14 Ne tantam, o Sulamiti, in suscipiendo itinere curā adhibeas; nec nos discessu tuo excrucies. cū enim, & cælestis Salē te genuerit, & ueri Salomonis sis uxor, unde tibi Sulamitidis nomē imponendū duximus; fieri non potest, quin multo magis sit pulchritudinis tuæ decus, & ornamentum, quam est illud eximiū, quod primo adspectu in te elucere perspeximus. Istud igitur itineris studium remitte, ut pulchritudinis tuæ splēdore diutius oculos nostros pascas, & mentes nostrę, in tui consideratione infixæ, multo maiorem de rebus Diuinis notitiam percipiant.

CAP. VII.

1 Quid uidebis in Sunamite nisi choros castrorum?

1 QVid, inquit illa, admiratione dignum in Sulamitide uideri possit, quod ita uestros aīos alliciat, ut hinc, & inde, ueluti canentium ordines, eam circumsæptam teneatis, minime perspicio. nihil. n. mihi arrogo, nihil assumo: cū omne pulchrum, & honestum sit in Dei muneribus numerandum, nisi forte in me Diuinæ benignitatis beneficium, & munus, admiremini, quo me, inuicto uirtutis suæ robore, aduersus tyrannorum conatus stabiliuit, & me, quasi castra quædam, ad peccati tyrannidem opprimendam, opportunis in locis collocauit.

Verum, quanto maior in mulie re pulchra modestiæ decus elucet, tanto magis in ea pulchritudinis eximiæ splendor enitet; & uehementius omnium animos ad illius prædicationem excitat. omnes enim modestiæ laude ducimur. quia neque pulchrum, neque honestum sine moderatione esse potest. quare hi, qui Ecclesiæ singularem animi moderationē attentius considerant, ad laudes illius celebrandas acriter incitantur. Sic igitur inquiunt:

2 Quam pulchri sūt gressus tui in calceamentis, filia Principis?

2 Quis ingressus tui uenustatem, o filia Principis, & calciamentorum, quibus induta ingrederis, ornamenta poterit dicendo explicare? Quis enim celeritatem illam, qua in omnes gentes peruasisti, & actionum, quas suscepisti, laudes omnes poterit celebrando commemorare? 3 Femora tua adeo eleganter sunt tibiis connexa, ut commissuræ, ex quibus illa cum tibiis iunguntur, monilia quædam summi alicuius artificis opera perfecta esse uideantur. quod ad eam laudem pertinet, quam tibi uitæ tuæ cursus tribuit. quocumque enim ingrederis, Diuinæ sapientiæ lumen diffundis. 4 Vmbilicus tuus, qui tibi in materno legis uteri utero incluſæ nutrimentum suppeditabat, præcisus, crateris, qui optimū intra se uinum continet. formam refert non enim, ut antea, instar serui, timore salutem tuam tueris, sed, incredibili caritatis incendio flagrans, ut omnium hominum animos Diuinis muoeribus affluentes efficias, nullum est tantum uitæ periculum, quod nō subeas. 5 Hæc caritatis uis magnam tibi fecunditatem dedit, effecitque, ut uenter tuus esset ueluti aceruus tritici, liliis circumuallatus. nam eam sementem fecisti, ex qua uberrimas fruges fundi conspicimus. qui antea inanes quasdam honesti umbras summo studio sectabantur, & fame misere cruciabantur, nunc, a te mirabili ratione in lucem editi, solido, & Diuino, pastu satiati, ut lilia quædā, odorem suauissimum afflant, &, uirtutis exemplo, homines ad honestatis studium excitant.

3 Iuncturę feminū tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.

4 Vmbilicus tuus crater tornatilis, nūquam indigens poculis.

5 Venter tuus sicut acerua tritici, uallatus liliis.

6 Vbera tua sicut duo agni recenti partu geniti, amorem ualde conciliant. nam uenuste satis æquali eminent magnitudine, & Diuini Spiritus afflatu quodāmodo turgēt, quibus prolē miri fice alis, atq. sustentas.

6 Duo ubera tua, sicut duo hinnulige melli capreæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stentas. 7 Collum tuũ, ut turris eburnea, concinna quadã, & cum ceteris corporis partibus apta proceritate in altũ extollitur. Incensę namque fidei tuæ, & Diuinæ disciplinæ decus, cum eximiæ pudicitiæ candore, uiam tibi in cælum ab hostium incursionibus securam reddit; & reliquis hominibus eam præclare munit. 8 Oculi tui, ut fontes illi exsistunt, qui sunt in Vrbe Chesbon regionis Galaad, prope portam Bath rabbim, magnitudine, & aquarum copia, atque opere lapideo, insignes. quæ enim mentis acie fidei lumine illustratæ rerum Diuinarum mysteria percipis, ea gẽtium multitudini pandis, quam, hausti e cælo salutaribus aquis, foues, & recreas. 9 Nasus tuus, ut turris Libani, quę domus saltus dicitur, & est uersus Damascum, oculis interiectus, faciem tuam eximij decoris accessione pulchriorem reddit. uitæ enim tuæ rationem ualde multũ illustriorem efficit singularis tua in omni officio, rerum, temporum, & personarum, distinctio. 10 Vt Carmelus mons inter alios illius regionis mõtes longe prestat, tum ob nemus cõsitum, tum etiam ob nimiam aliarum rerum ubertatẽ, sic caput tuũ, Diuinis ornamentis excultum, cælestibus etiã mẽtibus excellit. 11 Vnde tibi duo, præter alia præclarissima ornamẽta, proficiscuntur: alterũ est, coccineus iste comę tuæ color, gentis nẽpe ad te applicatæ caritatis ardor; alterum est, summus prępotẽtis Regis in te amor, qui illũ adeo uehemẽter tenet, ut is cincinnis istis tuis, qui canaliũ speciẽ uenuste exprimũt, (nã caritas tua, in riuulos quasi quosdã deducta, gentes peccati ardoribus exustas reficit) ligari cupiat. 12 Quã admirabili ẽniq. pulchritudinis splẽdore, o carissima, fulges? qbus, & quãtis, uoluptatibus affluis? 13 Corporis tui forma, figura, & statura, est adeo ad dignitatẽ appositа, ut hacĩ laude palmã lõge superet; &, sicut palmarũ botri, ubera tua turgent. humani.n. generis caritate oĩum tyrannorum immanitatem obteris, & de illa ampliſſime triumphas. 14 Cũ igitur, natura duce, omniũ animis pulchritudo amoris incendiũ implicet, illud secum unusquisque nostrum decretuit, ut animum tuum omnibus modis tentaret, si forte amorem tuum sibi conciliare, & te frui posset, quam sibi fore bonis omnibus suauiorem sperabat, & sic gentium cœtus in animi sui recessu orationem instituebat: In palmam hanc adscendam: illius disciplinæ institutis adhærebo; & suauissimo sapientiæ fructu uescar; ut præclarissimi de hoste immanissimo triumphi particeps efficiar, & animi famẽ depellam, qua tabescebã. 15 Et erunt mihi ubera tua, ut uitis gemmæ, & adspectu grata, & fructu iucunda. nihil enim hac tua in genus humanum caritate, uel illustrius, uel amabilius esse potest. Spiritus, quem per nares emittis, mihi erit omniũ pomorum odore suauior. 16 Quidquid uero ex ore tuo exiet, eam afferet uoluptatem, quam optimum uinum (quale est illud, quod diligentes matres familias uiris suis ad bibendum seruant, cuius uis dormientium labia in uarias uoces mouet) hominibus mærore affectis tribuit. eam namque uiuendi rationem homines erudis, qua illi instituti, nihil a sensuum iudicio depromptum in ore habent; sed, quæ sunt ab hominum intelligentia longe distantia, atque separata, nullisque humanis rationibus confirmata, instinctu quodam Diuino excitati, prædicant.

Hac oratione Salomon gentiũ studia erga Christianam Religionem eleganter ante oculos proposuit; illorum hominum mores exprimens, qui pulchram aliquam sibi ſpeciem obiectam copulari sibi ardenter cupiunt: Ecclesiæ deinde, ut pudicæ mulieris, mores, breui oratione, demonstrat: quam sic loquentem inducit:

17 Si tãtopere mei desiderio flagratis, ut dicitis, uos inani studio duci pro cõperto habetote, nisi illius numẽ uereremini, & totos uos illi tradatis, quẽ diligo, cuius solũ uolũtati obtẽpero, q me solãappetit.

Hinc aliud dicendi principium sumit, & ad sponsum orationem conuertit, quem, ut fieri solet, animi relaxandi gratia, inuitat, ut,

Vrbe

7 Collum tuũ sicut turris eburnea.

8 Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sũt in porta filię multitudinis.

9 Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit cõtra Damascum.

10 Caput tuum ut Carmel⁹.

11 Et comæ capitis tui, sicut purpura regis uincta canalibus.

12 Quam pulchra es, & quã decora carissima, in deliciis?

13 Statura tua assimulata est palmæ, & ubera tua botris.

14 Dixi, Adscendã in palmã, & apprehendã fructus eius.

15 Et erũt ubera tua sicut botri uineæ & odor oris tui sicut malorum

16 Guttur tuũ sicut uinũ optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illi⁹ ad ruminandũ.

17 Ego dilecto meo & ad me conuersio eius.

Vrbe relicta, in rura ueniat, ubi nulla hominum frequentia poterit illi esse impedimento, quin desiderium suum satiet; nempe, ut, posquam gentes ad omnem uerę uirtutis laudẽ præceptis informauerit, Hebræos solidæ ueritatis doctrina instituat. Sic igitur inquit:

18 Toto hoc tempore in gentibus erudiendis studium consumpsi: nunc igitur ad illas, ueluti ad rusticana quædam opida, & uillas, quas nulla sanctorum hominum frequentia umquam celebrauit, ueni, & ibi commoremur. Matutino tempore ad uineas exeamus; & uideamus, si iam uitis gemmas emisit, si ex illis oriens uua sese ostendat, si malorũ punicorum arbores floruerunt. hæc enim gentium tellus sanctorum operum uiriditatem effundit, & elicit. Laboris in itinere susceptі fructum hunc tibi polliceor, ut ubera mea, quæ nulla umquam adulterij labes inquinauit, in manus tibi tradam. inter gentes mecum amoribus fruere. Mandragoręe, quæ nimis erant in tellurẽ immersæ, odorem afflant. nam gentes, ut uineæ quædã, opera mea institutæ, suauissimos fructus producunt, pietatem colunt, numẽ tuum pertimescunt, illudque, sanctissimo sacrificio adhibito, uenerãtur, &, quæ nihil, nisi telluris contagione esset adspersum, amplectebantur, spretis sensibus, in cælis uersantur. Ex hac autem gentium admirabili ad uirtutis studium cõuersione, satis erit exploratum integritatis meæ decus, quod tibi soli committendum esse duxi. 19 Vineta hæc, & pomaria, cura nostra diligenter culta, tantam pomorum copiam effundunt, ut uetera poma anno uertente noua consequantur, eaq. sint omnibus in portis nostris exposita, ut nullo labore possint ad uescendum sumere. Vtriusque enim Ecclesiæ fructus optima fide tibi seruaui, ut gentes, quæ instar oleastri erant, nunc, in oleam insitæ, fructus suauissimos gignant, & in antiquorum hominum, qui gratiam tuam singulari cum laude obtinuerunt, familia censeantur.

CAP. VIII.

1 HOc igitur omnibus uotis exopto, ut te ruri inueniam, ubi, tãquam infantulum, fratrem amplectar, & ad satietatem tibi oscula figam, & propterinfrequentiam, nemo sit, qui me in reprehensionem uocet, aut despiciat, ut tandẽ, ubi erat uirtutis solitudo, sit uitiorũ horrenda quædã uastitas, cum uirtutum omnium, & Diuinorum munerum, affluentia; omnes gentes ad te sese adiungant, te amplectantur, te prædicent; & omnis ubique terrarum impietas conticescat; & nomen tuum laudibus celebretur. 2 Quod cum primum assequar, te, amplexu meo circumplicatum, in domum matris meæ deducã, ubi, qua ratione possim te adstrictum mecum perpetuo retinere, me instrues; & ego, quantum pro uiribus potero, te mecum oblectabo: in Hebræorum animos, a quibus originem duco, ita me insinuabo, ut in illis tui nominis studium inseram, quo perfidiam detestentur, & in eandem mecum fœderis tui religionem cõueniant. 3 Me tunc uehementer amplificatam institues, hanc scilicet gentẽ Diuinæ sapientiæ opibus circumfluentem efficies; caritatis ardor cum ceterarũ omnium uirtutum ornamentis in illis uigebit, qui, uelut suauissima quędam potio, tibi non mediocrem afferet uoluptatem. 4 Quam iucunde eo tẽpore, illius, quem amo, consuetudine fruar? leua quidẽ sua ille collum meũ, & dextera latus, amplexabitur. 5 Quare uos Hierosolymitanæ uirgines, precor, ne mihi sollicitudinem aliquam afferatis, aut curam, inuidia ductæ, inijciatis, quæ me aliqua ratione possit ab illius complexu diuellere. Vos, inquam, Hebræos appello, uos obtestor, & obsecro, ut odium, quo flagrabatis, in me acerbissimum deponatis; oppugnandæque ueritatis studiũ abiiciatis. 6 Animus meus, gaudio quodãmodo exsiliens, se ipsum tanto bono cumulatũ admirabitur, atq. dicet, Quæ est hæc, quæ e gentiũ solitudine, & rure, uenit, tot ornamentis exculta, & uoluptatibus affluens, eo solũ, quẽ diligit, uitæ suæ præsidiõ nixa? Hinc 7 quidẽ oĩa mihi bona emanãt, quia, cũ te ardenter desiderarem, tandem sub arbore malo te precibus meis quodammodo conniuentem e somno excitaui, quem, ut

1 Quis mihi det te fratrem meum, sugentẽ ubera matris meæ, ut inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?

2 Apprehendã te, & ducam in domũ matris meæ.

3 Ibi me docebis, & dabo tibi poculũ ex uinocõdito, & mustũ malorum granatorum meorum.

4 Leua ei⁹ sub capite meo, & dextera illi⁹ amplexabitur me.

5 Adiuro uos filiæ Hierusalẽ ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa uelit.

6 Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?

7 Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi uiolata est genitrix tua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

solent, quos nulla grauior cura sollicitat, capiebas, ibi ingenue fateor me uehementius tui amore, quã umquã, exarsisse, ac si ad id unũ te mater eo in loco conceperit, ac pepererit. multis enim sęculis cũ te obliuio mei tenere uideretur, status tandem mei cõdicio te ad crucis patibulum subeundum excitauit, quod ut præstares, ex sanctissimæ Virginis uisceribus corpus tibi effinxisti, quod, uulneribus conciſum, Deo patri, sacrificij loco, obtulisti, ut sanguine litares. quo quidem tempore, sanctissima mater tua fuit summis doloribus distenta, & acerbissimos, quasi te, aliarum fęminarum more, tunc parturiret, dolores pertulit: quæ quidem ideo te genuit, ut ego te ardenter amarem.

Hunc sponsæ animum sibi esse gratissimum, ut sponsus significaret, in hanc sententiam orationem instituit:

8 Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculũ super brachiũ tuũ: quia fortis est ut mors dilectio.

8 De amore tuo erga me, etsi non dubitem, hoc tamen amanti liceat petere, ut me ita in corde tuo infigas, ut nihil tibi magis sit in oculis, ut nihil uel mente pertractes, uel opere perficias, in quo nõ sit amoris tui signum expressum. id ut a te postulem, facit uis quædam in amore insita, quæ, sicut mors omnia euertit, & in nihilum redigit, ita sensus omnes comprimit, ut solus amor animum dominetur, & regat. quare, si adeo ardenter me amas, omnia, quæ huic fuerint amori impedimento, radicitus euelles, ut nullus in te, siue corporis, siue animi, cultus, magis splendeat, quam amoris magnitudo eminet. 9 Accedit præterea, quod, quamuis tumulus, quo cadauera cõduntur, hominibus natura uitam appetentibus grauissimam molestiam afferat, non tamen illis zelotypia minorem exhibet. id enim in animis incendium excitat, quod nulla possit aqua restingui: nam amorem omnibus diuitijs, & uitæ etiam ipsi, longe præferũt. Si igitur, ut pendẽs a collo tuo ornamentũ, & monile; atque, ut anulus, quem induisti, est tibi semper in promptu; sic me semper in oculis habeas; &, ut sigilla in cera anulo imprimuntur, ita in

9 Dura sicut infernus æmulatio, lãpades eius lampades ignis atq. flamarũ. Aquę multæ non potuerũt extinguere caritatẽ, nec flumina obruẽt illã: si dederit homo omnem substantiã domus suę pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

sensibus tuis speciem meã, & formam insculpi curaueris; tunc in amore mihi respondebis, & non me zelotypia sollicitũ reddet, & te rebus omnibus anteponam.

Spõsa, cũ sibi certissimũ esset, spõsum unice diligere, & pro comperto haberet, se ab eo ardenter amari, ijs, qui sibi sunt sanguine propinqui, illius beneuolentiam quærit. quare sic familiarius inquit:

10 Soror nostra parua, & ubera non habet.

10 Gens Hebræa est tibi agnatione germana. ex illa enim corpus ineffabili ratione formasti, quod indueres: ego quoque eos gentiles habeo, a quibus illa fuit procreata. Soror igitur hęc nostra est mihi curæ. ea, uellem, ut in clarissimam Dei familiam nuberet: sed ipsa adhuc non est nubilis. animi sui tenuitate, umbras consectatur; & tempus Diuino consilio definitũ non dum aduenit, quo tecum matrimonij fœdere coniungetur. 11 Cũ illa maturam uiro ætatem fuerit consecuta, & cum uiro erit in matrimonium tradenda, quibus illam nuptialibus donis afficies? A liberalitate tua non nisi amplissima exspectari debent: & sanguinis coniunctio non communia, sed singularia, flagitat. 12 Si illa pudicitiam seruet, si fidem, parentum exemplo ducta, Diuinis affatis tribuat, &, ut murus, pfidię impetus longe repellat, summis sapientiæ muneribus illam decorabimus, quibus, ueluti turribus, timorem hostibus incutiat, & amore indissolubili secum Deum, & homines, adstringat. si uero uitam libidine deformauerit, eam in locum compingemus, unde in lucem prodire non possit. Sic enim rationi consentaneum est, ut impudicæ mentes, ad quas perfidiæ semper aditus patet, omni luce priuentur.

11 Quid faciemus sorori nostrę in die quando alloquenda est.

12 Si murus est, ędificemus super eũ propugnacula argentea: si ostium est, cõpingamus illud tabulis cedrinis.

Postremo loco, Hebræi ad Christi nomen sese applicabunt, postquam gentes fuerint Euangelij doctrina ad uirtutis studium imbutæ. Erit autem tunc illius gentis in Christianam religionem stu-

dium

dium singulare, & in omnium uirtutum genere mirabilis splendor: quæ, cum Ecclesia gentium eodem sensu informata, sic de se orationem habet:

13 Ego murus: & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum corã eo quasi pacem reperiens.

13 Ego pudicitiam rebus omnibus anteponens, mentem ad cælestium rerum cognitionem erigo, &, quasi murus, in fide constanter persisto: quam nullæ poterunt machinę labefactare: ubera mea sunt, ut turres; & ostendũt, me esse iam nubilem. hoc enim definitum erat malis, quibus uexabar, tempus, quo, umbris depulsis, solidę ueritati adhærerem, & sanctissima fœderis religione cum Christo coniungerer: cuius benignitate effectum fuit, ut offensionem, quæ ex meo omnium flagitiorum grauissimo perfidiæ scelere oriebatur, ipse oblitteraret, seueritatem suam in uindicãdo deponeret, &, ut me sibi conciliaret, sequestris, interpretisque officio fungeretur. 14 Vineam in Bahal amon sibi uerus Salomon ex filijs Israelis conseuit, quæ legis institutis diligenter culta, & fructuum copia, & bonitate, longe inter alias præstabat: eam tamen uinitoribus quibusdam tradidit, quorum quilibet ei nummos argẽteos non amplius mille quotannis reddebat. erat enim illa certis Palęstinæ finibus circumscripta, & solidum uirtutis fructum raro quidem afferebat. Vinea uero mea, hæc inquam Ecclesia, ex gentibus, & Hebræis, cõflata, coram me est. singulari nempe cura eam colo, &, quocumque oculos uerto, illa mihi occurrit: in omnes mundi partes longe, lateque diffunditur: quam tu ipse excolendam suscepisti. mille quidem nummum tibi, & uinitoribus ducenti ex illa priori solum obueniebant. Qui igitur poterit illa cum hac, quę est amplissima, & industria, atq. cura tua diligẽtissime exculta, conferri?

14 Vinea fuit Pacifico, in ea quę habet populos: tradidit eam custodibus, uir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea corã me est. Mille tui Pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius.

Hic erit ultimis temporibus Ecclesiæ Christi omnibus bonis florens status: sed, dum in tellure uersatur, non potest ex illius contagione, non aliqua uel labe adspergi, uel molestia distineri. quare sponsus illam ad cantiunculam hortatur, qua aures suas permulceat, & ipsa, quid sit magis sibi cordi, significet, & ea Salomon elegan ter opus concludit. Sic ergo ille:

15 Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire uocẽ tuam.

15 Tu, quæ hortos incolis, in omnes hominum nationes propagata, amici beneuolam tibi audientiam præstant, mentes cælestes, Prophetę, Apostoli, uiri sancti, qui e uita exierunt, tibi attente aures præbent, ut inceptæ orationis tuæ clausulam percipiant, & suscepti cursus tui finem perspiciant. unde illi plurimum uoluptatis capient. mihi quoque illud erit gratissimum, ut iam uocem tuã, nullo fletu debilitatam, iucunde moduleris, ab omni mortis contagione libera.

16 Fuge dilecte mi, & assimilare caprę hinnuloque ceruorum super mõtes aromatum.

16 Omnia, dilecte mi, quare me in tellure uersari erat opus, iam perfecta esse uideo. nihil igitur in ore habeo, nihil maiori contentione postulo, nihil uehementius efflagito, quam, ut hinc abeam. hucusq. uestigia tua sum, psecuta, te unum sequor. in cursu igitur celeritatem maximam suscipe; capream, ceruumque imitare: te ad montes aromatum confectabor. Illud animus summopere expetit, ut iam corpus immortale induat, & te in cælorum omnium fastigio securus perfruatur.

LAVS DEO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HIERONYMI OSORII NEPOTIS LVSITANI CANONICI EBORENSIS IN PARAPHRASIM SVAM IN CANTICA CANTICORVM NOTATIONES.

CVm libellum Salomonis, Cantica Canticorum inscriptum, fuimus interpretati, ea dicendi ratione usi fuimus, quæ certa lege est circumscripta, & quodammodo pressa, ut uerborum, & sententiarum, longiorem explicationem minime patiatur. quamobrem operę pretium fore duximus, aliqua paucis hoc in loco notare, quę difficultatem legentibus afferre possent, eaque breui oratione explanare.

CAP. I.

Meliora sunt ubera tua uino.) Sic etiam interpretes Græci uerterunt: ὅτι ἀγαθὰ μαστοί σου ὑπὲρ οἶνον. Hebræi uero nõ Mammas interpretãtur, quia in libris suis legunt דדיך, hoc est Amores tui, quemadmodum paulo inferius legendũ quoque, & explicandum esse putant; ubi noster Latinus inquit Memores uberum tuorum. non enim mammas uiris natura tribuit, sed sponsam testari putant amoris uim sibi esse iucũdissimam, qua se inflammari sentiebat. Nos tamen noluimus facili negotio a nostro interprete discedere, præcipue cum hoc in loco sit elegans hypallage. uerba enim concinne summutantur. Nec est parum consentaneum Hebræorum dicendi consuetudini, Mammarum nomine amorem indicari: quemadmodum & Renes dicunt, cum intimos animorum sensus significare uolũt. est enim admirabilis uis illa, ad fetus alendos in mãmis insita, summi amoris argumentum. Accedit præterea, quod Mammæ hoc in loco Diuini sponsi uim altricem, qua omnia nutrit, ostendunt. quare homines, qui rerum omnium fabricam, & illarum conseruationem, attente considerant, in Dei amorem rapiuntur.

Introduxit me Rex in cellaria sua) Vt lætitiæ magnitudinẽ explicaret, hæc dicta fuisse a sponsa aliqui putant: quasi diceret: Etsi Rex me in cellam suam adduxisset, nõ ea uoluptate fruerer, qua nunc, dũ tua consuetudine utor, cumulate perfundor. propterea quoque existimant illud addidisse, Ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

se, Exsultabimus, & lætabimur in te. Nulle enim sunt opes Regiæ, nullę summo studio uoluptates exquisitæ, quæ aliqua ex parte cum ea uoluptate cõparari possint, quæ ex Dei consuetudine in animos piorum emanat. Neque illud parum uidetur esse consentaneum, quod alij asserunt, Regis nomen pro Delicijs, & Amoribus, usurpari. est enim in more positũ, ut feminæ eum, quem Delicias suas, & Amores, uocare uelint, Regem appellent. Introduxit itaq. me Rex, hoc est ille deliciæ meæ, & amores, in cellam suam me adduxit. Simili quoque ratione locus ille erit explicandus, Dum esset Rex in accubitu suo. Nos tamen, quia Regis nomine imperium in alios indicatur, non sine consilio fuisse a Salomone illud usurpatum arbitramur. licet enim uoluerit pastorum morem in dicendo sequi, quo, ut inquit Virgilius in Tityro, sic paruis componere magna solebam, ut clarius tamen prædiceret, fore, ut iam non Moses, non Iosue, non Gedeon, non ceteri uiri sancti, sed ipse rerum omnium princeps, Ecclesiam ad summas, & immortales, opes adduceret, in his duobus locis sponsa Regem sponsum appellauit.

Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem.) Amatorem sponsa laudauit: illius erga se animum beneuolentissimum, suauissimam quoque consuetudinem, commemorauit. Poterãt igitur lautæ feminæ, & urbanę, uim amoris quodammodo inconsideratam admirari, & cæco quodam amoris impetu effectum fuisse arbitrari, ut pulcherrimus iuuenis eas sperneret, & nigram ad amaret. Has illa singulari artificio appellat, & ita se ipsam laudat, ut modestiam seruet, & propriam causſam inuita defendere, inanisque gloriæ laudem minime quærere uideatur. Quib⁹ inquit, nigra sum, sed formosa. Nigroris causſam Solis ardorem exstitisse asserit, nec sibi aliquid de pulchritudine fuisse ob nigrorẽ detractũ. nam se, dũ in officio pascendi oues uersabatur, Solis æstu uexari oportebat: quare nigror ille non erat sibi natura insitus, nec quidem uenustatẽ aliqua ratione deformabat, præsertim, cũ eã multa alia mirifice augerẽt, q̃ similitudinib⁹ explicãdo luculenter exornat. Inde occasionem sumit, ut de fratrum iniuria conqueratur, qui eam, ob fidem amatori seruatam, ab hereditate paterna eiecerant. Hæc quam apte Ecclesiæ Christi conueniant, in Paraphrasi explicuimus.

Ne uagari incipiam post greges sodaliũ tuorum.) Pudicæ feminæ, & amore captæ, & a suis, ob amorem, multis modis afflictatę, & ob uiri absentiã acerbissimo doloris sensu affectę, persona eleganter exprimitur. Iniuriç, a fratribus illatę, eam, ut exilio solum patriũ uerteret, cogebant; amor, ut eum, quem ardenter amabat, quæreret, impellebat; sed pudõr retardabat. non enim probæ mulieris erat, uagari, & iuuenes adire. quo autem illa sese conferret, ut illum inueniret, nisi ad eorum greges, cum quibus illi aliqua consuetudinis familiaritas intercedere uidebatur? Qui uero sint hi, qui socij sponsi dicuntur, uiri docti non idem sentiunt. Nos autem, tum quia ipse sponsus pastor a Salomone fingitur, qui eo nomine obscure se ipsum indicare uoluit, ut uerum Salomonem his tegumentis inuolutum hominibus prædicaret, qui res omnes moderatur; tum etiam, quia Reges, & Principes, ab antiquissimis scriptoribus hominum pastores appellantur, & Scriptura sacra Dauidem inquit fuisse a Deo in Regia sede collocatũ, ut pasceret Iacob seruũ suũ, & Israel hereditatem suam, & Dei grauissimas de pastoribus Israelis querellas commemorat, hoc in loco sponsi, qui pastor erat, socius eos significari existimamus, qui eodem officij munere fungebantur, Reges nempe, & Principes, qui alios imperio tenebant.

Si ignoras te.) Interpres ita Hebræo adhæsit, ut uerbo uerbum redderet, & non satis Latine uerteret. Hebræus namque eo dicendi modo utitur, qui nostra ętate Hispanis est familiaris; cum dicunt, Si no te lo sabes. uocem enim Te adiungunt, ut oratio concinne fluat: Latini autem multo secus loqui consueuerunt. quare eam in Paraphrasi explicationem adhibuimus, quasi diceret sponsus, Si hoc quod, tibi ut notum efficiam, tantopere concupiscis, ignoras.

Egredere, & abi post uestigia gregum, pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.) Dum Solis ardor maxime uiget, ne ille ouibus perniciem afferat, pastores in opacum aliquem

quem locum eas deducunt. femina igitur, Solis, & amoris, æstu non mediocriter flagrans, ab amatore enixe contenderat, ut sibi exploratum esse uellet, ubi ille uitandi caloris causſa acquiescceret, ut ipsa quoque illuc sese conferret, ne circa aliorum pastorum tabernacula aberrare cogeretur. Cui ille, Egredere, inquit, & abi post uestigia gregum. Quasi diceret, Cum ego ouium gregem tanto studio, & sollicitudine, curem, ut illum numquam deseram, profecto, si tu illius uestigia prosequare, nullo poteris itineris errore duci, quin ad me tuto uenias. Pasce igitur hædos tuos iuxta tabernacula pastorum. illuc enim est tibi necessario iter faciendum, ut me uestigijs consequaris. Hæc oratio eleganter quidem pastorum mores exprimit. Iam uero, Ecclesia Christi, acerbissime a Iudęis uexata, ad illum, summo animi conatu, inclamabat, ut aliquod sibi, in tanto malorum æstu, quo iactabatur, alleuamentum afferret. Cui ille, Egredere, ait, & abi post uestigia gregum. ipse enim in illo Diuinæ sapientiæ curriculo, in quo Ecclesia uersabatur, primus uestigia impressit. prius namque illum Iudęi odio immani sunt persecuti, contumelijs lacerarunt, uirgis cæciderunt, & in Crucem tandem sustulerunt. quamobrem sæpe suos admonebat, ut Crucem suam tollerent, & se consequerentur, si in suorum numero haberi uellent. & Petrus, ut Christianos ad omnem uirtutis laudem excitaret, in prima Epistola, quam ad eos scripsit, In hoc, inquit, uocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius. quibus Apostoli in illa post Stephani necem acerbissima Ecclesiæ perturbatione institerunt. Hæc summi Doctoris, & uigilantis, bonique pastoris uestigia Salomon commemorat. Gregum autem uestigia ea appellat; tum, ut pastoris personam seruaret; tum etiam, quia Ecclesia, de qua ille, Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri uestro dare uobis regnum; ad illud peruenire non poterat, nisi ad illius imitationnem uestigia figeret. Pasce autem oues tuas circa tabernacula pastorũ, quia, ut inquit Isaias, habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, uitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.

Equitatui meo ī curribus Pharaonis assimilaui te.) Hebræus, סוסתי inquit, quæ uox Equam, & Equitatum significat. Aliqui autẽ Rabbini postremam illam litteram, ex more gentis, asserũt esse silentio prętereundã. quare nó Equę meę, siue Equitatui meo, sed, ut pastorẽ decebat, Equę, uel Equitatui, esse uertendum existimant. Similitudo autem non a quacumque equa, sed ab ijs ducitur, quę in Aegypto aluntur, & ad currum iungi consueuerunt; ut Ecclesiæ obedientiam luculenter explicaret. Salomon autem, cum pastoris personam gerat, & ipse, opibus affluens, ex Aegypto equas, & equos plurimos sibi adduci curaret, ex ijs quibus Aegypti Rex, dum curru uehebatur, uti solebat, propterea, Equitatui, inquit, meo in curribus Pharaonis assimilaui te.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.) In conuiuijs nardum adhiberi, Horatius testatur, Carm. lib. II. od. xj.

Et rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaq. nardo
Potamus uncti.

CAP. II.

Ordinauit in me caritatem.) Græci interpres τάξατε, inquiunt, ἀγάπην ἐν ἐμοὶ. Est autem τάσσω, idem, quod in ordinem deducere, & ordine milites collocare, & pretium rebus uenalibus, atque tributum alicui constituere, quod certis temporibus pendat. Ordinauit igitur in me caritatem: quasi dicat: antequam me in cellam suam secum adduceret, rebus alijs distinebar, quarum studium animum meũ ab illius amore auertebat. quẽ, amoris ui adhibita, ille in ordinem reuocauit, se cum scilicet a rebus alijs auulsum conglutinauit, uel eorum, inquit, beneficiorum, quæ in me contulit, pretium, est mihi amore soluendum, ac illum ueluti tributum mihi cõstituit. uel potius, sic amorem in aciem duxit, ut, illius uiribus instructa, cum potentissimo, & acerrimo, hoste certamẽ inirem, illum prosternerem, &, exsuuijs ornata, triumphũ agerem, in quo

quo inuicta amoris uis ab omnibus in cæ lum laudibus efferetur. Eleganter quidē apud Hebręum, Vexillū inquit, eius mihi amor, ut significet, si antea sponsum ualde amabat, postquam tamen illius cō suetudo iucundissima accessit, miram fuisse ad amorem factam accessionem, ut iam nihil, nisi amorem, in uita sequatur, nihil, nisi amorem, in oculis habeat.

CAP. III.

Egredimini, & uidete filiæ Sion Regem Salomonē in Diademate quo coronauit eum mater sua in die desponsationis.) Illi, qui singularem mulieris pulchritudinem intuebantur, eam summa cum laude admirabantur: ipsa uero, ut pudicitiæ suæ decus nullis lenocinijs deformari posse ostenderet, tria commemorat, Primum, sanctissimum matrimonij fœdus, & uiri sui curam, refert, cum inquit, En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt. Deinde, quæ acceperat, beneficia enumerat. Ferculum, inquiens, fecit Rex Salomōn, cui se similem esse dicit, ob munera, quibus erat a uiro suo mirifice exculta. Postremo, uiri pulchritudinem laudat, cui neque Salomonis, fulgentibus uestibus, & Regijs ornamentis, induti, pulchritudinem præcellere affirmat, cum inquit, Egredimini, & uidete filiæ Sion Regem Salomonē in diademate. Quasi diceret, Tantopere uir meus pulchritudine inter alios præstat, ut minime mirandum sit, si ab eo diuelli nō possim, ut ipsas uirgines Hierosolymitanas ad testimonium ferendum uocem: quæ si Salomonem, auro, & gemmis, ornatum, in maxima illa hominum celebritate, quādo sibi uxorem duxit, sunt admiratæ, non minus, si oculos in uirum meum conijciant, eius pulchritudinem singulari cum admiratione prædicabunt.

CAP. IIII.

Absque eo quod intrinsecus latet.) Vox Hebræa אמתך a Rabbinis pro Cincinnis, & pro Capitis ornamēto, quo feminæ capillos in ordinem cōcinne colligunt, usurpatur. Vnde noster Latinus, ut pulcherrimam sponsæ comam, ornamento illo fuisse obuolutam significaret, uertit, Absq. eo quod intrinsecus latet. quamuis illud magis uerisimile nobis esse uideatur, nempe, quod interpres Latinus eam explicādi rationem sequatur, quam plurimi Hebræi probant, qui sic uertunt, Oculi tui columbarum intra cincinnos tuos. Si enim oculi sponsæ pulchritudinis splendore, ut columbarum oculi, nitent, dum quidem cincinnis quodammodo inuoluti latent, pulchriores apparebunt. non mediocrem enim diffluētes cincinni uenustatem afferunt.

Veni de Libano sponsa mea, Veni de Libano, Veni coronaberis de capite Amana.) Ad pascua lætiora, scilicet ad Montem myrrhæ, & ad collem thuris, hoc est ad montem Libanum quo se iturum dixerat, ut gregem abigat, sponsam excitat, &, ut iter libenti animo suscipiat, se comitem itineris fore pollicetur. Mecum, inquit Hebræus, a Libano. Hoc nempe solo macro relicto, mecum Libanum, optimis pascuis abundantem, postquam peragraueris, coronaberis de uertice Amana. adspicies, inquit Hebræus, de uertice Amana, in his scilicet montibus greges tuos pasces. Vnde iucunde satis in æquatā agri planitiem, omnium frugum genere uberrimam, prospicies in quam, cum opportunum fuerit, gregem deduces. Coronaberis autē, ut Latinus noster uertit, quia montes illos circuibis. e fastigio enim Amana descendens, ad Seir montis cacumen adscendes, atque inde ad Hermon peruenies, & orbem quodammodo conficies. Nam Ecclesia, ab Hebræis procreata, & enutrita, postquam gentes ad Christi nomen se ardenti studio coniunxerint, Hebręos, qui, adhuc perfidiæ scelere obcæcati, ab illa immani odio dissentiunt, ad pietatis, & ueræ sapientiæ studium, trahet. Greci diuersam in explicando rationem sequuntur. Sic enim uertunt: Veni de Libano sponsa mea, ueni de Libano, uenies, & transibis a principio fidei, a capite Senir, & Hermon de cubilib⁹ Leonū de montibus Pardorum. Libani uocabulo idolorum cultum significari putant, a quo gentium Ecclesia se ipsam longius abducet, cum primum fidem uerbis Diuinis adhibebit, atque inde in Senir, & Hermon montes, hoc est ad legis Diuinæ studium,

studiū, & ad Christi splendorem, de cubilibus Leonum, & de mōtibus Pardorum, de Iudæorum scilicet feritate, & de Philosophorum fucata sapientia, transibit. Sed prior explicatio magis uidetur, & personis, & loco, conueniens.

Emissiones tuæ Paradisus malorum.) Vox שלחיך est a uerbo שלח deducta. quod idem est apud Hebręos, ac Mittere, & Dimittere apud Latinos. quāobrē, cum plātę e terra emitti uideātur, eas eo nomine Hebręi significāt. noster autē Latinus, & Græci interpretes, pro eo Emissiones elegāter rediderunt. non enim in hoc horto surculos quisquam inserit, nisi ipse optimus rerum parens: cuius munere effectum fuit, ut Ecclesia uirtutum omnium fructus ad hominum uitam salutares emitteret.

CAP. V.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto.) Hebræi omnes in ea sunt opinione, ut existiment, hac oratione homines, ad quos sponsa peruenerat, ab ea quærere, num, ille, quem ipsa adeo uehementer amaret, omnibus præcelleret, quos ceteræ feminæ non mediocriter diligebant, hoc est, num ille, quem ipsa Deum prædicabat, uirtute, & sapientia, inter ālia numina longe præstaret? Vox enim מה non solum Qualem, sed Quid significat: ut oratio Latine uerti potuisset: Quid dilectus tuus præ dilecto? Quasi diceret: Num ceteris, qui amore digni habentur, excellit? Sed Latinus, his uerbis, uel illorum hominum postulationem contineri putauit, qua sponsam precabantur, ut sibi iam tandem sponsi formam exprimeret, Qualis, inquiunt, sit ille, cuius amore flagras, effice, ut ex ipsius adspectu percipere ualeamus; uel admirationem quandam explicari, in quam homines illi rapiebantur, cum imbecillæ feminæ in amore constantiam considerabant, Qua, inquiūt forma est ille, ex dilecto: hoc est, si quidem tam ardenti caritate illum prosequeris? eo enim, quōd tantopere a te diligitur, summam esse illius pulchritudinem, suspicamur.

Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.) Verbum הלל significat Eleuare. Vnde nomen תלתלים, quo hoc in loco Salomō utitur, pro Elato usurpatur. Crines autē, cū diffluūt, extremi quidē ita paulatim sese flectūt, ut crispi reddātur. Spōsi igitur cincinni, ut Hebræi fere oēs interpretantur, erāt crispi. Greci aūt interpretes uertūt βόστρυχοι αὐτοῦ ἐλάται Est aūt, Elati apud Græcos, Abies, & fructus ille primus cortice inuolutus, quem palmæ emittunt. quamuis alij corticem, alij extremam rami partem, hoc nomine significari putent. Quamobrē noster Latinus cū Græcū nomen retinuisset, ne aliquam aberrandi occasionem daret, Palmarum nomen adiunxit. Nos Latinum, & Hebręum, in Paraphrasi sequimur. Græci uim illam hac similitudine notari putant, quę certo palmarum generi est a natura insita; ut, si earum folia, ut refert Aristoteles, uel cortex, illarum palmarum, quæ feminæ dicuntur, folijs iungatur, immo si uento delatus odor feminis afflet, illis opportuno tempore fructuum afferat maturitatē. Summa enim Christi Optimi & Maximi sanctitas suis dat miram uirtutum omnium fecunditatem. Nigram autem comam habuisse dicitur, quia tunc temporis id erat omnibus gratum, & non parum formæ dignitatem augebat, ut Horatius inquit, Carm. lib. 1, od. 32.

Et Lycum nigris oculis, nigroque
Crine decorum.

Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentes super fluenta plenissima.) Vt oculorum pulchritudinē clarius ostēdat, illa uerba adiungit, scilicet, Super riuulos aquarum. tanta enim erat illorum splendor, & dignitas, ut, si cum riuulis, æstiuo tempore, arborum, & herbarum, uiriditate sæptis, undique, & uestitis comparentur, longissimo interuallo eos pulchritudine superent. Ea uero, quæ sequūntur, ad oculos, non uero ad columbas, Hebræi pertinere putant: ut sit oculorum descriptio, quam in Paraphrasi explicamus.

CAP. VII.

Comæ capitis tui, sicut purpura regis uincta canalibus.) Salomon, ut ostenderet, quam compti, & nitidi sponsæ capilli essent, illos inquit, ut Regiam purpuram, cum primum est singulari artificio abluta,

ta,fulgere. Est enim Christiana hominũ natio, amore rerum cælestium flagrans, & fidei uigenti studio splendet. Græci interpretes sic Hebræum Græce uerterunt, πλόκιον κεφαλῆς σου ὡς πορφύρα. βασιλεὺς δεδεμένος ἐν παραδρομαῖς hoc est, Capilli tui compti sunt instar purpuræ, Rex deuinctus incursibus. Quid autem sit iste Cursus, uox Hebræa declarat. רהט enim, pro quo Græci Dromi,& noster Latinus Canalia reddidit, a uerbo רהט proficiscitur,quod Currere significat.Ille igitur locus in ędibus,in quo ambulatio conficitur, & a Latinis Tecta Ambulatio dicitur,eo nomine indicatur,quia ibi quasi cursus diuersi conficiantur. Ob eandem quoq. rationem,quidquid illud sit arte aliqua perfectum, per quod aqua fluit, eodem nomine usurpatur:ut Latinus hoc in loco, & multi Hebræi illud interpretantur. Sponsæ igitur cincinnos, instar purpuræ,nitidos a Salomone prędicari,Græci putant. Doctrina enim Christi eã quodammodo uestit, quo quidem purpureo uestitu induta ueluti Rex liberam ab omni peccati tyrannide sui moderationẽ tenet. Est autem rex deuinctus in cursibus, quia eiusdem doctrinę institutis est in hoc uitę curriculo Ecclesia sapienter adstricta,ne labatur. Optima quidem est hæc explanatio, sed Pastoris personæ,& cincinnis, non sane congruit. quamobrem nos eam secuti fuimus, quæ loco,& personis,magis conueniens esse uidebatur;nempe,ut sponsæ crines sint adeo concinne compti, ut ipse Rex illis uinciri uehementer cupiat.

Statura tua assimilata est palmæ.) Eadem similitudine Vlysses Nasicaam, Alcinoi filiam,apud Homerũ laudauit. Quod animaduertendum esse duximus, ne quis sibi persuaderet ita Salomonem in rerũ futurarum prædictione uersari, ut aliquando orationis concinnitatem,& ornatum,minus curet,dum futura clare enuntiet. Sic enim rem hanc pertractat,ut pastorum amores eleganter describat, & mysteria Diuinitus referat.

Ego Franciscus Peres Collado, de mandato Reuerendissimi Patris Bartholomæi de Miranda,Magistri Sacri Palatij,legi Paraphrasim in Cantica Canticorum, & Annotationes in ipsa Hieronymi Osorij Nepotis:in quibus nihil inueni, quod sanæ, & Catholicæ doctrinę repugnaret,& morum integritati obsisteret; sed multa erudita, quæ huic difficili libro lucem afferunt.In quorum fidem hic subscribo. Die 27. Mensis Iunij. Anno. 1592.

Franciscus Peres Collado.

Imprimatur.

P. Ant. Vicesg. M. F. Petrus Ioan. Caragoca,socius Reuerend. M.S.P.

REGESTVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy.

Omnes sunt Terniones, præter Yy Quaternionem.

ROMAE, Ex Typographia Gabiana. CIↃ IↃ XCII.

Universidad de Deusto
Biblioteca